


6
10 D
32



IACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL

EXERCITATIONES IN OPTIMOS FERE AUTORES GRÆCOS.



Jan de Visscher fec.

Lugdu: Batav: *Apud* Gaasbeekios MDCLXVIII.



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNII,
EXERCITATIONES
IN OPTIMOS FERE
AUCTORES GRÆCOS
VELUT


Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Diodorum Siculum, Appianum, Memnonis fragmentum, Plutarchum, Arrianum, &c.


UT ET IN

ANTIQVOS POETAS,

Aristophanem, Theocritum, Moschi Idyllia.

Cum gemino Indice, Græco & Latino.





INTELLIGENTIBUS.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina DANIELIS, ABRAHAMI & ADRIANI à GAASBEECK,
CIↃ IↃC LXVIII.

SERIES

AUCTORUM EXPLICATORUM.

Æſchines.
Andocides.
Antiphon.
Appianus.
Ariſtides.
Ariſtophanes.
Arrianus.
Athenæus.
Demoſthenes.
Dinarchus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.
Dion Caſſius.
Herodotus.
Iſæus.
Lucianus.
Lycurgus.
Lyſias.
Marmora Arondeliana.
Memnonis fragmentum.
Moſchi Idyllia.
Pauſanias.
Plutarchus.
Polybius.
Scylax.
Strabo.
Theocritus.
Theophraſtus.
Thucydides.
Xenophon.

ILLVSTRISSIMO VIRO,

CAROLO
A SANCTA MAVRA,
DVCI MONTAVSERIO,

INCULISMENSIS PROVINCIÆ ET SANTONICÆ PRÆFECTO, ALSATIÆ ET NORMANNIÆ REGIONIBUS REGENDIS à REGE CONSTITUTO.

JACOBUS PALMERIUS à GRENTEMESNIL,

S. P. D.



os ab antiquissima rerum memoria receptus ad nos usque pervenit, Vir natalibus nobilissime & virtutibus illustrissime, ut ii qui libros suos publici juris faciebant, unum tamen aliquem, aut virum

principem, aut heroïca virtute conſpicuum, aut eruditione celebrem, aut denique amicum eligerent, cui ſpeciatim librum editum donarent. Sic ut ab antiquiſſimis ordiar, Heſiodus opus ſuum *Opera & Dies* ad Perſam miſit. Sic & Theocritus ad Niciam, & Diophantum, Cyclopem & Piſcatores duo idyllia. Sic Ariſtoteles Nicomacho, Eudemo, denique & Alexandro, opera ſua ſelectiora; Oppianus Antonino imperatori elegantiſſima de venatu & piſcatu poëmata donaverunt. Græcorum exemplum ſequuti ſunt Latini. Nam Cicero Herennio, Quinto fratri, M. Bruto, & Trebatio, poſitis in capite

librorum titulis tamquam munera propria, libros à ſe compoſitos, miſit: Catullus Cornelio, Virgilius & Horatius Mæcenati opera ſua dedicarunt. Longum foret & epiſtolæ minime conveniens, ſi per inferiora ſæcula gradatim deſcendere & plura exempla, quæ paſſim extant, undique conquirere vellem. Itaque cum aliquod ſtudiorum meorum ſpecimen ſuadentibus amicis in lucem edere in animo habeam, morem antiquum ſequi decrevi, nec diu deliberandum fuit, cui potiſſimum hanc opellam noſtram dedicarem. Nam ſi dignitatem quæro, quis apud nos, qui Neuſtriam incolimus, dignitatis

gradum æqualem obtinet? Si heroïcas virtutes; quis & pacis & belli artibus instructior? aut fortibus factis & militari gloria præstantior? si eruditionem & bonarum artium usum specto, quis in tota Gallia vir nobilis & Martis alumnus in Musarum sacellum & Apollinis adytum recipi dignior? Si denique benevolentiam erga me considero, quis tibi præferendus foret, qui me non solum obvia comitate complexus es semper; sed & inter amicos interioris admissionis, sæpe in colloquium familiare, lubenter admisisti, mea studia fovisti, ea etiam præconio tuo celebriora fecisti. Sed & judicium

cium publicum reformidantem, tuis monitis audaciorem factum ad edendum aliquid, sæpius hortatus es. Et quidem cum in antiquæ Græciæ descriptione plurimum laboraverim, id opus tuo nomini dicare & nobilius facere gestiebam: sed cum id majoris molis sit quam ut tam cito publicari possit, & octogesimus annus fere completus nos premat,

Et spem nos vetet inchoare longam;

non sine ratione timeo, ne mors mihi præripiat ejus propositi speratum finem. Dum igitur vehementer cupio, testimonio publico, meam in te observantiam & singulare obsequium testari & Exercitationes nostras in anti-

quos auctores Græcos, absolutum opus, prælo jam commiserim, patere, vir ante omnes mihi colendissime, ut nobile nomen tuum in capite libri positum amuleti vice fungatur, adversus invidos & obtrectatores potentissimi. Accipe vultu hilari & exporrecta fronte munusculum, quod solum in ætate tam provecta tibi donare possum, & si dignum tua cura videbitur, id tuere. Sic secundet Deus tua acta. Sic gloriam tuam augeat. Sic te & tuam pientissimam & nobilissimam uxorem, & universam domum tuam servet incolumem. Vale.




AD LECTOREM.

Mirum forte tibi videbitur, Lector amice, virum octoginta annos natum, qui nihil fere unquam prælo commiserit, tam sero mutasse propositum, & silentium ejurasse, dum suas in antiquos auctores Græcos emendationes & notas nunc publicare incipit. Fateor id merito tibi mirum videri & insolens. Sed audi, quare tam sero noster ille labor prodeat in publicum. Ab ineunte ætate studiis satis deditus vixi usque ad vigesimum annum: ab eo tempore vita mea fuit militaris potius, quam studiis dedita. Sed postquam senectus & calculi dolores intensissimi mihi à muniis militiæ vacationem dederunt, literarum & præcipue Græcarum amor recruduit, & in doloris solatium studia repetenda duxi, quæ tamen nunquam ita deserueram, quin horis subsecivis etiam in castris, sed præcipue hibernis, aliquem auctorem Græcum in manibus haberem, & identidem in margine aliquid notarem, quod ad emendationem textus vel elucidationem prodesse posse videbatur. Dum igitur libros meos (ut fit) ad usum amicorum commodabam, ii me objurgabant sæpius, quod eas notas & emendationes mihi soli reponebam, & publici juris facere negligebam. Parui tandem monitis, & eas notas breves auctiores & dilucidiores feci, & justum inde volumen emersit. Id Heidelbergam ad doctissimum Ludovicum Fabricium sanctæ Theologiæ Doctorem amicum meum miseram, qui editionem nostri laboris curare promiserat. At dum manuscriptus codex noster per errorem ad Bohemiam usque fertur, & sero ad Fabricium reportatur, Typographus, qui nostram operam prælo committere promiserat, obiit, quæ

mors

mors nostras rationes conturbavit. Delituit itaque in Germania, & tandem pluribus annis elapsis cum jam de eo recipiendo desperarem, vix in manus nostras postliminio reversus est. Ob id infortunium curam omnem ejus editionis abjeceram. Sed ecce meliore fato Iohannes Fredericus Gronovius, qui cum summa probitate profundam & raram eruditionem & bonarum literarum provehendarum studium conjunxit, ultro ad suscipiendam eam provinciam se obtulit, licet solo nomine nos novisset, exemplo officiosi animi raro & nunquam satis laudando. Accepi conditionem tam bonam & insperatam lubentissime, & manuscriptum nostrum ad eum misi, qui nulla interposita mora in id opus incubuit, & Gaasbekiis nobilibus typographis edendum & typis mandandum dedit nostrum quemcunque laborem. En tibi, Lector amice, quare tam sero è latebris emerserit. Vtere eo, si vacat, & si alicubi erravisse tibi videbor, mone amico animo, dum vivo: nam & gratias agam, & me senem doceri non pœnituerit. Si quid à nobis aptius exiisse putaveris, Deo summo & misericordi gratiæ agendæ erunt, quem ut tibi omnia prospera & (ut ajunt Græci) πλουθυγιείαν largiatur, contentissima oratione precabor. Vale.

INDEX



INDEX AVCTORVM ANTIQVORVM, Qui in his EXERCITATIONIBUS illustrantur & emendantur.

** De-

48 . . . . ΤΥΣΑΘΗΝΩΝΑΙΣΧΥΛΟΥΕΤΟΥΣΕΙΚΟΣΤΟΥΚΑΙΕΝΟΣΑΦΟΥΚΑΤΕΝΙΑΥΤ ΟΝΗΡ .. ΕΝ .. Ρ .. ΩΝΕΤ .. ΗΗΗΗΔΔΑΦΟΥ....... Ο.. Υ

49 . . . . ΕΤΗΗΗΗΗΔΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΛΥΣΙΑΑΦΟΥΤΕΡΠΑΝΔΡΟΣΟΔΕΡΔ ΕΝΕΟΣΟΛΕΣΒΙΟΣΤΟΥΣΝΟΜΟΥΣΤΟΥ.... Α... ΩΝ... Δ.. ΟΥΣΘΑΙΑΥΛΗΤ..

50 . . . ΛΗΣΕΚΑΙΤΗΝΕΜΠΡΟΣΘΕΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝΕΤ.. ΗΗΗ𐅄ΔΔΔΙΑΡΧΟΝ ΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΔΡΩΠΙΛΟΥΑΦΟΥΑ.... ΣΛΥΔΟ...... ΣΙΛΕΥΣ.......

51 . . . . . ΔΔΔΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣΑΦΟΥΣΑΠΦΩΕΓΜΙΤΥΛΗΝΗΣΕΙ ΣΣΚΙΚΕΛΙΑΝΕΠΛΕΥΣΕΦΥΓΟΥΣΑ......... ΟΛ..... Θ....

52 . . . . ΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΜΕΝΚΡΙΤΙΟΥΤΟΥΠΡΟΤΕΡΟΥΕΝΣΥΡΑΚΟΥΣΑΙΣΔΕΤΩΝΟΜ ΟΡΩΝΚΑΤΕΧΟΝΤΩΝΤΗΝΑΡΧΗΝ........ ΤΟ......

53 . . . . . ΟΝΤΕΣΚΥΡΡΑΝΚΑΙΟΑΓΩΝΟΓΥΜΝΙΚΟΣΕΤΕΘΗΧΡΗΜΑΤΙΤΗΣΑΠΟΤΩΝΛΑΦΥ ΡΩΝΕΤΗΗΗ.. ΔΔΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΣΙΜΟ.. ΟΣΑΦΟΥ...

54 . . . . ΑΝΙΤΗΣΑΓΩΝΠΑΛΙΝΕΤΕΘΗΕΤΗΗΗΗΔΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΔΑΜΑΣΙ ΟΥΤΟΥΔΕΥΤΕΡΟΥΑΦΟΥΕΝΑΘ... ΑΙΣΚΩΜΩ.... Ρ... ΕΘΗ..... ΣΑΝΙ

55 . . . ΤΩΝΙΚΑΡΙΕΩΝΗΥΡΟΝΤΟΣΣΟΥΣΑΡΙΩΝΟΣΚΑΙΔΟΛΟΝ .. ΤΕΘ . . ΠΠΩΤΟΝΙΣΧΑ Δ...... ΑΡΣΙΧΟ..... ΝΟΙΝΟΥ... ΕΡ.... ΟΣ.....

56 . . ΑΦΟΥΠΕΙΣΙΣΤΡΑΤΟΣΑΘΗΝΩΝΕΤΥΡΑΝΝΕΥΣΕΝΕΤΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔΠΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣ . ΙΚ... ΟΥΑΦΟΥΚΡΟΙΣΟΣ.. ΑΣΙΑΣ.... ΔΕΛΦΟΣΑ.

57 . . . . . . ΔΔΔΔΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΤΟΥΔΗΜΟΥΑΦΟΥΚΥΡΟΣΟΠΕΡΣΩΝΒΑΣΙΛΕΥ ΣΣΑΡΔΕΙΣΕΛΑΒΕΚΑΙΚΡΟΙΣΟΝΥΠΟ...... ΗΣΣΦΑΛ....

58 . . . ΚΑΙΙΠΠΩΝΑΞΚΑΤΑΤΟΥΤΟΝΟΙΑΜΒΟΠΟΙΟΣΑΦΟΥΘΕΣΠΙΣΟΠΟΙΗΤΗΣ . . . . . . ΑΧΙ... ΟΣΕΔΙΔΑΞΕΝΑΛ... ΣΤΙΝ . . . . . ΤΕΘΗΟ.. ΡΑΓΟΣ..... Χ... ΕΤΗΗΗ𐅄... ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘ.....

59 . . . . ΝΑΙΟΥΤΟΥΠΡΟΤΕΡΟΥΑΦΟΥΔΑΡΕΙΟΣΠΕΡΣΩΝΕΒΑΣΙΛΕΥΕΜΑΓΟΥΤΕΛΕΥΤΗΣ ΑΝΤΟΣΕΤΗ . . . . 𐅄ΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗ.......... ΑΦΟΥΑΡΜΟΔΙΟΣΚΑΙ........ ΙΤΩΝΑΠΕΚΤΕ..:

60 . . ΡΧΟΝΠΕΙΣΤΡΑΤΟΥΑ....... ΟΝΚΑΙΑΘΗΝΑΙΟΙΣ .. Ρ.. ΗΣΑΝΤΟΥΣΠΕΙΣΙΣΤΡΑ ΤΙΔΑΣΕΚΙ.... ΚΛΑΣ.. ΙΟΥΤΕΙΧΟΥΣΕΤΗΗΗΔΔΔΔΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙ

61 . . . . ΑΦΟΥΧΟΡΟΙΠΡΩΤΟΝΗΓΩΝΙΣΑΝΤΟΑΝΔΡΩΝΟΝΔΙΔΑΞΑΣΥΠΟ .. ΚΟΣΟΧΑΛ ΚΙΔΕ ... ΕΝΙΚ ..... ΕΤΗΗΗΔΔΔ... ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΛΥΣΑΓΟΡΟΥΑΦΟΥΝΕ.. ... ΙΠΠΙΑ.......

62 . . . . ΕΝΑΘΗΝΗΣΙΝΕΤΗΗΗΔΔΔΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΠΥΘΟΚΡΙΤΟΥΑΦΟΥΗΕΜΜΑ ΝΑΘΩΝΙΜΑΧΗΕΓΕΝΕΤΟΑΘΗΝΑΙΟΙΣΠΡΟΣΤΟΥΣΠΕΡΣΑΣ ... ΑΡΙΕΝΤΕΑΣ.... ΩΝ ΔΑΡΕΙΟΥΑΔΕΛ

63 :... ΝΤΟΝΣΤΡΑΤΗΓΟΝΕΝΙΚΩΝΑΘΗΝΑΙΟΙΕΤΗΗΗΔΔΠΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝ ...... ΔΕΥΤΕΡΟΥ Φ.. Ν. ΕΝΜΑΧΗΙΣΥΝΗΓΩΝΙΣΑΤΟΑΙΣΧΥΛΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣ

64 . . . . . ΔΔΔΠΑΦΟΥΣΙΜΩΝΙΔΗΣΟΣΙΜΩΝΙΔΟΥΠΑΠΠΟΣΤΟΥΠΟΙΗΤΟΥΠΟΙΗΤΗΣΩΝ ΚΑΙ....... ΝΗΣΙΚΑΙΔΑΡΕΙΟΣΤΕΛΕΥΤΑΙΞΕΡΠΗΣΔΕΟΥΙΟΣΒΑΣΙΛΕΥΕΙ....

65 . . . . . . ΔΠΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΡΙΣΤΕΙΔΟΥΑΦΟΥΑΙΣΧΥΛΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣΤΡΑΓΩ ΔΙΑΙΠΡΩΤΟΝΕΝΙΚΗΣΕΚΑΙΕΥΡΙΠΙΔΗΣΟΠΟΙΗΤΗΣΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΣΤΗΣΙΧΟΡΟΣΠΟΙ ΗΤΗΣ

66 ΤΗΝΕΛΛΑΔΑΑ .... ΟΕΤΗΗΗΔΔΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΦΙΛΟΚΡΑΤΟΥΣΑΦΟΥΞΕΡΞ ΗΣΤΗΝΣΧΕΔΙΑΝΕΖΕΥΞΕΝΕΝΕΛΛΗΣΠΟΝΤΩΙΚΑΙ.... ΕΝΑΙΝΕΝΘΕΡΜΟ

67 . . . . . ΣΜΑΧΗΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΝΑΥΜΑΧΙΑΕΛΛΗΣΙΠΕΡΙΣΑΛΑΜΙΝΑΠΡΟΣΤΟΥΣΠΕΡΣΑΣ ΗΝΕΝΙΚΩΝΟΙΕΛΛΗΝΕΣΕΤΗΗΗΔΠΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΚΑΛ.... ΔΟΥΑΦΟΥΗΕΝ

68 . . . . ΤΑΙΑΙΣΜΑΧΗΕΓΕΝΕΤΟΑΘΗΝΑΙΟΙΣΠΡΟΣΜΑΡΔΟΝΙΟΝΤΟΝΞΕΡΞΟΥΣΤΡΑΤΗΓ ΟΝΗΝΕΝΙΚΩΝΑΘΗΝΑΙΟΙΚΑΙΜΑΡΔΟΝΙΟΣΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΕΝΤΗΙΜΑΧΗΙΚΑΙΤΟΠΥΡ ΕΡΥΗΚ..

69 . . . . . ΕΛΙΑΙΠΕΡΙΤΗΝΑΙΤΝΙΑΝΕΤΗΗ . . . . ΠΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΞΑΝΓΙΠΠΟΥ ΑΦΟΥ... ΛΩΝΟΔΕΙΝΟΜΕΝΟΣ .... ΕΤΥΡΑΝΝΕΥΣΕΝΕΤΗΗΗΔΠΑΡΧΟΝΤΟ ΣΑΘΗΝΗΣΙΤΙΜΟΣΘΕΝ .... Σ!

70 .... ΣΙΜΩΝΙΔΗΣΟΛΕΩΠΡΕΠΟΥΣΟΚΕΙΟΣΟΤΟΜΝΗΜΟΝΙΚΟΝΗΥΡΩΝΕΝΙΚΗΣΕ
ΝΑΘΗΝΗΣΙΝΔΙΔΑΣΚΩΝΚΑΙΑΙΕΙΚΟΝΕΣΕΣΤΑΘΗΣΑΝΑΡΜΟΔΙΟΥΚΑΙΑΡΙΣΤΟΓΕΙΤΟ
ΝΟΣΕΤΗΗΗ....
71 ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙ ...... ΜΑΝΤΟΥΑΦΟΥΙΕΡΩΝΣΥΡΑΚΟΥΣΩΝΕΤΥΡΑΝΝΕΥΣΕΝ
ΕΤΗΗΗΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΧ .. Η ... ΟΣΗΝΔΕΚΑΙΕΠΙΧΑΡΜΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣΚΑ
ΤΑΤΟΥ..
72 ΤΟΝΑΦΟΥΣΟΦΟΚΛΗΣΣΟΦΙΛΛΟΥΟΕΚΚΟΛΩΝΟΥΕΝΙΚΗΣΕΤΡΑΓΩΔΙΑΙΕΤΩΝΩΝΔ
ΔΠΙΙΙΕΤΗΗΗΠΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΨΗΦΙΟΝΟΣΑ ΦΟΥΕΝΑΙΓΟΣΠΟΤΑΜΟΙΣΟΛ
ΙΘΟΣΕΠΕΣ..
73 ΚΑΙΣΙΜΩΝΙΔΗΣΟΠΟΙΗΤΗΣΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΒΙΟΥΣΕΤΗ𐅄ΔΔΔΕΤΗΗΗΠΑΡΧΟΝΤΟ
ΣΑΘΗΝΣΙΘΕΑ, ... ΝΙΔΟΥΑΦΟΥΑΛ....ΑΝΔΡΟΣΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΟΔΕΥΙΟΣΠ ...., ΔΙΚ
74 ΑΣΜΑΚΕΔΟΝΩΝΒΑΣΙΛΕΥΕΙΕΤΗΗ𐅄ΔΔΔΔΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΕΥΘΙΠΠΟΥ
ΑΦΟΥΑΙΣΧΥΛΟΣΟΠΟ .. ΤΗΣΒΙΩΣΑΣΕΤΗ𐅄ΔΠΙΙΙΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΕΝ..
75 .. ΑΙΤΙΙΣ..ΚΕΛΙΑΣΕΤΗΗ𐅄ΔΔΔΔΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣ .... ΑΛΛ .. ΟΥΤΟΥΠΡΟ
ΤΕΡΟΥΑΦΟΥΕΥΡΙΠΙΔΗΣΕΤΩΝΩΝΔΔΔΔΙΙΤΡΑΤΩΔΙΑΙΠΡΩΤΟΝΕΝΙΚΗΣΕΝΕΕΤΗΗΙ𐅄
Δ....
76 ... ΟΝΤΟΣΑΘΗΝΙΙΣΙΔΙΟΝ ..... ΣΑΝ .. ΕΚΑΤΕΥΡΙΠΙΔΗΝΣΩΚΡΑΤΗΣΚΑΙ ... ΞΑΓ
ΟΡΑΣΑΑΦΟΥΑΡΧΕΛΑΟΣΜΑΚΕΔΟΝΩΝΕΒΑΣΙΛΕΥΕΠΕΡΔΙΚΚΟΥΤΕΛΕΥΤΗΣΑΝΤΟΣΕ
ΤΗΗ.....
77 ...... ΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΑΣΤΥΦΙΛΟΥΑΦΟΥΔΙΟΝΥΣΙΟΣΣΥΡΑΚΟΥΣΩΝΕΤΥΡΑΝΝΕ
ΥΣΕΝΕΤΗΗΔΔΔΔΠΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΕΥΚΤΗΜΟΝΟΣΑΦΟΥΕΥΡΙΠΙΔΗΣΡ ....
78 .... ΛΕΥΤΗΣΕΝΕΤΗΗΔΔΔΔΠΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΝΤΙΓΕΝΟΥΣ .... ΣΟ ... ΛΗ
ΣΟΠΟΙΗΤΗΣΒΙΩΣΑΣΕΤΗ .. ΔΔΔΔΙΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΚΑΙΚΥΡΟΣΑΝΕΡ......
79 ...ΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΚΑΛΛΙΟΥΤΟΥΠΡΟΤΕΡΟΥΑΦΟΥ .. ΕΛΕΣΤΗΣΣΕΛ .... ΝΙΚΗΣ
ΕΝΑΘΗΝΗΣΙΝΕΤΗΗΔΔΔΠΙΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΜΙΚΩΝΟΣΑΦΟΥ....
80 .. ΑΚΥΡΟΥΑΝΑΒΑΝΤΕΣΚΑΙΣΩΚΡΑΤΗΣΦΙΛΟΣΟΦ .... ΕΛΕΥΤ ...... Ο .. ΕΤΗ𐅄
ΔΔΕΤΗΗΔΔΔΠΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΗΝΗΣΙΝΛΑΧΗ......
81 .... ΑΘΗΝΗΣΙΝΕΤΗΗΔΔΔΠΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΟΥΣΑΦ ....
..... ΟΣ ..... ΜΕ ... ΡΙΑΝΟΣΔΙΘΥΡΑΜΒΩΙΕΝΙΚΗΣΕΝΑΘΗΝΗΣΙΝΕΤΗΗ..
82 ... ΟΥΦΙΛΟΞΕΝΟΣΔΙΘΥΡΑΜΑΟΠΟΙΟΣΤΕΛΕΥΤΑΙΒΙΟΥΣΕΤΗ𐅄ΠΕΤΗΗ .. ΠΙΑΡΧΟΝ
ΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΠΥΘΕΟΥΑΦΟΥΑΝΑΞΑΝΔΡΙΔΗΣΟΚΩΜ....
83 ΑΘΗΝΗΣΙΚΑΛΛΕΟΥΑΦΟΥΑΣΤΥΔΑΜΑΣΑΘΗΝΗΣΙΝΕΝΙΚΗΣΕΝΕΤΗΗΗΠΙΙΙΑΡΧΟΝΤ
ΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΣΤΕ..ΟΥΚΑΤΕΚΑΗΔΕΤΟΤΕΤΑ....
84 .....ΓΕΝΕΤΟΘΗΒΑΙΩΝΚΑΙΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝΙΩΝΗΝΕ ΝΙΚΩΝΘΗΒΑΙΟΙΕΤΗΗ ΠΙΙ ΑΡΧΟ
ΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΦΡΑΣΙΚΛΕΙΔΟΥ......
85 ΒΑΣΙΛΕΥΕΙΑΦΟΥΣΤΗΣΙΧΟΡΟΣΟΙΜΕΡΑΙΟΣΟΔΕΥΤΕΡΟΣΕΝΙΚΗΣΕΝΑΘΗΝΗΣΙΝΚΑΙ
ΩΙΚΙΣΘΗΜΕΓΑΛΗΠΟΛ.....
86 ΑΦΟΥΔΙΟΝΥΣΙΟΣΣΙΚΕΛΙΩΤΗΣΕΤΕΛΕΛΕΥΤΗΣΕΝΟΔΕΥΙΟΣΔΙΟΝΥΣΙΟΣΕΤΥΡΑΝΝ
ΕΥΣΕΝΚΑΙΑΛΒ ... Ν ...
87 ΛΕΥΕΙΕΤΗΗΙΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΝΑΥΣΙΓΕΝΟΥΣΑΦΟΥΦΩΚΕΙΣΤΟΒΝΔΕΛΦΟΙ
Σ........
88 ΝΗΣΙΚΗΦΙΣΟΔΩΡΟΥΑΦΟΥΤΙΜΟΘΕΟΣΒΙΩΣΑΣΕΤΗ𐅄ΔΔΔΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΕΤ..
89 ΚΕΔΟΝΩΝΒΑΣΙΛΕΥΕΙΚΑΙΑΡΤΟΞΕΡΞΗΣΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ ...... ΣΔΕΟΥΙΟΣΒ........
90 .. ΕΝΙΚΗΣΕΝΕΤΗ𐅄ΔΔΔΔΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΓΑΘΟΚΛΕ.....
91 ... ΝΕΤΟΕΤΗ𐅄ΔΔΔΔΙΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΚΑΛΛΙΣ........
92 ...... ΣΟΦΟΣ .... Τ ... ΤΟΥΤΟΥΑΦΟΥΚΛ......
93 ..... ΙΙ𐅄 .... ΑΡΧΟΝΤΟΣ.............

MARMORA ARUNDELIANA.

Epochæ veterum Græcorum nobiliores, seu insigniora Annorum intervalla fermè universa, anno, ante vulgarem D. N. Jesu Christi epocham, CCLXIII, seu periodi Julianæ MMMMCCCCLI, conscripta.

1 ..... ΟΥ .... ΝΠΑΝ . . . ΩΝ . . . . ΝΩΝΑΝΕ
ΓΡΑΨΑΤΟΥΣΑΝ ....
2 ..... ΑΡΞΑΜ ... ΟΣΑΠΟΚΕΚΡΟΠΟΣΤΟΥΠΡΩΤΟΥΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝ
ΕΙΩΣΑΡΧΟΝΤΟΣΕΜΠΑΡΩΙ...
3 .... ΥΑΝΑΚΤΟΥΑΘΗΝΗΣΙΝΔΕΔΙΟΓΝΗΤΟΥ ΑΦΠΥΚΕΚΡΟΨΑΘΗΝΩΝΕΒΑΣΙΛ
ΕΥΣΕΚΑΙΗΧΩΡΑΚΕΚΡΟΠΙΑΕΚΛΗΘΗΤΟΠΡΟΤΕΡΟΝΚΑΛΟΥ
4 ΜΕΝΗΑΚΤΙΚΗΑΠΟΑΚΤΑΙΟΥΤΟΥΑΥΤΟΧΘΟΝΟΣΕΤΗΧΗΗΗΔΠΙΙΑΦΟΥΔΕΥΚΑΛΙΩΝ
ΠΑΡΑΤΟΝΠΑΡΝΑΣΣΟΝΕΝΛΥΚΩΡΕΙΑΙΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕ .. ΣΙΛΕ ..
5 .. ΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΚΕΚΡΟΠΟΣΕΤΗΧΗΗΗΔΑΦΟΥΔΙΚΗΑΘΗΝΗΣΙ . . . ΝΕΤΟΑΡΕΙΚΑ
ΙΠΟΣΕΙΔΩΝΙΥΠΕΡΑΛΙΡΡΟΘΙΟΥΤΟΥΠΟΣΕΙΔΩΝΟΣΚΑΙΟΤΟΠΟΣΕΚΛΗΘΗ
6 ΑΡΕΙΟΣΠΑΓΟΣΕΤΗΧΗΗ𐅄ΔΠΙΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΚΡ . . . ΟΥΑΦΟΥΚΑΤΑ
ΚΛΥΣΜΟΣΕΠΙΔΕΥΥΚΑΛΙΩΝΟΣΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΔΕΥΚΑΛΙΩΝΤΟΥΣ
7 ΟΜΒΡΟΥΣΕΦΥΓΕΝΕΓΛΥΚΩΡΕΙΑΣΕΙΣΑΘΗΝΑΣΠΡΟ . . . ΟΝΚΑΙΤΟΥΔΙΟ . . ΥΟ . .
. Δ. . . ΜΤΟΥΤΟΙΡ . . ΟΝΙΔ . . . . . . Ο . . ΤΑΣΩΤΗΡΙΑΕΘΥΣΕΝ
8 .. ΤΗΧΗΗ𐅄ΔΠΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΚΡ . . Ν. . ΟΥΑ . . . . . ΚΤΥΩΝΔΕΥΚΑΛΙΩ
ΝΟΣΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕΝΕΝΘΕΡΜΟΠΥΛΑΙΣΚΑΙΣΥΝΗΓΕ
9 ... ΟΥΣΠΕΡΙΤΟΝΟΡΟΝΟΙΚΟΥΝΤΑΣΚΑΙΩ . . ΜΑΣΕΝΑΜΦΙΚΤΥΟΝΑΣΚΑΙΠ . . ..
ΝΟΥ. . . ΚΑΙΝΥΝΕΤΙΘΥΟΥΣΙΝΑΜΦΙΚΤΥΩΝΕΣ
10 .. ΤΗΧΗΗ𐅄ΠΙΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΑΚΦΙΚΤΥΟΝΟΣΑΦΟΥΕΛΛΗΝΟΔΕΥΚ. . .
........ΩΤΙΔΟΣΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕΚΑΙΕΛΛΗΝΕΣ
11 ... ΟΜΑΣΘΗΣΑΝΤΟΠΡΟΤΕΡΟΝΓΡΑΙΚΟΙΚΑΛΟΥΜΕΝΟΙΚΑΙΤΟΝΑΓΩΝΑΠΑΝΑΘ,. Ν
ΑΙ........ΩΙΧΗΗ𐅄ΠΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ
12 ΑΘΗΝΩΝΑΜΦΙΚΤΥΟΝΟΣΑΦΟΥΚΑΔΜΟΣΟΑΓΗΝΟΡΟΣΕΙΣΘΗΒΑΣΑΦΙΚΕΤΟ ....
...... ΕΚΤΙΣΕΝΤΗΝΚΑΔΜΕΙ
13 ΑΝΕΤΗΧΗΗ𐅄ΠΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΑΜΦΙΚΤΥΟΝΟΣΑΦΟΥ ....
ΝΙΚΗΣΕΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝ
14 ΕΤΗΧΗΗ𐅄ΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΑΜΦΙΚΤΥΟΝΟΣΑΦΟΥΝΑΥ .... Η . . .
......ΩΝΕΞΑΙΓΥΠΤΟΥ
15 .. ΙΣΤΗΝΕΛΛΑΔΑΕΠΛΕΥΣΕΚΑΙΩΝΟΜΑΣΘΗΠΕΝΤΗΚΟΝΤΟΡΟΣΚΑΙΑΙΔΑΝΑΟΥΘΥ
ΓΑΤΕΡΕΣ.......... ΩΝΗΚΑΙΒΑ..
16 . . ΛΑΡΕΥΩΚΑΙΕΛΙΚΗΚΑΙΑΡΧΕΔΙΚΗΑΠΟΚΛΗΡΟΘΕΙΣΑΙΥΠΟΤΩΝΛΟΙΠΩΝ . . . .
.... ΑΝΤ..
17 ΚΑΙΕΘΥΣΑΝΕΠΙΤΗΣΑΚΤΗΣΕΜΠΑΡΑ . . ΑΔΙΕΝΛΙΝΔΩΙΤΗΣΓΩΔΙΑΣΕΤΗΗΗΔΔΔ
ΠΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟ..............
18 ΘΟΝΙΟΣΠΑΝΑΘΗΝΑΙΟΙΣΤΟΙΣΠΡΟΤΟΙΣΓΕΝΟΜΕΝΟΙΣΑΡΜΑΕΖΕΥΞΕΚΑΙΤΟΝΑΓΩ
ΝΑΕΔΕΙΚΝΥΕΚΑΙΑΘΗΝΑΙΟΥΣ...ΟΝ....ΑΙ...
19 . . ΕΩΝΜΗΤΡΟΣΕΦΑΝΗΕΓΚΥΒΕΛΟΙΣΚΑΙΥΑΓΝΙΣΟΦΡΥΞΑΥΛΟΥΣΠΡΩΤΟΣΗΥΡΕΝΕ
ΓΚ..ΑΝΝΑΙ,......ΣΦΡ.........
20 ΟΥΜΕΝΗΝΦΡΥΓΙΣΤΙΠΡΩΤΟΣΗΥΛΗΣΕΚΑΙΑΛΛΟΥΣΝΟΜΟΥΣΜΗΤΡΟΣΔΙΟΝΥΣΟΥΠ
ΑΝΟΣΚΑΙΤΟΝΕΠ............
21 . . . . . . ΕΤΗΧΗΗΔΔΔΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΕΡΙΧΘΟΝΙΟΥΤΟΥΤΟΑΡΜΑΖΕΥ
ΞΑΝΤΟΣΑΦΟΥΜΙΝΩΣ..ΠΡ....ΒΑ.......
22 Δ .... ΑΟΝΙΑΝΩΙΚΙΣΕΚΑΙΣΙΔΗΡΟΣΗΥΡΕΘΗΕΝΤΗΙΙΔΗΙΕΥΡΟΝΤΩΝΤΩΝΙΔΑΙΩΝΔΑ
ΚΤΥΛΩΝΚΕΛΜΙΟΣΚ......

..ΛΕΥΟΝ-

23 .. ΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΠΑΝΔΙΟΝΟΣΑΦΟΥΔΗΜΗΤΗΡΑΦΙΚΟΜΕΝΗΕΙΣΑΘΗΝΑΣΚΑ
ΡΠΟΝΕΦΥ...ΥΕΝΚΑΙΠΡ....ΠΡΑ.....ΩΤΗΔ.....

24 .. ΡΙΠΤΟΛΕΜΟΥΤΟΥΚΕΛΕΟΥΚΑΙΝΕΑΙΡΑΣΕΤΗΧΗΔΔΔΠΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗ
ΣΙΝΕΡΙΧΘΕΩΣΑΦΟΥΤΡΙΠΤΟ..........

25 ..... ΕΣΠΕΙΡΕΝΕΝΤΗΙΡΑΡΙΑΙΚΑΛΟΥΜΕΝΗΙΕΛΕΥΣΙΝΙΕΤΗΧ .. ΔΔΔΠΒΑΣΙΛΕΥΟΝ
ΤΟΣΑΘΗΝΩΝ......

26 . ΥΙΟ...Ν...ΑΥΤΟΥΠΟΗΣΙΝΕΞ .. ΘΗΚΕΚΟΡΗΣΤΕΑΡΠΑΓΗΝΚΑΙΔΗΜΗΤΡΟΣΖΗΤΗ
ΣΙΝΚΑΙΤΟΝΑΥΤΟΥ......

27 ... . ΘΟΣΤΩΝΥΠΟΔΕΞΑΜΕΝΩΝΤΟΝΚΑΡΠΟΝΕΤΗΧΗΔΔΔΠΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ
ΑΘΗΝΩΝΕΡΙΧΘΕΩΣ..........

28 .... ΝΟΥΤΑΜΥΣΤΗΡΙΑΑΝΕΦΗΝΕΝΕΝΕΛΕΥΣΙΝΙΚΑΙΤΑΣΤΟΥ .... ΟΥΣΑΙΟΥΠΟ
ΙΗΣ..ΣΕΞΕΘΗΚ........

29 ...... ΩΣΤΟΥΠΑΝΔΙΟΝΟΣΑΦΟΥΚΑΘΑΡΜΟΣΠΡΩΤΟΝΕΓΕΝΕΤΟ ..... ΟΥΠΡΩΤΩ
ΙΑΟΝ... ΕΑΝΤ......

30 ......ΔΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΠΑΝΔΙΟΝΟΣΤΟΥΚΕΚΡΟΠΟΣΑΦΟΥ..ΝΕΛΕΥΣ
ΙΝΙΟΓΥΜΝΙΚΟΣ....... ......ΑΦΟΥ.......

31 .... ΑΙ .. ΤΑΑΥΚΑΙΑΕΝΑΡΚΑΔΙΑΙΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΛ.. ΚΚΕ.....ΛΥΚΑΟΝΟΣΕΔΟΘΗΣ
ΑΝ..ΤΟΙΣΕΛΛ..ΣΙ....Η..Ν..ΒΑΣΙΛΕΥΟΝ

32 ΤΟΣΑΘΗΝΩΝΠΑΝΔΙΟΝΟΣΤΟΥΚΕΚΡΟΠΟΣΑΦΟΥΚΑ .... Γ .... ΗΣΙΑΙΗΡΑΚΛ
ΗΣ.....Ν.......Ω.....ΔΟΣΤ...

33 ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΑΙΓΕΩΣΑΦΟΥΑΘΗΝΗΣΙ ..... ΣΤΩΝΚΑΡΠΩΝΕΓΕΝΕ
ΤΟΚΑΙΜΑΝΤΕΥΟΜΕΝΟΣ..ΑΘΗΝ....ΑΛΩΝΕΝΗ..

34 .... ΣΥΠΟΣΧΕΝ..Α..ΑΜΜΙΝΩΣΑΞΙΩΣΕΙΕΤΗΧΔΔΔΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩ
ΝΑΙΓ...ΑΦΟΥΘΗΣ......

35 ΑΘΗΝΩΝΤΑΣΔΩΔΕΚΑΠΟΛΕΙΣΕΙΣΤΟΑΥΤΟΣΥΝΩΙΚΙΣΕΝΚΑΙΠΟΛΙΤΕΙΑΝΚΑΙΤΗΝΔ
ΗΜΟΚΡΑΤΙΑΝΑΠΓΕΩ.....

36 .... ΟΣΑΘΗΝΩΝΤΟΝΤΩΝΙΣΘΜΙΩΝΑΓΩΝΑΕΘΗΚΕΣΙΝΙΝΑΠΟΚΤΕΙΝΑΣΕΤΗ𐅅ΗΗΗ
Η𐅄ΔΔΔΔΠΑΠΟΤΗΣΑΜΜΟΝ...ΤΗ..........

37 .... ΔΔΔΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΘΗΣΕΩΣΑΦΟΥΑΡΓΕΙΟΙΝΕΥΑΔΡΑΣ .....
ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝΚΑΙΤΟΝΑΓΩΝΑ.Ν..Α...ΗΘ..ΑΝ...

38 .... ΕΤΗ𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔΠΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΘΗΣΕΩΣΑΦΟΥΟΙ ..... ΝΕ
ΣΕΙΣΤΡΟΙΑΝΕ....ΡΑΤΕΥΣ.. ΕΤΗ𐅅ΗΗΗΗ𐅄ΙΙΙΙΒΑΣΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗ

39 ... ΕΣΘΕΩΣΤΡΕΙΣΚΑΙΔΕΚΑΤΟΥΕΤΟΥΣΑΦΟΥΤΡΟΙΑΗΛΩΕΤΗ𐅅ΗΗΗΗΔΔΔΔΠΒΑΣΙ
ΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝ......ΩΣΔΕΥΤΕΡΟΥΕΤΟΥΣΜΗΝΟΣΘ..

40 .....ΝΟΣΕΒΔΟΜΗΙΦΘΙΝΟΝΤΟΣ ΑΦΟΥΟΡΕΣΤΗ..ΙΟΙΑΙΤΩΝΑΥΤΟ........
ΙΓΙΣΘΟΥΘΥΓΑΤΡΙ....ΟΝ ..... ΓΙΣΘΟΥΚΑΙΑΥ .....

41 ..... ΑΟΕΝΑΡΕΙΟΥΠΑΓΩΙΗΝΟΡΕΣΤΗΣΕΝΙΚΗΣΕΝ........ΩΝ.... ΕΤΗ...ΗΗΗ
ΗΔΔΔ .. ΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΔΗΜΟΦΩΝΤΟΣΑΦΟΥ..

42 .....ΚΥΩΡΩΙΤΕΥΚΡΟΣΩΙΚΙΣΕΝΕΤΗ𐅅ΗΗΗΗΔΔΔΠΙΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΔ
ΗΜΟΦΩΝΤΟΣΑΦΟΥΝΕ..ΕΥΣΩΙΚΙΣ......Γ.... ΑΛΛΗΧΑΡ... ΣΙ..

43 ......ΑΝΕΦΕΣΟΝΕΡΥΘΡΑΣΚΛΑΖΟΜΕΝΑΣΤ .. ΗΝΚΑΤΑΓΡΟΝΟΝΥΠΟΚΟΛΟΦΩΝΑ
.. ΙΥΟΥΝΤΑ ....Α....ΣΑΜΟΝ......ΤΑ ...ΙΩΝΙ..ΕΓΕΝΕΤΟΕΤ.

44 ..... ΔΙΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΜΕΝΕΣΘΩΣΤΡΕΙΣΚΑΙΔΕΚΑΤΟΥ ... ΥΣΑΦΟΥ ..
ΙΟΔΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣ..... ΗΕΤΗ𐅅Η𐅄ΔΔ...ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝ..

45 ..... ΑΦΟΥΟΜΗΡΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣΕΦΑΝΗΕΤΗ𐅅ΗΔΔΔΔΙΙΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩ
..... ΙΟΓΝΗΤΟΥΑΦΟΥΦ ...ΔΩΝΟΑΡΓΕΙΟΣΕΔΗΜΕΥΣ ... ΝΕΥ..

46 ...... ΕΣΚΕΥΑΣΕΚΑΙΝΟΜΙΣΜΑΑΡΓΥΡΟΥΝΕΝΑΙΓΙΝΗΙΕΠΟΙΗΣΕΝΕΝΔΕΚΑΤΟΣΩΝ
ΑΦΗΡΑΚΛΕΟΥΣΕΤΗ𐅅ΗΔΔΔΙΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝ..

47 ..... ΟΥΣΑΦΟΥΑΡΧΙΑΣΕΥΑΓΗΤΟΥΔΕΚΑΤΟΣΩΝΑΠΟΤΕΜΕΝΟΥΕΚΚΟΡΙΝΘΟΥΗΓΑ
ΓΕΤΗΝΑΠΟΙΚΙΑΝ........ ΣΥΡΑΚΟΥ.. ....

.... ΤΟΣ

S.


T.

V.


X.

INDEX AVCTORVM RECENTIORVM NOTATORUM.

JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,



EXERCITATIONES
AD
HERODOTVM.

Lib. 1. Pagina 3. editionis Pauli Stephani. 1618. Francof. 1608. cap. 6.

Ἅλυος ποταμοῦ ὃς ῥέων ἀπὸ μεσεμβρίης μεταξὺ Σύρων καὶ Παφλαγόνων.	*Halyos fluvii à meridie Syros & Paphlagonas interfluentis.*



Alicui fortè mirum videbitur, Herodotum Syros conterminos facere Paphlagonibus: at non est quod quis miretur, per Syros enim intelligendi sunt Cappadoces, ii enim albi Syri Græcis Λευκόσυροι appellabantur. Testis locuples Strabo, lib. 16. [1] δοκεῖ δὲ τὸ τῶν Σύρων ὄνομα διατεῖναι ἀπὸ μὲν Βαβυλωνίας μέχρι τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου, ἀπὸ δὲ τούτου μέχρι τοῦ Εὐξείνου τὸ παλαιόν· οἱ γοῦν Καππάδοκες, ἀμφότεροι οἵ τε πρὸς τῷ Ταύρῳ, καὶ οἱ πρὸς τῷ Πόντῳ μέχρι νῦν Λευκόσυροι καλοῦνται. Sic & idem Herodotus infra, lib. 2.

[1] Videtur Syrorum nomen extensum fuisse à Babylonia, usque ad Iscum

cum de gentibus quæ se circumcidunt loquitur. sic ait: [1] Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον. ne putes vocem Σύρων hoc loco ei excidisse. Sed notandum, Herodotum indifferenter eos, modo Σύρους, modo Συρίους vocasse. quod patet præcipue ex lib. 7. sectione 72. ubi & Cappadocas à Persis dici ait.

sicum sinum & inde usque ad Euxinum olim. Utrique igitur Cappadoces, & qui Taurum, & qui Pontum accolunt etiam hodie Leucosyri; id est Albi Syri, vocantur.

[1] Syri circa Thermodonta & Parthenium.

Pag. 3. & 4. cap. 7.

Ἦν Κανδαύλης (τὸν οἱ Ἕλληνες Μυρσίλον καλέουσι) τύραννος Σαρδίων ἀπόγονος δὲ Ἀλκαίου τοῦ Ἡρακλέους ...... ἐκ δούλης δὲ τῆς Ἰαρδάνου.	*Candaules, is quem Græci Myrsilum nominant, Sardium fuit tyrannus, ab Alcæo Herculis filio oriundus: Ex ancilla autem Iardani.*

Pugnat cum Herodoto Diodorus de nomine filii Herculis, & ancillæ Jardani. Alcæum vocat Herodotus, Cleolaum vero Diodorus lib. 4. [2] προϋπῆρχε δὲ τῷ Ἡρακλεῖ κατὰ τὸν τῆς δουλείας καιρὸν ἐκ δούλης υἱὸς Κλεόλαος. Sed non mirum, si in rebus tantæ antiquitatis non concordant autores: ecce enim & cum Herodoto, & cum Diodoro pugnat Apollodorus. nam Crœsum quem Mermnadem & alienum ab Herculis stemmate facit Herodotus, Heraclidem facit Apollodorus, ex Agelao Omphales & Herculis filio. Lib. 2. [3] ἐξ Ὀμφάλης δὲ Ἀγέλαος, ὅθεν καὶ τὸ Κροίσου γένος. At Diodorus Omphales & Herculis filium Λάκωνα vocat. Non ego sum qui tantas possim componere lites, auctoritas tamen Herodoti apud me prævalet.

[2] Iam autem habebat Hercules servitutis tempore, filium Cleolaum &c. serva genitum.

[3] Ex Omphale autem habuit Agelaum, unde genus trahebat Crœsus.

Pag. 7. cap. 16.

Σμύρνην τε τὴν ἀπὸ Κολοφῶνος κτισθεῖσαν εἷλεν.	*Smyrnam etiam sub Colophone conditam cepit.*

Licet Colophon sita sit in edito loco unde ei urbi nomen, Smyrna vero ad littus maris: tamen nimis longè distant ab invicem ut possit dici Smyrnam sub Colophone sitam esse. Ideo credo Herodotum scripsisse Κολοφωνίων. Id est *à Colophoniis conditam*. Nam infra hoc eodem libro, narrat quomodo Colophonii ejectis Æolibus Smyrnam occupaverint, quæ ab eo tempore Ionibus attributa est. Fuit igitur ea mutatio, Smyrnæ veluti secunda κτίσις. Si tamen scripsit

psit Herodotus Κολοφώνιος, intellexit credo Colophonem fuisse Smyrnæ metropolin, & urbem ipsam pro incolis posuit Synecdochice.

Pag. 15. cap. 35.

φονεύσας ἀδελφεὸν ἐμεωϋτοῦ ἀέκων, πάρειμι.	*Quia fratrem meum ipsius imprudens interemi, adsum.*

Si fides Ptolemæo Hephæstionis apud Photium cap. 190. p. 243. non imprudens Adrastus ille occidit fratrem Agathonem nomine, sed ob jurgium inter eos natum in coturnicum pugna.

Pag. 21. cap. 57.

Πελασγῶν τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρηστῶνα πόλιν οἰκεόντων.	*Pelasgorum supra Tyrrhenos urbem Crestonem incolentium.*

Dionysius Halicarn. videtur legisse Κροτῶνα. Nam proculdubio ab Herodoto mutuatus est, quæ de hac urbe dixit. nec it inficias & Herodotum citat. lib. 1. [1] καὶ γὰρ δὴ οὔτε Κροτωνιᾶται (ὡς φησὶν Ἡρόδοτος) οὐδ' ἄλλοις τῶν νῦν σφέας περιοικεόντων εἰσὶν ὁμόγλωσσοι· οὔτε οἱ Πλακιηνοί· σφισὶ δὲ ὁμόγλωσσοι. & cætera quæ ex Herodoto affert Dionysius Halicarn. non est igitur dubium quin apud Herodotum legerit suo tempore Κροτῶνα. & sic credo legendum hoc loco. Nam & nomen hodiernum hoc evincit. nam ea civitas supra Tyrrhenos sita est & juxta Umbricos, ubi eam ponit Dionysius Halicarn. & ab Italis vocatur Cortona, non longè à Trasimeno lacu.

[1] *Nam neque Crotoniatæ (ut ait Herodotus) eadem lingua utuntur qua ii, qui circumcirca habitant, neque Placieni, qui eadem lingua utuntur qua Crotoniatæ.*

Pag. 22. cap. 59.

Καὶ τῷ λόγῳ τῶν ὑπερακρίων προστάς.	*Per causam tutandi montanos.*

Qui sint illi Hyperacrii, quibus præerat Pisistratus, quærendum. Non enim alibi quod sciam ea vox occurrit apud antiquos. Valla interpretatus est *montanos*, sed perperam: sunt enim ii, qui ὑπὲρ ἄκρην habitabant, id est ultra Sunium promontorium, quod per excellentiam ἄκρα τῆς Ἀττικῆς, id est Atticæ promontorium, dicebatur.

tur. Pausanias initio totius operis, ἄκρα Σούνιον προκεῖται γῆς τῆς Ἀττικῆς. Id est, *Acra Sunium in terra Attica prominet.* firmatur nostra conjectura ex Strabone lib. 9. cum Aristophanis Scholiaste collato. Strabo quippe, divisionem Atticæ antiquæ in quatuor partes astruit ex loco Sophoclis, quem fœliciter supplevit & metro suo reddidit doctissimus & mihi semper cum honore nominandus Casaubonus in suis ad Strabonem commentariis: sic autem habet. Ægeus loquitur.

[1] Πατὴρ δ' ἀπελθεῖν ὥρισ' εἰς ἀκτὴν ἐμοὶ
Πρεσβεῖα νείμας τῆσδε γῆς· τῷ δ' αὖ Λύκῳ
Τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμων.
Νίσῳ δὲ τὴν ἀνόμαλον ἐξαιρεῖ χθόνα
Σκείρωνος ἀκτῆς. τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς νότον
Ὁ σκληρὸς οὗτος καὶ γίγαντας ἐκτρέφων
Εἴληχε Πάλλας.

[1] Pater me abire in Actam jussit, Honorem primigenium prabens ejus terra. Lyco autem Oppositum Eubœa hortum tribuit. Niso vero inaequalem regionem dedit Scironii litoris. terra vero quod ad Austrum vergit Ferox ille & gigantes educans Sortitus est Pallas.

Ex his versibus patet Lyco evenisse eam partem Atticæ quæ opposita erat Eubœæ insulæ. At ex Aristophanis Scholiaste probatur partem Atticæ cui Pisistratus præerat, esse eandem quæ Lyco olim parebat, & Diacria vocabatur. Ergo pars ea quæ Pisistrato favebat & Hyperacria Herodoto dicitur, eadem est quæ Diacria vocabatur, quæ Lyco obvenerat Eubœæ opposita, quæ pars respectu Athenarum ultra Sunium erat, & iis qui Athenis profecti ad eam regionem per mare tendebant superanda erat acra seu promontorium Sunium. Ideo jure ab Herodoto Hyperacria vocatur, & eadem Διακρία ut puto dicebatur ἀπὸ δυοῖν ἀκρῶν, à duobus promontoriis Sunio scil. & Cynosura, quæ in eo littore prominebant. Sed ponendus est locus Aristophanis Scholiastæ ab interpunctione laborans, & ideo à Florente Christiano non intellectus, & sine necessitate correctus à doctissimo Casaubono. Sic igitur ille Scholiastes ad Vesparum hunc versum Scenæ, quæ incipit Οὔ τοί ποτε.

Ἀληθὲς ὡς οὐδείς γε Διακρίων δεδέξεται.

Κατὰ γὰρ τοὺς τοῦ Σόλωνος νόμους, τρεῖς ἦσαν αἱ τάξεις. μία μὲν τῶν Παραλίων ὧν προειστήκει Μεγακλῆς, ἑτέρα δὲ τῶν Πεδιέων ὧν προειστήκει Λυκοῦργος, τρίτη δὲ τῶν Διακρίων ὧν προειστήκει Πεισίστρατος· τὴν δὲ χώραν τὴν Διακρίαν, Πανδίονα φασὶ τοῖς υἱοῖς διανείμαντα, τὴν ἀρχὴν Λύκῳ δοῦναι, Αἰγεῖ δὲ τὴν περὶ τὸ ἄστυ, Πάλλαντι δὲ τὴν Παραλίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα. quæ sic interpretatur Florens Christianus. *Fertur tamen Pandion regionem Diacriam distribuisse filiis suis, & Lyco principatum dedisse, Ægeo regionem*

gionem quæ circa oppidum, & arcem, Pallanti Paraliam, & Niso Megaridem. ea proculdubio sumpsit Scholiastes ex loco Sophoclis supra citato. Sed Casaubonus eo quod videbat nullum commodum sensum emergere ex verbis Scholiastis, ut erant malè distincta, putavit pro Διάκριαν legi debere Ἀττικὴν, sed sine necessitate. nam interpungendo post ἀρχὴν omnia erunt plana. Sic τὴν δὲ χώραν τὴν Διάκριαν Πανδίονα φασὶ τοῖς υἱοῖς διανειμάμενον τὴν ἀρχὴν, Λύκῳ δοῦναι. id est, *ajunt Pandionem cum filiis suis ditionem suam divideret, Diacriam dedisse Lyco.* Ergo Hyperacrii Pisistrato addicti erant iidem, qui Diacrii, olim Lyco attributi, latus Atticæ oppositum Eubœæ olim possidentes, quod est ultra Sunium promontorium. Plutarchus etiam in Solone τῶν Διακρίων mentionem fecit, & interpres addidit de suo, *qui montani sunt.* Sed hallucinatus est ut ex supradictis constat, & idem Plutarchus paulo inferius Diacriorum ducem Pisistratum facit, quod evincit Ὑπερακρίους & Διακρίους eosdem esse. Sed postquam Theseus, in unam urbem Athenas, omnes Atticæ habitatores coadunavit & pagorum seu Demorum omnium Prytania solvens, Athenis unum commune totius Atticæ prytanium constituit, ea nomina quæ regiones Atticæ olim discriminabant, in ipsa urbe introducta manserunt, & facta sunt nomina factionum. Ideo quando dicitur Pisistratus præfuisse Diacriis vel Hyperacriis, de Diacriorum in urbe factione intelligendum est. & sic de Paraliis quorum Megacles erat Coryphæus, & de Pedieis quibus Lycurgus præerat. Id clarissime patet ex Plutarcho in Solone, qui sic de eo negotio: [1] Οἱ δὲ ἐν ἄστει πάντες ἐστασίαζον, ἀποδημοῦντος τοῦ Σόλωνος, καὶ προειστήκει τῶν μὲν Πεδιέων Λυκοῦργος, τῶν δὲ Παράλων Μεγακλῆς ὁ Ἀλκμαίωνος, Πεισίστρατος δὲ τῶν Διακρίων, ἐν οἷς ἦν ὁ θητικὸς ὄχλος, καὶ μάλιστα τοῖς πλουσίοις ἀχθόμενος. hæc non intelligens Diogenes Laërtius in Solone, putavit Διακρίους & τοὺς ἐξ ἄστεος, pro iisdem sumi debere. cum sic de iis factionibus loquitur: ἀλλὸ καὶ τῆς στάσεως γενομένης, οὔτε μετὰ τῶν ἐξ ἄστεος, οὔτε μετὰ τῶν Πεδιέων, ἀλλ' οὔτε μετὰ Παραλίων ἐτάχθη. Id est: *Sed orta seditione, neque cum urbis civibus, neque cum Pèdieis, neque cum Paraliis stetit.* Nullus certe antiquorum ita partes distinxit, nec in iis factionibus ipsi urbis habitatores quandam partem constituebant: sed in tres illas denominationes dividebantur. Et ex eo Diogenis loco perperam concludit Casaubonus in suis ad Laërtium notis Ὑπερακρίους vel Διακρίους fuisse eos, qui in urbe degebant, vel ea urbis parte, quæ πόλις vel ἀκρόπολις dicebatur, tamquam si in urbe non fuissent

[1] *In urbe vero omnes in factiones dividebantur absente Solone, & Pedieorū caput erat Lycurgus Paralorum vero Megacles Alcmaonis; Pisistratus vero Diacriis præerat, in quibus erat egenorum turba & quæ divitibus maxime adversabatur.*

etiam Πάραλοι & Πεδιεῖς, quod falsum esse ex Plutarcho supra probavimus. Non magis ergo Diacrii erant οἱ ἐξ ἄστεος urbani cives quam reliquæ factiones, nisi quod egenorum pars maxima erat in Diacriorum parte divitibus inimica: & ideo magis credendum est eos non habitasse in acropoli, ut vult Casaubonus, quæ pars urbis nobilior & excelsior. potius à divitibus habitatam hanc putandum est quam ab egenorum turba. Ea vero nomina in urbe remanserant, eo quod licet Athenas migravissent, ex litorali Atticæ parte Parali, ex campis mediterraneis aratores Pediei, ex regione vero Eubœæ opposita Diacrii, Thesei scilicet regis jussu, retinuerat tamen unusquisque suas villas & agros in ea Atticæ regione ubi olim habitabat, & eas hæredibus suis reliquerat. Facessat ergo Diogenes Laërtius, qui cum post Marcum Antoninum vixerit contra antiquiores in rebus Græciæ non est audiendus. In ea voce etiam laudandus Hesychius in Διακρεῖς. ubi ait: καὶ ἡ χώρα Διάκρια ἡ ἀπὸ Πάρνηθος μέχρι Βραυρῶνα (sic enim legendum non Βαβυλῶνα, ut male habet editio) qui locus Hesychii pulchrè concinit nostræ sententiæ. Nam & Brauron fuit in littore Eubœæ opposito, & Parnes mons versus id littus etiam excurrebat, quadam sui parte, ut in nostra antiqua Græcia demonstrabimus, si Deus dabit eam aliquando publicare. Ergo ὑπεράκρια regio, quæ ὑπὲρ ἄκραν, ultra Sunium, respectu Athenarum Διάκρια dicta, eo quod in ejus litore duo prominebant promontoria, ἀπὸ δυοῖν ἀκρῶν, ut dixi. Hæc cum recitassem in Academico cœtu Cadomensi, vir quidam doctus & amicus noster, non probavit id etymon & quod, ut ajebat, si à duobus promontoriis dicta fuisset ea regio, non Διάκρια, sed Δισάκρια dici debuisset, & multa ultrò citròque ab eo & à me respondente dicta sunt: non erit fortè ingratum Lectori ea scire, quæ & tunc ad defendendam meam sententiam dixi, & quæ postea multis exemplis observatis, me in ea confirmavere, & ea Græcæ linguæ studiosis utilia fore confido.

Omnes voces quæ à δύο componuntur, semper Græci per δι expresserunt, (non autem per δυ aut δυς, ad vitandum malum omen ut puto) sic δίγονος περιστερὰ apud Hesychium, eo quod duos fœtus semper simul educat, sic δίιαμβος versus vel pes constans ex duobus Jambis, (at si in aliqua voce sibilus interponendus fuisset, certe in hac voce debebat, ad vitandam cacophoniam, & eam vocalis, *i*, importunam iterationem,) διθάλασσος locus qui duo maria vicina habet ut Corinthus. διπόταμος πόλις dicuntur Thebæ ab Euripide in Suppli-

Supplicibus. δίθυρος οἶκος, domus quæ duas portas habet, δίβολος ἄκων, jaculum utrinque cuspidatum. δικέφαλος ὄφις, serpens qui duo capita habet, δίβαφος πορφύρα, quæ duas tincturas passa est, & δύο βαφὰς habuit, δίοζος ramus qui in duos surculos dividitur, sic τρίοζος qui in tres, & πέντοζος dicitur manus apud Hesiodum eo quod in quinque digitos dividitur, & ut πέντοζος non à πεντάκις sed à πέντε, sic τρίοζος à τρία non à τρὶς & δίοζος à δύο non à δίς. Sic δικόρυφος, qui duas summitates, διπρόσωπος qui duas facies habet, ut Janus. Sic δίτοκος, quæ duos parit, unde διτοκέω apud Aristotelem, de hist. anim. 6. cap. 1. αἱ μὲν οὖν ἀλεκτορίδες τίκτουσι συνεχῶς, περιστεραὶ δὲ, καὶ φάττα, καὶ τρύγων, καὶ οἰνὰς διτοκοῦσι μὲν, ἀλλ' οὐχ ὡς περιστερὰ δεκάκις τοῦ ἐνιαυτοῦ τίκτουσιν. Id est: *Gallinæ igitur pariunt continuè, sed columbæ & palumbes, & turtures, & vinagines, duos quidem fœtus simul pariunt, sed non ut columbæ, ceteræ decies in anno pariunt.* Sic διμήτωρ dictus est Bacchus, qui duas matres habuit: sic διτάλαντος, qui duo talentorum pondus habet, διμναῖος qui duo minas valet, sic δίφορος τόπος ἐν ἅρμασι, ὅπου δίφρος, locus in curru qui duos viros recipit. sic διχωρεάζειν ἐν δύο χώροις ᾄδειν Hesychius. Sic δίπους bipes, sic δίφορος σύκη apud Aristophanem in Concionantibus vocatur membrum virile eo quod duos testiculos combinatos habeat, & male interpres qui *bis fructifera* vertit. Nam arbores quæ bis in anno ferunt, Theophrastus non διφόρους, sed δισφορίοντας vocat, lib. 1. de causis plantarum cap. 16. Itaque δίφορος σύκη apud Aristophanem, arbor est ficus quæ fructus combinatos gerit. Multa alia exempla possem congerere quæ passim lectori curioso inter legendum occurrent. At quoties vox ab adverbio δὶς componitur, retinet vox composita τὸ σίγμα sibilum, ut δισεφθος bis coctus, δισέγγονος bis nepos i.e. nepos nepotis, δίσεκτος bissextus, δισεξάδελφος bis consobrinus, id est ex utroque parente, δισδιαπασῶν tonorum series quæ bis per omnes sonos ducitur, δισμύριοι bis decem millia, δισχίλιοι bis mille, δισπάππος bis avus, id est, avus avi, δισθανὴς bis mortuus. Homerus Odys. N. δισθανέες, ὅτε τ' ἄλλοι ἅπαξ θνήσκουσιν ἄνθρωποι. δισταφὴς bis sepultus, δίχωλος bis claudicans, id est utroque pede. & alia plura quæ poterit lector observare. Sic obtinet & in vocibus quæ à τρία, & quæ à τρὶς componuntur. Exempla earum quæ à τρία componuntur τρίγωνος, τρίγλυφος, τριγλώχιν, τριήρης, τριήμερος, τρικέφαλος, τρικόλωνος, τρικάρηνος, τρίκλινος, τρίμετρος, τρινάκρια, τρίβροχος, τρίβραχος, τρίοζος, τριορχὶς, τριόδους, τρίοδος, τρίπους,

τρίπους, τρίπηχυς & sexcenta talia. Exempla vero de iis quæ à τρὶς deducuntur: τρισάγιος, τρισάθλιος, τρισδαίμων, τρισκακοδαίμων, τρισμακάριος, τρισκατάρατος, τρίσλιπα δένδρα, τρισαριστεὺς, τρισεξώλης, τρισοΐζυρος, τρισδιάστατος, τρισκατάπτυστος, τρισόλβιος, τρισπόλιον, herba quæter mutat colorem ceu canitiem. Hesych. at Henricus Steph. habet τριπόλιον & citat Theophrastum, apud quem legitur in pluribus editionibus non τριπόλιον, sed τὸ πόλιον. quod si legatur τριπόλιον, tunc componitur ἀπὸ τριῶν πολιῶν à tribus caniciebus, non à τρὶς πολιοῦσθαι. Unum tantum quod meminerim objici potest. nempe δίπολος & τρίπολος γῆ, terra quæ bis vel ter arata est. Sed à voce substantiva πόλος componitur, quæ pro conversione etiam accipi potest. unde fit πολέω, & sic terra foret quæ duas vel tres conversiones passa est. Sic gallicè dicimus, *terre qui a deux ou trois tours, ou labeurs.* Tum una hirundo non facit ver, nec est tam generalis regula quæ non admittat aliquando exceptionem. Lingua latina in eo cum Græca concordat, & sæpe syllaba δι utitur in eodem sensu. Sic *Dijambus*, *diobolaris*, *diaulus*, *digamus*, *didrachmum diota* vasa quæ duas aures ceu ansas habent, *dipondium*, *diverbium*, *diffindo*, *divarico*, & hæc omnia à duo non à bis componuntur. Ex his, ut opinor, concluditur διάκριαν dici ἀπὸ δυοῖν ἀκρῶν, non vero ἀπὸ δὶς ἄκραν ἔχειν, quæ ultima deductio haberet aliquid absurdi. numquam enim bene diceretur litus habere bis promontorium. Sic Τριώπιον ἄκρα promontorium Cariæ dicitur ἀπὸ τριῶν ὀπῶν, à tribus foraminibus, id est, sinubus. Nam à Triopa quodam sic dictum velle, id fabulam olet & Græcam vanitatem, quæ ubique Heroum nomina identidem fingebat, ut civitatum origines augustiores & nobiliores faceret. Sic Δυῤῥάχιον à quodam Dyrracho Heroe, non à cautium asperitate dictum voluerunt. Sic Πλαταιὰς non ἀπὸ τοῦ πλάτους à planitie, sed à quadam Platæa Asopi filia dictam voluerunt. Sic Βοιώτους non ab aurium magnitudine, sed à quodam Bœoto heroe se dictos ipsi Bœoti volebant. Sed de his satis.

Pag. 23. cap. 61.

Ὁ Πεισίστρατος, κατὰ τὴν ὁμολογίαν τὴν πρὸς Μεγακλέα γενομένην, γαμέει τὴν θυγατέρα αὐτοῦ.	*Pisistratus ex pactione, quam inierat cum Megacle, filiam ejus duxit uxorem.*

Si quis aveat scire nomen filiæ Megaclis quam duxit Pisistratus, id

id invenies apud Scholiasten Aristophanis ad Nubes; nomen autem ejus erat Κοίσυρα.

Pag. 26. cap. 66.

Μετὰ δὲ τὰ ἐς πόλεμον ἔχοντα, ἐνωμοτίας, καὶ τριακάδας, καὶ συσσίτια, πρὸς δὲ τούτοισι, τοὺς ἐφόρους καὶ γέροντας ἔστησε Λυκοῦργος.	*Deinde vero, quæ ad bellum pertinent, enomotias & triacadas, & syssitia: super hæc instituit ephoros ac senatores Lycurgus.*

Si verum est, quod asserit hoc loco Herodotus, Lycurgum scilicet ephoros & Seniorum consessum instituisse, quare Plutarchus qui vitam Lycurgi ex antiquis auctoribus compilavit, de ea institutione tacuit? & eorum institutionem tribuit Theopompo regi? ut etiam in libro ad principem indoctum? ejus hoc loco adponam verba in Lycurgo. de Polydoro & Theopompo loquitur.[1] οὕτω τὸ πολίτευμα τοῦ Λυκούργου μίξαντος, ὅμως ἄκρατον τὴν ὀλιγαρχίαν οἱ μετ᾽ αὐτὸν ὁρῶντες σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην (ὥς φησι Πλάτων) οἷον ψάλιον ἐμβάλλουσιν αὐτῇ, τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν, ἔτεσί που μάλιστα τριάκοντα καὶ ἑκατὸν μετὰ Λυκοῦργον, πρώτων τῶν περὶ Ἔλατον ἐφόρων κατασταθέντων, ἐπὶ Θεοπόμπου βασιλεύοντος· ὃν καί φασιν ὑπὸ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ὀνειδιζόμενον, ὡς ἐλάττω παραδώσοντα τοῖς παισὶ τὴν βασιλείαν ἢ παρέλαβε, μείζω μὲν οὖν (εἰπεῖν) ὅσῳ χρονιωτέραν, &c. Quid igitur censendum est? Herodotus antiquior multo, sed qui uno verbo tantum rem conficit. Plutarchus recentior, sed qui pluribus rem explicat & pluribus locis, & nomen primi ephori addit & tempus notat, & vitam Lycurgi ex professo persequitur & ei quidem τῆς γερουσίας, i.e. Senatus institutionem tribuit, ephororum vero annis 131 postea à Theopompo; cum recensione dicti celebrati Theopompi ad uxorem super eo negotio. Certè ἐπέχω, parum tamen abest quin putem vocem ἐφόρους ad textum Herodoti additam fuisse, aliter ex eo me non extrico. Proclive foret dicere Lycurgum quidem ephoros instituisse in ipso seniorum consessu velut præsides, Theopompum vero eorum auctoritatem majorem fecisse eos regibus adjungens βασιλεῦσι καταμίξας. Sed vetat me ita putare nomen primi ephori à Theopompo instituti, & verba Plutarchi non quadrant. Nec meum eximit dubium Diogenes Laërtius, qui de Chilone in ejus vita ait (ex Sosicrate) eum primum instituisse, ut ephori regibus adjungerentur, Satyrum vero id tribuisse

[1] *Sic regimen publicum cum temperasset Lycurgus, tamen qui ei successerunt videntes puram oligarchiam, inflatam, & impetus plenam, tamquam frenum ei imposuerunt, Ephororum auctoritatem, annis circiter 130. post Lycurgum Elato primo Ephoro constituto, Theopompo regnante, cui (ut ajunt) uxor exprobravit, quod regiam potestatem minorem, quam acceperat, erat filiis suis traditurus. Imo, inquit, majorem utpote durabiliorem.*

tribuisse Lycurgo. Nam nec Sosicrates nec Satyrus satis habent auctoritatis, ut alterum eorum altero neglecto sequi non dubitem. Imo quod Diogenes Satyro tribuit eam opinionem nulla Herodoti facta mentione, id me movet, ut credam vocem ἐφόρους, ut supra dixi, non esse genuinam, sed in Herodoti textum infartam ex Satyro à quodam antiquo. Consulatur super eo Apollinis tripus. nam ego cum Pyrrhone οὐδὲν ὁρίζω. vide sis Josephi Scaligeri animadversiones ad Eusebium ad annum 1257. pagina secundæ editionis 72.

Pag. 62. cap. 146.

Μινύαι δὲ Ὀρχομενίοισίν ἀναμεμίχαται.	*Minyæ Orchomeniis sunt admixti.*

Lego Ὀρχομένιοι, ut referatur τὸ ἀναμεμίχαται ad Ionas, aliter nullus commodus sensus emergit ex hoc loco.

Pag. 68. cap. 163.

Ἀργανθώνιος· ἐτυράννευσε δὲ Ταρτησσοῦ ὀγδοήκοντα ἔτεα, ἐβίωσε δὲ πάντα εἴκοσι καὶ ἑκατόν.	*Arganthonius: præfuerat autem regno Tartessiorum octoginta annis: vixit autem annos viginti & centum.*

Forte scripserat Herodotus litteris numeralibus ρ´. ν´. quod incuria mutatum est in ρ´. κ´. facili lapsu. Nam Lucianus in Macrobiis sic legebat apud Herodotum, & Anacreonta sic etiam tradidisse ait: [1] Ἀργανθώνιος μὲν οὖν Ταρτησσίων βασιλεὺς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη βιῶναι λέγεται. ὡς Ἡρόδοτος ὁ λογοποιὸς, καὶ ὁ μελοποιὸς Ἀνακρέων, ἀλλὰ τοῦτο μὲν μῦθος τισὶ δοκεῖ. Sed ut absolvatur Herodotus mendacii, ecce & nostris temporibus Anglus quidam Thomas Parn nomine, annum centesimum quinquagesimum & tertium attigit, à suo rure evocatus à rege Carolo propter longævitatis miraculum Londinium venit, & ibi non ferens aëris & victus rationis mutationem decessit, amplius forte victurus si ruri suo mansisset: & quod magis mirum est, anno ætatis centesimo reus capitis causam dixit ob vim illatam virgini. Hæc mihi suo ore testatus est vir illustrissimus & omnium virtutum consortio cumulatus Pomponius Believræus, qui tunc temporis Regis Christianissimi legatus, Londinii eum viderat. Desinant igitur Herodoti correctores numerum annorum Arganthonii

[1] Arganthonius igitur Tartessi rex, centum & quinquaginta annos vixisse dicitur. Secundum Herodotum auctorem, & Anacreontem poëtam. Sed hoc quibusdam fabula videtur.

thonii minuere & reponatur pro πάντα εἴκοσι, πεντήκοντα, nam proculdubio ita ſcripſerat Herodotus, & hoc firmat etiam Strabo lib. 3. & Plin. lib. 7. cap. 48.

Lib. 2. pag. 110. cap. 52.

Ἔθυον δὲ καὶ πάντα πρότερον οἱ Πελασγοὶ θεοῖσιν ἐπευχόμενοι.	*Pelaſgi antea in deorum invocatione tum omnia immolabant.*

Malè Valla. *Iidem antea in deorum invocatione omnia immolabant.* Quid ſibi vult ea verſio? num etiam ſtercus & feces diis immolabant? nugæ. Verte, *Pelaſgi autem primi omnium ſacrificavēre deos invocantes.* Ignoravit credo Valla, πάντα ſæpe poni adverbialiter pro πάντως, id eſt, prorſus, omnino. Vult Herodotus, Pelaſgos docuiſſe homines ſacrificia, quibus deos placari putabant, & id patet ex ſequentibus.

Pag. 144. cap. 141.

Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων.	*Sanacharibum regem Arabum Aſſyriorumque.*

Exemplar, quo utebatur Joſephus ſuo tempore, non habebat τε Ἀσσυρίων, ut ex eo patet lib. 10. cap. 1.

Pag. 146. cap. 145.

Διονύσῳ μὲν νυν τῷ ἐκ Σεμέλης τῆς Κάδμου λεγομένῳ γενέσθαι κατὰ ἑξακόσια ἔτεα καὶ χίλια μάλιστα ἐστὶ ἐς ἐμέ. Ἡρακλέϊ δὲ τῷ Ἀλκμήνης κατὰ εἰνακόσια, &c.	*A Dionyſo quidem certe, qui ex Semele Cadmi genitus fertur, ad meam ætatem ſunt anni ferme mille ſexcenti: ab Hercule vero Alcmenæ filio, ferme nongenti.*

Turbatus eſt hoc loco Herodoti calculus: dixit ſupra Homerum & Heſiodum antiquiores eſſe ſeipſo annis quadringentis, hîc vero vult Trojanum bellum extitiſſe ante ſua tempora octingentis annis & plus, ergo quadringenti anni interfuerunt inter bellum Trojanum & Homerum & plus, ſecundum ejus calculum. Rurſus à Dio-

 nyſo

nyso Semeles filio ad sua tempora vult intercessisse annos mille & sexcentos (si bene se habent hoc loco numeri) ergo à Dionyso ad bellum Trojanum erunt anni fere octingenti. Supra autem pagina 144. numerat in centum annos tres generationes: erunt igitur secundum Herodotum à Dionyso ad Trojam captam generationes 24. at ex historia & numero heroum intersunt tantum tres generationes vel quatuor ad summum. Nam à Cadmo ad Dionysum & Labdacum coævum sunt duæ generationes, à Labdaco ad Oedipum (secundum omnes tragicos Theseo contemporaneum & Herculi, quando Theseus & Hercules contemporanei fuerunt) duæ generationes, à Hercule vero ad Trojam una generatio. (nam Telamon pater Ajacis fuerat Herculis socius & commilito) ergo à Dionyso ad Trojam intersunt tantum tres generationes, aut ad summum quatuor. Falsi igitur hoc loco sunt numeri & corrupti, quos corrigendos Chronologis relinquo, falcem meam in eorum messem non immitto. Si tamen pro ἑξακόσια καὶ χίλια μάλιστα, legatur ἐνακόσια ἢ χίλια μάλιστα, tunc secum concordabit Herodoti textus, & omnia erunt plana, & sic omnino credo Herodotum scripsisse, & vox μάλιστα id omnino suadet, quæ omnino convenit cum ἢ χίλια, non vero cum καὶ χίλια.

Pag. 152. cap. 159.

Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε.	*Et terrestri acie congressus Necos cum Syris in Magdalo, victoria potitus est.*

Josephus Scaliger in doctissimis ad Eusebium commentariis pag. 79. putat, Μαγδόλω & Μαγίδδω unam & eandem esse urbem, in finibus Ægypti Palæstinam versus, & ait Bedam scripsisse Mageddo Maximianopolin vocari, quod illum ex aliquo vetere auctore hausisse putat, quod & rationi consentaneum esse ait, rege Josia scilicet ibi occurrente Neconi, ut eum aditu in Palæstinam intercluderet. Certè locum quem Μαγδόλω vocat hoc loco Herodotus, Septuaginta vocant πεδίον Μαγίδδω. Sed cum Magdolo sita fuerit in ipsa Ægypto, ut fatetur idem vir summus, ubi etiam Maximianopolin sitam fuisse ex notitia imperii patere ait: nullo modo adducor, ut credam Scripturam de illa Magdolo intellexisse, aut dicendum erit regem Josiam bellum Neconi intulisse in ipsa Ægypto, quod numquam

quam reges Judæorum ausi sunt aggredi, vide locum Chronicorum 2. cap. 35. & ex totius rei gestæ narratione deprehendes, Necaonem non solum in belli procinctu fuisse, sed jam in itinere extra fines Ægypti exercitum habuisse. *Ascendit Necho rex Ægypti, ut pugnaret in Carchemis juxta Perath* (id est, juxta Euphratem) *& egressus est in occursum ei Josias.* Ascendit Neco, nam tota Ægyptus inferior & vicina Palæstinæ plana est & depressior. Judæa vero & Palæstina altior & montosa: ergo ascendebat, dum Palæstinam & Judææ limites petebat. Quod si Josias ipsam Ægyptum ingressus fuisset, non dixisset Necho, *Non contra te hodie, sed contra aliam domum est bellum meum*, quæ verba excusatoria sunt & ejus, qui, dum transit per fines alicujus principis, amoliri conatur à se belli illati accusationem: sed potius cum eo graviter expostulasset, quod nulla injuria provocatus fines Ægypti hostiliter invasisset, quod nunquam antea fecerant Judæorum reges. Adde quod Megiddo seu Mageddo non dicitur ibi urbs, sed πεδίον campus ceu planities, quæ forte tamen ad urbem ejusdem nominis pertinebat. Eam posuit Christianus Schot in Palæstinæ mappa prope Cæsaream ad littus maris cum torrente cognomine & montibus, quos montes Meguiddo vocat, & sane illac iter facere debebat Necho, ut montana Judææ vitaret, & commeatus facilius suppeterent ob vicinum mare; per desertum enim via invia erat & inaccessa exercitibus. Et Maximianopolis quidem extat in notitia imperii, sed in Thebaïde, quæ remotissima erat à Nechonis itinere ad Euphratem eunti, nec potest esse Magdolo, ut vult Beda. Nam Magdolo sita fuit non longe à mari rubro, in itinere, quo Israëlitæ recedebant ab Ægypto, longissime à Thebaide. Sic enim legitur in Exod. cap. 14. [1] ἀποστρέψαντες στρατοπεδευσάτωσαν ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως ἀνὰ μέσον Μαγδώλου καὶ ἀνὰ μέσον τῆς θαλάσσης ἐξ ἐναντίας Βεελσέπφων. Magdolo igitur debuit esse in extremitate maris rubri versus desertum, ibi enim Pharao assequutus est Israëlitas, qui maris rubri quadam parte transvadata, in desertum Sur pervenerunt: igitur aut fuerunt duo Magdolo, alterum in Thebaïde, alterum in inferiore Ægypto, aut Maximianopolis non fuit ea Magdolo, de qua agitur: neque tanta est Bedæ auctoritas, ut Meguiddo scripturæ contra historiæ seriem in Thebaïdem relegemus. Quod autem dicebat Necho, *non contra te*, &c. bene & apposite dicebatur ab eo, qui ditionem Judæorum montosam evitabat. Judæa enim procul à mari sita. testis Strabo lib. 16. qui eam μεσόγαιαν, id est *mediterraneam*, nuncu-

[1] *Revertentes castrametantor ante stabulum, inter Magdolum & mare, ex adverso Beelsephon.*

nuncupat, testis & Joseph. lib. ubi ait Judæos [1] Οἰκεῖν χώραν οὐ παράλιον, esseque eorum urbes [2] μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀνῳκισμένας, quod notavit doctissimus Casaubonus ad dictum Strabonis locum. Nec pugnat quod in libro Josuæ cap. 14. limes Occidentalis tribus Judæ ponitur mare. Licet enim ex Dei præscripto & terræ secundum id divisionem, tribus Judæ ad mare extendi deberet, nihilominus intra regionem montanam mansit effectivè tribus ea, & ob currus ferreos Cananæorum, qui campestria & littus maris incolebant, eos non potuit omnino sibi submittere, ut videre est Judicum c. 1. v. 19. Mageddo autem vel Meguiddo erat ex ditione semitribus Manasse, quæ tamen mansit sub Cananæis, ibidem versu 27. Manasse autem longe à finibus Ægypti. Jacet enim in divisione terræ ad septentrionem tribus Ephraïm, juxta mare inter Ephraïm & Asser. Cæterum quod Josephus, cui in iis rebus plurimum credendum est, urbem Mageddo in Judæorum ditione ponit, non pugnat: nam ejus tempore jam omnia turbata erant, nec amplius obtinebat antiquæ terræ divisionis auctoritas. Judæorum reges maritimæ oræ dominatum semper affectavere: sæpe eum obtinuerunt, sæpe amiserunt, prout res bene vel male iis cedebant; & jam olim ab initio Israëlitæ Cananæos in Mageddo habitantes tributarios fecerunt, Judicum c. 1. Ex his omnibus patet, mutandam esse vocem Μαγδόλῳ in Μαγέδδῳ, vel si Μαγδόλῳ scripsit Herodotus, certe deceptum similitudine nominis, Μαγδόλῳ sibi & Ægyptiis notiorem, pro Μαγέδδῳ posuisse. vide Scaligeri notas in fragmenta pag. 45. ubi ait se putare Magdolo & Mageddo vicinas urbes esse. Sed infœlici conjectura.

[1] *Habitare regionem non littoralem.*
[2] *Longe à mari sitas.*

Ibidem.

Μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε.	*Post prælium, Cadyti magna Syriæ urbe potitus est.*

Illustrissimus Josephus Scaliger, in suis notis ad fragmenta (extant ad calcem operis de emendatione temporum) ait non dubium esse, quin ea sit Cades, de qua mentio fit in Scriptura, Numer. 20. vers. 16. Sed pace tanti viri dixerim, non potest esse eadem. Cades, de qua ibi agitur, fuit in finibus Edom versus desertum: & inde petebant transitum per Edom Israëlitæ, ut ad Canaan pervenirent. Cades igitur fuit meridialior ipso Edom. Edom autem fuit meridialior

dialior terra Canaan, ut ex multis Scripturæ locis patet. Pugnaverat fœliciter contra Josiam Neco, & post victoriam *Cadytin Syriæ magnam urbem cepit.* quomodo de Cades in deserto potest intelligi? nam Neco nisi contra Nabuchodonosorum festinavisset, poterat bellum inferre Judææ, & ipsam Hierosolymam aggredi, tunc sine rege & recenti clade perculsam: at vult Scaliger à Mageddo retro ivisse Arabiam versus, & desertum, quæ vitare præcipue debebat, & Cades in ipsius deserti finibus sitam cepisse, per quam non erat illi iter, & quam non erat illi operæpretium occupare. Quænam igitur fuit illa urbs Cadytis? Id credo nos docet Geographus Nubiensis in sexta parte climatis tertii. *Cadesia,* inquit, *est urbs in margine solitudinis posita ad Occidentalem partem urbis Bagaat. estque è propugnaculis Aracq. à Cadesia ad Cusa duæ habentur stationes.* nunc videndum an quadret is situs cum historia: *Ascendit Neco ut pugnaret in Carchemis juxta Perath.* sic loquitur Scriptura, quia ibi Neco à Nabuchodnosoro victus est. Tendebat versus Perath, id est, Euphratem Neco, Carchemis à Nubiense *Cquercquisia* dicta, sita erat ad confluentes Euphratis & Aboræ teste ipso Nubiense. At Cadesia urbs magna & propugnaculum Aracq, id est Babyloniæ & Assyriæ. verisimile est igitur Neconem victoria elatum recenti ad Euphratem pergentem eam urbem cepisse, quæ duabus tantum stationibus distabat à Cusa, quæ est sita ad Euphratem, quam eam Cades (quæ ad differentiam alterius dicebatur Cades Barne) quæ est in finibus Edom versus desertum Sur, & Arabiam Petræam, longissime ab Euphrate sita.

Lib. 3. pag. 183. cap. 53.

Ἐν γὰρ δὴ τῷ πρεσβυτέρῳ τῶν παίδων οὐκ ἐνεώρα, ἀλλά οἱ κατεφαίνετο εἶναι νωθέστερος.	*Nam in majore filio non erat indoles, hebetiorque esse ei videbatur.*

Nomen ejus filii Periandri tacuit Herodotus. At ex Aristotele credo expiscatus sum ejus nomen in Politicis lib. 5. cap. 12. ait enim [1] δευτέρα δ᾽ ἡ περὶ Κόρινθον, ἡ τῶν Κυψελιδῶν, καὶ γὰρ αὕτη διετέλεσεν ἔτη τρία καὶ ἑβδομήκοντα καὶ ἓξ μῆνας. Κύψελος μὲν γὰρ ἐτυράννησεν ἔτη τριάκοντα, Περίανδρος δὲ τετταράκοντα καὶ τέτταρα, Ψαμμήτιχος δ᾽ ὁ Γορδίου τρία ἔτη. Ergo Gordius fuit nomen illius primogeniti à patre neglecti, cujus filius Psammetichus, tyrannidem obtinuit. Sed in Aristotele videtur redundare καὶ τέτταρα, aliter numerus non quadrat.

[1] *Secunda vero fuit Cypselidarum Corinthi: duravit enim annos 73. & menses 6. Cypselus enim Tyrannus fuit annis 30. Periander vero 44. Psammetichus autem Gordii filius annos 3.*

Pag.

Pag. 186. cap. 62.

Τῆς Συρίας ἐν Ἐκβατάνοισιν. | *In Ecbatanis Syriæ.*

Ecbatana ex medio Mediæ tranſtulit Herodotus in Syriam. Facit ex more Græcorum, qui voces barbaras, quoad fieri poterat, mutabant ad ſuæ linguæ ſonum. Forte fuit urbs Bethen, vel alia Bethanah, quarum mentio fit Joſuæ cap. 19. vel forte Bethaniah. Nam eo tempore Hieruſalem jacebat diruta & nondum reſtaurata. Ideo non poterat in ea Cambyſes diverſari. Sed hæ ſunt meræ conjecturæ ſine auctoritate: de iis, ut voles, decerne lector.

Pag. 187. cap. 64.

Ὡς οἱ καιρίη ἔδοξε τετύφθαι.	*Tanquam opportuna ad feriendum (ut ſibi videbatur) percuſſerat.*

Valla vertit: *tamquam opportuna ad feriendum (ut ſibi videbatur) percuſſerat.* Male & longe ab Herodoti ſententia. Verte: *cum ſibi videretur ipſe lethali vulnere percuſſus*, plano ſenſu.

Pag. 203. cap. 102.

Ἐν τῇ ἐρεμίῃ ταύτῃ καὶ τῇ ψάμμῳ γίνονται μύρμηκες, μεγάθεα ἔχοντες κυνῶν μὲν ἐλάσσονα, ἀλωπέκων δὲ μείζονα.	*In ea ſolitudine arenoſa formicæ gignuntur, canum quidem magnitudine minores, vulpium vero majores.*

Hoc non eſſe figmentum Herodoti, ut multi blaterant, ſed veram narrationem, evincit hujus ſeculi experientia. Nam teſte Thuano, hiſt. lib. 16. Imperatori Turcarum Solymano miſſum eſt tale animal, à Scha Tamo Perſarum imperatore anno ſalutis 1559. Hæc ſunt ejus verba: *Nuntius etiam à Thamo oratoris titulo quidam ad Solymanum venit cum muneribus, inter quæ erat formica Indica canis mediocris magnitudine, animal mordax & ſævum.* & hoc credo, habet ex Buſbequio, qui eadem fere verba habet epiſt. 4.

Pag.

Pag. 204. cap. 106.

Τὰ δὲ δένδρεα τὰ ἄγρια αὐτόθι φέρει καρπὸν εἴρια καλλονῇ τε προφέροντα καὶ ἀρετῇ τῇ ἀπὸ τῶν οἰῶν, καὶ ἐσθῆτι οἱ Ἰνδοὶ ἀπὸ τούτων τῶν δενδρέων χρέονται).	*Præterea agrestes arbores pro fructu lanam ferentes ovilla tum pulchritudine tum bonitate meliorem: qua in vestiarium Indi utuntur.*

An hic locus de Bombyce & vestibus ex ejus filis textis intelligendus sit, an de gossypio sive xylo, an de alia quadam arboris specie, non inutilis erit disquisitio, quod ut facilius fiat, adducenda sunt & aliorum auctorum testimonia, qui de variorum textilium usu aliquid scripserunt. Primus & tempore & auctoritate Theophrastus lib. 4. hist. plant. cap. 9. hæc habet, ubi de Tyle insula loquitur, [1] φέρειν δὲ τὴν νῆσον καὶ τὰ δένδρα καὶ τὰ ἐριοφόρα πολλά· ταῦτα καὶ φύλλον μὲν ἔχειν ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ πλὴν μικρόν, καρπὸν δὲ οὐδένα φέρειν, ἐν ᾧ δὲ τὸ ἔριον ἡλίκον μῆλον ἐαρινὸν συμμεμυκός· ὅταν δὲ ὡραῖον ᾖ ἐκπετάννυσθαι καὶ ἐξαίρειν τὸ ἔριον, ἐξ οὗ σινδόνας ὑφαίνουσι, τὰς μὲν εὐτελεῖς, τὰς δὲ πολυτελεστάτας· γίνεται δὲ τοῦτο καὶ ἐν Ἰνδοῖς, ὡς ἐλέχθη, καὶ ἐν Ἀραβίᾳ. hæc Theophrasti verba sic Plinius reddidit lib. 12. cap. 11. *ejusdem insulæ excelsissimo suggestu, arbores lanigeræ alio modo quam Serum: iis folia infœcunda, quæ ni minora essent, vitium poterant videri, ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ, ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretiosi lintei faciunt.* Idem Plin. cap. sequenti. *Arbores vocant gossampinas fertiliores etiam in Tylo minore, quæ distat 10000. pass. Juba circa fruticem lanugines esse tradit, linteaque fieri Indicis præstantiora; Arabiæ autem arbores, ex quibus vestes faciunt, cynas vocari folio Palmæ simili.* In his locis hæc consideranda sunt. Herodotus arboribus, de quibus loquitur, fructum tribuit. Theophrastus vero negat fructum ferre eas, de quibus agit, forte tamen de eadem arbore agunt. Sed Herodotus latius sumpsit καρποῦ appellationem, scilicet pro eo quod est usui utile. Theophrastus vero καρπὸν intellexit edule quid. nam cætera conveniunt. Tractat Herodotus de Indicis. Theophrastus de Tyle insula in sinu Arabico. Sed addit idem fieri in India. Plinius, qui Theophrastum ubique sequitur, in hoc loco videtur ab eo abire. Nam quod Theophrastus vocat ἡλίκον μῆλον ἐαρινὸν συμμεμυκός, quod reddi debet *pomum vernum compressum*, vertit Plinius *cucurbitam cotonei mali amplitudine*, at malum cotoneum non potest vernum nominari:

[1] Ferre autem insulam etiam arbores, & quidem lanigeras multas. illæ vero folium habent simile viti sed minus, fructum autem nullum ferre. Sed laniferum quid quantũ est pomum vernum, & compressum: in maturitate vero expanditur, & lanam exerit, de qua Sindonas texunt. quasdam quidem viles, alias vero pretiosas: & id fit etiam apud Indos & Arabas.

nominari: est enim omnium fere pomorum tardissimè proveniens, & cadente autumno tantum maturescit. Ideo suspicor, locum Theophrasti esse mutilum, & mendosum. Nam Plinius proculdubio legebat apud Theophrastum: ἐν ᾧ ἐστὶ τὸ ἔριον ἡλίκον κυδώνιον μῆλον ἔαρι συμμεμυκός. In his omnibus locis non credo de gossypio intelligi debere. Nam vox δένδρεα ἄγρια, non convenit gossypio plantæ, quæ nequaquam arbor dici potest, tum ob exilitatem, tum eo quod, ut audio, seritur quotannis, & potius in herbis censenda est ea planta, vel ad summum inter frutices, quam inter arbores. Ideo nec Theophrastus de xylo vel gossypio intelligendus, qui eadem voce τὰ δένδρα utitur. Nec ab ea sententia me demovet, quod habet Theophrasti textus: καὶ τὰ δένδρα καὶ τὰ ἐριοφόρα. nam particula καὶ secundo loco posita non distinguit τὰ ἐριοφόρα ab arboribus. Is locus sic vertendus est. *Ea insula fert etiam arbores & quidem multas lanigeras*. Nec opponendus est Plinii locus lib. ejusdem cap. 12. ubi invenitur *Gossampinas arbores*: non enim intellexit de planta, quæ fert gossypium, sed de iis arboribus, quæ ferunt aliquid gossypio analogum. Nám quamvis eæ arbores dicantur ἐριοφόροι, id est, *lanigera*, non tamen ferunt veram lanam, sed aliquid lanæ simile. Sic gossampinæ, quæ ferunt aliquid gossypio simile, & quod ejus usum præstat. De Bombyce vel Serico nec Herodotus, nec Theophrastus, nec Plinius locis citatis intelligi possunt. Nam Bombycina pila non potest ullo modo dici arboris fructus: non enim ex arbore nascitur, sed ei tantum adhæret, & est extraneum quid; ut & erucarum textilia, nec cum Theophrasti verbis convenit, quæ nullam similitudinem habet mali; nec in maturitate patescit, ἐκπετάννυται, ut ait Theophrastus. Fuit igitur arbor quædam, quæ pilulas lanuginis plenas fert in maturitate dehiscentes, ut gossypium, &, ut mea sententia firmetur, oculatum testem vocabimus, Petrum Belonium Cœnomanum, qui lib. observationum 2. cap. 6. ait se vidisse in litore maris Erythræi, arbores lanigeras, dum montem Sinai petebat, ejus verba Gallicè scripta huc adducere libet. *Nous fismes du feu avec du bois de Tamarisque & de l'arbre qui porte la laine* &c.& paulo post. *Nous trouvons qu'Herodote a premierement fait mention dudict arbre, suivant lequel Theophraste, Pline & plusieurs autres ont escrit, il est du nombre de ceux qui demeurent tousjours verds, leur laine est plus fine que la soye, de laquelle les Arabes filent de tresbeaux linges, plus deliés & fins que ne sont ceux qui sont faicts de fine soye, & plus blancs que ceux de cotton, cela se peut bien prouver par*

par les pommes qu'auons rapportées, & monstrées esquelles est trouvée quantité de laine. Ex his Bellonii testis autoptæ verbis patet, eas arbores, & à moris quibus Bombyces adhærescunt, & à planta quæ gossypium fert, toto genere differre, & Herodotum, Theophrastum & Plinium de tertia quadam arboris specie semper virescentis, quæ pilas fert lanuginis plenas gossypio & bombyce præstantiores, loquutos fuisse. Sed & quarta alia plantæ lanigeræ species videtur notari in Maronis versu. Georg. 2.

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

Et in primo quidem versu videtur eandem arborem innuere, quæ ab Herodoto, Theophrasto, Plinio, & Bellonio describitur: at in secundo, aliam arborem notare videtur; nam *depectere vellera foliis,* non convenit arbori, quæ lanuginem fert in pomo, ut nec frutici gossypium ferenti similiter in pila, quæ in maturitate dehiscit. Et multi quidem Servium sequuntur, qui de bombycino serico interpretatur, dum ait: *lanam arboream non possumus accipere, quia ubique procreatur.* scilicet gossypium, *lanam arboream* vocat, quod tempore Servii commune erat. Hodie certe in Italia, & Sicilia maximo proventu seritur, & improprie *lanam arboream* vocat, quæ in frutice nascitur. Sed Maronis verba de bombyce capi non possunt; nam bombycum involucra leguntur, & postea ex iis fila deducuntur. at *foliis depectere* videtur aliud quid significare, & debere intelligi de ipsis foliis quæ depectuntur, sive lanugo quædam ex foliis nascatur, sive ipsorum foliorum corpus in tenuissimas fibras depectitur. Enimvero Plinius lib. 6. cap. 17. videtur in ea sententia esse, ut quædam frondium lanugo ceu canities aqua perfusa foliis depectatur, quod artificium Sericæ genti tribuit, & eo loco de bombyce non loquitur, de quo fusè postea tractat, lib. XI. cap. 22. & 23. Ergo ex locis supra citatis sic possumus concludere, esse duas species arborum lanigerarum, quarum una folia habet viti similia, sed minora, lanam in pila habentia, quæ in maturitate dehiscit, ut gossypium: altera palmæ similia folia habens, & in iis lanuginem quandam & vellus, quod depectitur, quibus si addas bombycem & gossypium, exurgent quatuor species textilium filorum. In ea re magis inquirendum & consulendi sunt ii, qui Indiam, & gentes Orientales Indiæ conterminas accesserunt. Nam tempore Maronis & Plinii, ignorabantur earum gentium mores & habitus, ut plurimum, quæ nunc notiora sunt.

Pag. 213. cap. 130.

Ὑποτύπτουσαι δὲ αὐτέων ἑκάστη φιάλῃ τοῦ χρυσοῦ σὺν θήκῃ ἐδωρέετο τὸν Δημοκήδεα, οὕτω δή &c.	*Tum earum singulæ auream phialæ thecam suffringentes Democedem donaverunt &c.*

Hic locus non mihi videtur sanus, & Valla quidem bene mutavit στιγμὴν in sua versione, post σὺν θήκῃ interpungens, sed in morbo sontico reduviam sanavit. Nam quid sibi volunt ea ὑποτύπτουσαι φιάλῃ τοῦ χρυσοῦ σὺν θήκῃ, quod Valla vertit: *auream phialæ thecam suffringentes.* non bene meo quidem judicio. Nam nec τύπτειν est *frangere*, nec ὑποτύπτειν *suffringere.* & à Gregorio, qui eo verbo in eo significatu usus esse dicitur, provoco ad antiquos. Sed demus ita posse accipi, quid opus erat, frangere Phialam, aut ejus thecam? nonne & honestius & utilius integra donata fuisset, & cur postea fit de stateribus mentio? num phialæ fragmenta per μεταμόρφωσιν statim in stateres mutata sunt? aut erant ad manum instrumenta χωνευτικὰ, & typi, & ignis, ad percutiendos stateres? nugæ. Sed & manifestè sonant vitium illa φιάλῃ τοῦ χρυσοῦ, quid enim facit articulus τοῦ eo loco? Certè cuivis est in proclivi, hunc locum convincere mendi, at mederi & divinare, quomodo scripserit Herodotus, hoc opus hic labor. Ego tentabam sic corrigere. [1] ἐπισάττουσαι δὲ αὐτέων ἑκάστη φιάλῃ τε χρυσίοις σὺν θήκῃ, quod non videtur abludere ab auctoris mente. nam σάξασθαι interpretatur Hesych. πληρῶσαι, & ea vox de vasis, quæ valde implentur, usurpatur, sive de siccis rebus, ut de arena Lucianus κεράμιον ψάμμου σεσαγμένον, sive de liquore, ut de aqua idem Lucianus de Syria dea, ἀγγήιον ἕκαστοι ὕδατι σεσαγμένον φέρουσι. Tu, benigne lector, cogita super eo, & forte meliora dabis.

[1] *Unaquæque earum fartim implens phialam aureis & ejus thecam.*

Ad lib. 4. pag. 230. cap. 14.

Ἠχοντα ἐξ Ἀρτάκης πόλιος.	*Profectum ex urbe Artaca.*

Eustathius ad Odyss. κ'. suo tempore legebat Ἀρτακίης.

Pag. 238.

Pag. 238. cap. 43.

Τὸ πλοῖον τὸ πρόσω ἐ δυνατὸν ἔτι εἶναι προβαίνειν.	*Quod navigium ulterius procedere non posset.*

Nempe ut conjicere licet, à ventis Orientalibus contrariis impeditus fuit navis illius cursus: nam per sex menses continuos flant circa promontorium Bonæ Spei.

Pag. 254. cap. 91.

Περσέων τε καὶ πάσης ἠπείρου βασιλεύς.	*Persarum cunctaque continentis rex.*

Ne quis vaniloquentiæ accuset vel Darium vel auctorem inscriptionis, per *πάσης ἠπείρου* intellige non Asiam universam, sed aliam quam Geographi nostri seculi *minorem* vocant. Sic enim à Græcis vocabatur respectu insularum Ægæi maris. Sic Dio lib 48.[1] ὁ Ἀντώνιος ὁ Μάρκος ἐς τε τὴν Ἀσίαν τὴν ἤπειρον ἦλθε. & Nicand. Alexipharm.

[2] Παῖδες δ' ἐϋζήλοιο Κρεούσης
Πιοτάτην ἐδάσαντο γεωμορέην ἠπείρου.

Ad quæ sic commentatur Scholiastes.[3] Κρεούσης Ἐρεχθέως, καὶ Ἀπόλλωνος Ἴων, ἀφ' οὗ Ἴωνες οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ Ἰάδες πολλαὶ πόλεις, ἡ δὲ Κολοφὼν Ἰωνίας. tempore autem expeditionis Darii illa Asia sub imperio Persarum erat.

[1] M. Antonius in Asiam, quæ Epirus est, venit.

[2] Filii bonæ Creusæ pinguissimam partiti sunt habitationem Epiri.

[3] Creusæ Erechthei, & Apollinis Ion, à quo Iones Athenienses & plures urbes Iades. Colophon autem est Ioniæ.

Pag. 263. cap. 122.

Διαβάντων δὲ τούτων τὸν Τάναϊν ποταμὸν, οἱ Πέρσαι ἐπιδιαβάντες ἐπιδιώκουν.	*Trajicientes autem illos Tanain fluvium, Persæ etiam trajicientes insecuti sunt.*

Nec vera nec verisimilis est hæc narratio. Tantus exercitus vix tantum iter emensus fuisset sex mensium spatio, quod duobus mensibus emensum narrat auctor. Tum Tanais Istro ferè æqualis non est vadatu facilis, ut nec Borysthenes, quem Istro secundum fecit supra, & abundantem aquis descripsit, quem tamen & in eundo & in redeundo, vel vadasse vel ponte exstructo trajecisse Darium cum exercitu oportuit. Sed ut Alexander Bessum persequens, postquam eum in potestate habuit, Jaxartem usque perrexit, & se Ta-



naïn vidisse vel credidit, vel ad gloriam suam publicavit: sic & Darius Hypanim aut forte Borysthenem, Tanaïm esse credidit, vel credere se simulavit, ut suæ gloriæ audaci mendacio velificaretur.

Pag. 264. cap. 125.

Οἱ δὲ Σκύθαι ἐς μὲν τοὺς Ἀγαθύρσους οὐκέτι ἀπείπαντας ἀπικνέοντο.	*Scythæ partim ad Agathyrsos jam non recusantes societatem se conferebant.*

Credo, τὸ οὐκέτι motum esse loco, & sic legendum puto, ἐς μὲν τοὺς Ἀγαθύρσους ἀπείπαντας οὐκέτι ἀπικνέοντο. Id est, *versus Agathyrsos recusantes non amplius iter fecerunt*, id suadet & ratio, & totius rei narratio & particula μὲν.

Ibidem cap. 126.

Τῶν Σκυθέων βασιλῆα Ἰνδάθυρσον.	*Indathyrsum Scytharum regem.*

Hunc Trogus Pompeius vocabat Jancurum, ut videre est apud Justinum lib. 2.

Pag. 267. cap. 136.

Ὥστε οὐ τετμημένων τῶν ὁδῶν.	*Ea præsertim quæ divortia habebant.*

Hæc aliter legisse videtur Valla, vertit enim: *ea præsertim quæ divortia habebant.* non legebat proculdubio negationem οὐ: commodum tamen habet sensum vulgata lectio, *vias non inveniebant pedites exercitus Darii, eo quod non erant incisæ*, id est, signatæ orbitis; nam in deserto arenoso, ubi equitabant Scythæ astra respicientes itineris duces, non terram, nulla erat certa via incisa & orbitis notata, vel calcibus equorum per planitiem incultam liberè equitantium, non per certas vias, ut fit in terra culta, pagis & civitatibus habitata, quæ orbium notas retinet rotis identidem euntibus & redeuntibus per easdem vias.

Pag. 269. cap. 142.

Καὶ ἄδρηστα μάλιστα.	*Et insectatione dignissima.*

Malè interpretatur Valla *insectatione dignissima*, & eo nomine ab Henrico

Henrico Stephano castigatus est in suo thesauro. Debuit enim vertere, *minime fugitiva.*

Pag. 270. cap. 145.

Ἐξελαθέντες ὑπὸ Πελάσγων ἐκ Βραυρῶνος, ληϊσαμένων &c.	*Ejecti à Pelasgis qui fœminas Atheniensium ex Braurone prædati sunt, &c.*

Laborat hic locus ab interpunctione, quod videtur vidisse Valla. Lege ἐξελαθέντες ὑπὸ Πελάσγων, ἐκ Βραυρῶνος ληϊσαμένων τὰς Ἀθηναίων γυναῖκας. hæc historia narratur infra libro 6.

Pag. 271. cap. 148.

Κάρτα οἰκηϊεύμενος.	*Ad insulam valde frequentandam.*

Valla vertit: *ad insulam valde frequentandam.* infœliciter. verte: *eos omnino sibi concilians.*

Pag. 272. cap. 150.

Ἐὼν γένος Εὐθυμήδης τῶν Μινυέων.	*Euthymedes genere ex Minyis.*

Lege meo periculo Εὐφημίδης, ex Pindaro Pyth. 4. & ejus ad eum locum Scholiaste. τὸ Μινυέων autem accipe, non quod ex progenie Minyæ fuerit Battus, sed quod Euphemus, à quo originem ducebat, fuerat unus ex Argonautis, qui Minyæ dicti sunt, eo quod Jason dux expeditionis ex matre Alcimede erat ex posteris Minyæ. Iphiclus item & plures alii ex eadem progenie Minyæ fuerunt.

Pag. 275. cap. 157.

Τῆς Λιβύης χῶρον ἀντίον τῆς νήσου τῇ οὔνομα ἦν Ἀζίριστον.	*Locum in Libya è regione insulæ nomine Aziristum.*

Legit Valla τῷ οὔνομα ἦν. melius. num fuit ille locus, de quo Synesius epist. 4. mentionem fecit, cui nomen erat Ἀζάριον? certe fuit in eo tractu.

Ibidem

Ibidem cap. 159.

Ἐπὶ δὲ τρίτου Βάττεω, τοῦ Εὐδαίμονος καλεομένου.	*Sub tertio autem Batto, qui Fœlix est appellatus.*

Vitiata hujus loci interpunctio fefellit Vallam ut interpretaretur, *Sub tertio autem Batto, qui Fœlix est appellatus.* Sed pugnat ea versio cum historiæ fide. Nam Battus ejus nominis secundus, dictus est Fœlix, non vero tertius: sic enim se habet Battiadarum stemma.

Polymnestus — Phronima
Battus 1. seu — O
Aristoteles qui
Cyrenas condidit
Arcesilaus 1. — O
Battus 2 Fœ- — O
lix dictus
Arcesilaus 2. — Eryxo
Χαλεπὸς dictus
Battus 3. clau- — Pheretima
dus dictus
Arcesilaus. 3. — O
Battus 4. pul- — O
cher dictus
Arcesilaus 4 a
Pindaro celebra-
tus.

Sic igitur interpungendum: ἐπὶ δὲ τρίτου, Βάττεω τοῦ Εὐδαίμονος καλεομένου, id est, *sub tertio autem, qui Battus Fœlix appellatus est*, tertio nempe dynasta vel rege Cyrenarum. Nam supra loquutus est de Batto Cyrenarum conditore. postea de Arcesilao, qui ei successit: deinde ait ἐπὶ δὲ τοῦ τρίτου, & τὸ τρίτου ad successionis ordinem, non ad nomen, referendum est.

Pag. 276. cap. 160.

Ὁ ἀδελφεὸς Ἀλίαρχος ἀπέπνιξε.	*Frater suus Aliarchus strangulavit.*

Plutarchus eum Laarchum non Aliarchum vocat, & amicum Arcesilai, non fratrem, facit, lib. de mulierum virtutibus.

Pag.

Pag. 285. cap. 190.

Οἰκήματα δὲ σύμπηκτα ἐξ ἀνθερίκων ἐνερμένων περὶ σχοίνους.	*Domicilia autem eorum sunt virgultis compacta, suspensis circa lentiscos.*

Valla legit σχίνους, & *circa lentiscos* interpretatur. Sed, ut puto, malè: est enim Nasamonum regio, de qua agit, ἄξυλος, & omnino ligni indigens. Optime legitur σχοίνους. vertendum est *è caulibus herbarum circa juncos implexis.*

Ad Lib. 5. pag. 292. cap. 9.

Σιγύννας δ᾽ ὦν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίας οἰκέοντες τοὺς καπήλους· Κύπριοι δὲ τὰ δόρατα.	*Sigynas quidem certe Ligures, qui supra Massiliam incolunt, institores appellant: Cyprii jacula.*

Mutabant igitur Cyprii τὸ β in γ. nam communi dialecto, σιβύνη venabulum vel hastile venatorium significat. Sic etiam Macedones σιγύνην pronunciabant Cypriorum more.

Pag. 312. cap. 66.

Τῶν Ἴωνος παίδων Γελέοντος καὶ Αἰγικόρεως.	*Ionis filiorum Geleontis & Ægicoris.*

Lege Τελέοντος, & ita pridem legendum vidit doctissimus Casaubonus in suis eximiis ad Strabonem commentariis. pag. 166.

Pag. 314. cap. 71.

Οἱ πρυτάνιες τῶν Ναυκράρων.	*Magistratus Naucratiorum.*

Lege Ναυκραρίων ex Polluce lib. 8. cap. περὶ δημάρχων, ubi ea vox pluries repetita est & explicata.

Ibidem cap. 72.

Τοῖσιν Ἰσαγόρεω στασιώτῃσι.	*Isagoræ militibus.*

Legebat interpres στρατιώτῃσι, sed multo melius vulgata editio:

στασιώτησι, sive aliquis post Vallam ita correxerit, sive male mutaverat Valla: est enim στασιώτης, qui est ex factione alicujus, vel qui sequitur ejus partes.

Pag. 315. cap. eod.

Τιμασίθεον τὸν ἀδελφεόν. | *Timasitheum fratrem.*

Vetus mendum & fœdum, per quod male inseritur in Herculis stemmate, & regum Lacedæmoniorum serie iste Timasitheus. At tollo hanc maculam, & lego τὸν Δελφὸν, id facere doctus à Pausania in Eliacorum 2.

Ibidem cap. 75.

Καταλείπεσθαι καὶ τῶν Τυνδαριδέων τὸν ἕτερον. | *Alterum quoque è Tyndaridis relinqui.*

Hic locus est apprime notandus, & ad quem intelligendum opus foret alicujus antiqui auctoris adminiculo. Nam qui fuerint isti Tyndarei, fateor me prorsus ignorare, quos necesse fuisse in bello cum Spartæ regibus proficisci binos, innuere videtur hoc loco Herodotus, eos advocantibus regibus. Certe ex Orestis prosapia fuisse non videntur. Nam ex Oreste novimus tantum Tisamenum & Penthilum, quorum ille pulsus Sparta Ioniam secessit, postea Achaïam dictam. Hic Lesbi regnavit ducta colonia. Helenæ & Clytæmnestræ soboles in iis adunata est per Orestis & Hermiones conjugium. Superfunt Timandra Echemi Tegeatæ uxor, & Phœbe, de qua Euripides in Iphigenia, de quarum stirpe nihil legi, ut nec de stirpe Anaxidis & Mnasini, quos quidam faciunt Castoris & Pollucis filios. Forte Tyndarei, vel Tyndaridæ dicebantur, non quod de stirpe Tyndarei nati forent, sed quod Castoris & Pollucis Tyndaridarum in numerum divorum relatorum erant sacerdotes & ὑποφῆται: nisi hoc sit verum, non est, quod à me expectes huic loco lucem: aliis sponte lampadem trado.

Pag. 333. cap. 118.

Πιξωδάρου τοῦ Μαυσώλου ἀνδρὸς Κινδυέος. | *Pixodaro Mausoli filio viro Cindyensi.*

Vertit Valla *viro Cindyensi.* Sed ubinam locorum fuit ea Cindya? lege meo periculo Κνιδίου à Cnido Cariæ.

Ad

Ad Lib. 6. pag. 345. cap. 35.

Φιλαίου τοῦ Αἰακοῦ παιδός.	*Philai Æaci filii.*

Hujus Philæi, ex quo ortus Miltiades, si vis noscere stemma & posteros, vide Marcellinum in vita Thucydidis.

Pag. 347. cap. 42.

Μεταπεμψάμενος ἀγγέλους ἐκ τῶν πολεμίων.	*Accitis hostium nunciis.*

Non sanavit hoc ulcus Valla, qui interpretatur *accitis hostium nunciis*. Facile tamen erat corrigere, & τῶν πολίων reponere, & interpretari: *accitis ex urbibus nunciis*, optimo sensu.

Pag. 352. cap. 57.

Δύο ψήφους τιθεμένους.	*Duos calculos ponentes.*

Arguit hunc locum falsi Thucydides initio operis, non expresso tamen Herodoti nomine, ob antiquioris (ut puto) reverentiam.

Pag. 354. cap. 65.

Λευτυχίδου τοῦ Μεγάρεως τοῦ Ἄγιος.	*Leutychidis filii Megaris, nepotis Agidis.*

Infra pro Agide Hegesilaum ponit.

Pag. 357. cap. 71.

Λαμπιτώ, τὴν Ἀρχίδημος ὁ Ζευξιδήμου γαμέει.	*Lampito, quam Archidamus Zeuxidami filius in matrimonium accepit.*

Ex qua Agin genuit. Sed Agesilaum inclitum illum ex altera uxore Eupolia Melesippidæ filia Plutarch. Pausan.

Pag. 360. cap. 80.

Συμβάλλομαι δὲ ἐξήκειν μοι τὸ χρηστήριον.	*Conjicio jam exitum habuisse oraculum.*

De hac expeditione videndus Pausanias in Corinthiacis, ubi aliam

& verisimiliorem causam reddit, cur Argos non ceperit Cleomenes.

Pag. 365. cap. 94.

Καὶ Ἀρταφέρνεα τὸν Ἀρταφέρνεος παῖδα.	*Et Artaphernem Artaphernis filium.*

Dubito de fide hujus loci, & suspicor vitio exscriptoris repetitum in filio patris nomen. Nam Chronicum marmoris Arundeliani habet Ἀριεντία. ubi ita legitur, ΑΦΟΤΕΜΜΑΡΑΘΩΝΙΜΑΧΗΕΓΕΝΕΤΟ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΠΕΡΣΑΣ .... ΑΡΙΕΝΤΕΑΣ .... ΩΝΔΑΡΕΙΟΥΑΔΕΛ .... ΝΤΟΝΣΤΡΑΤΗΓΟΝ. Sic se habet marmor, & sic lacunas suppleo, ἀφ' οὗ ἐμ Μαραθῶνι μάχη ἐγένετο Ἀθηναίοις πρὸς τοὺς Πέρσας καὶ Ἀριεντία σατράπην τῶν Δαρείου ἀδελφιδῶν τὸν στρατηγόν. Illud Ἀριεντία non potest referri ad alium, quam ad Artaphernis filium, quando Artaphernes fuit Darii frater. Scio ter apud Herodotum repetitum esse illud nomen. Sed sæpe accidit, ut unius loci mendum repetatur in aliis locis, aliter dicendum foret illum Artaphernem Artaphernis filium binominem, & Arientea etiam vocatum fuisse. Tamen Æmilius Probus habet *Artaphernes* in Miltiade. Aristophanis vero Scholiastes ad Equites sic habet ad hæc verba ἐν Μαραθῶνι, τόπος τῆς Ἀττικῆς εἰς ὃν ἀφώρμησαν Δάτις καὶ Ἀρτάβαζος Μηδικοὶ Σατράπαι πεμφθέντες ὑπὸ Δαρείου, &c. ergo nihil in eo certi. Forte Arientes, utpote Darii vel fratris vel sororis filius, totius exercitus ducatus honorem habebat; at Datis & Artabazus, viri bello experti, præcipua militaria obibant velut campi ductores, & ideo Græcis maxime memorati.

Pag. 376. cap. 127.

Φείδωνος τοῦ Ἀργείων τυράννου παῖς Λεωκίδης.	*Leocides Phidonis Argivorum tyranni filius.*

Magna ex hoc loco emergit difficultas circa temporis rationem. Ait Herodotus Leocidem filium Phidonis Argivorum tyranni fuisse unum è procis Agaristes, & illius quidem Phidonis, qui agona Olympicum turbavit, vi summotis Hellanodicis, & qui mensuras dedit Peloponneso. At ejusdem Agaristes proci fuerunt referente Herodo-

Herodoto, Megacles Athenienſis filius Alcmæonis ejus, qui à Crœſo ampla accepit munera, & Males Titormi illius famigerati frater, qui, ſi Æliano fides, Milonis Crotoniatis fuit contemporaneus. Et de Megacle & Malete ſatis concordant tempora. Floruit enim Milo circa Cambyſis tempora, quibus vivere potuit Alcmæonis filius Megacles. Sed in Phidonis Argivi filio turbatur ratio: nam Phido ſecundum Pauſaniam & Eleos, Olympiadem octavam adornavit per vim ſummotis Hellanodicis Eleis, quæ idcirco ab illis ἀνολυμπιὰς dicta eſt, quod tempus præceſſit Cambyſen, plus quam ducentis annis. Aut igitur falſus eſt Herodotus, & illum antiquum Phidonem, patrem fuiſſe Leocidæ per errorem aſſerit, qui fuit alius Phidon recentior: aut Elei, unde Pauſanias ſuum computum accepit, annis ducentis erraverunt, quod non eſt veriſimile. Ad tantam litem dirimendam nihil melius occurrit, quam textum Herodoti mutilum eſſe ſuſpicari, nec eſt vana ſuſpicio, cur enim repetit nomen Phidonis ſine ulla neceſſitate, & contra ſuum morem? ergo ſic forte ſcripſerat Herodotus: [1] Φείδωνος τοῦ Ἀργείου παῖς Λεωκίδης. τυράννου δὲ Φείδωνος ἀπόγονος τοῦ τὰ μέτρα. &c. certe videtur deeſſe vox ἀπόγονος vel tale quid, aliter nihil ſani haberet hic Herodoti locus, & firmat noſtram conjecturam Strabo lib. 8. pag. 358. qui Phidonem quendam decimum à Temeno numerat. Nam primus ille Phidon ſecundum Satyrum fuit tantum ab Hercule undecimus, à Temeno ſextus, nec dubitandum eſt Phidonem illum à Strabone memoratum fuiſſe à primo illo Phidone tyranno oriundum, quando inter Græcos mos erat, ut nomen unum ſolenne & celebratum in poſteris repeteretur, cujus rei extant exempla innumera.

[1] *Phidonis Argivi filius Leocides, à tyranni vero Phidonis proſapia, qui menſuras, &c.*

Ibidem.

Καὶ Ἀζὴν ἐκ Παίου πόλιος Λαφάνης Εὐφορίωνος.	*Et Iaphanes Azenus ex urbe Pao filius Euphorionis.*

Vel hic legendum Πάου, vel apud Pauſaniam in Arcadicis, Παίου κώμης ἐρείπια. ubi legitur Πάου, niſi ex dialecto Ionica fuerit τοῦ ι additio.

Ad Lib. 7. pag. 389. cap. 11.

Μὴ γὰρ εἴην Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεος, τοῦ Ἀρσάμεος, τοῦ Ἀριαράμνεω, τοῦ Θείσπεος, τοῦ Κύρου, τοῦ Καμβύσεω, τοῦ Ἀχαιμένεος, γεγονώς.	*Neque enim fuerim Darii filius, qui fuit Hyſtaſpis, qui fuit Arſamis, qui fuit Ariaramnis, qui fuit Theiſpei, qui Cyri, qui fuit Cambyſis, qui fuit Achæmenis filius.*

Cave putes Cyrum & Cambyſen, de quibus hîc Xerxem loquentem inducit Herodotus, debere intelligi de Cyro Perſarum monarcha famigerato & Cambyſe Mandanes viro. Id enim ratio temporum non patitur, nec potuiſſet atavus Cyrus, qui viginti tantum annos regnavit (teſte eodem Herodoto) videre jam adultum abnepotem Darium, qui ſeptem annos poſt Cyri mortem (tot enim regnavit Cambyſes) jam vir factis inclytus & conſilio pollens à ſex principibus in magos conjuratis admiſſus eſt in periculi & gloriæ ſocietatem. id certe eſt impoſſibile. Ergo Cambyſes & Cyrus, de quibus hic loquitur Xerxes, antiquiores fuere Cambyſe Aſtyagis genero & Cyro Monarcha. Sed, ut puto, fuerunt ex eorum majoribus: amat enim ita fieri, & ſæpe repetuntur in nepotibus avorum nomina. Certe ex ipſo Herodoto patet, patrem Cambyſis Mandanes viri fuiſſe alterum Cyrum. lib. 6. ſectione 111. unde non male concluditur hæc duo nomina alternis vicibus avis & nepotibus indi ſolita fuiſſe in ea familia, & Darium Hyſtaſpis fuiſſe ex eadem cum Cyro proſapia. Sic igitur puto eorum ſtemma deſcribi debere.

Achæmenes generis auctor.
Cambyſes de quo hîc Herodotus.
Cyrus de quo hîc Herodotus.

Cambyſes	Theiſpeus
Cyrus, de quo Herodotus lib. 1. ſectione 111.	Ariamnes
	Arſames
Cambyſes Mandanes vir	Hyſtaſpes
Cyrus monarcha	
Cambyſes monarcha.	Darius monarcha.

Ibid.

Ibid.

Τὺς δὲ καὶ Πέλοψ ὁ Φρὺξ ἐὼν ἡμῶν πατέρων δοῦλος καταστρέψατο.	*Hos autem Pelops Phryx nostrorum majorum servus subegit.*

Vaniloquus proculdubio hoc loco Xerxes, si ita loquutus est. Nam Pelopis tempore, Phrygia sub Medorum imperio non erat, nec unquam antea fuerat.

Pag. 396. cap. 30.

Ἀπίκετο ἐς Κύδρα πόλιν.	*Venit ad oppidum Cydra.*

Stephanus legebat suo tempore Κύδραρα.

Pag. 398. cap. 37.

Λέγοντες ἥλιον εἶναι Ἑλλήνων προδέκτορα, σελήνην δὲ σφέων.	*Quod dicerent, solem Græcorum, lunam ipsorum esse præsidem.*

Valla interpretatus est vocem προδέκτορα *præsidem*, & eum sequutus est Henricus Stephanus in suo thesauro. Ea vox alibi non occurrit, ideo ejus significatus ex antecedentibus & sequentibus divinandus. Ego igitur aliud significare eam vocem debere non solum suspicor, sed contendo. Προδέκτωρ Ionicè dicitur, quod προδείκτωρ in communi dialecto: ut dixit Herodotus in principio sui operis ἀπόδεξις pro ἀπόδειξις, & fit à προδείκνύω, id est, *præmonstro, præsignifico*, quo verbo usus est paulo ante Herodotus sic: οἱ δὲ ἔφασαν ὡς Ἕλλησι προδείκνύει ὁ θεὸς ἔκλειψιν τῶν πολίων, λέγοντες ἥλιον εἶναι τῶν Ἑλλήνων προδέκτορα. vides Lector, Herodotum manifesto ex verbo προδείκνύω formasse verbale προδέκτορα: ergo προδέκτωρ non *præses* sed *præmonstrator*, futurorum præsignificator (ut ita dicam.) Quare autem solem apud Græcos id officium habuisse perhibebant Persæ? Scilicet ob oracula, quæ Delphis, Delo, Claro, & aliis Græciæ urbibus & locis celebria sub Apollinis nomine (qui Sol est) pandebantur. Persis vero Lunæ fuisse oracula magis ex hoc loco astruitur quam aliunde probatur.

Pag.

Pag. 405. cap. 58.

Πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολάς. | *Ad auroram & solis exortum.*

Θερινὰς scilicet, id est, æstivas, aliter non constaret veritas hujus loci.

Pag. 406. cap. 61.

Καὶ ἄρχοντα παρείχοντο Ὀτάνεα τὸν Ἀμήστριος πατέρα τῆς Ξέρξεω γυναικός.

Et ducem habebant Otanem patrem Amestris, quæ uxor erat Xerxis.

Josephus Scaliger inter cætera argumenta, quibus probare conatur Xerxem fuisse Assuerum Scripturæ, & illud addit, nomen uxoris convenire. Ἄμηστριν enim nihil aliud esse quam Esther. Sed Esther dicitur orba patre & matre. Esther cap. 2. at hic Otanes est pater Amestridis. Sed responderi potest Otanem fuisse ipsum Mardochæum, qui pater Esther putabatur, & eam in filiam adoptaverat. Sed & ad impia Amestridis sacrificia quæ narrantur infra pag. 419. & ad crudelitatem, de qua etiam infra mentio fit pag. 554. responderi potest, Herodotum dicere πυνθάνεσθαι *se audivisse:* non igitur ei fides integra adhibenda, qui rumorem ejus rei se tantum audivisse testatur. Injustas ejusmodi calumnias sæpe patiuntur reges, & reginæ, præcipuè exteræ & nationis invisæ, ut erant Judæi. Si tamen Otanes fuit Mardochæus, mirum est nihil dici in libro Esther de hac tam celebri ejus præfectura militari.

Pag. 408. cap. 69.


Αἰθίοπες δὲ παρδαλέας τε καὶ λεοντέας ἐναμμένοι, τόξα δὲ εἶχον ἐκ φοίνικος σπάθης πεποιημένα μακρὰ τετραπηχέων οὐκ ἐλάσσω, ἐπὶ δὲ καλαμίνους οἰστοὺς μακρούς.

Æthiopes pardorum pellibus leonumque amicti, arcus è palmarum spathis factos gerebant, quatuor non minus cubitis longos: & item prælongas ex arundine sagittas.

Id est, *Æthiopes pardorum & leonum pellibus amiciuntur, arcus vero habebant ex palma ramo compactos quatuor cubitis non minores, sagittas item ex arundine longas.* ut mutetur hæc lectio, & pro μακροὺς reponatur

μικρούς,

μικροὺς, objiciuntur duo loci, unus Agatharchidis, alter Heliodori, & quidem non ſine rationis colore, & magno ſe judice tuetur ea ſententia. Sunt tamen, qui nihil mutandum cenſent, & lectionem editam tuentur, in quam conſentiunt & libri editi & codices omnes, & ajunt ſagittandi rationem omnino repugnare mutationi, & non concedere, ut μικροὺς reponatur. quicunque enim arcum & ſagittas tractavit (ajunt) ſcit non convenire cum arcu magno brevem ſagittam. Nam arcus magnus, dum inflectitur, ut ſagittam emittat, ſpatium majus facit inter arcus medium & angulum, quem facit nervus violenter attractus, arcum vero minorem & minus id ſpacium facere: unde ſequitur ſagittam quæ majus ſpatium excedere debet, majorem eſſe debere, quod per ſequentem figuram repræſentare conantur.



Et arcui quidem minimo poteſt apponi ſagitta longior, at arcui prægrandi minor ſagitta non convenit; incurvationis enim ſpatio non ſufficeret: res ipſa igitur (ut ajunt) non patitur, ut reponatur μικροὺς, tum ipſa dictio non foret ſatis propria, μακρὸς enim & μικρὸς, propriè non opponuntur. Sed μακρὸς & βραχὺς, ut μέγας & μικρός. Sic etiam in latina lingua *longus* & *brevis*, *magnus* & *parvus* opponuntur. Dixiſſet igitur Herodotus, ſi eam ſententiam in animo habuiſſet, οἰςοὺς βραχέας in ſuo Ioniſmo, non μικροὺς, res enim quæ in ſua longitudine comparantur, ut ſagittæ, dicuntur μακραὶ & βραχεῖς, raro vero μεγάλαι & μικραί. Et ut vitent auctoritatum vim, quæ ex Agatharchide & Heliodoro afferuntur, dicunt Heliodori locum nihil ad rem facere: non enim de Æthiopibus in genere eum loqui, ſed de Cinnamomiferæ regionis tantum habitatoribus, quibus arcus illos prægrandes non tribuit Herodotus, quod notandum eſt. Nihil igitur vetat, quin Æthiopes cæteri, qui ſagittas arundineas habebant, non poſſint intelligi longis ſagittis uſos fuiſſe; cinnamomiferæ vero regionis

gionis incolas breviores ſagittas habuiſſe ex draconum oſſibus factas, quibus arcus grandes non tribuit Herodotus. Sed locus Agatharchidis preſſius agit, qui ſic habet: [a] Χρῶνται δὲ ἐπὶ τῶν κινδύνων τῶν πολεμικῶν Αἰθίοπες, τοῖς μὲν τόξοις μεγάλοις, βραχέσι δὲ τοῖς οἰστοῖς, ἐπὶ δὲ τῆς ἄκρας τοῦ καλάμου κερκίδος, ἀντὶ τοῦ σιδήρου παραμήκης τῷ τύπῳ λίθος ἀνεστήρικται, &c. ad hunc locum, qui certe profligare eorum ſententiam videtur, ſic reſpondent: extare eum locum apud Photium inſertum cum multis aliis inter excerpta ex Agatharchide, ſed nullum aſſerere poſſe ea verba eſſe Agatharchidis: nam quæ præcedunt, & ſic incipiunt pag. 722. editionis Hœſchelianæ, Αὐστηρὸς ὁ λόγος, manifeſte deprehenduntur eſſe ex alio quodam auctore, & ideo Henricum Stephanum, qui Agatharchidis fragmenta una cum Cteſia & Memnone publicavit, ea abjudicaſſe ab Agatharchidis textu, & ea ſuppreſſiſſe, & talia ἀποπήματα & falſas inſertiones ſæpius apud Photium inveniri contendunt. Sed (ajunt) demus ea verba eſſe Agatharchidis, quid inde? num Herodoti textum auctoris, qui integer ad nos uſque pervenit, & quidem non multis maculis inquinatus, ex Agatharchide corrigendum eſſe cenſebimus, cujus acciſas reliquias, & lacera fragmenta tantum habemus. Imo potius Agatharchidis locum ex Herodoto corrigendum putamus, & pro βραχέσι legendum παραμήκεσι & hoc ultimum cum ſagittandi ratione omnino conveniet. Sed non eſt opus (dicunt) ea correctione: nam ſi attente ille locus legatur, non facit contra Herodotum: nam Agatharchides (ſi tamen ejus ſunt illa verba) ſagittam in duas partes dividit, οἰστὸν nempe & λίθον, οἰστὸν arundinem nempe brevem eſſe dicit, λίθον vero παραμήκη longum. eſt igitur ejus loci ſententia arundinem quidem eſſe brevem (comparatione ad alias ſagittas) ſed lapidem ei aptatam, quæ cuſpidem facit eſſe longam: ergo tota ſagittæ machina longa erat, quando pars ejus longa erat. Herodotum vero (ajunt) non ita minutim ſagittam deſcripſiſſe, ſed in totum eas ſagittas arundineas longas eſſe dixiſſe, ut erant una cum cuſpidis lapidei additamento. Hæ ſunt ſuper hoc Herodoti loco diverſæ ſententiæ, de quibus tu lector judicabis: ego certe nihil mutandum eſſe puto.

[a] *Vtuntur autem in periculis belli Æthiopes, arcubus magnis, brevibus vero ſagittis, quarum in calami extremo ferri loco lapis figura longus adaptatur.*

Pag. 410. cap. 78.

Ἀρταΰκτης ὁ Χεράσμιος. | *Artayctes Cheraſmis filius.*

Legit Valla Χοράσμιος, & interpretatur *Choraſmis filius*. Sed ſi

legendum

legendum est Χοϱάσμιος, nomen est patriæ, non patris. Nam Χοϱάσμιοι gens fuit in Persarum imperio. Strabo lib. 11. Plinius lib. 6. cap. 16. Ptolemæus lib. 6. cap. 12. durat nomen apud Orientales, & memoratur geographo Nubiensi pluries in octava parte climatis quarti.

Pag. 412. cap. 89.

Οὗτοι δὲ οἱ Φοίνικες τὸ πάλαιον οἴκεον (ὡς αὐτοὶ λέγουσιν) ἐπὶ τῇ Ἐρύθρῃ θαλάσσῃ: ἐντεῦθεν δὲ ὑπερβάντες τῆς Συρίης οἰκέουσι τὸ παρὰ θάλασσαν.	*Hi Phœnices (ut ipsi memorant) quondam mare rubrum accolebant: illinc transgressi, maritima Syriæ habitabant.*

Concordant sacræ paginæ, quæ docent Philistinorum regionem olim occupatam à progenie Caphtor pulsis Heniis, Deuter. cap. 2. fuit autem Caphtor ex progenie Metzraïm, cui cessit Ægyptus & maris rubri confinia: de eodem Caphtor & ejus progenie Hieremias loquitur cap. 47. sed in Græco septuaginta virorum vox *Caphtor* non invenitur & pro ea in capite 2. Deuteronomii habent *Cappadoces*. Constantinus vero Porphyrogeneta in themate Armeniaco, Cappadocas non à Caphtor, sed à Mosoch deducit. Sed super his omnino videndus est doctissimus Bochartus in suo Phaleg, lib. 4. cap. 32. ubi aliter arbitratur, sed de hoc Herodoti loco tacet.

Pag. 413. cap. 98.

Καὶ Ἀϱίδιος Νέϱβαλος.	*Et Aridius Nerbalus.*

Non correxit Valla. erat tamen in proclivi emendare & legere Ἀϱάδιος. *Aradius Nerbalus*, id est, ex Arado. Tyrus, Sidon, Aradus, urbes celebres in eo littoris tractu.

Pag. 417. cap. 107.

Βόγην μοῦνον τὸν ἐξ Ἠϊόνος.	*Vnum Bogen ex Eione.*

Nomen hujus viri diverse exprimitur apud auctores. Plutarchus in Cymone Βούτην vocat. Pausanias Βόη. Polyænus Βόϱγην.

Pag. 418. cap. 112.

Τῶν καὶ Νιφάγρης ἐστὶ οὔνομα.	*Quorum uni nomen est Niphagra.*

Nulla urbs ejus nominis invenitur in hoc tractu apud Geographos. Sed Φάγρης dicitur Thucydidi lib. 3. ideo mendum emendo & lego τῶν καὶ ἐνὶ Φάγρης. Ita censueram, sed incidi postea in Ortelii lexicon geographicum, ubi didici Leopardum olim sic emendasse: optimè, ut solebat.

Pag. 421. cap. 123.

Ἐπὶ Καναστραίην ἄκρην, τὸ δὴ πάσης τῆς Παλλήνης ἀνέχει μάλιστα.	*Usque ad promontorium Canastraeum totam fere Pallenen praetervectus est.*

Lege ἄκρον, aliter soloecisaret oratio & articulus τὸ non quadraret. Hæc sic vertit Valla: *Ad promontorium Canastraum totam fere Pallenen praetervectus est.* Male & contra auctoris sententiam. Verte: *ad Canastraeum promontorium quod est totius Pallenes praecipuè prominens.* vel, *quod in tota Pallene praecipuè protenditur.*

Ibid.

Καὶ Σίνδον τε πόλιν.	*Et urbem Sindum.*

Stephanus legebat Σίνθον: uter melius, dubium; non enim invenitur id urbis nomen apud alios.

Pag. 450. cap. 200.

Καὶ χῶρος περὶ αὐτὴν εὐρὺς, ἐν τῷ Δήμητρός τε ἱερὸν Ἀμφικτυονίδος.	*Et locus ei spatiosus est circumjectus, ubi templum Cereris Amphictyonidis.*

Ex hoc loco patet, tempore Herodoti circa illud templum, ubi erant Amphictyonum sedes, nihil aliud fuisse præter χῶρον εὐρὺν, id est, *locum amplum*, sed tempore Plutarchi Pylæa urbs ibi sita erat, & nomen, quod fuit consessus Amphictyonum, factum est nomen urbis, de qua apud Plutarchum fit mentio in tractatu περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα in fine.

Pag.

Pag. 454. cap. 213.

Ἀμφικτυόνων ἐς τὴν Πυλαίαν συλλεγομένων.	*Amphictyones apud Pylæam congregati.*

Vertit Valla: *Amphictyones apud Pylæam congregati.* Tamquam si Pylæa tunc temporis fuisset urbs aut pagus: at ex loco Herodoti supra proxime annotato, patet eo tempore nullam fuisse in illo loco urbem aut pagum præter unicum templum. Πύλαια igitur Herodoto non nomen loci, sed consessus, qui tempore stato fiebat, licet postea tempore Plutarchi locus ille erat ædificatus in urbis speciem. Verte igitur: *Amphictyones ad consessum qui Pylæa dicebatur congregati sunt.* Hæc scripseram, cum in Hesychium incidi, qui prorsus firmat meam sententiam. Sic enim habet: [1] Πυλαγόραι οἱ προεστῶτες τῆς Πυλαίας. Πύλαια δὲ ἐστὶ ἡ εἰς Πύλας τὰς Θερμοπύλας γινομένη σύνοδος τῶν Ἀμφικτυόνων.

[1] *Pylagoræ qui Pilæa præsunt. est autem Pylæa Amphictyonum congregatio, quæ fit in Pylis, vel Thermopylis.*

Pag. 447. cap. 190.

Ἀλλ' ὁ μὲν τ' ἄλλα οὐκ εὐτυχέων, χρήμασι μέγα πλούσιος ἐγένετο, ἦν γάρ τις καὶ τοῦτῳ ἄχαρις συμφορὴ λυπεῦσα παιδοκτόνος.	*Et quum alioqui non esset fortunatus, è rebus repertitiis mirifice est ditatus. nam fuit ei utilitas quædam ingrata & doloris causa, quod erat filiis orbatus.*



Ex hoc loco male intellecto, ansam arripuit Plutarchus, ut Herodotum insectaretur, & malignitatis accusaret. Sed profecto licet in Plutarchum validius retorquere id malignitatis telum, quod tantis viribus contra Herodotum torsit. Nam Herodoto tribuit sententiam, quæ ex ejus verbis nequaquam elici potest. Improperat Herodoto Plutarchus, cum malignè affectasse occasionem loquendi de Aminoclis crimine, & sine necessitate dixisse Aminoclem fuisse propriorum liberorum occisorem. [2] Χώραν καὶ τόπον ποιῶν ἐν ᾧ θήσεται τὴν Ἀμεινοκλέους παιδοφονίαν, &, ut Herodoto imponeret, τὸ παιδοκτόνος refert ad Aminoclem repugnante Syntaxeos ordine; & sic videtur legisse, χρήμασι μέγα πλούσιος ἐγένετο παιδοκτόνος, includens nempe parenthesi, quæ interponuntur inter ἐγένετο & παιδοκτόνος.

[2] *Locum disponens in quo poneret Aminoclis liberorum parricidium.*

Dii boni ! quam longè ab Herodoti mente, quæ palam alia eſt : nam & adjectivum ἄχαρις, & participium λυπεῦσα non patiuntur ea verba ſic accipi, & τὸ πημδοκλόν@ manifeſte referri debet ad συμφορῇ, quæ vox proxime præcedit. Sic igitur interpretanda ſunt Herodoti verba de Aminocle. *Et cum alioqui non eſſet fortunatus, è rebus repertis multum ditatus eſt, acciderat enim illi ingrata quadam & doloris plena calamitas, quæ liberos ejus occiderat.* Plana eſt & evidens Herodoti ſententia, quam etiam expreſſerunt interpretes. At Plutarchus apud æquos judices vix effugiet κακοηθείας δίκην, quam Herodoto intulit; maligne enim videtur detorſiſſe verba Herodoti ad ſiniſtram & detortam violenter interpretationem.

Pag. 458. cap. 224.

Ἀβροκόμης καὶ Ὑπεράνθης.	*Abrocomes & Hyperanthes.*

Hæc nomina Darii filiorum Græca ſunt, & non redolent Perſicum. nihil mirum: non enim fuit Græcorum, nomina Barbara ita detorquere, & mutare, ut Græcum ſonarent. Hinc diverſitas emerſit, quæ notatur in hiſtoriis Perſarum ex Arabico nuper tranſlatis inter nomina antiquorum regum Perſarum ab iis prolata, & nomina, quæ à Græcis accepimus.

Ad Lib. 8. pag. 478. cap. 47.

Τῆς ἦρχε ἀνὴρ τρὶς Πυθιονίκης Φαΰλλος.	*Cui præerat vir ter Pythionices Phayllus.*

Conſentit cum Herodoto Pauſanias in Phocicis, & videtur omnia, quæ de famigerato illo narrat, ex hoc loco accepiſſe. Sed Scholiaſtes Ariſtophanis ad Acharnenſes, accenſet etiam eum Olympionicis, & ait eum fuiſſe optimum curſorem, & Olympionicem ὁπλιτόδρομον, & quinquertionem etiam, quæ, ſi vera ſunt, mirum eſt Herodotum de iis tacuiſſe.

Pag. 496. cap. 106.

Ἐπεὰν τοῖς Ἀμφικτύοσι πᾶσι τοῖσι ἀμφὶ ταύτης οἰκέουσι τῆς πόλιος.	*Ut quoties Amphictyonenſibus qui circa eam urbem habitant.*

Nihil mutavit Valla & *Amphictyonenſibus* vertit. Sic Amphictyonas

nas à Pylæa ſua in mediam Cariam ſine navi transfretavit. Tu vero lector benigne, meo periculo lege, ἀμφικτίοσι, ſine majuſcula, & verte, *circum eam urbem habitantibus.* ἀμφικτίονας ſic interpretatur Thucydidis Scholiaſtes.

Pag. 506. cap. 131.

Οὗτοι πάντες πλὴν τῶν δυῶν τῶν μετὰ Λευτυχίδεα πρώτων καταλεχθέντων, οἱ ἄλλοι βασιλῆες ἐγένοντο Σπάρτης.	*Hi omnes, præter duos qui primi poſt Leutychidem commemorati ſunt, reges Spartæ fuerunt.*

Non videtur concordare Herodotus cum cæteris auctoribus, ſi hic locus eſt ſanus, quod non puto; forte ita ſcripſerat πλὴν τῶν δ΄ ὑστάτων, καὶ τῶν μετὰ Λεοτυχίδεα ἑπτὰ λεχθέντων· *exceptis quatuor ultimis, & iis ſeptem, qui poſt Leotychidem recenſiti ſunt.* ſic foret ſententia cum aliis ſcriptoribus conſona. Nam non numeravit Herculem generis auctorem, quem omnes ſciunt non fuiſſe Spartæ regem. Igitur quatuor ultimi, Ariſtodemus, Ariſtomachus, Cleodæus, Hyllus, non fuerunt reges Spartæ: rurſus ſeptem primi poſt Leotychidem memorati Menares, Ageſilaus, Hippocratides, Leotychides, Anaxilas, Archidamus, Anaxandrides, non fuerunt etiam reges Spartæ, alii vero omnes. Sic omnino credo legendum. quippe vulgata lectio eſt vitioſa manifeſto. nam quis unquam dixit Hyllum & Cleodæum, & Ariſtomachum fuiſſe Spartæ reges? Sed melius ſic & minima mutatione πλὴν τῶν δ΄ ὑστάτων καὶ τῶν ζ΄ μετὰ Λεοτυχίδεα πρώτων καταλεχθέντων.

Pag. 508. cap. 135.

Τὸν Εὐρωπέα Μῦν.	*Murem Europeum.*

Intellige dictum ab Europo Idriade dicta Cariæ civitate, de qua Stephanus.

Ad Lib. 9. pag. 518. cap. 15.

Ἀτταγῖνος.	*Attaginus.*

Pauſanias in Achaïcis habet Ἀτταγῖνος.

Pag.

Pag. 522. cap. 26.

Ἔχεμος ὁ Ἠερόπου τοῦ Φηγέος.	*Echemus Aeropi filius, Phegei nepos.*

Lege, τοῦ Κηφέος, cum Pauſania, Apollodoro & aliis.

Pag. 526.

Παρ' ἓν πάλαισμα ἔδραμε νικᾶν Ὀλυμπιάδα.	*In uno, dum currit Olympia.*

Phraſis inſueta, & ſenſus obſcurus. Ad hunc locum tamen Intelligendum (qui forte non eſt ſanus) facit apprimè Pauſanias, qui hunc locum veluti commentatur. Sic enim ille in Laconicis de eodem Tiſameno: [1] οὕτω πένταθλον Ὀλυμπιᾶσιν ἀσκήσας, ἀπῆλθεν ἡττηθείς, καίτοι τὰ δύο γε ὢν πρῶτος, καὶ γὰρ δρόμῳ τε ἐκράτει καὶ πηδήματι Ἱερώνυμον τὸν Ἄνδριον, καταπαλαισθεὶς δὲ ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἁμαρτὼν τῆς νίκης, &c. Quinquertiones, qui græcè πένταθλοι ad quinque certamina exercebantur, ſcilicet curſum, ſaltum, diſcum, jaculum & luctam. Sic, ſed alio ordine, Sophoclis Scholiaſtes ad Electram, ἅλμα, δίσκον, ἄκοντα, δρόμον, πάλην. paululum mutavit ordinem Simonides in epigrammate de Diophonte quinquertione, extat in anthologia lib. 1.

> [2] Ἴσθμια, καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
> Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Et hic ordo melius convenire videtur, certe ex hoc Herodoti loco, & ex Pauſaniæ loco citato, luctam ultimam fuiſſe in ordine patet, quando litem diremit, & coronam adjudicavit Hieronymo. Nam Tiſamenes vicerat curſu & ſaltu, ut ait Pauſanias; diſco autem & jaculo Hieronymus, ut neceſſario colligitur: reſtabat luctæ certamen, quod litem dirimere & victoriam adjudicare debebat: vicit Hieronymus lucta, & ideo coronatus eſt. Sic ille victor declarabatur, qui de quinque certaminibus tria vicerat, ut ex his locis colligitur.

[1] *Sic cum quinquertium Olympiæ exerceret, victus abiit: in duobus tamen primus erat: nam & curſu & ſaltu Hieronymum Andrium ſuperaverat. Sed in lucta ab eo victus &c.*

[2] *In Iſthmiis & Pythiis Diophon vicit. Saltu, pernicitate pedum, diſco, jaculo, lucta.*

Pag. 527. cap. 34.

Ἐπὶ δὲ Μεσσηνίων ὁ πρὸς τῷ Ἰσθμῷ.	*Quod cum Meſſeniis ad Iſthmum.*

Licet hæc lectio videatur firmari ex Pauſania in Laconicis, non

poſſunt

possum tamen mihi persuadere aliud, nisi ex hoc loco corrupto corruptum etiam fuisse Pausaniæ locum: nam ut puto Pausanias ex hoc loco Herodoti acceperat, quæ scripsit de eo negotio. Locus Pausaniæ sic habet de eodem Tisameno, postquam tres primas pugnas recensuit, ubi affuisse dicebatur Tisamenus. Sic ait: πέμπτον δὲ ἠγωνίσατο πρὸς τοὺς ἐξ Ἰσθμοῦ Ἰθώμην ἀποστήσαντας, ἀπὸ τῶν Εἱλώτων, ἀπέστησαν δὲ οὐχ ἅπαντες οἱ Εἵλωτες, ἀλλὰ τῶν Μεσσηνιακῶν ἀπὸ τῶν ἀρχαίων Εἱλώτων ἀποσχισθέντες, καί μοι καὶ τάδε ὁ λόγος αὐτίκα ἐπέξεισι, τότε δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς ἀποστάντας ἀπελθεῖν ὑποσπόνδους εἴασαν, Τισαμενῷ, καὶ τῷ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίῳ πειθόμενοι. *Quartum pugnavit contra Helotas, qui ex Isthmo Ithomen per rebellionem occupaverant: non autem defecerant omnes Helotæ, sed Messeniacorum illi qui se ab antiquis Helotis separaverant, & hæc postea rursus narratio mea explanabit. Tunc autem Lacedæmonii rebelles Helotas, fœdere facto illæsos dimiserunt, Tisameno, & oraculo Delphico fidem adhibentes.* Eam igitur Helotarum Messeniorum defectionem & Ithomæ occupationem & ejus obsidionem & fœdus inter Lacedæmonios & Messenios obsessos inferius narrat Pausanias in Messeniacis, ubi de Isthmo vel pugna ad Isthmum ne verbum quidem: Isthmus quippe longissime ab Ithome distat, ubi illud negotium transactum fuit. Narrat Thucydides lib. 1. hanc historiam & satis prolixe eam exequitur, nec de Isthmo meminit. Narrat Diodorus hanc Helotarum rebellionem lib. 11. ubi de Isthmo nihil. Etiam Plutarchus in Cimone obiter tangit hanc historiam, & in aliis locis, ubi de Isthmo οὐδὲ γρύ. &, ut uno verbo dicam, nullus alius de hac ad Isthmum pugna mentionem fecit. Ideo confidenter assero, legendum apud Herodotum hoc loco pro τῷ Ἰσθμῷ, τῇ Ἰθώμῃ. & sic scripsisse Herodotum credo, & ex vitio lectionis hujus loci propagatum vitium in Pausaniæ codices, qui proculdubio scripserat ἐξ Αἰθαιοῦ Ἰθώμην. Nam inter rebellantes, qui Ithomen occupavere, Αἰθαιεῖς memorat Thucydides; at corruptores non correctores videntes apud Herodotum de Isthmo factam mentionem, & ignorantes, quid esset Αἰθαιοῦ, eam vocem in Ἰσθμοῦ mutaverunt.

Pag. 533. cap. 52.

Λοχηγετέων τοῦ Πιτανητέων λόχου. | *Tribunus cohortis Pitaneorum.*

Numquam fuisse in Lacedæmoniorum exercitu talem Pitanaten cohortem affirmat confidenter Thucydides, & Herodoto non nominato narrationem hanc falsi arguit, eum vide lib. 1.


Pag. 547. cap. 92.

Πρόφαντα δέ σφι ἐν τῇ Δωδώνῃ καὶ ἐν Δελφοῖσιν ἐγίνετο.	*Erant autem illis pecora & in Dodona & in Delphis.*

Hæc ſic vertit Valla: *erant autem illis pecora & in Dodona & in Delphis*, miſere hallucinatus. Vertendum erat: *hac autem illis prædicta fuerant oraculo, & Dodona, & Delphis.* quis unquam præter illum putavit πρόφαντα ſignificare pecora? Legebat proculdubio πρόβατα, ſed malè.



JACOBI



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD THUCYDIDEM.

Editionis Henrici Stephani. 1588.

Ad Lib. 1. pag. 1.

Θουκυδίδης Ἀθηναῖος. | *Thucydides Atheniensis.*



E pago, vel demo Halimusio, ut docet Plutarchus in Cimone.

Pag. 6.

Τοῖς Τυνδάρεω ὅρκοις καταληλημμένους. | *Iurejurando Tyndarei adactos.*

Facit ad hunc locum illustrandum Sophoclis Scholiastes ad hæc verba Teucri in Ajace Mastigophoro.

[1] Οὐ γὰρ ἡ τῆς σῆς οὕνεκ' ἐστρατεύσατο
Γυναικός, ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ,
Ἀλλ' οὕνεχ' ὅρκων οἷσιν ἦν ἐπώμοτος,
Σοῦ δ' οὐδέν.

[1] *Non enim uxoris tua causa militavit, ut qui multum laborant, sed Iuramenti causa quo erat adstrictus, tui vero causa nihil.*

Ad quæ ſic antiquus Scholiaſt. [1] Τῶν γὰρ ἀριστέων συνελθόντων, ἐπὶ τὴν τῆς Ἑλένης μνηστείαν, ὁ Τυνδάρεως πάντας ὅρκους ἀπῄτησεν συναγωνίσεσθαι τῷ γαμοῦντι αὐτήν, καὶ στρατεύειν, εἰ τις ἁρπαγὴ γένοιτο περὶ τὴν Ἑλένην τῷ γήμαντι. Sic apud antiquos jusjurandum erat ſanctum & inviolabile.

[1] *Proceres enim omnes, qui ad Helenæ procationem convenerant, Tyndareus adjuravit, ut adjuvarent eum, qui eam ducturus erat, & cum eo militarent, ſi quis Helenæ raptus ei acciderit.*

Pag. 10.

Καὶ ἐμπόριον παρέχοντες ἀμφότεροι.	*Et utrobique emporium præbentes.*

Legendum ἀμφοτέροις, ut ſit ſenſus: emporium, id eſt, mercatum præbentes utriſque Græcis, tam iis qui ab Ægeo, quam qui ab Ionio veniebant Cenchreas & Lechæum.

Pag. 14.

Ὥσπερ τούς τε Λακεδαιμονίων βασιλέας, &c.	*Veluti Lacedæmoniorum reges, &c.*

Herodotum oblique inſectatur nomine ſuppreſſo ſuo more: nam Herodotus lib. 6. de Lacedæmoniorum regum duobus calculis loquitur, & lib. 9. de cohorte Pitanate.

Pag. 17.

Ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τὸν Ἰόνιον κόλπον.	*Epidamnus eſt urbs ad dextram ſita navigantibus Ionium ſinum verſus.*

Hic locus aliquando me torſit, non bene intelligentem differentiam inter Ἰόνιον πέλαγος & Ἰόνιον κόλπον, licet aliquando unum pro altero ponatur. Intelligit igitur Thucydides per Ἰόνιον κόλπον, id mare, quod aliis Adriaticum dicitur, quod etiam ſæpe Ionium appellatur & eſt pars Ionii magni. Ideo plures Ionium nomen ultra Acroceraunia verſus Dalmatiam extendunt, licet alii Acroceraunia fecerint terminum Ionii maris & principium Adriatici. Sic Theophraſtus Apolloniam vocat τὴν περὶ τὸ Ἰόνιον, *quæ eſt ad Ionium.* lib. 8. de hiſt. plant. cap. 10. quod repetit lib. de Cauſis plant. 3. cap. 2. Sic & Conon apud Photium de eadem urbe, [2] ὁ ποταμὸς Ἀῶος διὰ μέσης αὐτῆς ῥέων καὶ οὕτως ἐκβάλλει εἰς τὸ Ἰόνιον πέλαγος. Sic Appianus civilium 5. de diviſione imperii inter Octavium & Antonium.

[2] *Et fluvius Aous per mediam eam fluens exit in Ionium mare.*

Ὅρον

[1] Ὅρον μὲν εἶναι σφισὶ Σκόδραν πόλιν τῆς Ἰλλυρίδος ἐν μέσῳ τοῦ Ἰονίου μυχοῦ, μάλιστα δοκοῦσαν εἶναι. Sic & Dio lib. 40. de Octavio, qui bellum in Dalmatia gesserat (de quo Cæsar civil. 3.) [2] ὡς γάρ ποτε τὸν Ἰόνιον περιέπλευσε, καὶ τὸν Ἀντώνιον τὸν Γάιον συνέλαβεν, ἄλλων μὲν τινῶν χωρίων ἐκράτησε, τὴν δὲ δὴ Σάλωνα...... οὐχ εἷλε. Dalmatiam manifeste ad Ionium ponit. Ergo, ut Appianus vocavit Adriaticum mare *Ionium recessum*, sic Thucydides de eodem Adriatico dixit *Ionium sinum*: nam κόλπος *sinus* maris proprie est pars, quæ in terras se insinuat. At *Ionium magnum* (quod vocat Virgil. lib. 3.) multum extendebatur inter Peloponnesum & Italiam, & plures comprehendebat sinus, ut Corinthiacum, Adriaticum. Ionium vero anguste sumptum Acroceraunioru m montium promuntorio finiebatur.

[1] *Terminum iis esse Scodram Illyridis urbem in medio Ionii recessus sitam.*
[2] *Tunc enim aliquando Ionium adnavigavit, & C. Antonium cepit, & quorundam oppidorum dominus factus est. Salonem vero non cepit.*

Pag. 40.

Ἀπανίστανται ἐκ τῆς Μακεδονίας καὶ ἀφικόμενοι ἐς Βέῤῥοιαν.	*Solverunt ex Macedonia, quumque Berrhœam venissent.*

Ex hoc loco deprehenditur, Macedoniam olim angustis limitibus coarctatam fuisse, quando Berrhœa censebatur fuisse extra ejus limites. Fuit autem Berrhœa proprie Bottiæorum civitas.

Pag. 58.

Κρίνουσι γὰρ βοῇ καὶ οὐ ψήφῳ.	*Clamore enim non calculis dant suffragia.*

Ex totius hujus loci serie patet Lacedæmonem pura Aristocratia non usam fuisse, ut plures credunt: sed & Democraticum temperamentum in magnis negotiis usurpasse, quod & asserit Isocrates in Areopagitico.

Pag. 69.

Πρὸς Κορινθίους καὶ Ἐπιδαυρίους μάχη ἐγένετο καὶ ἐνίκων Κορίνθιοι.	*Cum Corinthiis & Epidauriis commissa pugna, à Corinthiis victi sunt.*

Pugnat Diodorus, qui victoriam adjudicat Atheniensibus lib. 11. Apud alterutrum est error, nisi victoria fuerit ambigua, & utrique ad

ad se victoriæ opinionem traxerint: certe apud Diodorum non videtur esse error nominis, cum in secunda pugna ad Cecryphaliam utatur voce πάλιν, id est, *rursus victores fuerunt Athenienses.* Trogus tamen cum Thucydide consentit, & Thucydides Atheniensis cum fuerit, plus fidei meretur.

Pag. 74.

Πορδυομένοις δὲ αὐτοῖς ἐν Κορωνείᾳ.	*Quum reverterentur, in Coronea.*

Pausanias habet ἐν Ἁλιαρτίᾳ, sed Haliartus & Coronia vicinæ erant urbes & in eodem tractu: melius tamen Pausanias: nam ἐν Κορωνειάτιδι melius dixisset Thucydides; non enim in ipsa urbe id prælium commissum est. Plutarchus melius etiam, qui habet in Pericle περὶ Κορώνειαν.

Ibidem.

Καὶ οἱ Φρουροὶ Ἀθηναίων διεφθαρμένοι εἰσὶν ὑπὸ Μεγαρέων.	*Et præsidia Atheniensium à Megarensibus esse cæsa.*

Et hujus victoriæ causa Apollinis λογχηφόρου, *lanceam ferentis,* imaginem posuerunt Delphis Pythio Apollini: narrat Plutarchus lib. de Oraculis Pythiæ.

Pag. 75.

Ἀποδόντες Νίσαιαν, καὶ Ἀχαΐαν, καὶ πηγὰς, καὶ Τροίζηνα.	*Redditis Nisæa, Achaia, Pagis, Træzene.*

Hæc rursus repetuntur infra pag. 266. & ex his locis habet proculdubio Aristides, quod ait in priore oratione de pace cum Lacedæmoniis, & in oratione pro quatuor-viris. Attamen quæ fuerit illa Achaïa, juxta cum ignarissimis ignoro. de urbe vel munito loco quodam proculdubio intelligit. nam de tota provincia, quæ Achaïa vocabatur, intelligere absurdum foret: nihilominus in tanto consensu horum quatuor locorum non audeo aliquid mutare, alioqui in proclivi foret legere Χαλκίδα, de qua supra Thucydides pag. 71. Perfrico frontem, & credo omnino Thucydidem sic scripsisse, & ex hoc loco male scripto, aliorum locorum errorem manasse. Χαλκίδα Corinthiorum recenset Eustathius ad Iliad. β. pag. 537. quod ex Thucydide

Thucydide habet pag. 71. supra citata. Ea Χαλκὶς Corinthiorum fuit proculdubio eadem, quæ in Ætolia ponitur prope Molycriam, opportuna Corinthiis per mare Corinthiacum navigantibus. Nullam aliam in Corinthiorum regione invenire est. Stephanus & Eustathius male ex una duas faciunt. Si quis mihi Corinthiorum Achaïam indigitabit, erit mihi magnus Apollo, & lubens herbam porrigam.

Pag. 82.

Κύλων ἦν Ἀθηναῖος ἀνὴρ Ὀλυμπιονίκης.	*Cylon Atheniensis fuit, qui Olympia vicisset.*

Retulit enim Diauli coronam Olympiade 35. si fides est Olympionicarum recensioni. Sed mirum est quod in eadem recensione ponitur Olympiade 45. eundem Cylonem acropolin Athenarum occupavisse. Non est tamen impossibile: nam cursus victoria juveni maxime convenit. At acropolis occupatio, licet non videatur convenire homini sexagenario, ut nec nuptiæ cum Megaclis filia, non est tamen ἀσύστατον.

Ad Lib. 2. pag. 111.

Καὶ ξυνοίκια ἐξ ἐκείνου Ἀθηναῖοι ἔτι καὶ νῦν τῇ θεῷ ἑορτὴν δημοτελῆ ποιοῦσι.	*Cujus congregationis Athenienses etiam nunc diem solennem in Dea honorem publice agunt.*

Plutarchus in Theseo id festum non ξυνοίκια sed μετοίκια vocat. alterutrum erroris accusare piaculum foret, & utriusque appellationis ratio est evidens. nam & mutabant sedes Atticæ habitatores & una congregabantur. ergo mutatum forte fuit ejus festi nomen & quod tempore Thucydidis ξυνοίκια dicebatur, tempore Plutarchi μετοίκια dictum est.

Ibidem.

Πρὸς νότον μάλιστα τετραμμένον.	*Aquilonem maxime spectat.*

Valla legit πρὸς ἄρκτον, & forte melius. Nam quod ait infra de fonte ἐννεακρούνῳ collatum cum eo quod de eo fonte ait Herodotus, & de Pelasgis Hymettum habitantibus lib. 6. sectione 136. me inducunt

ducunt ut cum Valla legam πρὸς ἄρκτον. Scholiastes tamen legit νότον, ideo ἐπέχω.

Pag. 117.

Τὴν γῆν τὴν Πειραϊκὴν καλουμένην, ἣν νέμονται Ὠρώπιοι.	*Regionem nomine Tiraicen, quam colunt Oropii.*

Hartungus vult legi Γραίαν. Sed credo nihil mutandum esse : nam cum Oropus situs fuerit ad mare è regione Eubœæ, satis convenit quendam campum prope litus situm commodum ad transfretationem in Eubœam oppositam fuisse dictum Πειραϊκὸν πεδίον, vel γῆ Πειραϊκὴ, sic ὁ Πειραιεὺς portus Athenarum dictus est ἀπὸ τοῦ Πειρᾶν à transfretando.

Pag. 122.

Τιθέασιν οὖν εἰς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως.	*Conduntque in publico monumento, quod est in pulcherrimis urbis suburbiis.*

Nomen loci Κεραμικὸς Ceramicus, ut ex loco Aristophanis in Avibus elicitur, sic enim habet :

[1] Ο῾ Κεραμικὸς δέξεται νώ.
Δημοσίᾳ γὰρ ἵνα ταφῶμεν.
Φήσομεν πρὸς τοὺς στρατηγοὺς
Μαχομένω τοῖσι πολεμίοις
Ἀποθανεῖν ἐν Ὀρνεαῖς.

[1] *Ceramicus nos excipiet*
Nam ut publice efferamur
Dicemus ducibus
Nós duo pugnantes cum hostibus
Decessisse in Orneis.

Ex hoc loco patet eos, qui in bello pro patria occubuerant, in Ceramico terra condi solitos fuisse.

Pag. 152.

Ἐστρατήγει δὲ Ξενοφῶν ὁ Εὐριπίδου τρίτος αὐτός.	*Duce Xenophonte Euripidis filio cum aliis duobus ducibus.*

Alter ex his duobus ducibus, qui cum hoc Xenophonte copias ducebant, vocabatur Calliades, de quo Plutarchus in Nicia.

Ad Lib. 3. pag. 192.

Καὶ μέχρι μὲν Λάτμου τῆς νήσου ἐπεδίωξεν.	*Et persecutus usque ad Latmon insulam.*

Cum nullus alius auctor de hac Latmo insula fecerit mentionem, credo

credo legendum Πάτμος, quæ est insula celebris exilio Joannis Apostoli, Latmus vero est mons & urbs Cariæ in mediterraneo, non insula.

Pag. 208.

Ἐν ὅσῳ δὲ ἐκ τῆς Λακεδαίμονος πέντε ἄνδρες ἀφίκοντο.	*Usque dum ex Lacedæmone quinque judices advenerunt.*

Horum unus erat Aristomenidas, Agesilai regis avus maternus, ut ait Pausanias in Laconicis.

Pag. 232.

Ἀθηναῖοι εἴκοσι ναῦς ἔστειλαν ἐς Σικελίαν καὶ Λάχητα τὸν Μελανώπου στρατηγόν.	*Athenienses viginti naves in Siciliam dimiserunt & ducem Lachetem Melanopi filium.*

Mirum est Thucydidem, qui tam curiosè omnia recenset, tacuisse de expeditione, quæ hanc præcessit, quando Athenienses misere classem Lamponio duce in Siciliam in auxilium Catanæorum, quod narrat Trogus apud Justinum lib. 4.

Pag. 241.

Καὶ Μεσσαπίους. | *Et Messapios.*

Henricus Stephanus in suis ad Dionysium Periegeten commentariis suspicatur debere legi Μεταπίους. *Si* (inquit) *Stephanum nobis sequendum putemus.* At non debuit dubitare. Nam nihil est certius Μεταπίους debere legi ex Polybio: ita enim ille lib. 5, ubi de expeditione Ætolica Philippi loquitur: [1] ἀφικόμενος δὲ πρὸς πόλιν καλουμένην Μετάπαν, ἣ κεῖται μὲν ἐπ' αὐτῆς τῆς Τειχωνίδος λίμνης. & rursus eodem lib. [2] ὁ δὲ Φίλιππος ἐστρατοπεδευκὼς περὶ τὴν Μετάπαν ἐνταυθοῖ προσεδέχετο τοὺς ἀπὸ τῆς οὐραγίας, εἰς δὲ τὴν ὑστεραίαν κατασκάψας τὴν Μετάπαν. Hic igitur, si Stephanum addas, qui duobus locis cum Polybio concordat, & in voce Χαλαῖον hunc locum Polybii citat, non est locus dubitandi.

[1] *Progressus ad urbem nomine Metapam, quæ jacet ad ipsam Trichonidem paludem.*

[2] *Philippus autem cum castra posuisset prope Metapam, ibi expectavit ultimos ordines, & crastino die cum diruisset Metapam.*

Ibidem.

Καὶ Οἰανθέας. | *Et Oeanthenses.*

In nota superiori ex Polybio Thucydidem emendavimus, in hac

ex Thucydide Polybium, qui lib. 5. τῶν Ταυθέων facit mentionem, quos vastavit Philippus in transitu navigans Leucade Corinthum. Sed apud Polybium repono confidenter Οἰανθέων ex hoc loco, & ex Pausania in Phocicis, ex Plinio lib. 4. cap. 3. Mela lib. 2. cap. 3. Polyæno lib. 8. de Themist. Stephano & aliis. Corrigendus & in ea voce Scylax qui Εὐανθία habet pro Οἰανθεῖς.

Pag. 245.

Ἐπὶ τὴν Μητρόπολιν καλουμένην. | *Ante urbem, quæ vocatur.*

Hæc non sunt intelligenda de Metropoli urbe Ætoliæ seu Acarnaniæ, ut vult Stephanus, sed de quadam Holparum urbis parte, quæ ita vocabatur, ut ex sequentibus patet.

Ad Lib. 4. pag. 255.

Αἱ ὑπερενεχθεῖσαι τὸν Λευκαδίων Ἰσθμόν. | *Quæ transportatæ per Leucadium Isthmum.*

Quod hîc Thucydides vocat ὑπερενεχθῆναι, Strabo vocat ὑπερνεολκεῖν lib. 8. naves enim non remigio, sed machinis hunc Isthmum superabant, qui quidem pluries mutavit faciem, modo rescissus & apertus, ut compendium fieret circuitionis totius Leucadiorum peninsulæ, ut à Cypselo Corinthio; postea vero per alluviones redditus pristinæ formæ. vide Plin. lib. 4. cap. 1.

Ibidem.

Προσδεχόμενοι δὲ καὶ τὴν ἀπὸ Ζακύνθου τῶν Ἀττικῶν νεῶν βοήθειαν. | *Cum Atticarum navium è Zacyntho auxilia exspectarent.*

Hoc loco mirum est βοήθειαν poni pro ἔφοδον. nam βοήθεια est amicorum auxilium, & fortasse non invenitur alibi ea vox in hoc significatu, nisi apud Diodorum lib. 14. pag. 422. editionis Roberti Stephani, ubi de Carthaginensibus, qui Motyen habitabant, loquitur: ait, προσδεχόμενοι τὴν ἐκ Καρχηδονίων δύναμιν οὐ κατεπλήττοντο τὴν Διονυσίου βοήθειαν, ubi non potest aliter accipi βοήθεια, quam pro ἔφοδος aggressio.

Pag.

Pag. 260.

Ἐς πρώτην τὴν νῆσον. | *In primam insulam.*

Lege Πρώτην cum majuscula: hoc leve mendum induxit Vallam, ut verteret *in primam insulam*, malè: nam nomina propria debent exprimi, ut sonant in sua propria lingua, & Πρώτην esse proprium Insulæ nomen patet ex articulo τὴν: aliter dixisset Thucydides ἐς πρώτην νῆσον. Nam licet forte ea insula id nomen habuerit ex situs ordine, quando non habuit aliud proprium nomen, non ex significatu latine debet dici prima, sed ut sonat græcè *Prote*. manet etiam hodie ejus nominis vestigium: vocatur enim Prodene.

Pag. 263.

Καὶ οἱ πρέσβεις ἀπεστάλησαν. | *Ac legati missi sunt.*

Nomina eorum legatorum non exprimuntur à Thucydide: ex Aristophane tamen in Equitibus expiscatus sum præcipui & Coryphæi legatorum nomen. Is fuit Archeptolemus, quem Cleon ferentem pacis conditiones æquas infecto negotio dimisit, & eo nomine ab Aristophane exagitatur.

Pag. 303.

Ἐς τὸν Κάληκα ποταμόν. | *Ad Calecem fluvium.*

Hujus fluvii nomen apud auctores multum variat. Memnon & Arrianus Κάλλητος vocant. Diodorus Κάχητος. utri melius? difficile est ariolari. at si mei judicii debet esse aliquod pondus, malo Κάλλητος. Nam Memnon, qui sic eum vocat in rebus Bithyniæ, multum meretur fidei, utpote Heracleota, vicinus, & hodie etiam Chobit dicitur, ut ait Belonius.

Pag. 304.

Μελιτίαν. | *Melitiam.*

Lege Μελίτειαν ex aliorum auctorum consensu.

Pag. 315.

Ἱπποκράτης ὁ στρατηγός. | *Hippocrates dux.*

Cui etiam Hipponicus Calliæ filius adjunctus erat, ut patet ex Andocidis oratione contra Alcibiadem.

Pag. 323.

Καὶ Γάψηλος. | *Et Gapſelus.*

Lege Γάληψος ex auctorum conſenſu.

Pag. 341.

Καὶ ὁ νεὼς τῆς Ἥρας τοῦ αὐτοῦ θέρους ἐν Ἄργει κατεκαύθη. | *Templum quoque Iunonis eadem æſtate apud Argos deflagravit.*

Accipe τὸ ἐν Ἄργει non de urbe quæ Ἄργος dicebatur, ſed de regione circa urbem; non enim erat in ipſa urbe id templum, ſed & Ἄργος tota Peloponneſus ſæpe dicebatur, ut cuivis notum eſt.

Ad Lib. 5. pag. 360.

Ἔτη δὲ ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι. | *Anni belli extiterunt ſeptem & viginti.*

Non videtur concordare Xenophon; nam lib. 2. Hellenicon ait, viginti octo duraſſe annos, & viginti novem Ephoros nominat, & numerat uſque ad reditum Lyſandri, poſt pacem factam & muros everſos & Samum captam. Sed Xenophon numeravit primum & ultimum annum integros; Thucydides vero exactius.

Pag. 368.

Ἔτυχον γὰρ ἔφοροι ἕτεροι, καὶ οὐκ ἐφ' ὧν αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο. | *Iam enim alii ephori erant nec ii, ſub quibus inita fœdera fuerant.*

Ex hoc loco elicitur tempus anni, quo Ephori magiſtratum inibant, nempe æſtate inclinante vel autumno incipiente.

Pag. 429.

Περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα.	*Circumcisi sunt circa ora.*

Adde ex historia καὶ τὰ αἰδοῖα, ad quod alludit Aristophanes in Lysistrate.

[1] Εἰ σωφρονεῖτε θοιμάτια λήψεσθ᾽ ὅπως
Τῶν ἑρμοκοπιδῶν μή τις ὑμᾶς ὄψεται.

Erant enim Mercurii illa simulachra subturpia [2] ὄρθον αἰδοῖον ἔχοντα ἐπὶ τοῦ βάθρου. vide Ciceronem de natura Deorum lib. 3. vide & Herodotum lib. 2. sect. 51.

[1] *Si sapitis vestes accipietis, ne quis eorum, qui hermas mutilaverunt, vos videat.*
[2] *Rectum pudendum habentia in basi.*

Ibidem.

Ἐν οἰκίαις ἐφ᾽ ὕβρει.	*Intra domos contumeliose.*

Scilicet in Polytionis domo, ut ait Isocrates orat. de bigis, & Andocides de mysteriis, & Plutarchus in Symposiacis.

Pag. 448.

Εἰκὸς γὰρ ἦν τὸν πρεσβύτατον πρῶτον γῆμαι.	*Et sane consentaneum est maximum natu primum duxisse uxorem.*

Mirum tamen est Platonem in Hipparcho, contra omnium fere auctorum consensum primogenituram & tyrannidem Hipparcho tribuisse. Videtur tamen ex sequentibus, ubi cum tanta cura eam quæstionem exequitur Thucydides, rem non fuisse olim sine dubio.

Pag. 450.

Ἱππίου Ἀρχεδίκην ἥδε κέκευθε κόνις,	*Hippiæ Archedicem hæc pulvis occultat,*
Ἣ πατρός τε καὶ ἀνδρὸς ἀδελφῶν τ᾽ οὖσα τυράννων.	*Quæ patrem, virum & fratres Tyrannos habuit.*

Tyrannorum Sigæi scilicet; non enim potiti sunt rerum Athenis Hippiæ liberi. Sed Hegesistratus Hippiæ filius fuit Tyrannus Sigæi, ut docet Herodotus lib. 5.

Pag. 451.

Ἐπικηρυχθὲν ἀργύριον τῷ ἀποκτεί-ναντι.	*Proposita mercede iis, qui illos occiderent.*

Huc refer decretum de Diagora Melio, qui ἄθεος dicebatur, quod sic inscriptum fuit columnæ, [1] ἐάν τις ἀποκτείνῃ Διαγόραν τὸν Μήλιον, λαμβανέτω ἀργυρίου τάλαντον. recitat Aristophanes in Avibus.

[1] *Si quis occiderit Diagoram Melium, accipiet talentum argenteum.*

Pag. 460.

Ἀπελθόντες ἐς Νάξον καὶ Θρᾷκας, σταύρωμα περὶ τὸ στρατόπεδον ποιησάμενοι.	*Reversi in Naxum & ad Thraces vallo castris circumdato.*

Miror neque Scholiasten, neque Vallam interpretem aliquid ad hunc locum manifesto mendosum restituendum tentasse. A Messana recesserunt Athenienses, & petierunt Naxum & Thraces, ut inde proximo vere invaderent rursus Siciliæ urbes. Quid hoc est monstri? num Thracia erat ad talem expeditionem opportuna? minime omnium. Ego hanc labem eluo, & lego confidenter & ut proculdubio Thucydides scripserat, sic: [2] ἀπελθόντες ἐς Νάξον, καὶ θράνοις σταύρωμα περὶ τὸ στρατόπεδον ποιησάμενοι. Scalmis scilicet è triremibus ablatis usi sunt ad munienda castra. Sic superioribus seculis Petrus dux Borbonius in expeditione quam contra Sarracenos Mauros in Africa suscepit, tali munitione usus est contra Maurorum assultus. Castra sua nempe funibus anchorariis furcis suspensis circumdedit, & remis ex triremibus sumptis, decussatim inter funes implexis, muri lignei speciem hostibus objecit. Si cui hæc emendatio non arridet, meliora det, accedam lubens ad suam sententiam: credo tamen me rem ipsam tetigisse. Quod si quis putet ideo Thucydidem scripsisse ἐς Νάξον καὶ Θρᾷκας, quod antequam Cares occupassent eam insulam, à Thracibus habitatam fuisse narrat Diodorus, errabit proculdubio: non enim solet Thucydides tales fabulosas antiquitates suæ historiæ inserere, quales Diodorus in primis quinque libris narrat. Tum ipse Diodorus lib. 5. ubi de iis Thracibus, qui eam insulam occupaverant, & cum Oto & Ephialte Aloïdis bellum gesserunt, loquitur, ait eos ob siccitates & calores in ea insula factos periisse, & Caras eam occupasse duce Naxio, qui eam Naxum nominavit,

[2] *In Naxum abierunt & scalmis munimentum circa castra cum fecissent.*

minavit, antea Diam & Strongylem appellatam. Tempore igitur Thucydidis post tot secula nulla mentio Thracum in ea insula fiebat. 1200 enim anni circiter inter Otum & Ephialten & Thucydidis ætatem effluxerant. quis igitur credat Thucydidem res, quæ suo seculo evenerant, narrare & omnibus notas facere volentem usum fuisse tali loquendi genere? non intelligibili? credat Judæus Apella, non ego. nec credo ullum sani judicii virum ex eo infirmare debere nostram emendationem.

Pag. 476.

Γύλιππον τὸν Κλεανδρίδου.	*Gylippum Cleandridæ filium.*

Τὸν Κλεάρχου habet Diodorus lib. 13. &, ut credo, est ex hoc loco corrigendus. Nam & Thucydidis in iis rebus fides est potior, & Κλεανδρίδας Spartanum magis sapit.

Ad Lib. 7. pag. 502.

Θρακῶν τῶν μαχαιροφόρων τοῦ Διακοῦ γένους.	*E Thracibus macharophoris à Diaco oriundis.*

Hanc lectionem sollicitavit Henricus Stephanus, & emendat τοῦ Δακικοῦ γένους: infœliciter profecto; vera enim & proba est vulgata lectio. Δῖοι Θρᾶκες fuerunt gens nota inter Thraciæ populos. ipse Thucydides supra lib. 2. [1] Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρακῶν πολλοὺς τῶν αὐτονόμων καὶ μαχαιροφόρων, οἳ Δῖοι καλοῦνται.

[1] *Advocavit & plures montanorum Thracum liberorum ensigerorum, qui Dii vocantur.*

Pag. 525.

Καὶ ἔτι Ἑστιαιεῖς οἱ ἐν Εὐβοίᾳ Ἑστίαν οἰκοῦντες.	*Præterea Hestiæenses, qui Hestiæam in Eubœa incolunt.*

Lege meo periculo Ἑστιαίαν, nam in eo nomine concordant omnes geographi & historici, nisi quod aliquando Ἱστίαιαν vocat Strabo & post eum alii. quod si quis putet Ἑστίαν non debere sumi κυρίως, sed significative pro domo, reputet secum, si ita intellexisset Thucydides, scripsisset proculdubio ἑστίαν ἔχοντες, non vero οἰκοῦντες.

Ad Lib. 8. pag. 553.

Ὁμήρους τέ τινας ἠνάγκασε δοῦναι καὶ χρήματα.	*Et aliquot obsides coëgit dare & pecuniam.*

Et ut credo amplius Echinunta occupavit & munitione firmavit.

Id

Id suppleo ex Aristophane in Lysistrate, ubi introducit Athenienses pro Pylo repetentes Echinunta, quod fuisset absurdum, nisi Lacedæmonii illam urbem tenuissent.

Pag. 555.

Παρὰ Φαρναβάζω τῷ Φαρναβάζε.	*A Pharnabazo Pharnabazi filio.*

Puto legendum Φαρναβάζω τῷ Φαρνάκε. nam ita habet Aristoteles de hist. animal. lib. 6. cap. 36. tum Φαρνάκης notum est nomen Persicum seu Ponticum.

Pag. 564.

Ἐν Βολίσσῳ.	*Ad Bolissum.*

Stephanus legebat suo tempore Βολίσκῳ.

Ibidem.

Ἐν Λδκωνίῳ.	*Ad Leuconium.*

Plutarchus lib. de virtutibus mulierum, ter hanc urbem vocat Λδκωνίαν in fœminino genere. idem facit & Polybius lib. 8. περὶ χίων.

Pag. 566.

Ὡς ἀπὸ τ̃ Δέρε ἐπύθετο.	*Vbi à Dero certior factus.*

Sequitur Valla errorem vulgatæ lectionis, at manifestum est debere legi Λέρε.

Pag. 568.

Ἐς γὰρ πέντε ναῦς κ πεντήκοντα, τρία τάλαντα.	*Nam quinque & quinquaginta navibus terna talenta.*

Numerus non quadrat & immensum quantum deficit. forent enim tantum in unamquamque triremem, tercentum & viginti septem drachmæ in mensem, quod foret in diem decem drachmæ paulo plus, absurdissimum. Sed aliter legendum est, & plures emendationes occurrunt: vel enim legendum est, ἐς γὰρ πέντε ναῦς τ̃ πεντήκοντα, nimirum in quinque naves tria talenta, quod erat unicuique nautæ plus quam triobolum diurnum; vel delendum τὸ πεντήκοντα, & idem erit; vel si hoc non placet, pro τρία τάλαντα legendum τριάκοντα, & quoquo

quoquo modo ex his tribus emendationibus legatur, nihil emerget absurdi. Cæterum legendus est & cum hoc loco conferendus locus Xenophontis Hellenicon 1 pag. 258 edit. Henr. Steph. de quo paulo infra in notis ad eum auctorem.

Pag. 569.

Μαράθουσαν καὶ Πήλην καὶ Δρίμυσσαν.	*Marathusam, Pelam, Drimyssam.*

Stephanus legit Δρυμοῦσαν multomelius. nam ἀπὸ τῶν δρυμῶν dicitur Δρυμοῦσα à vepretis, & sic Polybius & Plinius.

Pag. 584.

Καὶ τὸν πόλεμον ἐντεῦθεν μᾶλλον ἐκ τοῦ Κῶ ἐποιοῦντο.	*Et illinc bellum acrius ex Co gerebant.*

Nihil mutavit Valla & vertit: *& illinc bellum acrius ex Co gerebant.* Sed sic nullum commodum sensum exhibet, nam μᾶλλον non significat *acrius*. Repono confidenter, ἐντεῦθεν μᾶλλον ἢ ἐκ τοῦ Κῶ. *abierunt* (inquit) *in Chalcen insulam, & illinc bellum gesserunt magis quàm ex Coo:* & hoc firmatur ex pag. 587. infra, ubi ait de Peloponnesiorum classe, [1] καὶ γινόμενοι περὶ τὸ Τριόπιον, καθορῶσι τὰς τῶν Ἀθηναίων ναῦς πελαγίας ἀπὸ τῆς Χάλκης πλεούσας. Est autem Χάλκη insula è regione Triopii inter Rhodum & Co insulas commode sita, quæ servat adhuc hodie nominis antiqui vestigia, vocatur enim Carchi.

[1] *Et cum essent circa Triopium, conspiciunt naves Atheniensium in alto mari à Chalce navigantes.*

Pag. 595.

Καὶ ἔμελλον τοῖς ἄλλοις ὡς δήμῳ ὄντι ἐπιθήσεσθαι.	*Et statuerunt aggredi cateros tanquam illi populus forent.*

Ut sensus constet legendum οἱ καὶ ἔμελλον, vel οἱ δὲ ἔμελλον. aliter non potest aliquid sani ex his verbis elici.

Pag. 612.

Πέμπουσι Θυμόχαριν.	*Mittunt Thymocharem.*

Lege Θυμοχάρη ex Xenophonte in principio Hellenicorum: simul Θυμοχάρη magis atticissat.

Pag. 614.

Ἐς τὴν Πύκνα καλουμένην. | *In locum quem vocant Pycna.*

Lege Πνύκα cum majuſcula, millies in hac voce erratum eſt: nam ubique Scioli, quid eſſet Πνύκα ignorantes, depravarunt in πύκνα vocem illis notiorem.

Pag. 618.

Ἐπὶ κέρως παξάμενοι. | *Inſtructi in cornua.*

Forte legendum ἐπιχερῶ. nam κατὰ κέρας magis dixerunt antiqui, ut noſter Thucydides & Xenophon.


Pag. 619.

Κυνὸς σῆμα. | *Canis ſepulcrum.*

Quod vocatur à Diodoro Ἑκάβης μνημεῖον, *Hecubæ monumentum,* pag. 351.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
XENOPHONTEM.

In Cyri expeditione.

Lib. I. *Pag.* 146. *Editionis Henrici Stephani. Leunclavii Francof. & Parif. pag.* 246.

Ex hac pagina ſi quis aſtruere velit Geographicam tabulam, operam perdet, adeo omnia aut turbata ſunt aut male ſana. Myſiam extendit ultra Celænas & Poltas duodecim paraſangas orientem verſus; quis hoc credat? Cayſtri pedium urbem vocat, & eam ponit ultra Mæandri fontes paraſangas quinquaginta duo. Quod ſi verum eſt, non renuo quin vapulem. Certe in hac pagella nihil eſt ſani. quædam ſunt corrupta vel loco mota. forte pro Καΰϛρυ πεδίον, legendum Καϛώλυ πεδίον, aut ſi Xenophon ſcripſit Καΰϛρυ πεδίον, proculdubio mota eſt loco ea vox. Nam ſi Cyrus per Cayſtri campum exercitum duxit, occurrebat illi Cayſtri campus ante Mæandrum. Tum quis unquam Cayſtri campum urbem fuiſſe dixit? at Caſtolus fuit urbs, quam Stephanus modo Lydiæ, modo

 Doridi

Doridi assignat. multum fallit me conjectura, nisi aliquod urbis nomen latet sub illa voce Καύςρυ πεδίον.

AD XENOPHONTIS HELLENICORUM

LIB. I.

Steph. pag. 252. Leuncl. pag. 430.

Μίνδαρος δ' ἀπίοσυτῃ. | *Obiit Mindarus.*

Ex Eustathio ad Iliad. α. versu 517 patet legendum ἀπίοσυα. vox Laconica cæteris Græcis non usurpata, sed hoc pridem notavit Henricus Stephanus in suis ad Plutarchum notis.

Steph. pag. 254. Leuncl. pag. 433.

Τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπίας τρίτη καὶ ἐνενηκοστή. | *Anno sequente, in quem Olympias* XCIII. *incidit.*

Hoc est, anno belli Peloponnesiaci vigesimo tertio desinente & 24 incipiente. At ex hoc loco & iis quæ supra narrantur, patet duorum annorum gesta in supra scriptis contineri, & ideo non solum acephalus hic liber est, sed etiam hiulcus. Nam cum videatur incipere à fine Thucydidis & pugna ad Oropum, multa desunt, eorum præcipue, quæ Diocle Archonte gesta fuerant anno 23 currente belli Peloponnesiaci. Nam nec de Thrasybuli in Ephesum expeditione, nec de Niseæ à Megarensibus expugnatione, nec de Pyli in Laconia obsidione & deditione verbum facit, quæ tamen cum maxime ad Græcorum, præcipue vero Atheniensium & Lacedæmoniorum, historiam pertinent, ea proculdubio non omiserat Xenophon, quæ à Diodoro narrantur lib. 13.

Steph. pag. 254. Leuncl. 434.

Κατέλευσεν. | *Lapidibus obrui jussit.*

Suspicor legendum κατέλυσεν. Nam statim cum Alcibiade copias conjunxit ille Thrasyllus, & gratiæ Alcibiadis velificari voluit solvendo suum agnatum. Ideo concorditer egerunt in bello contra Pharnabazum.

Steph.

Steph. pag. 255. Leuncl. 435.

Δυοῖν καὶ εἴκοσιν ἐτοῖν τῷ πολέμῳ παρεληλυθότων.	*Essent autem elapsi anni ab initio belli* XXII.

Numeri sunt corrupti hoc loco & justo minores: pro δυοῖν, repono τεσσάρων.

Steph. pag. 258. Leuncl. 441.

Τριάκοντα μνᾶς ἑκάστῃ νηῒ τοῦ μηνὸς διδόναι — ἐκ δὲ τούτου τέτταρες ὀβολοὶ ἦν ὁ μισθὸς, πρότερον δὲ τριώβολον.	*Minæ triginta stipendii menstrui nomine numerentur — Ex eo tempore quatuor oboli stipendii nomine pendebantur, quum antehac tres tantum numerarentur.*

Hinc colligitur numerus epibatarum & nautarum in unaquaque nave. Scilicet centum quinquaginta numerus exurgeret, ni restringendus esset ob trierarchos, gubernatores & alios, qui aliquo honestiori officio in nave fungebantur, qui proculdubio plus accipiebant quam cæteri.

Steph. pag. 259. Leuncl. 442.

Διομέδοντα, Λέοντα, Περικλέα.	*Diomedontem, Leontem, Periclem.*

Variat lectio in nomine Leontis. Infra hoc eodem libro pro Λέοντος habet Λυσίου. Diodorus Lysaniam vocat. Ubi melius, non liquet.

Steph. 261. Leuncl. 446.

Εἰσβιβάζοντας ἅπαντας τοὺς ἐν ἡλικίᾳ καὶ δούλους καὶ ἐλευθέρους.	*In quas universi, qui adolevissent, servi ac liberi imponerentur.*

Ad hanc historiam pertinet locus Aristophanis in Ranis, non procul ab initio, ubi Xanthias Bacchi servus detrectans dura domini imperia, sic ait,

[1] Οἴμοι κακοδαίμων, τί γὰρ ἐγὼ οὐκ ἐναυμάχουν.
Ἦ τἄν σε κωκύειν ἐκέλευον μακρά.

[1] *O me infelicem cur non pugnavi in navibus? Deinde te plorare multum jussissem.*

At postea Chorus ait in epirrhemate.

Καὶ γὰρ αἰσχρόν ἐστι τοὺς μὲν ναυμαχήσαντας μίαν,
Καὶ Πλαταιᾶς εὐθὺς εἶναι κἀντὶ δούλων δεσπότας.

[1] Etenim turpe est eos, qui semel in navi pugnarunt, Platæenses statim fieri & pro servis dominos.

Ex his quippe locis deprehendet attentus lector servos ad militiam nauticam invitatos libertatis pretio oblatæ iis, qui in ea expeditione bonam navassent operam, & eodem jure eos usos fuisse in civitate, quo Platæenses utebantur, & sunt ii loci veluti supplementum historiæ Xenophonteæ.

Ibidem.

Ἐδειπνοποιεῖτο τῆς Λέσβου ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ ἀντίον τῆς Μιτυλήνης, τῇ δὲ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἔτυχον καὶ οἱ Ἀθηναῖοι δειπνοποιούμενοι ἐν ταῖς Ἀργινούσαις, αὐταὶ εἰσὶν ἀντίον τῆς Μιτυλήνης, ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ ἀντίον τῆς Μιτυλήνης.	*Cœnabat juxta Maleam acram Lesbi è regione Mitylenes, & eadem die Athenienses cœnarunt in Arginussis, quæ sunt è regione Mitylenes, juxta Maleam acram è regione Mitylenes.*

Hæc ultima verba ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ, proculdubio male repetita sunt ex superioribus vitio exscriptoris, cui errori vox Λέσβου, quæ in utroque antecedit, ansam dedit. Diodorus habet ἄκρας Κατανίδος, male. forte pro Κανίδος. fuit enim ibi Καναι urbs Æolica non longe ab Arginussis, sed de his infra ad Diodorum pag. 384. Henr. Steph.

Ad Hellenicorum 2. Steph. pag. 266. F. & P. 454.

Υἱεῖς ὄντας τῆς Δαρειαίου ἀδελφῆς τοῦ τοῦ Ξέρξου τοῦ Δαρείου πατρός.	*Sororis Darii filios: quæ itidem, ut Darius, Xerxe patre nata fuerat.*

Lege τῆς τοῦ Ἀρτοξέρξου τοῦ Δαρείου πατρὸς, ut patet ex Ctesia.

Steph. pag. 267. Leuncl. 456.

Καὶ τὰ παραβλήματα παραβαλών.	*Et adhibitis utrinque ad naves pluteis.*

Per παραβλήματα intelligo ea, quæ ad tegendos milites tenduntur circa navem in tabulati ora, sive sint plutei ex cratibus è vimine textis,

textis, quibus olim utebantur, sive sint lintea picta; ea nunc in triremibus vocantur voce ab Italis forte desumpta *pavesades*, in majoribus vero navigiis & nostro Oceano *Saborti*.

Ibid.

Εἶπε τοῖς παρ' αὐτοῦ ἑπομένοις.	*Mandat eis qui jussu suo eos sequi solebant.*

Horum nomina si vis discere, adi Pausaniam in Phocicis, qui eorum omnium, qui Lysandrum in eo prælio sequebantur, nomina & patrias recensuerat, sed nunc locus ille mutilatus, triginta tantum exhibet nomina.

Steph. pag. 268. Leuncl. 457.

Κόνων δὲ ταῖς ἐννέα ναυσὶ φεύγων.	*Conon cum navibus illis novem fugiens.*

Lysias in Apologia duodecim naves cum Conone fuga saluti consuluisse ait.

Ibidem.

Ἠπάθη μὲν ὑπό τινων προδοῦναι τὰς ναῦς.	*Atque etiam à nonnullis insimulatus fuit, quasi naves hostibus prodidisset.*

Firmat hoc Pausanias in Messenicis, & Adimantum pecuniis corruptum prodidisse Lysandro Atheniensium classem asserit.

Steph. pag. 270. Leuncl. 460.

Ἀντέλεγον Κορίνθιοι καὶ Θηβαῖοι μάλιστα, πολλοὶ δὲ τῶν Ἑλλήνων καὶ ἄλλοι, μὴ σπένδεσθαι Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐξαιρεῖν.	*Præcipue Corinthii ac Thebani ac præter hos alii Græci non pauci fœdus cum Atheniensibus ineundum negabant, sed funditus evertendos esse.*

Adde, Euantho Thebano tam crudelis sententiæ auctore, cui contradixerunt Phocensium legati, ut nos docet Demosthenis Scholiastes ad orationem περὶ παραπρεσβείας.

Ibidem

Ibidem Steph. Leuncl. 461.

Ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι.	*Visum fuit populo deligendos esse viros* XXX.

Id certe populus censuit, sed cogente Lysandro, & Laconum exercitu. si scire velis quomodo hoc negotium transactum fuerit & melius cognoscere, vide Lysiam in oratione contra Eratosthenem.

Ibidem.

Διοκλῆς, Φαιδρίας, Χαιρέλεως. | *Diocles, Phædria, Charelaus.*

Pro Phædria Demosthenes habet Φαίδιμον in oratione de falsa legatione.

Steph. pag. 271. Leuncl. 462.

Ἐς ὃ ὁ ἑξάμηνος καὶ ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα.	*Qua post* XXVIII. *annum sextumque mensem bello finis est impositus.*

Ipse Xenophon infra lib. ait, annos 27 tantum hoc bellum durasse, & consentit Thucydides lib. 5 in ea re idoneus testis. Idem firmat Diodorus lib. 13. Intelligendus est igitur hic locus non de tempore, quo duravit bellum Peloponnesiacum, sed de temporis fluxu ab initio belli usque ad tempus de quo loquitur, ut τῷ πολέμῳ, sit τοῦ πολέμου ἀρχῇ. Non enim vult Xenophon bellum durasse annos 28 cum dimidio, sed reditum Lysandri, ac veluti triumphum incidere in annum 29 currentem belli Peloponnesiaci, id est, post annos 28 cum dimidio à belli illius principio. aliter tamen se extricat à loci hujus difficultate Josephus Scaliger lib. de emendatione temporum pag. 411. & putat [1] ἀκυρολόγως ὀκτὼ καὶ εἴκοσι dixisse, pro ὀγδόου καὶ εἰκοστοῦ ἔτους, & notat Plutarchum & Gregorium Turonensem ita loquutos fuisse. verum mihi aliter videtur. nam finis factus est bello, quando referente Theramene pacis conditiones à Lacedæmoniis propositas accepit populus Atheniensis, postea vero ut eæ pacis conditiones executioni mandarentur, navigavit Athenas Lysander, exules reduxit, muros destruxit, & annus vigesimus octavus absolutus est. anno sequenti triginta tyranni constituti sunt Agis Decelea decessit. Lysander Samum navigavit. Samus obsidione pressa dedi-

[1] *Improprie viginti octo dixisse, pro octavo & vigesimo anno.*

deditionem fecit, rempublicam ibi ordinavit Lysander, & postea Spartam reversus est cum totius fere Græciæ spoliis. Annum igitur integrum post pacem factam iis rebus gerendis impendit Lysander: & sic non pugnat secum nec cum aliis noster Xenophon.

Ibidem.

Ἐπήρατος, Ὀνομάντιος.	*Eperatus, Onomantius.*

Thucydides lib. 8. in fine undevigesimi anni Ephorum nominat Endium, Alcibiadis hospitem, quem etiam rursus nominat initio anni vigesimi ut ephorum. Quomodo igitur eo anno, scilicet decimo nono, ponit Xenophon Eperatum, & vigesimo Onomantium? respondeo plures fuisse ephoros & quidem quinque numero, sed eorum unum fuisse eponymum, à quo annus notabatur. Non fuit igitur Endius eponymus & primus ephorus, licet & in Ephororum numero: & ideo de eo non facit mentionem Xenophon, qui solos eponymos memorat. Sic Athenis inter novem archontas unus solus annum notabat.

Ibidem.

Τῶν δὲ φρουρῶν τούτου ξυμπεσόντος αὐτοῖς.	*Præsidiarios illo submittente ipsis.*

Locus male sanus, si quid video, sed cui medicinam facere non est difficile. Lege [a] τούτων ξυμπεσόντων, id est, ξυμπαρατηρούντων, & sic omnia erunt plana: nam οὓς ἐβούλοντο, quod sequitur, non refertur ad τῶν φρουρῶν, sed ad cives Athenienses illis invisos.

[a] *Adjuvantibus à custodia militibus.*

Ibidem Steph. Leuncl. p. 463.

Ἐπεὶ δὲ ἀποθνησκόντων πολλῶν καὶ ἀδίκως.	*Denique cum multis, & iis injuste pereuntibus.*

Ex iis unus fuit Niceratus Niciæ ducis filius, & Polemarchus quidam Philosophus, ut supplere licet ex Plutarcho lib. περὶ σαρκοφαγίας.

Pag.... Leuncl. 470.

Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ.	*Hoc pulcro illi Critiæ propinatum esto.*

Erat enim, ut puto, pulcher Critias ille utpote ex pulchris parentibus.

tibus. Nam Proclus lib. 1 in Timæum ait ejus Critiæ proavum à Solone in suis versibus vocatum fuisse ξανθότριχα *flava cæsarie ornatum.*

Steph. 276. Leuncl. ibid.

Ἐκ δὲ τούτου Θρασύβουλος ὁρμηθείς. | *Secundum hæc quum Thrasybulus movisset.*

Plures fuerunt Athenis eodem tempore Thrasybuli, sed hic fuit ὁ Λύκου Thrasybulus Lyci filius.

Steph. ibidem. Leuncl. p. 471.

Ἐξέτασιν τε ποιήσαντες ἐν τοῖς ἱππεῦσι. | *Cum lustrationem inter equites instituissent.*

Legendum puto, σὺν τοῖς ἱππεῦσι, id est, *astante equitatu*: aliter commodus sensus non emergit.

Steph. pag. 277. Leuncl. 472.

Ἐξάρξομαι οὖν ἐγώ. ἡνίκ' ἂν καιρὸς ᾖ. | *Equidem ubi oportunum fuerit, paanem exordiar.*

Ex hoc loco doctus sum παιανισμὸν, *Peanis clamorem*, etiam ad Ionas pertinuisse, & eos etiam hac bellica exhortatione uti solitos. Antea putaveram solos Dores eo clamoris genere usos fuisse. Id malè ex Thucydide colligebam, qui sic lib. 7 de pugna nocturna ad Epipolas inter Athenienses & Syracusanos commissa ducibus Nicia & Demosthene, [1] Μέγιστον δὲ καὶ οὐχ ἥκιστα ἔβλαψεν ὁ παιανισμός. ἀπὸ γὰρ ἀμφοτέρων παραπλήσιος ὢν ἀπορίαν παρεῖχεν· οἵ τε γὰρ Ἀργεῖοι, καὶ οἱ Κερκυραῖοι, καὶ ὅσον Δωρικὸν μετ' Ἀθηναίων ἦν, ὁπότε παιανίσειαν φόβον παρεῖχε τοῖς Ἀθηναίοις, οἵ τε πολέμιοι ὁμοίως. putabam igitur ex hoc loco colligi posse, solos Græcos Doricæ originis παιανίζειν solitos. at ex hoc loco Xenophontis contrarium colligitur, & concludere licet non solum Dores Pæana suum inclamare solitos, sed etiam Athenienses & eos qui cum iis erant Ionicæ originis, sed diverso sono & clamore.

[1] *Plurimum autem nec minus nocuit Paanismus, ab ambabus enim partibus similis veniens dubitationẽ faciebat. Nam Argivi & Corcyrenses & quod Dorici generis cum Atheniensibus erat, quando Paanem canebant, timorem faciebant Atheniensibus, ut & hostes similiter.*

Steph. pag. 279. Leuncl. 475.

Περιέτυχον δὲ καὶ τῶν ἔξω νέων τισὶν ἐς σῖτον αὐτῶν | *Accidit autem aliquando, ut in quosdam juvenes ex iis, qui extra urbem erant, & commeatus*

ἀγροὺς ἐπὶ τὰ ἐπιτήδεια πορευομένους.	*meatus causa suos in agros exierant, inciderent.*

Eluenda est ex hoc loco fœda macula, quam non vidisse Henricum Stephanum oculatissimum in iis rebus & Græcis auctoribus corrigendis mirari licet. Sic vertendus est locus, ut se habet. *Inciderunt etiam in quosdam, qui extra naves in agros suos ad victum quærendum venerant.* At quomodo extra naves venerunt exules è Piræeo, qui nullas naves habebant. Ergo meo periculo repone: τῶν Αἰξωνέων, & sic verte, *inciderunt etiam in quosdam Æxonenses, qui in agros suos venerant ad quærenda necessaria.* Αἰξωνὶς erat Demus seu pagus Atticus, cujus habitatoribus nihil erat negotii cum exulibus, qui Piræeum occupaverant. Ideo injustissimus ille Lysimachus, qui eos occidit nihil hostile committentes & quiritantes, & ea crudelitas invisa fuit pluribus ex eo equitatu, cui præerat ille. Secus fuisset si hostes è Piræeo egressos licet palantes occidisset.

Steph. pag. 281. Leuncl. 480.

Ὁρῶν Θίμβρων τὸ ἱππικὸν, εἰς τὸ πεδίον οὐ κατέβαινεν.	*Thimbro in planiciem non descendit, quod ad hostium equitatum respiceret.*

Licet defendi possit hæc lectio, quæ nihil habet absurdi, mallem legere, Ὀῤῥωδῶν Θίμβρων, sensu meliore.

Steph. pag. 285. Leuncl. 487.

Ὁ τῶν Κυρείων προεστηκώς.	*Præfectus copiarum, quibus Cyrus usus fuerat.*

Κυρείων intellige eorum, qui cum Cyro Artaxerxis fratre militaverant.

Steph. pag. 286. Leuncl. 489.

Ὡς προεληλυθότων τῶν Ἐφεσίων ἐς τὴν πολεμίαν.	*Quod hostes ante se agrum Ephesiorum ingressos scirent.*

Vidit Henricus Stephanus non bene se habere hunc locum, mederi tentavit, sed ei non successit. Sic igitur emendavit, [1] ὡς προεληλυθότων τῶν πολεμίων εἰς τὴν Ἐφεσίαν. Hanc non fuisse mentem auctoris ex præcedentibus patet. ait Dercyllidam & Græcos, qui cum

[1] *Cum hostes prius venissent in Ephesiorum regionem.*

eo erant, Mæandrum transiviſſe, & incompoſito agmine proceſſiſſe in Epheſiorum tractum: & poſtea ſequitur ὡς προεληλυθότων, &c. quod ſi, ut vult Stephanus, legatur hic locus, erit omnino contra rationem. Dercyllidas ſcilicet incompoſito agmine per Epheſiorum regionem incedebat eo quod noverat hoſtes in eam regionem prius adveniſſe. At ſi id noverat, maxime compoſito agmine procedere debebat, utpote hoſtibus vicinis, ne in eos compoſitos incideret. Non poteſt igitur ſtare Henrici Stephani correctio. Sed proculdubio legendum, προϊόμενοι δὲ καὶ οὗτοι οὐδέν τι συντεταγμένως τῷ στρατεύματι ὡς προεληλυθότες τῶν πολεμίων ἐς τὴν Ἐφεσίων. *Incedentes autem & illi incompoſito agmine, ut qui prius quam hoſtes perveniſſent in Epheſiorum regionem.* cur incompoſito agmine incedebant? quoniam ſe putabant multo prius adveniſſe & hoſtes adhuc longe ab ea regione diſtantes incedere. Senſus hic eſt ni fallor Xenophontis & rationi militari omnino appoſitus. Scripſi vero τὴν Ἐφεσίων, non τὴν Ἐφεσίαν, ut legitur. loquutio elegantior & qua ſæpe utitur Xenophon.

Pag. eadem.

Ἐκ τῆς ἀντιπέρας σκοπῆς. | *De adjecta ſpecula.*

Lego σκοποὺς, id eſt, ſpeculatores, multo meliore ſenſu.

Steph. pag. 287. Leuncl. 491.

Συνεστρατεύοντο τῷ Ἄγιδι. | *Sequebantur Agidis ſigna.*

Diodorus lib. 14. hujus expeditionis ducem facit Pauſaniam, non Agin. Sed Xenophontem ſequitur Pauſanias Heliac. 1 & 2 & Agin ducem fuiſſe aſſerit. Xenophon qui inter Elæos ſenex habitavit, & ibi creditur ſcripſiſſe, plus fidei meretur. Notandum autem Xenophontem Lacedæmoniis amicum nihil dixiſſe de pugna quæ in Alti facta eſt. quoniam Laconibus male ceſſit. de ea tamen Pauſanias locis ſupra citatis, & de ea etiam loquitur Ariſtides in Eleuſiniaca.

Steph. pag. 288. Leuncl. 492.

ᾤοντο Θρασυδαῖον ἀπεκτονέναι. | *Ipſum Thraſydæum ſe peremiſſe opinabantur.*

De hoc Thraſydæo Plutarchus in vita Lyſiæ rhetoris.

Steph. pag. 289. Leuncl. 494.

Οὗτος δὲ ἦν καὶ τὸ εἶδος νεανί- | *Erat is & forma juvenis pulcher*

σκ@ καὶ τὴν ψυχὴν ἐῤ-ρωςΘ, ἐ μὴν τοι τῶν ὁ-μοίων.	*cher & animo firmus ac valens, non tamen è parium numero.*

Τὸ ὁμοίων videtur hic ſumi in raro ſignificatu, nimirum pro nobili & aliis nobilibus Spartiatis æquo vel pari. Ea vox, ut puto, ſuit Laconibus peculiaris, certè alibi (credo) non occurrit in eo ſignificatu, ſaltem non memini me legiſſe. Sic inter Gallos, ordo quidam ſublimioris dignitatis dicuntur, *les pairs*, pares, ὅμοιοι, ea tamen voce in eo ſignificatu videtur uti Demoſthenes contra Leptinem. vide infra ad pag. 323.

Steph. pag. 293. Leuncl. 501.

Τισσαφέρνην αἴτιον εἶναι τοῦ κακῶς φέρεσθαι τὰ αὐτοῦ, Τιθραύστην ἀποπέμψας, ἀποτέμνει αὐτοῦ τὴν κεφαλήν.	*Vnius culpa Tiſſaphernis fieri quod eſſent res ſuæ male comparatæ, miſſo Tithrauſte caput homini præcidi juſſit.*

Adjutus ſuit Tithrauſtes in eo negotio ab Ariæo Phrygiæ Satrapa, ut colligitur ex Polyæno lib. 7. Captus fuit Coloſſis, capite truncatus Celænis. hæc hiſtoria narratur etiam à Diodoro lib. 14, ſed accuratius à Polyæno.

Steph. pag. 296. Leuncl. 505.

Πάντες δὲ ἐψηφίσαντο βοηθεῖν αὐτοῖς.	*Omnes ferendam Thebanis opem latis ſuffragiis decernebant.*

De hac ſocietate vel fœdere tractat Lyſias in oratione pro Mantitheo.

Ad Lib. 4. Steph. pag. 301. Leuncl. 514.

Τιμόλαος δὲ Κορίνθιος ἔλεξεν. Ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ ἔφη ὦ ἄνδρες ξύμμαχοι.	*Ibi Timolaus Corinthius hac oratione uſus eſt. At mihi videtur, dicens, ſocii.*

De hoc fœdere Corinthiorum cum Bœotis & Athenienſibus nihil dixit ſupra, quod mirum, nam vox σύμμαχοι id præſupponit.

Steph. pag. 302. Leuncl. 516.

Καὶ αὕτη μὲν δὴ ἡ μάχη οὕτως ἐγένετο.	*Atque hæc quidem pugna in hunc modum pugnata fuit.*

Hæc pugna ad Corinthum à Demosthene vocatur μεγάλη μάχη, *magna pugna*, in oratione contra Leptinem, & à Plutarcho in Agesilao.

Steph. pag. 303. Leuncl. 517.

Μεταξὺ Πράντος καὶ Ναρθακίου.	*Inter Prantem & Narthacium.*

Ipse Xenophon infra in Agesilao, habet μεταξὺ Περάντος καὶ Ναρθακίου, ubi melius dubium. Stephanus videtur legisse Περαντος. Πρας, inquit, urbs Perrhæbiæ. at rursus, de qua Perrhæbia intelligat, dubium. Nam antiqua Perrhæbia quidem ad Peneum & Larissam sita fuit. at postquam inde pulsi Perrhæbi ad Pindum montem recessere, Perrhæbia fuit ibi, prope Athamanos & Dolopas. Nisi aliunde lux affulgeat, difficile est aliquid certi super hoc decernere.

Steph. ibid. Leuncl. 518.

Ἀπολιπόντας τὰς ναῦς.	*Relictis navibus.*

Quadraginta novem numero, quæ à Conone captæ sunt. quod nos docet Demosthenes ad Leptinem.

Steph. pag. 306. Leuncl. 523.

Ὁρῶντες τὰ σίγματα ἐπὶ τῶν ἀσπίδων.	*Conspectis literis in clypeis.*

Si credimus Helladio Besantinoo in sua Chrestomathia, cujus fragmenta extant in Photii bibliotheca numero 279, dividenda est vox σίγματα, & legendum τὰ σίγμα τὰ ἐπὶ τῶν ἀσπίδων: eo quod, ait, pluraliter τὰ νῦ & τὰ μῦ non dicuntur, & indeclinabilia sunt elementorum nomina, & eum sequitur Josephus Scaliger in suis ad Eusebium animadversionibus pag. 113. ut & alii viri hoc seculo doctrina, & varia eruditione conspicui: ego tamen ab iis dissentire non erubesco cogente veritate, & nihil mutandum censeo. Nam verba, quæ paulo post sequuntur, ψεύδεσθ' ὑμᾶς τὰ σίγματα ταῦτα, firmant omnino lectionem

lectionem vulgatam, & respuunt eam divisionem: nam qualis foret quæso ille Hellenismus, Ψόδιν ὑμᾶς τὰ σίγμα τὰ ταῦτα? non ita inconcinne loqui solet Xenophon. Sed firmatur etiam lectio vulgata ex Platone Comico, quem citat Euripidis Scholiastes, ad hunc versum Medeæ: [1] ἔσωσα σε ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι. Sic igitur Scholiastes: [2] πλεονάζει ὁ στίχος τῷ σ, ὅθεν καὶ ὁ Πλάτων ἐν ταῖς ἑορταῖς φησὶ, ἔσωσας ἐκ τῶν σιγμάτων Εὐριπίδου: ubi accentus acutus in penultima arguit eam vocem non debere dividi, & ibidem etiam citatur Eubuli locus, ubi ait: [3] τὰ σίγματα συλλέξαντες ὡς αὐτοὶ σοφοί. In hoc ultimo loco certe non posset dividere, & dicere τὰ σίγμα τὰ συλλέξαντες: nam iteratio articuli τὰ absona foret, imo absurda. Sed est aliquid diversitatis in nomine σίγμα. Nam nomina elementorum ideo sunt indeclinabilia, quod barbara sunt, ut μυ & νυ, quæ citat Helladius ille, & eam rationem ejus rei reddiderunt Philosophi apud Varronem Crateti, qui eos rogabat, quare non diceretur ἄλφα ἄλφατος, ut γράμμα γράμματος: at duo nomina habet σ littera, unum barbarum & indeclinabile σαν, alterum Græcum, quod formatur ἀπὸ τοῦ σίζειν. unde fit verbale σίγμα, quod sibilum significat. Sic quando scribitur nomen elementi ε & ο, declinatur eorum nomen, & dicitur οὖ ὀμικροῦ, & οὖ ἐψιλοῦ. Ergo valeat Helladius Besantinous cum sua grammatica, & libenter ei præfero Xenophontem, Platonem, Eubulum, & Varronem, & maneat optima lectio vulgata.

[1] Salvum fecit te, ut norunt Græci omnes.

[2] Nimis abundat is versus littera σ. unde & Plato in festis dramate ait, salvasti è sigmatis Euripidis.

[3] Sigmata colligentes ut ipsi sapientes.

Steph. pag. 307. Leuncl. 525.

Φοβούμενοι τὴν ῥώμην τῶν Λακεδαμονίων μὴ ἐπὶ τὰ μακρὰ τείχη τῶν Κορινθίων, ἃ διῄρηντο, ἔλθοιεν ἐπὶ σφᾶς, ἡγήσαντο κράτιστον εἶναι ἀνατειχίσαι.	*Timentes Lacedamoniorum robur, ne per longos Corinthiorum muros, qui rupti fuerant, ad eos venirent, putarunt optimum esse eos readificare.*

Sola enim ea erat via militaris commoda, ob Oniorum montium asperitates & difficiles aditus.

Pag. eadem.

Καὶ σώζοιντο ἐν τῷ Πειραίῳ.	*Et in Piraeo adservarent.*

Diu multumque fluctuavi, ut hunc locum cum Thucydide conciliarem. Is enim lib. 8 ait: Πειραιὸν τῆς Κορινθίας, esse portum desertum

tum juxta limites Epidauriæ terræ: at Piræum, de quo loquitur hoc loco Xenophon, si consulas Strabonem, fuit ad Crissæum sinum. nam & ibi locat Ἡραῖον, id est, Junonis templum, & Oenoëm, de quibus hoc loco fit sermo, & ex hac Xenophontis ipsius narratione non potest aliter intelligi. Ergo fuerunt duo loca ejusdem nominis, ut sæpe accidit, & fuit Piræum portus Corinthiorum ad Crissæum sinum, ubi & Junonis templum & Oenoë pagus seu castrum, item fuit Piræum portus desertus Corinthiorum ad Sarronicum mare, & fines Epidauriorum: utriusque etymon ἀπὸ τοῦ περᾷν à transeundo.

Steph. pag. 312. Leuncl. 534.

Καὶ εἰ μὴ ἔτυχον τότε οἱ Κρῆτες εἰς Ναυπλίαν καταδεδραμηκότες.	*Ac nisi tum forte Cretenses quidam Naupliam excurrissent.*

Lego ἐκ Ναυπλίας, aliter non utiles fuissent, si Naupliam iniissent, ubi nullum periculum. Tum Cretenses Creta Naupliam non possunt nisi navibus venire, & idcirco omnino legendum ἐκ Ναυπλίας.

Steph. 313. Leuncl. ibid.

Ἐπὶ τῷ ἄκρῳ Κηλώσσων ἐμβολαῖς.	*Ad Cælossæ fauces.*

Lege Κοίλωσσαν ex Strabone lib. 8. hunc locum autem potius ex Strabone, quam ex hoc loco Strabonem emendo, eo quod nomen Κοίλωσσα monti melius convenit: scilicet ἀπὸ τῶν κοιλάδων à speluncis & concavitatibus.

Steph. pag. 315. Leuncl. 539.

Τάς τε Θίμβρωνα ὑποδεξαμένας πόλεις διασώζειν.	*Oppidaque in fide contineri, quæ Thimbronem admiserant.*

Ad hunc locum (ut puto) pertinet Polyæni caput lib. 6. de Alexandro præfecto, & ex hoc loco suppleri debet lacuna, quæ est ad finem illius capitis, αὐτὸς δὲ τὰ χωρία..... δοὺς ἀπηλλάγη. Ex hoc ergo loco sic lego: χωρία Θίμβρωνι παραδοὺς ἀπηλλάγη. *Ipse vero cum loca Thimbroni dedidisset, abiit.*

Ad Lib. 5. pag. 323. Leuncl. 550.

Καὶ τῶν νήσων Κλαζομενίας καὶ Κύπρον.	*Et insulis Clazomenis & Cypro.*

Ne

Ne quis mirum putet esse, Clazomenas hoc loco insulam vocari, audiat Pausaniam in Achaïcis, ubi de conditu Clazomenarum ita loquitur.[1] Κατεσκευάσαντο ἐν τῇ ἠπείρῳ Κλαζομενὰς πόλιν, ἐς δὲ τὴν νῆσον διέβησαν διὰ τὸ Περσικὸν δέος· Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Φιλίππου ἀνὰ χρόνον ἔμελλεν χερρόνησον Κλαζομενὰς ἐργάζεσθαι χώματι ἐς τὴν νῆσον ἐκ τῆς ἠπείρου. A primo igitur conditu erat in continente, postea ob metum à Persis in insulam translata est, & rursus Alexander aggere in mare jacto eam continenti adjunxit, & sic tempore Artaxerxis insula erat.

[1] *Condiderunt in continenti Clazomenas urbem, in insulam vero trajecerunt ob metum à Persis: Alexander autem Philippi postea Clazomenas peninsulam fecit aggere à continente ad insulam.*

Steph. pag. 323. Leuncl. 552.

Τάφρον ὤρυττε κύκλῳ περὶ τὴν πόλιν.	*Vrbem fossa circumdedit.*

Omisit Xenophon pugnam, de qua Plutarchus in Pelopida.

Steph. pag. 326. Leuncl. 557.

Θέρους γὰρ ὄντος καὶ μεσημβρίας πλείστη ἦν ἐρημία ἐν ταῖς ὁδοῖς.	*Iamque maxima esset in viis hominum solitudo, erat enim æstas & meridies appetierat.*

Debebat addere & tertiam causam. Nam & Pythia eo tempore celebrabantur Delphis, ubi maximus fiebat Græcorum concursus ex omnibus civitatibus, præcipue ex Thebis, quæ non longe à Delphis sitæ erant: id me docuit Aristides in Eleusiniaca.

Steph. pag. 327. Leuncl. 559.

Τῆς Ἐλειμίας ἄρχοντα.	*Elimeæ principem.*

Thucydides Ἐλειμίαν vocat lib. 2.

Ad Lib. 6. pag. 339. Leuncl. 580.

Μαρακοὶ καὶ Δόλοπες.	*Maraci & Dolopes.*

Suspecta mihi est vox Μαρακοὶ, sed quod reponam non habeo: certe id populi nomen alibi credo non occurrit: cogitent super eo acutiores.

Leuncl. pag. 585.

Τιμόθεον δὲ αὐτῶν στρατηγὸν ἐχειροτόνησαν.	*Omnium suffragiis Timotheus imperator præficitur.*

Hoc factum est Socratide Archonte, ut ait Demosthenes in oratio-

ne πρὸς Τιμόθεον, ex qua plurimum lucis circa ordinem rerum gestarum huic libro affulget.

Steph. pag. 347. Leuncl. pag. 594.

Ὡς νῦν Θηβαίους (τὸ λεγόμενον) μὴ δεκατευθῆναι ἐλπὶς εἴη.	*Exspectandum nunc esse, ut Thebani decumarentur, uti quidem ferebatur.*

Proverbialis illa locutio non videtur congruere huic loco, nisi aliter legatur, & tollatur negatio. Ego lego confidenter (τὸ λεγόμενον μὲν) δεκατευθῆναι ἐλπὶς εἴη. Id est, *ut nunc spes sit (quod quidem dicitur) Thebanos decimari posse.*

Steph. pag. 348. Leuncl. 595.

Οἱ μὲν δή τινες λέγουσιν ὡς ταῦτα πάντα τεχνάσματα ἦν τῶν προεστηκότων.	*A nonnullis tamen proditur reipublicæ præfectorum hac omnia fuisse commenta.*

Ex hoc loco deprehenditur Xenophontem φιλολάκωνα, gloriæ Epaminondæ non favisse, qui in tota hac narratione ne eum quidem nominat, cum tamen ei viro ab aliis hujus historiæ scriptoribus tota hujus prosperæ Thebanis pugnæ gloria deberi affirmetur. Sed (dicet forte aliquis) postea lib. 7 in fine operis eum sæpe nomine citat & cum maxima laude. Ad hoc dicam quod sentio. Hanc pugnæ Leuctricæ historiam exaravit Xenophon paulo post tempore vivo adhuc & florente Epaminonda Lacedæmoniorum hoste tremendo. Ideo ne illum commendatiorem faceret, abstinuit ab ejus nomine, famæ tanti viri invidens, & dux duci; nam & [1] πτωχὸς πτωχῷ, (ut ajunt) invidere solet. At post ejus mortem de pugna ad Mantineam scripsit, jam Epaminonda vita functo & invidia cessante. Tum in pugna Leuctrica contra Laconas Epaminondæ optime successerat, & gloriam magnam ex eo facto reportaverat, quod angebat maxime φιλολάκωνα: in tota vero expeditione belli quod ad Mantineam transactum est, minime ei successerat. Ideo ut Agesilaum suum magis exaltaret, adversarium ejus laudavit, ut Homerus Hectorem ad Achillis majorem gloriam.

[1] *Mendicus mendico.*

Steph. pag. 349. Leuncl. 598.

Ἡ δὲ πόλις τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀρχίδαμον ἐκέλευεν ἡγεῖσθαι.	*Archidamum ejus filium respublica suis copiis præfecit.*

Diodo-

Diodorus multo aliter hanc historiam exequitur; ait enim Archidamum non affuisse in pugna Leuctrica & Cleombrotum post fœdus ictum cum Thebanis se recipientem Archidamum cum exercitu à Lacedæmoniis misso in ejus suppetias obvium habuisse, & sic duplicato exercitu, nulla habita fœderum ratione rursus contra Thebanos reduxisse copias: quæ Diodorum non dubito à Theopompo, qui de iis rebus scripserat, accepisse, ut multa alia, forte & ab aliis etiam. Sed Xenophon qui ubique se prodit Lacedæmoniorum & præcipue Agesilai amicum, voluit à suis amicis fœdifragii dedecus amoliri, & de Archidamo amici sui filio tacuit tam infelicis negotii participe: de Archidamo amico tacuit eo quod victus fuerat, de Epaminonda tacuit eo quod gloriose vicerat, æmulo nempe & hoste, quis Xenophontem à culpa liberabit?

Lib. 7. pag. 363. Leuncl. 621.

Ὡς οὔτε συσκηνοῦν ἐθέλοι αὐτῷ μετά τε Πελοπίδου πάντα βουλεύοιτο.	*Quod ne quidem ut secum eodem contubernio voluisset & omnia consilia cum Pelopida communicasset.*

Aliud adhuc accusationis caput & gravius allegatur à Plutarcho in Pelopida, quod scilicet dona à Persarum rege accepisset.

Steph. pag. 367. Leuncl. 628.

Καὶ τοὺς ἀχρείους συνεκπέμψαι εἰς τὴν Πελλήνην.	*Et turbam inutilem secum Pellenen duceret.*

Hos Hellenicorum libros non videtur cum multa cura exarasse Xenophon & forte fuerant tantum materies & veluti embryon maturioris fœtus, cujus abortum fecit auctor & non potuit ultimam manum operi suo imponere, in his enim multa perverso ordine narrantur; ecce enim hoc loco Pellenem Phliasiis amicam facit, at pagina superiore iis inimicam facit quam maximè, nec mentionem fecit de Pellenæorum cum Laconibus & Phliasiis pace & fœdere. At ecce id declarat inferius quarta ab hac pagina, & ait [1] ἤδη γὰρ πάλιν προσκεχωρήκεισαν οἱ Πελληνεῖς εἰς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων ξυμμαχίαν, & sic ὕστερον πρότερον rerum narrationes complectitur, quod & pluries alibi notavi ut & in nota sequente.

[1] *Jam enim rursus Pellenenses accesserant societati cum Lacedæmoniis.*

Steph. pag. 372. Leuncl. 637.

Ἐλθὼν ἐδῄου καὶ τῆς Ἀρκαδίας ὅσα ἐδύνατο καὶ τῆς Σκιρίτιδος. | *Profectus, Arcadiam & Sciritidem, quantum poterat, populabatur.*

Ergo Sciritæ ad Arcadas defecerant. Id vero oblitus est dicere.

Steph. ibidem. Leuncl. 638.

Ἀποκεκηρυγμένοις ἀπὸ τῶν θαλάμων. | *Repulsis à Thalamis.*

Lege ἀπὸ τῶν Θαλάμων cum majuscula, est enim urbis proprium nomen, de qua Polybius lib. 4. & Eustathius ad Odyss. ε.

Steph. pag. 373. Leuncl. ibid.

Ἐπικρατοῦσι τοῦ σταυρώματος καὶ τοὺς Ἀργείους καὶ τοὺς πολιορκουμένους. | *Vallo potiuntur ac statim Argivos & obsessos.*

Lege κατὰ τοὺς Ἀργείους. Id est, *vallo potiti sunt per Argivorum stationem.* Nam ut ex sequentibus patet, Argivi in illa obsidione erant in Arcadum auxiliis.

Steph. pag. 375. Leuncl. 642.

Ἀσθεᾶται καὶ Παλαντεῖς. | *Astheatæ, Palantini.*

Lego Ἀσεᾶται καὶ Παλαντιεῖς. Nam Asea & Palantium urbes sunt Arcadiæ, de quibus mentio fit apud auctores & ipsum Xenophontem, supra lib. 6 pag. 352 & 353.

Steph. pag. 376. Leuncl. 643.

Καὶ ᾔσθετο ἐξεστρατευμένον τὸν Ἀγησίλαον, καὶ ὄντα ἤδη ἐν Πελλήνῃ. | *Et cum copiis Agesilaum domo profectum apud Pellenen esse animadverteret.*

Pellenem hoc loco intellige non urbem illam satis celebrem Achaiæ proprie dictæ, sed multo obscuriorem in ipsa Laconia, quæ Πελλάνα à Laconibus vocabatur & ad differentiam ἐν Τριπόλει *in Tripoli* dicebatur, de qua Polybius lib. 4. Pausanias in Laconicis, Plutarchus in Agide, & alii.

Steph.

Steph. pag. 377. Leuncl. 646.


Ἐπείγε μὴν παραγαγόντες τοὺς ἐπικαίρως πορευομένους λόχους εἰς μέτωπον.	*Deinde quum cohortes, quæ utroque progrediebantur in cornu ad frontem adduxissent.*

Licet vox ἐπικαίρως videatur habere sensum non incommodum, scilicet *opportune*, tamen si mihi credis Lector amice, leges ἐπὶ κέρως. Vox est militaris & apprime commoda huic loco & opponitur τῷ εἰς μέτωπον ἐπὶ κέρως. est quod dicimus verbo militari, *a la file*, εἰς μέτωπον vero dicimus, *de front*, quod non intelligentes exscriptores ἐπὶ κέρως non intellectum mutaverunt in vocem magis solitam & ab illis intellectam. Hîc igitur ἐπὶ κέρως πορεύεσθαι, est incedere non catervatim aut quadrato agmine, sed extento in longam seriem ut cornu.

Steph. pag. 378. Leuncl. 647.

Ἐκεῖ δὲ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων οἱ πλεῖστοι αὐτῶν ἀπέθανον.	*Verum istic maxima pars eorum ab Atheniensibus est interempta.*

Supple ex Ephoro apud Diogenem Laërtium in Xenophonte, Cephisodoro equitatus Atheniensium præfecto, Agesilao vero duce. Nec mirum est de Agesilao Xenophontem ne verbum quidem fecisse. Nam Agesilao deditus & omnino favens Xenophon ejus nomen in ea pugna tacuit, eo quod Spartani loco pulsi fuerunt à Thebanis, & nihil sua fama dignum in eo prælio fecit Agesilaus. Ideo Plutarchus, Diodorus & alii, qui ejus pugnæ narrationem à Xenophonte mutuati sunt, Spartiatarum ducem non nominant, & nisi nos Diogenes Laërtius ex Ephoro id docuisset, adhuc ignoraretur.



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD POLYBIUM

Editionis Casaubonianæ.

Lib. 1. Pagina 8.

Καὶ διατρίβουσι περὶ τὴν Μεργάνην.	*Et ad Merganam tunc hærentes.*



Nulla fuit in Sicilia Mergane. Doctissimus Casaubonus vult legi Μοργαντίαν. Cluverius in Siciliæ geographia exercitatissimus, vult legi Μέγαρα. Ambæ eæ sententiæ magno sese judice unaquæque tuetur: id te tantum moneo, lector, super eo cogitabis.

Ad librum 2. pag. 128.

Καὶ κατὰ τὸ γένος ἕως Γύγου βασιλευθέντες.	*Et regnum stirpis ejusdem serie propagatum ad Gygem usque.*

Habuit exscriptor in animo Gygen regem Lydiæ celebrem: at tu rescribe Ὠγύγου ex Strabone lib. 8 & ex ipso Polybio, infra initio libri 4.

Ad

Ad librum 3. pagina 193.

Ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς.	*Hæc enim jam omnia intervalla per octona stadia dimensi sunt & distinxerunt Romani.*

Hinc discimus Romanum miliare octo stadiorum Græcorum fuisse: nam per miliaria notabantur viæ publicæ cippis lapideis erectis, & ideo dicebant ad primum, secundum, vel tertium lapidem.

Pag. 237.

Διανύσας δὲ τὴν τῶν Ἰσόμβρων καλουμένων χώραν.	*Ducto exercitu per fines Insubrum.*

Oculatissimum Casaubonum hic error fefellit, & evasit ejus acumen, quod mirum inadvertentiæ tribuendum, non ignorantiæ, quam nefas foret & piaculum maximum illi viro tribuere. Ἰσόμβροι (qui Latinis Insubres dicti sunt) ut bene, quantum ad vocem, interpretatus est vir summus, immane quantum distant ab Hannibalis itinere, quod recensetur hoc loco. Lege confidenter & meo periculo, Ὄμβρων. Id est, *Vmbrorum*, qui ultra Apenninum versus mare Adriaticum & in ipso Apennino habitabant, nunc vero in ipso adhuc Apennino, & citra versus Narem fluvium, non longe à Trasimeno habitant: per eos iter fuit Hannibali; nihil certius.

Pag. 239.

Ἀργυπάνην.	*Arpos.*

Lege Ἀργυριππάνην: nam nomen ejus urbis fuit Ἀργυρίππη.

Ad librum 4. pag. 275.

Καὶ παραλαβὼν Ταυρίωνα.	*Assumpto expeditionis comite Taurione.*

Ex hoc loco somniavit Ortelius urbem in Peloponneso Taurium vel Taurionem, & putavit Polybium dixisse, Timoxenum cepisse Ταυρίωνα, *Taurionem urbem:* at Taurion est nomen viri copiarum ductoris, quem sibi adjunxit cum suis copiis Timoxenus.

Pag.

Pag. 299.

Περὶ δὲ τῆς ἀποφάσεως ταύτης κατέσχυσαν, μηδαμῶς εὐδοκούντων τῶν πολλῶν Αἰτώλων οἱ ἐφορεύοντες Οἴνις καὶ Νίκιππος.

Hoc autem decretum ab invita multitudine expresserunt Oenis & Nicippus Ætolorum Ephori.

Doctissimus Interpres nihil mutavit, & sic interpretatur, & satis commode quidem, si benè se haberet is locus, sententiæ absurditatem vitaverat, in qua tamen manet illud ἄτοπον, legatos populi erga Messenios hostilis animi tantum potuisse in eorum universa multitudine congregata, ut invita ea decretum suis rebus accommodatum extorquerent. Nam in talibus negotiis non solent adesse legati populorum, dum super negotiis legationis eorum deliberatur. At contendo locum esse male sanum, & pro Αἰτώλων legendum esse Μεσσηνίων, tum ex ratione sententiæ, tum ex ipsius Polybii auctoritate, qui supra pag. 273 nos docuit, quo nomine summus Messeniorum magistratus appellaretur, scilicet *Ephori*: sic enim ait, [1] ἐν ᾧ καιρῷ Σκίρων, ὃς ἦν μὲν ἔφορος τότε τῶν Μεσσηνίων, &c. At Ætoli nullum talis nominis magistratum habebant, sed ἀποκλήτους *Apocletos* vocabant eos, quibus res eorum publica commendata fuerat, ut ipse Polybius ait supra pagina 275 & infra pag. 1019. Tum ex iis, quæ sequuntur, necesse est ita emendare; ait enim Oenim & Nicippum à recta consilii via multum aberrasse. At si Ætoli fuissent, id non debuit dicere Polybius: optime enim & è reipublicæ Ætolorum utilitate fecissent, si Messenios ab hostium societate exemissent. Ergo proculdubio reponendum Μεσσηνίων οἱ ἐφορεύοντες.

[1] *Quo tempore Sciron qui tum erat Messeniorum Ephorus.*

Pag. 322.

Ὁ δὲ Αὐτόμολος ἔχων εἴκοσι τοὺς ἐπιτηδειοτάτους.

Automolus vero cum expeditissimis viginti militibus.

Scribe αὐτόμολος, sine majuscula: non enim est κύριον ὄνομα, ea majuscula fefellit doctissimum interpretem properantem, & qui non meminerat paulo ante Polybium dixisse, τῶν δὲ ηὐτομοληκότων τις, ut interpretaretur *Automolus*, cum deberet *transfuga* interpretari. Sed hoc viri maximi μνημονικὸν σφάλμα à multis aliis notatum, & nimis acerbè exagitatum est.

Pag.

Pag. 324.

Καπίλαβε παρὰ τὸν Ἄρατον φρούριον τ̃ Δυμαίων εὔκαιρον τὸ καλούμενον τεῖχος.	*Castellum Dymaorum propter Aratum, Tichos dictum, loco situm opportuno, occupat.*

Diu me torsi, ut intelligerem, quid esset παρὰ τὸν Ἄρατον, & credebam debere legi, κατὰ τὸν Ἄρατον. *Secundum Aratum*, id est, ut Aratus scriptum reliquit, in commentariis scilicet, quos scripsisse in confesso est. At multum me fallebat opinio, & longe à vero aberrabam: nam ὁ δὲ πάνυ φροντὶς σοφώτερος, me monuit legendum esse παρὰ τὸν Ἄραξον: est enim Araxus promontorium juxta Dymen Achaiæ, ubi erat illud τεῖχος, de quo infra pag. 329.

Pag. 327.

Ἧκε τ̃ Αἰτωλίας πρὸς τὴν καλουμένην πόλιν Φοιτέας.	*Ad Ætoliæ urbem Phœteas venit.*

Ex hujus itineris narratione & ex Thucydide lib. 3. patet eandem esse urbem, quam Thucydides Φοιτίαν vocat: hæc dubia parit neotericorum Iotacismus.

Pag. eadem 327.

Ποιούμενος τὴν πορείαν εἰς τὴν στρατηγικήν.	*Versus Strategicam agmen ducens.*

Sequutus est vulgatam hanc, sed mendosam scripturam doctus interpres & κυρίως interpretatur *Strategicam*. At nulla fuit in iis partibus urbs Στρατήγιον vel Στρατηγία. Ergo repono audacter Στρατικήν, ut benè scribitur infra lib. 5 pag. 435. erat enim in illis partibus urbs Στράτος, *Stratus*, Acarnaniæ olim Metropolis; eo vero tempore, de quo scribit Polybius, sub Ætolorum potentiorum imperio erat.

Pag. 329.

Τὰς δ' οἰκήσεις διαλύων καὶ τὸν κέραμον εἰς σχεδίας καθηρμοσε τῷ ποταμῷ μετὰ πολλῆς φιλοτιμίας εἰς τὰς Οἰνιάδας.	*Domos vero demoliens, materiam & tegulas cum cura impositas ratibus ad Oeniadas per amnem devexit.*

Hæc sic interpretatur doctissimus Casaubonus, *materiam & tegulas cum cura impositas ratibus ad Oeniadas per amnem devexit.* Non est, ut arbitror, hæc Polybii sententia (pace tanti viri dixerim) cur enim tanta cura Philippus ligna & tegulas secundo flumine devehendas ad Oeniadas curasset, quæ urbs erat hostilis, & ejus materiæ absente præsertim Philippo domina facta fuisset? sic igitur verto. *Ex lignis & tegulis rates factas cum multa cura, flumini adaptavit, ut trajiceret Oeniadas versus.* Pæanium illud à Philippo dirutum erat in ipsa Ætolia ad sinistram Acheloï ripam descendendo secundo flumine. Oeniadæ vero in Acarnania ad dextram ejusdem fluminis: abundans igitur ligno & alia materia pontem ex ratibus fabricavit, quo uteretur, ut exercitum traduceret, versus Oeniadas Philippus.

Pag. 333.

Ἐν ταῖς περὶ τὸν Λίγυργον ὑπερβολαῖς.	*In superando Ligurgo monte.*

Supra pag. 280 hunc eundem locum Ὀλίγυρτον vocat, quod, ut puto, melius & græcum magis sonat.

Pag. 340.

Ἧκε βοηθῶν εἰς τὴν Τρυφαλίαν. ἣ τὴν μὲν προσηγορίας τέτευχε ταύτης ἀπὸ Τρυφάλου τοῦ τῶν Ἀρκάδων παιδός.	*Suppetias venit Tryphaliam. Ea regio nomen invenit à Tryphalo ex Arcadia puero.*

Hæc Tryphalia regio seu urbs à nullo alio antiquo memoratur, nec ipse Tryphalus ejus denominator. Locum mendosum esse suadet hæc novitas, ut etiam hæc insulsa τοῦ τῶν Ἀρκάδων παιδός: nam quis ita loquutus est? ego igitur sic legendum puto: [1] εἰς τὴν Τριφυλίαν, ἣ τὴν μὲν προσηγορίας τέτευχε ταύτης ἀπὸ Τριφύλου τοῦ Ἀρκάδος παιδός. Sic debere legi, non suadent, sed cogunt ea, quæ sequuntur, ubi fit recensio urbium ejus regionis, quæ omnes Triphyliæ sunt, paucis exceptis, quæ Arcadiæ aliquando tribuuntur. Triphylus etiam Pausaniæ dictus est Laodamiæ filius expresse & Arcadis ex consequentia, in Arcadicis. Tum situs ad hibernum occasum Arcadiæ omnino convenit. Ergo & hoc loco & infra, ubi repetitur, si mihi credis, lector, leges Τριφυλίαν, non Τρυφαλίαν.

[1] *In Triphyliam, quæ quidem hoc nomen habuit à Triphylo Arcadis filio.*

Ibidem.

Ibidem.

Ἐσχατιεύουσα τῆς Ἀχαΐας. | *In extremo Achaiæ.*

Lege Ἀρκαδίας: non enim attingit Achaiam Triphylia, ſed jacet ad Occidentem hibernum Arcadiæ, Achaia ad Septentrionem.

Pag. 396.

Τῶν προσαγορευομένων Κυρτίων. | *Qui nominantur Cyrtii.*

Forte iidem, qui auctoribus Καρδιαῖοι, Γορδυαῖοι, Γορδυλαῖοι, Χαρδοῦχοι. Latinis Curdi, qui ad Tigrim habitabant montanam regionem, non procul à campis, ubi olim Nineve; & hodie etiam Curdes vocantur: fera gens. vide ſuper iis doctiſſimum Bochartum in ſuo Phaleg lib. 1 cap. 3.

Pag. 399.

Ἵνα μήτε συγχορηγεῖν μήτε πολεμεῖν πλημῶσι τοῖς ἀποστάταις αὐτοῦ γενομένοις. | *Ne poſthac aut commeatibus adjuvare ſuos rebelles auderent, aut belli ſocietatem cum iiſdem inire.*

Sententia exigit, ut legatur μήτε συμπολεμεῖν τολμῶσι.

Pag. 403.

Τὸ καλούμενον Ἀμύκης πεδίον. | *Quam Amycæ planitiem nominant.*

Cauſam nominis hujus pete ex doctiſſimo Bocharto in ſuo de Phœnicum coloniis numquam ſatis laudato opere lib. 1 cap. 1.

Pag. 420.

Κύμη καὶ Σμύρνα καὶ Φώκαια, μετὰ δὲ ταύτας Αἰγαιεῖς καὶ Λημνῖται. | *Cuma & Smyrna & Phocæa: deinde Ægeænſes & Lemnitæ.*

Pro ultima hac voce Λημνῖται reſcribe Τεμνῖται. Nam & ipſe Polybius in fragmentis à Valeſio publicatis de Temno in hoc tractu mentionem fecit, ubi de Pruſiæ ſacrilegiis loquitur. [1] Ὁμοίως καὶ τὸ τοῦ Κυνίου Ἀπόλλωνος τέμενος τὸ περὶ Τεμνὸν οὐ μόνον ἐσύλησεν, & Strabo lib. 13 & Cicero pro Flacco, & tabulæ Peutingerianæ.

[1] *Similiter & templum Cynii Apollinis circa Temnum non ſolum expilavit.*

Pag. 422.

Παραγινόμενος δὲ εἰς Γάζαν καὶ προσαναλαβὼν αὐτοῦ τὴν δύναμιν.	*Gazam ut ventum, & pars exercitus iterum ibi est assumpta.*

Sic interpretatur hæc verba doctissimus Casaubonus, sed aliud agens, & ut ait ipse, properans. Ea non est Polybii sententia. Verte; *Gazam cum venisset & ibi copias refecisset.*

Pag. 423.

Εἰσπορεύεται τρίτος γινόμενος ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν εἰς τὸν τῶν πολεμίων χάρακα.	*Duobus tantum comitatus, sub lucem hostile vallum intrat.*

Ex lib. 3 Maccabæorum apud 70 Interpretes adde ad historiæ complementum, [1] ἡγουμένου Δοσιθέου τοῦ Δριμύλου Ἰουδαίου τὸ γένος, ἀποστάτου δὲ καὶ ἑλληνίζοντος τὴν θρησκείαν.

[1] *Auctore itineris Dositheo Drimyli filio origine Judæo, sed apostata & Græcas superstitiones amplexo.*

Pag. 426.

Τοῖς δὲ παρ' αὐτοῦ μεγάλην ὁρμὴν ἐνειργάσατο καὶ προθυμίαν.	*At suis alacritatem ingentem & pugnæ ardorem ingeneravit.*

Adde rursus ex eodem 3 Maccab. libro: [2] τῆς ἀδελφῆς Ἀρσινόης τὰς δυνάμεις μετὰ οἴκτου καὶ δακρύων παρακαλεσάσης, καὶ τοὺς πλοκάμους λελυμένης.

[2] *Sorore Arsinoë cum ejulatu & lachrymis copias exhortante comis solutis.*

Pag. 427.

Οὗτος μὲν οὖν ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν ἐξαγαγὼν τὸ σωζόμενον μέρος τῆς δυνάμεως διέτεινε πρὸς Γάζαν.	*Is igitur prima luce reliquiis exercitus eductus, Gazam contendit.*

Exurgit ex hoc loco non mediocris difficultas, si conferatur cum eo, quod dixit supra, pag. 422. de Ptolemæo, παραγινόμενος δὲ εἰς Γάζαν καὶ προσαναλαβὼν αὐτοῦ τὴν δύναμιν αὖθις προῆγε βάδην· διανύσας δὲ ἐπὶ τὸ προκείμενον πεμπταῖος κατεστρατοπέδευσε πεντήκοντα σταδίους ἀπέχων Ῥαφίας, ἣ κεῖται μετὰ Ῥινοκόρουρα πρώτη τῶν κατὰ τὴν κοίλην Συρίαν πόλεων ὡς πρὸς τὴν Αἴγυπτον, quæ Latine reddam ad faciliorem lecto-

ris

ris intelligentiam. *Cum autem venisset Gazam, & ibi copias refecisset, rursus procedebat lentè in anteriora, & quinque dierum spatio castrametatus est prope Raphiam ad 50 stadia, ea sita est post Rhinocorura, prima ex Cava Syriæ urbibus versus Ægypti partes.* Nam si Gaza occurrit prima venientibus Ægypto Raphiam, quomodo Antiochus prælio ad Raphiam victus, Gazam se recipit, & non potius recedit versus suas partes. Sed inter Ptolemæum victorem & Ægyptum, tanquam in casses se injecit prope desertum, ubi nullus commeatus, nulla commodi recessus spes? certe hæc videntur ἀσύστατα. Tum Gaza erat in partibus & sub jure Ptolemæi, per quam iter fecerat, & ibi copias suas refecerat: quomodo igitur victus exercitus eo se recipere potuisset? At solvit dubium locus Novi Testamenti in actis Apostolorum cap. 8. ubi angelus sic Philippum alloquitur. ἀνάστηθι καὶ πορεύου κατὰ μεσημβρίαν ἐπὶ τὴν ὁδὸν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Γάζαν, αὕτη ἐστὶν ἔρημος. Id est, *Surge, & vade meridiem versus ad viam, quæ descendit à Hierusalem ad Gazam, quæ deserta est.* Angelus voluit Philippum in dubio esse, ad quem locum mitteretur, ideo addidit, *quæ deserta est*, quod ego puto intelligi debere *quæ est in deserto*, aut juxta desertum. Duæ igitur erant Gazæ, una in ditione Ptolemæi prope desertum, ubi copias suas refecit Ptolemæus, ex labore, quem in deserto transmittendo habuerant: alia Syriæ in Antiochi ditione, ubi post prælium se recepit; & primam illam Ptolemæi Gazam fuisse in deserti finibus patet ex ipsius Polybii verbis: dixerat enim paulo ante, Ptolemæum, dum versus Gazam tenderet, fecisse iter διὰ τῆς ἀνύδρου *per terram carentem aqua*, quod est per desertum. Inter has duas Gazas sita fuit Raphia, ut ex hoc loco patet. At potest opponi ex Strabone, Gazam desertam fuisse Syriæ propiorem, quæ ab Alexandro diruta fuit. Sed ea verba Xylander non agnoscit, ex quibus id colligitur; tum licet ab Alexandro Gaza Syriæ diruta fuerit, ab Alexandri tempore ad Apostolos plura intercesserunt secula, quibus fluentibus instaurata fuit: & ejus portus & quasi suburbium Majuma dictum fuit emporium celebre. Divus Hieronymus certe ante nos duas fuisse Gazas annotaverat, ut citat Casaubonus ad Strabonem pag. 759. Sed & Diodorus lib. 19 duas fuisse Gazas manifeste innuit, sic enim de Ptolemæo Lagi contra Demetrium movente: [1] ἀπὸ δὲ Πηλουσίου διὰ τῆς ἐρήμου διελθὼν κατεστρατοπέδευσε πλησίον τῶν πολεμίων περὶ τὴν παλαιὰν Γάζαν τῆς Συρίας, & rursus eodem libro, [2] μετὰ τὴν γενομένην ἧτταν Δημητρίῳ περὶ Γάζαν τῆς Συρίας, unde colligitur fuisse alteram Gazam, quæ non fuit

[1] *A Pelusio per desertum procedens castrametatus est juxta hostes circa antiquam Gazam Syriæ.*

[2] *Post cladem acceptam circa Gazam Syriæ.*

fuit Syriæ, quando ſemper ita diſtinxit Diodorus, & ea eſt, de qua hoc loco agitur.

Pag. 430.

Χρυσηὶς ἡ γυνή.	*Chryſeis fœmina nobilis.*

Neſcio qua de cauſa Doctiſſimus interpres verterit *fœmina nobilis*, cum videatur ἡ γυνὴ referri ad Antigonum, de quo ſuperius paulo verba fecerat, & proculdubio ſic intelligi debet. Nam Euſebius in Chronico I ſic ſcribit de Demetrio Antigoni Gonatæ filio, ex Porphyrio, [1] γήμας δὲ τινὰ τῶν αἰχμαλώτων, καὶ Χρυσηίδα προσειπὼν, Φίλιππον ἐξ αὐτῆς ἔσχεν τὸν πρῶτον πολεμήσαντα Ῥωμαίοις. Tum munerum amplitudo privatam fortunam excedens debebat eum monere, ut aliter interpretaretur. Eam Chryſeidem Demetrii viduam & matrem Philippi duxit Antigonus, qui Δώσων dictus eſt & Tutor: verte igitur melius doctus *Chryſeis uxor*.

[1] Cum autem duxiſſet quandam captivam & Chryſeidem appellans, Philippum ex ea genuit, qui primus cum Romanis bellum geſſit.

Pag. 437.

Τὸ δὲ τρίτον εἶχε κατὰ τὸ τῆς πόλεως ὑπερκείμενον ὄρος.	*Tertium in monte collocat, qui urbi imminet.*

Nomen illius montis Hæmus, illi Thracico cognominis, ut ex Virgilio, Lucano, Valerio Flacco, & Servio ad Virgil. colligitur.

Pag. 438.

Φιλίππου τὴν πόλιν ἀντὶ Θηβῶν κατωνόμασεν.	*Philippopoli pro Thebis nomen urbi indidit.*

Una addita litterula locus erit integer, legendo nempe Φιλίππους. fuit equidem Φιλίππου πόλις alia urbs, antea Πονηρόπολις, & poſtea Trimontium à ſitu dicta, ſed in Thracia ad Hebrum. At hæc urbs de qua hîc fit mentio, Theſſaliæ fuit, & eam ſemper per pluralem numerum Philippos Florus, Lucanus, Statius, Silius & Stephanus, & ejuſdem nominis fuit cum altera, quæ in Thraciæ littore, in Macedoniæ limite fuit, de qua Lucas in actis Apoſtolorum.

Pag. 446.

Τοῖς περὶ τὸν Λώϊον ποταμὸν τόποις.	*Trope amnis Loii oſtia.*

Fatum fuit ejus fluvii ut ejus nomen ab exſcriptoribus corrumperetur.

retur. Lege Ἀῶον, ut jam alibi correximus. Aous ille juxta Apolloniam fluebat, & ab urbe ipsa (si fides neotericis mappis Græciæ) nomen habet, & vocatur Polius, ut & ipsa urbs etiam, & ita censet Magius Patavinus.

Ad lib. 6. pag. 497.

Ὁ δὲ Κόκλης ῥίψας ἑαυτὸν εἰς τὸν ποταμὸν ἐν τοῖς ὅπλοις κατὰ προαίρεσιν μετήλλαξε τὸν βίον.	*At Cocles in amnem cum armis sese projiciens spontaneam mortem oppetiit.*

Hoc loco dissentit à Polybio Livius & cum eo Dionysius Halicarnasseus, à quo credo Livius plura mutuatus est, potior tamen mihi Polybii antiquioris & veracioris fides: posteriores, ut historiam bellam facerent, sic mutaverunt.

Ad lib. 9. pag. 569.

Καθ' οὓς καιροὺς ὁ Ξέρξης ἀπέστειλε πρεσβευτὴν πρὸς ὑμᾶς ὕδωρ καὶ γῆν αἰτούμενος.	*Quo tempore Xerxes legatum ad eos miserat aquam & terram petitum.*

Herodotus lib. 7 pluribus hanc historiam exequitur. Sed Darium non Xerxem misisse hos legatos narrat: ergo hoc loco notare licet Polybii μνημονικὸν σφάλμα, nisi dicamus bis à Persis idem factum.

Ad lib. 10. pag. 613.

Καὶ παρελόμενος τὸν περὶ τὸν Αἰνείαν κόλπον.	*Messes accolarum sinus Æniensium ademit.*

Lege, τῶν Αἰνειάνων, vel, ut Livius legisse videtur, Αἰνειάνον κόλπον, sinus ille maris olim Μηλίδος, & Μαλιακὸς, & Λαμιακὸς à Meliensibus populis, & urbe Lamia vocabatur, sed tempore Polybii, cum prævaluissent Ænianes, Αἰνειανὸς, non Αἰνείας vocabatur.

Pag. 614.

Καὶ παρήγγειλε διασαφεῖν αὐτῷ τὰ γινόμενα διὰ τῶν πυρσῶν ἐπὶ τὸ Τίσαιον.	*Monens ipsos ut simul quidque gestum esset, ejus rei nuntium per accensas sublatasque faces in Tisæum transmitterent.*

Tit.

Tit. Livius lib. 28 pag. 320, qui omnia ad verbum habet è Polybio, videtur hoc loco legisse Κιασαῖον quod videtur melius. Nam Hesychius habet Κίασος montem Macedoniæ, & tempore, quo scribebat Hesychius, Thessalia sub nomine Macedoniæ comprehendebatur.

Ad lib. 16. pag. 730.

Προεστρατοπέδευσε τῷ Πρινάσσῳ.	*Ad Prinassum oppidum cum exercitu consedit.*

Nobilissimus Fulvius Ursinus sollicitat hunc locum, & vult legi Παρνάσσῳ, (ut ait Ortelius) &, ut opinor, ex Polyæno, qui lib. 4 hanc habet historiam proculdubio ex hoc Polybii loco. Sed cum videam vocem Πρινάσσεως sequi pag. sequente, & apud Stephanum inveniri eam urbem in Caria, & sciam Polyæni codices scatere erroribus, censeo debere potius emendari Polyænum ex Polybio & Stephano, quam ex Polyæno Polybium.

Ad lib. 17. pag. 756.

Ὁ μὲν Τίτος ἐπὶ τὴν προσαγορευομένην Ἐρετρίαν τῆς Φ.....ς.	*Titus ad Eretriam Pheraæ.*

Suppleo eam lacunam & lego audacter Φαρσαλίας, ex Strabone lib. 10, ubi cum de pluribus Eretriis verba fecerit, addit, [1] ἔστι δὲ καὶ περὶ Φάρσαλον Ἐρέτρια.

[1] *Est autem & prope Pharsalum Eretria.*

In Excerptis Legationibus pag. 799.

Κόρινθον μὲν καὶ τὴν Τριφυλίαν....... ἔπι δὲ τὴν Ἐρετριέων πόλιν.	*Corinthum, Triphyliam & Heream Achæis reddiderunt. Oreum & Eretriam.*

Facile sanari potest hoc vulnus & suppleri, quæ desunt ex Livio lib. 33. scribe igitur: [2] Κόρινθον μὲν καὶ τὴν Τριφυλίαν, καὶ Ἡραίαν Ἀχαιοῖς ἀπέδοσαν, καὶ Ὠρεὸν προσέτι δὲ τὴν Ἐρετριέων πόλιν.

[2] *Corinthum autem & Triphyliam & Heream Achæis reddiderunt, Oreum etiam & Eretriorum urbem.*

Pag. 800.

Ἧκον ἐπὶ τὴν τῶν Θερμικῶν σύνοδον.	*Thermopylas ad Græcorum conventum venit.*

Hunc locum sic interpretatur Doctissimus Casaubonus, & magno se judice certe tuetur, Tito Livio scilicet, qui lib. 33 totam hanc

Polybii

Polybii narrationem de verbo ad verbum transtulit, & sic verba Polybii Latine reddidit περιφραστικῶς. *Cornelius Thermopylas, ubi frequens Græciæ statis diebus solet esse conventus (Pylaicum vocant) venit.* Scilicet putavit Livius τῶν Θερμικῶν σύνοδον intelligi debere conventum Pylaicum ad Thermopylas, & auctoritas Livii rapuit doctissimum virum, ut ita interpretaretur ἀνεξετάστως. At pace tantorum virorum dixerim, toto cœlo errarunt. Nam τῶν Θερμικῶν σύνοδος nihil aliud fuit, quam conventus Panætolicus, qui apud Θέρμον Ætoliæ metropolin celebrabatur. Id assevero, & ita intelligi debere contendo, & spero me in gradu consistere posse, dum eam sententiam defendo, nec de gradu dejectum iri, modo rationibus non auctoritate certetur. Primum enim τὰ Θερμικά, ἀπὸ Θέρμου formari, non ἀπὸ τῶν Πυλῶν aut Θερμοπυλῶν, nemo credo negarit. At ego districte nego Θερμοπύλας ab ullo auctore vocatas fuisse Θέρμα simpliciter aut Θέρμον: proprium nomen ejus loci fuit Πύλαι: deinde ad differentiam aliorum locorum ejusdem nominis Θερμοπύλαι appellatæ sunt ob calidas aquas eo loci scaturientes. Herodotus lib. 7. [1] Καλέεται δὲ ὁ χῶρος οὗτος ὑπὸ μὲν τῶν πλεόνων Ἑλλήνων Θερμοπύλαι, ὑπὸ δὲ τῶν ἐπιχωρίων Πύλαι. Et paulo ante eodem libro ejus appellationis rationem reddit; [2] Ἐδέδμητο δὲ τεῖχος κατ' αὐτὰς τὰς ἐσβολὰς καὶ τό γε παλαιὸν πύλαι ἔπησαν. Sic Strabo lib. 9. de conventu Pylaico. [3] Τὴν δὲ σύνοδον Πυλαίαν ἐκάλουν τὴν μὲν ἐαρινήν, τὴν δὲ μετοπωρινήν, ἐπειδὰν ἐν Πύλαις συνήγοντο ἃς καὶ Θερμοπύλας καλοῦσι. Et rursus libro eodem: [4] Τὴν μὲν πάροδον Πύλας καλοῦσι καὶ Στενὰ καὶ Θερμοπύλας. ἐστὶ γὰρ καὶ θερμὰ πλησίον ὕδατα. Sic Thucydides lib. 2 & 3 & 4. Sic Isocrates panægyrico, Pausanias Corinthiacis, &, ut uno verbo dicam, omnes tam antiqui quam recentiores, tam Græci, quam Latini auctores. Repugnat igitur ratio Grammatices, nec patitur, ut à voce Πύλαι vel Θερμοπύλαι dicatur Θερμικὸς σύνοδος: nam θερμὰ non est nomen proprium, sed πρόθεσις ad differentiam. Nec, si Polybius in mente habuisset Amphictyonum conventum, nomen proprium ei deerat, quo indigitaret sine homonymia nempe assuetum Pylæa vel Pylaicus. Nunc vero videndum, cui potissimum loco id nomen conveniat, quando Thermopylis non convenire ostendimus. Certe quando de Ætolia agebatur, nulli melius tribui potest quam totius Ætoliæ metropoli quæ Θερμὸν vocabatur & Θερμὰ aliquando, sed rarius, &, ut verbis Polybii utar, inter Ætoliæ urbes, [5] Ἀκροπόλεως ἔχουσα τάξιν, ubi Ætoli stato quodam anni tempore comitia sua habebant.

[1] Vocatur ille locus à plerisque Græcorum Thermopylæ, ab incolis vero Pylæ.

[2] Ædificatus enim erat murus in ipso ingressu, & olim portæ in erant.

[3] Conventum Pylæam vocabant unam vernam, alterã autumnalem, quoniam in Pylis congregabantur, quas etiam Thermopylas vocant.

[4] Transitum igitur Pylas vocant, & angustias & Thermopylas. Sunt enim prope calidæ aquæ.

[5] Arcis obtinens locum.

Polyb. l. 5. de eo loco.[1] Καθ' ἕκαστον γὰρ ἔτος ἀγοράς τε ἐπιφανεστάτας ἔτι δὲ καὶ τὰς τῶν ἀρχαιρεσιῶν καταστάσεις ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ συντελούντων αὐτῶν ἕκαστος, &c. Strabo lib. 10. [2] Παρατίθησι δὲ καὶ τὰ τούτων μαρτύρια τὰ ἐπιγράμματα, τὸ μὲν ἐν Θερμοῖς τῆς Αἰτωλίας, ὅπου τὰς ἀρχαιρεσίας ποιεῖσθαι πάτριον αὐτοῖς ἐστι. Ipse Livius id concilium Panætolicum vocat lib. 31. *Concilium Ætolorum statuta die, quod Panætolicum vocant, futurum erat.* Alia quidem fuerunt etiam Ætolorum concilia, quæ pro negotiorum necessitate indicebantur, modo Naupacti, modo Hypatæ, & per Apocletos, & Strategos celebrabantur, quæ nec diem statum nec locum certum habebant. Plures etiam alii loci in Græcia Therma vocabantur ob aquas calidas scaturientes. Sed sine magna celebritate, nec duobus supra dictis comparandi. His positis videndum, de quo loco intelligendus sit Polybius. An de Panætolico, ubi per se soli Ætoli de suis rebus deliberabant, an de Pylaico, ubi cum cæteris Græciæ populis per suos Pylagoras ad eum consessum missos, de rebus totius Græciæ agebant. Id facile est judicare, si verba Polybii attentè legantur & expendantur. Ille de Cornelio à Romanis misso & ejus socio sic loquitur. [3] Ἦν γὰρ ἐπὶ τὴν Θερμικῶν σύνοδον καὶ παρελθόντες εἰς τὰ πλήθη, παρεκάλουν τοὺς Αἰτωλοὺς διὰ πλειόνων μένειν ἐπὶ τῆς ἐξ ἀρχῆς αἱρέσεως. Ex his verbis patet Cornelium egisse cum populo Ætolorum, ut universis suaderet, ut manerent in Romana societate. Sed in Pylaico conventu non aderat populus Ætolorum; sed soli duo legati Ætolorum Pylagoræ, nam ad Pylas solebant convenire ex pluribus Græciæ populis, triginta tantum viri, quod ait Pausanias in Phocicis. Ideo nihil habebat, quod ageret in Pylaico conventu Cornelius in Ætolorum negotio, ubi duo tantum Ætolos legatos invenisset, non ad id missos, ut cum eo agerent. In Thermico vero Panætolico conventu aderat populus universus, ut Apocletos & Strategos annuos suos summos magistratus eligeret. Ideo Polybius ait de legatis Romanis. [4] Καὶ παρελθόντες εἰς τὰ πλήθη, quæ verba jugulant Livii interpretationem. Nam Ætoli democratia utebantur: ideo Cornelio & cæteris Legatis cum populo agendum erat, qui non magis erat Pylis, quam Atheniensis aut Argivus populus. Nec si cum Atheniensi aut Argivo populo aliquando agendum fuit aut Romanis, aut Philippo, aut Antiocho, illum non alibi quam Athenis aut Argis per Legatos suos convenerunt. Sic & idem Polybius in Excerptis Sectione 73 Popilium & Octavium legatos ait convenisse Ætolos Thermo: ejus verba,

[1] *Nam unoquoque anno nundinas splendidissimas, & magistratuum electiones in hoc loco faciunt.*

[2] *Addit etiam harum rerum testimonia epigrammata, unum Thermis Ætoliæ, ubi mos est electiones magistratuum facere.*

[3] *Venerunt in conventum, qui Thermica vocabatur, & plebem adeuntes, Ætolos pluribus verbis adhortati sunt, ut manerent pactis ab antiquo conventis.*

[4] *Multitudinem adeuntes.*

verba, quoniam clarissimam facem præferunt huic loco, audire operæ pretium est. Διὸ συναχθείσης αὐτοῖς τῆς βουλῆς εἰς Αἴγιον. (Achæorum concilium intelligit) ἀσπαστικὴν τε καὶ παρακλητικὴν ποιησάμενοι τὴν πρὸς τοὺς Ἀχαιοὺς ἔντευξιν, ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Αἰτωλίαν, καὶ πάλιν ἐκεῖ συναχθείσης αὐτοῖς ἐκκλησίας εἰς Θέρμον παρελθόντες εἰς τοὺς πολλοὺς, &c. Hæc Latine sic sonant: *quapropter concilio illis dato Ægis congregato, salutato & exhortato Achaorum concilio, in Ætoliam navigarunt, & rursus illic dato concilio, in Thermo congregato, per populi multitudinem transeuntes, &c.* Videt lector quam germanus sit hic locus cum eo, de quo tractamus: de hac quæstione pluribus egimus ob eorum auctoritatem, à quibus discedere coëgit me veritas. Memini me olim Lutetiæ degentem, dum una cum doctissimo viro Henrico Valesio rheda vehebar (conciliante inter nos amicitiam Amplissimo viro Dom. de Beaulieu Amebot, in Suprema Subsidiorum curia primo præside integerrimo) dum de litteris colloquebamur, de hoc Polybii loco & Livii interpretatione sententiam meam aperuisse, & ad audaciam ἐπιχειρήματος illum primo stupuisse, postquam vero supradictas rationes attentius audivit, non solum adprobasse meam sententiam, sed exultabundum arrisisse & repetita auditione vix satiatum; miris laudibus eam sibi multum placere testatum esse. Sed ad alia.

Pag. 813.

Ὅτι ὁ Ἀντίοχος μετὰ τὴν κατὰ τὴν ναυμαχίαν ἧτταν.	*Post victos dimicatione maritima Romanos.*

Hæc sic interpretatus est summus vir, sed certè properante calamo ea scripsit. Sciebat enim ἧτταν debere referri ad eum, de quo loquitur auctor. Sic igitur verte: ***Quod Antiochus post cladem quam in prælio navali acceperat:*** nam & quæ sequuntur & veritas historiæ, quæ extat apud T. Livium, non potest pati, ut aliter interpretemur. Victus est prælio navali Polyxenidas præfectus classis Antiochi à C. Livio classis Romanæ præfecto ad Cyssuntem & Corycum, anno sequenti iterum ad Myonesum idem Polyxenidas ab Æmilio Regillo victus est: ideo territus Antiochus Ephesum reliquit, & Sardeis se recepit, & fractus animo Heraclidem, de quo hic sermo fit, misit legatum de pace petenda: hæc omnia narrat T. Livius libris 36 & 37. Ideo non victi fuerant dimicatione maritima Romani.

Pag. 828.

Τὰ δ' ἀγάλματα καὶ τοὺς ἀνδριάντας, καὶ τὰς γραφὰς, ἀπήγαγεν ἐκ τῆς πόλεως, ὄντα καὶ πλείω διὰ τὸ γεγονέναι βασίλειον Πύῤῥου τὴν Ἀμβρακίαν.	*Signa, statuas & tabulas pictas urbe avexit: quarum rerum eo major ibi reperta est copia, quod regia Pyrrhi quondam Ambracia fuerat.*

Ad illas Ambraciæ urbis direptiones, violatum etiam Pyrrhi sepulchrum, licet suspicari ex Ovidio in Ibin, ubi ait,

Nec tua quam Pyrrhi fœlicius ossa quiescant,
Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias.

Pag. 835.

Ἐκ τῆς Ισιόνδα προσαγορευομένης πόλεως.	*A civitate quæ Isionda dicitur.*

Titus Livius, qui hunc locum expressit, eam urbem Hyriam vocat constanter, & ejus cives Hyrienses. Stephanus certe Hyriam ponit ad Calycadnum prope Seleuciam Isauriæ, & situs satis congruit. Fuit ergo binominis ea urbs, & ut arbitror tempore Livii evanuerat illud nomen Isionda. Ideo per nomen notius ignotum, & obsoletum & forte Isauricum interpretatus est.

Pag. 836.

Παρεγένοντο πρέσβεις ἐκ Λυσινόης.	*Occurrerunt legati à Lysinoë.*

T. Livius legisse videtur, Λυσινίας, & ita etiam habet Ptolemæus.

Pag. 862.

Ὅτι καὶ τις ἐκκαλεσάμενος τὸ μειράκιον.	*Quo tempore aliquis seducto adolescente.*

Si mei judicii res sit, vellem legi, Ὅτι καὶ Τίτος, est enim, ut videtur, principium fragmenti.

Pag.

Pag. 893.

Ἐξ οὗ γὰρ Ἀντίοχος ὁ πατὴρ τοῦ νῦν λεγομένου βασιλέως ἐνίκησε τῇ περὶ τὸ Πάνιον μάχῃ τοὺς Πτολεμαίου στρατηγούς.	*Nam posteaquam Antiochus pater illius, de quo loquimur regis, ad Panium duces Ptolemai devicit.*

Periit ejus pugnæ narratio apud Polybium : aliquid tamen de eo negotio conjicere licet ex iis, quæ summatim dixit, lib. 3 supra pag. 159. Post mortem Ptolemæi Philopatoris, Philippus Macedo, & Antiochus Magnus societatem inierunt, ut Ptolemæum Epiphanem pupillum spoliarent. Per mare in ipsa Ægypto & Caria, bellum movit Philippus; Antiochus vero in Syria Cava & Phœnicia, ubi pugna ad Panium, de qua hîc, superavit duces Ptolemæi, quorum præcipuus Scopas, & tota Syria Phœnice & Palæstina potitus est. Ideo bellum ei à Romanis denunciatum, quod infœliciter gessit. Ea ad Panium pugna facta est T. Quintio Flaminino, Sexto Ælio Pæto Coss. hæc ex ipso Polybio, Trogo, & Livio colliguntur. Panium illud ea urbs fuit, quæ postea Cæsarea Paneas dicta est, prope Jordani fontes, quæ à Ptolemæo Phœniciæ tribuitur, dicta postea Cæsarea Philippi. Sed de ea pugna plura in fragmentis Polybii à Valesio publicatis inveniuntur pag. 77 & sequentibus.

Pag. 945.

Ἀπολλωνίου κατὰ φύσιν υἱοὶ τοῦ μεγάλην μὲν δυναστείαν ἐχοντος παρὰ Σελεύκῳ.	*Hos genuerat Apollonius qui plurimum gratia apud Seleucum aliquando valuerat.*

De hoc Apollonio intelligenda sunt (ni fallor) ea, quæ dicuntur Macabæorum cap. 2. & 3 & 4, ubi filius Tharseæ dicitur, Cœlesyriæ & Phœnices præfectus.

Ibidem.

Νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.	*Sobrius esto: nemini fidem habendam memento : hi sunt nervi prudentiæ.*

Epicharmi fuit hic versus, qui Dorice sic sonabat,

Νᾶφε καὶ μέμνασ᾽ ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Id est, *Sobrius esto, & memento non facile credere: hac sunt vires mentis.*

AD POLYBII FRAGMENTA à VALESIO publicata, anno 1634. Edit. Parisiensis.

Pag. 13.

Ὅτι Γοργὸς ὁ Μεσσήνιος οὐδενὸς ἦν δεύτερος Μεσσηνίων πλούτῳ καὶ γένει.	*Gorgus Messenius opibus ac generis splendore Messeniorum nulli secundus.*

Hic Gorgus Messenius fuit Eucleti filius & quinquertio celebris, ut ait Pausanias in Messenicis.

Pag. 50.

Καὶ τὰς ἐν φλιαῖς τῶν νεῶν προξενίας ἐξευρηκώς.	*Et apud Phliasios monumenta publici hospitii primus reperit.*

Interpres ἐν ταῖς φλιαῖς interpretatur, *apud Phliasios.* Et quidem invitus & cogente veritate discedo à tam docti viri sententia: ignoscat igitur mihi, si aliter puto vertendum. Nam dixisset Polybius ἐν Φλιοῦντι, si de Phliasiis intellexisset. Tum quid in eo novi? nonne jure hospitalitatis utebantur ab antiquo omnes Græciæ civitates? Verto, *in postibus templorum*: nam φλιαὶ sunt antes vel postes, & quædam templorum ornamenta & additamenta, ubi publice hospites excipere excogitavit primus ille, de quo loquitur.

Pag. 73.

Παρὰ τὸ Πολιάσιον ἕως ἐπὶ τοὺς καθ᾽ ἔλλας ἀφίκετο τόπους.	*Secundum Poliasium, donec ad Sellasiæ agrum pervenit.*

Hæc facilius est damnare, ut corrupta, quam emendare, & veram lectionem divinare, & quod ad vocem ἔλλας, subtiliter & optime meo judicio collegit ex sequentibus doctissimus Valesius, debere legi Σελλασίαν, quæ tamen sæpius per λ simplex solet scribi. Sed in voce πλιάσιον hæret aqua: tentabam legere, κομπάσιον, de quo Polyb. lib. 8 pag. 845, & ex ductu litterarum ex κομπάσιον voce semi-

mideleta forte & litteris fugientibus, potuerunt exſcriptores facere πλιάσιον, hoc modo, ::ιο:λ:ιάσιον. Sed eſt mera conjectura.

Pag. 105.

Πλέων ἐπί τινας πράξεις πρὸς τὰ ἔσχατα τῆς Βοιωτίας πρὸς Λαβρυώαν.	*Cujuſpiam negotii cauſa ad extremos Bœotiæ fines cum navigaret circa Labrynam.*

Hic locus in voce Λαβρυώαν mihi videtur mendum olere, & in πρὸς etiam primo loco poſitum. Nam illud non eſt Polybianæ elegantiæ πρὸς τὰ ἔσχατα... πρὸς Λαβρυώαν, & male ſonat ea præpoſitionis πρὸς iteratio, tum ex ſequentibus patet Antigonum non navigaſſe πρὸς Βοιωτίαν, quod de eo dicitur, qui ad aliquem locum itineris vel navigationis finem tendit. At in Aſiam vela faciebat Antigonus per Bœotiæ mare & littora. Ergo [1] Παρὰ τὰ ἔσχατα τῆς Βοιωτίας ſcripſerat Polybius, non πρὸς τὰ ἔσχατα. Tum Λαβρυώα vox eſt non amplius audita, & de ea urbe vel portu vel promontorio Bœotiæ, nec Strabo, qui eam Græciæ partem curioſe exequitur, nec Pauſanias in Bœoticis, nec Plutarchus, qui de ſua Bœotia ubique loquitur, nec alius denique antiquorum mentionem fecit, licet de locis maritimis, qui ſunt ἐν παράπλῳ pluries meminerint antiqui. Ergo ſuſpicor legendum, παρὰ τὰ ἔσχατα τῆς Βοιωτίας καὶ Λαρύμναν: fuit enim Larymna in finibus extremis Bœotiæ & Locridis ad Euripum.

[1] *Per extrema Bœotiæ,* non, *ad extrema.*

Pag. 130.

Κατὰ τὸν Ἀωὸν ποταμόν.	*Super Aoum fluvium.*

Rurſus & hoc loco reſcribe Ἄωον.


Pag. 169.

Μετὰ τὸ παρελθεῖν πρὸς τὸ Πέργαμον.	*Pergamum ingreſſus.*

Ex ſequentibus patet Pruſiam non ingreſſum fuiſſe Pergamum, quando infra ait: [2] Οὐδὲν δὲ πράττειν δυνάμενος διὰ τὸ Σώσανδρον τὸν βασιλέως σύντροφον εἰσεληλυθότα μετὰ στρατιωτῶν εἴργειν αὐτοῦ τὰς εἰσβολάς. Ergo vertendum erat, *poſtquam ad Pergamum acceſſiſſet*, non vero, *Pergamum ingreſſus.*

[2] *Cum autem nihil agere poſſet, eo quod Soſander regis nutricius cum militibus urbem ingreſſus impetus ejus coërcebat.*

JACO-



JACOBI PALMERII A'GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD DIODORUM SICULUM.

AD LIBRVM I.

Edit. H. Stephani 1559. p. 17. L. Rhodom. 1604. p. 25.

Διφυὴς ἢ αὐτῦ γεγονότ☉. | *Quod geminus natus esset.*

Hic locus mihi videtur vel mutilus vel corruptus vel luxatus; quis enim unquam audivit, aut quis ſcripſit, Peteos, Meneſthei patrem fuiſſe διφυῆ, duarum naturarum hominem? Certe de Cecrope primo id omnes hiſtorici ſcripſerunt, & nihil notius eſt in tota litteratura. At Peteo vel Peteus fuit Ornei filius, Erechthei nepos regis Athenarum, teſtibus Plutarcho in Theſeo, Pauſania in Atticis, Euſtathio ad Iliad. β. & aliis, de quo nullus ſcripſit eum fuiſſe διφυῆ. Adde, quod inverſo ordine hoc loco memoratur. Nam poſt illũ de Erechtheo multo antiquiore tractat. Ego proculdubio locum hunc mendoſum eſſe, vel luxatum credo. Sed ſine ope manuſcriptorum, quæ mihi deſunt, eum ſanare aggredi non audeo.

Pag.

Pag. 59. Rhod. 84.

Σασύχην. | *Sasychen.*

Justinus Martyr legit Σάσυχιν.

Ibidem.

Σεσόωσιν. | *Sesoosin.*

Idem Justinus legit Σεσόγχωσιν.

Ad Lib. 2. Pag. 69. Rhod. 97.

Σταδίων τριακοσίων. | *Stadiorum ccc.*

Lege τριάκοντα, ut ex præcedentibus patet: non enim interior circuitus potuit esse major exterioribus.

Pag. 73. Rhod. 102.

Τὴν δὲ ὕελον πᾶσιν ἐξαρκεῖν, διὰ τὸ πλείστην γεννᾶσθαι κατὰ τὴν Αἰθιοπίαν, καὶ τελέως παρὰ τοῖς ἐγχωρίοις ἐπιπολάζειν.	*Vitrum autem omnibus sufficere, quoniam abundè generatur in AEthiopia, & regionis illius habitantibus omnino frequens est & communis.*

Ex his verbis colligitur, ὕελον & nostrate vitrum non idem esse. Vitrum apud Europæos non nascitur, sed multo labore coquitur ex herbarum & lapidum cineribus. Herodotus, quem hoc loco citat Diodorus, illud vitrum fossile esse ait his verbis lib. 3, sectione 24, de Æthiopico vitro, ἡ δέ σφι πολλὴ καὶ εὐεργὸς ὀρύσσεται, id est, *Id autem copiosum & facile laboratu effoditur.* De Crystallo an intelligendum sit, dubito, quod non videtur ejus natura ferre, ut in calidissimis regionibus nascatur, ad quod tamen responderi potest, in calidissimis etiam regionibus, si sint montes altissimi, nivem & gelu ibi durare. Sed Crystallum non est facile laboratu, εὐεργὸν, nam multo cum labore in vasa formatur, nec, ut audio, fundi potest sine ejus pernicie. Fuit proculdubio metallica quædam species, quam ignorare me fateor: Stibium certe, quod & Antimonium dicitur, videtur esse quædam vitri species; videant de ea re, qui metallicam exercent.

Pag. 84. Rhod. 118.

Ὄνομα Κυαξάρην. | *Nomine Cyaxarem.*

Vel lapsus est memoria Diodorus, vel suo tempore Herodoti textus aliter legebatur; nam hodie Deioces apud Herodotum legitur.

Pag. 95. Rhod. 135.

Διόπερ οὔτε ἡ Παρία λίγδος. | *Quocirca nec marmor Parium.*

Vidi quendam virum doctum, qui contendebat legendum Παρία λίθος. Ego tamen credo se bene habere vulgatam lectionem. Est enim in Paro insula mons Λίγδος nomine, unde exscindebatur candidissimum illud marmor, quod Λύγδινον & Πάριον dicebatur, & ipsum marmor Λίγδον etiam dictum fuisse à montis nomine suadet Anacreon, qui [1] λύγδινον τράχηλον pro candido posuit. Philostratus etiam in Iconum procemio Λυγδίνην & Παρίαν λίθον pro eodem posuit: ergo si quid mutandum, pro Λίγδος legendum Λύγδος. Talia dubia parit Iotacismus.

[1] *Lygdinum collum.*

Ad librum 3. pag. 127. Rhod. 182.

Καὶ τῷ τύπῳ μὴ κωνοειδῆ φαίνεσθαι καθάπερ ἡμεῖς δοξάζομεν. | *Nec rotunda aut disci, ut nobis videtur, figura apparet.*

Mendosus locus, quis enim unquam putavit, solem oculis nostris apparere cono similem? rescribe ex Agatharchide δισκοειδῆ, & sic lege: καὶ τῷ τύπῳ μὴν δισκοειδῆ.

Ad librum 4. pag. 148. Rhod. 212.

Φασὶν ἐπὶ τῶν δείπνων ὅταν ἄκρατος οἶνος δίδοται πᾶσιν, ἐπιλέγειν ἀγαθοῦ δαίμονος. ὅταν δὲ μετὰ τὸ δεῖπνον δίδοται κεκραμμένος ὕδατι, Διὸς σωτῆρος ἐπιφωνεῖν. | *Mos inolevit ut inter cœnam quando meracum omnibus porrigitur, boni genii nomen accinatur. Cum peracta vero cœna lympha contemperatur, Iovis servatoris appellatio fiat.*

Si hæc sana sunt & eo ordine, quo ea scripserat Diodorus, multum me

me fallit opinio. Interpretationem apponam, ut facilius judices lector: *ajunt in ipsa cœna, quando merum omnibus datur, dici solere boni genii; quando vero post cœnam datur vinum aqua temperatum, inclamari solere Jovis sospitatoris.* Hæc luxata, & ὕστερον πρότερον posita, ut evincam, primum ratione certabo. Quis credat in cœnæ initio, dum sitis ardet, dari solitum merum, quod sitim non extinguit, imo accendit: post cœnam vero exempta siti dari vinum aqua temperatum, quando sola voluptas ad bibendum incitat? imo è contrario, initio cœnæ & ea durante dabatur procul dubio vinum aqua mixtum, ut sitis extingueretur: post cœnam vero, aut in ejus fine siti profligata, tunc dari debebat merum suo gustu excellente incitans ad bibendum. Aristophanis Scholiastes in duobus locis de hoc more loquitur, scilicet in Equitibus, ubi ait: αἰρομένης τῆς τραπέζης, sublata mensa, dari solitum boni genii calicem. Ad Vespas vero ait, [1] ἔθος ἦν, ὁπότε μέλλοι ἡ τράπεζα αἴρεσθαι, ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιρροφεῖν, ὡς Θεόπομπος. Hæc cum Diodori textu, ut nunc legitur, pugnant: & posito Diodorum scripsisse, ut nunc legitur, Theopompi auctoritas multum prævalere deberet, ubi de Græcorum more agitur. Sed jure suspicor codices Diodori hoc loco mendosos esse, & pro μετὰ legendum esse κατὰ, facili mutatione. Id me omnino suadet Hesychii locus, qui sic habet: Ἀγαθοδαιμονισταὶ, οἱ ὀλιγοποτοῦντες. ratio hujus significatus Theopompo egregie concordat, nempe qui parum valebant in potando, sæpe inclamabant ἀγαθοῦ δαίμονος κύλικα, *cedo boni genii calicem*, & ideo vocabantur ἀγαθοδαιμονισταὶ, quoniam post hunc calicem datum finiebatur compotatio. His rationibus & auctoritatibus ductus, si mei arbitrii res foret, ita legerem hunc Diodori locum: Φασὶν ἐπὶ τῷ δείπνῳ ὅταν ἄκρατος οἶνος δίδοται πᾶσιν ἐπιλέγειν, ἀγαθοῦ δαίμονος, ὅταν δὲ κατὰ τὸ δεῖπνον δίδοται κεκραμμένος ὕδατι, Διὸς σωτῆρος ἐπιφωνεῖν, id est, *ajunt post cœnam quando merum omnibus datur, dici solitum boni genii. quando vero duranti cœna datur vinum aqua temperatum, dici solitum Jovis sospitatoris.*

[1] *Mos erat cum mensa mox tollenda foret, boni genii calicem sorbere, ut ait Theopompus.*

Pag. 155. Rhod. 222.

Ἐπαγαγὼν δὲ τὸν Πηνειὸν καλούμενον ποταμὸν.	*Sed Peneo illuc derivato, sic amnis vocitatur.*

Hunc fluvium ad Augiæ stabulum repurgandum ab Hercule derivatum Pausanias non Πηνειὸν, sed Μινυήιον vocat. est tamen etiam Peneius in Elæorum regione, teste Strabone lib, 8, ubi eum ter nominat.

minat. Ideo nihil mutandum: credo eundem esse Peneum Diodori & Strabonis & Minyeium Pausaniæ. Scilicet Πλωτὸς Μινυήϊος dictus est forte ad differentiam Thessalici Penei. nam Minyæ in iis partibus etiam habitavere, ut nos docet Strabo eodem lib. 8. Non potest autem intelligi de Anigro, qui etiam Minyeius dictus est, qui per arenas fluens & gravis odoris aquas volvit, non est commodus educationi boum, & qui non poterat deduci ad Elidem, ubi regnabat Augias multo terrarum spatio & ipso Alpheo intercedente. Vel igitur apud Pausaniam legere oportet Πλωτὸς pro Μινυήϊος (quod non puto, eo quod Anigrus etiam Μινυήϊος dicebatur) vel Peneius & Minyeius idem & unus fluvius fuit, quod credo. Sed hanc quæstionem fusè tractamus in nostra Græcia antiqua.

Pag. 158. Rhod. 226.

Ἐν δὲ τῇ Βοιωτίᾳ τοὐναντίον ἐμφράξας τὸ περὶ τ̃ Μινυήϊον ῥεῖθρον ἐποίησε λιμνάζειν τὴν χώραν.	*Contra vero in Bœotia effecit, ut fluvius Minyarum terras perlaberetur inundatione.*

Hic locus firmat meam in superiore nota conjecturam. Nam fluvius, de quo hoc loco sermo fit, non potest alius esse, quam Cephissus, qui per Orchomeniorum Minyeïorum fines fluens, in Copaïdem lacum se exonerat, & à hiatu quodam terræ ibi absorbebatur. Pausanias in Bœoticis ait Thebanos asserere Herculem obstructo illo subterraneo meatu Cephissum in Orchomeniorum fines immisisse, ut eos ulcisceretur. Cephissus est igitur proculdubio, quem vocat Diodorus hoc loco Minyeïum, Μινυήϊον ῥεῖθρον, eo quod per fines Orchomeniorum fluebat, qui ab omnibus Minyæ cognomine perpetuo appellabantur: eodem modo Peneus per Minyeïorum in Elide & Triphylia habitantium fines fluebat. Minyeïus dictus est, ut & Anigrus, & Minyeïus est cognomen magis quam nomen, & pluribus fluviis conveniebat.

Pag. 165. Rhod. 238.

Τὸν Ἀμφιαράου ὑιὸν Ὀϊκλέα. | *Oicleum Amphiarao genitum.*

Lege τὸν Ἀντιφάτου. nam Oïcles fuit Amphiarai quidem pater, Antiphati vero filius, & aliter non quadraret ad rationem temporis historia. Nam prius illud Ilii excidium Hercule duce factum multis annis

annis præcessit expeditionem septem ducum ad Thebas, ubi Amphiaraus vigebat: ideo malè convenit ejus filio, ut cum Hercule Trojam potuisset exscindere. Tum Amphiaraus duos tantum filios habuit, Alcmæonem & Amphilochum, ut ait Homerus Odyss. ο. & omnes antiqui. Ideo lege meo periculo Ἀντιφάτε.

Pag. 166. Rhod. ibid.

Ἐπανῆλθεν εἰς Ὤλενον προσδεξάμενον.	*Olenum regressus hospitio excipitur.*

Lege confidenter πρὸς Δεξάμενον. Dexamenus fuit Oleni rex, qui Herculem excepit hospitio, Pausanias in Heliacis & Achaïcis. Hyginus cap. 31. Apollodorus lib. 2.

Ibidem.

Εὔρυτον τ' Αὐγέε.	*Eurytum Augeæ filium.*

Vel est hic locus mendosus, vel est Diodori μνημονικὸν σφάλμα. Nam Eurytus non fuit Augeæ filius, sed ex fratre Actore nepos ex Molionibus unus, quos Hercules insidiis acceptos in Cleonis occidit, ut docet Apollodorus lib. 2. Pausanias in Argolicis: repone igitur τὸν Ἄκτορος. vel, si mavis, τὸν Αὐγέε ἀνεψιόν.

Pag. 176. Rhod. 253.

Ἀμφινόμην δὲ τὴν μητέρα.	*Amphinomen autem matrem.*

Apollonius Argon. lib. 1, Jasonis matrem Ἀλκιμέδην vocat: alii aliter.

Pag. 187. Rhod. 269.

Καὶ κατῴκησαν ἐν Ἐρινέῳ καὶ Κυτινίῳ καὶ Εὐβοίᾳ.	*Erineumque & Cytinium ac Bœotiæ partem inhabitarunt.*

Dores numquam Eubœam habitavere, & est mendum. Lege, καὶ ἐν Βοίῳ. Doriensium tetrapolis quatuor urbibus celebris erat, Erineo, Pindo, Bœo, & Cytinio. vide Thucydidis lib. 1. Scymnum Chium in periegesi versu 593. Strabonem lib. 9. Plin. lib. 4, cap. 7. Aristidem in Leuctrica. Stephanum & alios. Fuit autem facilis lapsus, ex ἐν Βοίῳ in Εὐβοίᾳ.

Pag. 188. Rhod. 270.

Τῇ δὲ Τυροῖ παρθένῳ καὶ ἐκείνης ἔτι χρόνους ὄντη μιγεὶς ἐγέννησε Πελίαν.	*Cum Tyrone adhuc virgine Neptunus commixtus genuit Peliam.*

Mancus est hic locus, & post μιγεὶς deest nomen patris Peliæ. Supple ex omnibus auctoribus antiquis μιγεὶς Ποσειδῶν: fuit enim Neptunus Peliæ & Nelei pater ex Tyro Salmonei secundum fabulam: at secundum veritatem Cretheus ejus Tyrus avunculus, apud quem educabatur.

Ibidem. Rhod. 271.

Παραλαβὼν δὲ Μελάμποδα. | *Iunctoque sibi Melampode.*

Et rursus hic locus hiat. Lege Παραλαβὼν ὁ Νηλεὺς Μελάμποδα, ex historia seu fabula. Nam & Bias filiam Nelei duxit uxorem, Pero vocitatam.

Ibidem.

Ἐγέννησεν Ἀντιφάτην καὶ Μαίτω, ἔτι δὲ Βίαντα.	*Sustulit Antiphatem & Manto, præterea Bianten.*

Hæc mendosa sunt, ut sæpe accidit in nominibus propriis. Lege: Ἀντιφάτην καὶ Μαίτω, ἔτι δὲ Ἄβαντα, ex Apollonio lib. 1. Apollodoro etiam lib. 1. & Pausania in Atticis.

Ibidem.

Ὑπερμνήστρας τῆς Θεσπίου. | *Hypermnestra Thespii.*

Lege Θεστίου, ex Apollodoro lib. 1. Hygino cap. 70. & 250.

Ibidem.

Καὶ γήμας Χλῶριν τοῦ Ἀμφίονος τοῦ Θηβαίου.	*Et Chloride Amphionis Thebani filia nuptiis juncta.*

Melius legeretur Χλῶριν τὴν Ἀμφίονος τοῦ Θηβαίου. Sed hoc est contra Homerum, qui Odyss. λ. eam Chlorin Amphionis quidem filiam facit, sed non Thebani, verum Orchomenii Iasidæ, quem sequuntur Strabo & Pausanias: ergo pro Θηβαίου scribe Ἰασίου.

Pag. 189.

Pag. 189. Rhod. 272.

Ἱπποδάμειαν τοῦ Βύστου. | *Hippodamiam Bysti.*

Lege τὴν Βούτου. Auctor brevium Scholiorum ad Homerum Iliad. α. Genus ab eo Buto fuit inclytum Athenis Βουτάδαι.

Ibidem.

Τῶν Κενταύρων πανδημεὶ στρατευσάντων ἐπὶ τοὺς Λαπίθας, καὶ πολλοὺς ἀνελόντων, τοὺς ὑπολειφθέντας φυγεῖν εἰς Φολόην.	*Tota Centaurorum natio bellum adversus Lapithas postea movit, pluribusque cæsis, quos fortuna belli superstites reliquerat, fugere in Pholoën.*

Locus mancus est, & deest aliquid post ἀνελόντων. Nam Centauri, non Lapithæ Pholoën aufugerunt: videtur tale quid deesse: [1] τέλος δὲ μεγάλῃ μάχῃ νικηθέντων ὑπὸ Λαπιθῶν τοὺς ὑπολειφθέντας &c.

[1] *Et tandem magno prælio victi à Lapithis, reliquos Pholoën aufugisse.*

Pag. 190. Rhod. 273.

Ἀσωπὸς δὲ ἐν Φλιοῦντι κατοικήσας ἔγημε Μεθώνην τὴν Λάδωνος.	*Asopus Phliunte habitans, Methonem Ladonis filiam uxorem habuit.*

Pindarus Olymp. 6 & ejus Scholiastæ Ladonis filiam Μετώπην vocant, & ajunt quidem nupsisse Asopo, sed ei, qui prope Thebas fluit.

Pag. eadem. Rhod. 274.

Ἄπαιδος ὄντος τοῦ Ἄκτορος.	*Cum Actor sobole destitueretur.*

Sed quomodo sine liberis dicit fuisse eum Actora, qui Menœtii pater fuit, ex quo Patroclus? Solvit dubium Pindari Scholiastes ad Olymp. 9. ait enim Æginam post natum Æacum nupsisse Actori, ex quo habuit Menœtium, qui Opuntem condidit, relicta Thessalia. Sine liberis igitur erat Actor, eo quod à Menœtio derelictus fuerat, & ideo uxoris nepotem adoptasse Peleum.

Ad librum 5. pag. 202. Rhod. 291.

Ἰοκάστην καὶ Ἀγάθυρνον. | *Iocasten & Agathyrnum.*

Lege

Lege Ἰόκασον ex Callimacho, cujus versum citat Tzetzes ad Lycophronem pag. 13.

Ῥήγιον ἄστυ λιπὼν Ἰοκάστου Αἰολίδαο.

Et ex his locis Callimachi & Diodori corrigendus Eustachius ad Dionysium Periegeten, ubi pro Ἰόκαστον, Ἄστακον Αἰόλου nominat.

Pag. 205. Rhod. 295.

Κάλαρον Φωκεῖς ἔκτισαν. | *Calarim Phocenses condidere.*

Lege Φωκαεῖς. Millies erratum est in ea voce, & Antiquorum plerique in eum lapidem impegerunt. Sed & aliud ulcus sanandum. Nam si ita Diodorus scripsit, non potest excusari, quin sit ejus grave μνημονικὸν σφάλμα. Calaris enim numquam fuit Cyrni insulæ, quæ postea Corsica dicta est, sed Sardiniæ, ubi & adhuc durat nomen, & est nunc Sardiniæ velut metropolis sita ad mare meridiem & Africam versus longe à Corsica. Id non potuit ignorare suo tempore Diodorus. Nam T. Livius Diodoro coævus de ea civitate lib. 23 quater mentionem fecit, & ibi à T. Manlio Romanorum Imperatore subductas naves ait, & ex tota narratione patet, eam à Romanis electam fuisse, unde bellum moverent contra Pœnos tamquam sedem belli & idoneam ad copias recipiendas, & ubi Prætor Romanus habitaret. Ideo non credo Diodorum ita supinè de ea civitate scripsisse, & eam à meridionali Sardiniæ littore in Corsicam immenso errore transportasse. Ideo Herodoto auctore lego hoc loco audacter pro Κάλαρον, Ἀλαλίαν. Sic enim ille antiquitatis Græcanicæ promuscondus lib. 1 de Phocæis scribit: [1] πρὸς ταῦτα οἱ Φωκαιέες, ἐστέλλοντο ἐς Κύρνον· ἐν γὰρ τῇ Κύρνῳ εἴκοσιν ἔτεσι πρότερον τούτων ἐκ θεοπροπίου ἀνεστήσαντο πόλιν τῇ οὔνομα ἦν Ἀλαλίη. Legendo Ἀλαλίαν omnia quadrabunt. At de Calari (quam etiam Plinius inter urbes Sardiniæ recenset lib. 2 cap. 108) omnia pugnant. Calaris enim à Pœnis condita fuit. Claudianus de bello Gildonico.

Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Calaris.

Et hæc credo sufficiunt ad firmandam nostram emendationem.

[1] Postea Phocai Cyrnum secesserunt, in Cyrno enim 20. annis prius ex oraculo urbem condiderant, cui nomen erat Alalia.

Pag. 215. Rhod. 311.

Τῶν δὲ Κίμβρων ἀλκιμώτατοι μὲν εἰσὶν οἱ καλούμενοι Λυσιτανοί.	*Inter Celtiberos fortissimi sunt, qui Lusitani appellantur.*

Mani-

Manifestum est debere legi Ἰζήρων, non Κίμβρων.

Pag. 224. Rhod. 324.

Σικελὸς ϗ Ἑκήτορος ὑπὲρ τῆς Πασκρατίδος ἐρίσαντες.	*Siculus & Hecaterus de Pancratide armis decertantes.*

Aliter hæc historia narratur apud Parthenium in Eroticis cap. 19, ubi virgo Πασκράτω; raptores vero Σκέλις ϗ Κασσάμενος Κήτορος dicuntur, filii Cetoris.

Ibidem. Rhod. 325.

Ἐκ τῆς νῦν Λαμίας καλουμένης.	*Ex Lamia quam vocant.*

Lege, si mihi credis, Λατμίας, ex Strabone lib. 14 & Plinio lib. 5 cap. 23.

Pag. 225. Rhod. 326.

Ἄντιφος καὶ Φίλιππος.	*Antiphus & Philippus.*

Lege Φείδιππος ex Homero Iliad. β. vers. 678. Aristotele in Peplo & aliis.

Pag. 227. Rhod. 329.

Τὴν μετὰ ταῦτα Κυρβίαν μετονομασθεῖσαν.	*Quæ Cyrbiæ nomen deinde usurpavit.*

Hæc verba sunt loco mota; nam ex inferioribus patet Κύρβην (sic legendum) fuisse urbis nomen, & debere referri ad Ἀχαΐαν, de qua supra: ergo totum hunc locum puto sic legi debere: [1] κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν τὴν μετὰ ταῦτα Κύρβην μετονομασθεῖσαν, ὧν ὁ πρεσβύτερος Ὄχιμος βασιλεύων ἔγημε μίαν τῶν ἐγχωρίων νυμφῶν Ἡγητορίαν, ἐξ ἧς ἐγέννησε θυγατέρα Κυδίππην, ἣν γήμας Κέρκαφος, &c.

[1] *Cum condidissent Achaiam urbem, postea dictam Cyrben, quorum major natu Ochimus regnum adeptus, duxit Hegetoriam ejus loci nympham, ex qua genuit Cydippen: quam duxit Cercaphus.*

Pag. 228. Rhod. 330.

Ἀλθαιμένης ὁ Κατρέως υἱὸς τοῦ Κρητῶν βασιλέως.	*Althæmenes Catrei Cretensium regis filius.*

At Conon apud Photium Althæmenem hunc facit Heraclidem ex Peloponneso: eum vide cap. 47. Apollodorus vero lib. 3 cum Diodoro consentit, & eum Catrei filium, Minois nepotem facit.

Pag. eadem.

Ἐπὶ δὲ ὄρους Ἀταμύρου, Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο τοῦ προσαγορευομένου Ἀταμυρίου.	*Illic in Atamyro monte Iovis Atamyrii templum fundavit.*

Omnes alii auctores uno consensu hunc montem Ἀτάβυρον vocant, quorum antiquissimus Pindarus sic ait, Olymp. 6. [1] ἀλλ' ὦ πάτερ Ζεῦ νώτοισιν Ἀταβυρίου μεδέων. Ad quæ Schol. [2] ἔστι δὲ καὶ ἐν Σικελίᾳ ὄρος Ἀταβύριον, ὥς φησι Τίμαιος. Ex quibus verbis patet apud Pindarum legi Ἀταβύριον. Sic etiam Apollodorus, sic Strabo, sic Stephanus, qui Rhianum citat, & ait à quodam Telchine Atabyrio sic montem fuisse appellatum. Ideo censeo hoc loco legendum Ἀταβύρου & Ἀταβυρίου. Hæc scripseram, cum prodiit doctissimi Bocharti liber de Phœnicum coloniis, & gavisus sum maxime, cum vidi eum esse in eadem sententia, eum vide cap. 7.

[1] *Jupiter pater, qui in dorso Atabyrii dominaris.*

[2] *Est & in Sicilia mons Atabyrius, ut ait Timæus.*

Pag. 229. Rhod. 331.

Τὸν Τριόπαν ἕνα τῶν Ἡλίου καὶ Ῥόδου παίδων.	*Triopem unum filiorum Solis Rhodique.*

Aliter Callimachus in suo in Cererem Hymno; eum enim Neptuno genitum & Canace Æoli filia asserit, sed quis in fabulis requirat verum?

Ad librum 11. pag. 244. Rhod. tom. sec. pag. 5.

Ἧκον δὲ εἰς τὰς Θερμοπύλας καὶ Λοκροὶ χίλιοι, καὶ Μιλησίων τοσοῦτοι.	*Mille igitur Locri & totidem Milesii ad Thermopylas venere.*

Quid hoc est? Milesii qui cum cæteris Ionibus regis erant subditi, & palam cum cæteris Asiaticis medizabant, &, ut paulo supra dixit, centum navibus regi auxiliabantur, miserunt pedites mille ad Thermopylas cum Leonida? nugæ. Nihil magis à veritate alienum. Lege confidenter pro Μιλησίων, Μηλιῶν. Nam & supra in eadem voce idem error est pag. 243 & licet ibi Melienses in numero Græcorum, qui cum Medis sentiebant, enumeraverit, tamen ante pugnam ad Thermopylas factam nondum à Græcorum fœdere defecerant, ut narrat Herodotus in Urania sect. 66.

Pag. 245.

Pag. 245. Rhod. ibid.

Ὡς δὲ ἧκεν ἐπὶ τ̃ Ἡλιακὸν κόλπον.

Iamque ad Eliacum delatus sinum.

Rursus hic lege Μηλιακὸν.

Pag. eadem. Rhod. 7.

Συνέβη δὲ ἐν τοῖς Μήδοις εἶναι καὶ τῶν ἐν Μαραθῶνι τετελευτηκότων. συνυπέδειξε δὲ τοῖς Μήδοις καὶ τῶν ἐν Μαραθῶνι τετελευτηκότων ἀδελφοὺς καὶ υἱούς.

Quinetiam in Medorum agmine erant, quorum propinqui in pugna Marathonia occubuerunt. fratres ergo & liberos interfectorum ad Marathonem in conspectum Medorum statuit.

Hæc vitium sonant: tentabam sic emendare: εἶναι καὶ τῶν ἐν Μαραθῶνι προκεκινδυνευκότων τινάς. συνυπέδειξε δὲ, &c.

Esse & quosdam ex iis, qui Marathonia pugna interfuerant.

Pag. 256. Rhod. 21.

Τοῦτο δὲ εἶχεν Ἀττικὰς δραχμὰς δέκα, ἐκλήθη ἢ παρὰ τοῖς Σικελιώταις ἀπὸ ̃ σταθμοῦ Πεντηκοντάλιτρον.

Qui x *Atticis drachmis constabat, Pentecontalitron à* L *librarum pondere Siculis dictus.*

Hæc lectio nihil habet absurdi, fateor. Sed mihi multo magis arrideret, si pro εἶχεν legeretur εἷλκεν, minima mutatione, & dictione magis propria.

Ibidem. Rhod. 22.

Ἐπεβάλετο ὕστερον καὶ κτ̃ τὴν Αἴτναν κατασκευάζειν νεὼν Δημητρὸς .·. ἐννηῶς ἢ ὅσης τοῦτον μὲν οὐ συνετέλησε.

Posthac Cereri etiam in Ætna fanum ædificare instituit. Iamque Dea in sacrarium collocata erat.

Jure notatur punctis hic locus in voce ἐννηῶς ἢ ὅσης. Est enim mendum putum purum, & cuivis facile est id decernere: at quomodo reponendum sit, hoc opus hic labor est; est enim nodus vindice dignus. In iis vocibus videtur latere quoddam Cereris cognomen: tentabam Δημητρὸς Ἐννησίας. Nam ipse Diodorus infra pag. 281,

ad annum 4 Olympiadis 79, ubi de bello, quod contra Catanenses gesserunt Syracusani, sic ait de Catanensibus: [1] ὗτοι μὲν ἐξέπεσον ἐκ τῆς Κατάνης, καὶ τὴν νῦν οὖσαν Αἴτνην ᾤκησαν πρὸ τοῦ καλουμένην Ἐννησίαν: unde forte Gelo, qui templum Cereris in ea urbe construere in animo habebat, vocare volebat illud templum Δημητρὸς Ἐννησιαίης vel Ἐννησιαύης. Cogita super eo, lector erudite, & forte meliora dabis.

[1] *Hi è Catana pulsi sunt, & Ætnam, quæ nunc est, possederunt, antea vocatam Ennesia.*

Pag. 263. Rhod. 31.

Ὁ μὲν Θεμιστοκλῆς ἀνακληθεὶς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων.	*Themistocles accitus à Lacedæmoniorum principibus.*

Lego ὑπὸ τῶν γερόντων: nam vox ἀρχόντων non convenit Lacedæmoniis, qui nullos habebant ἄρχοντας, sed senatum seniorum, γερόντων, qui γερουσία vocabatur, & cuncta cum regibus & Ephoris administrabat. Βασιλεῖς, ἔφοροι, γέροντες, nomina erant magistratuum apud Laconas, Ἄρχοντες vero Atheniensium erant.

Pag. 265. Rhod. 34.

Καὶ τοῦ Παυσανίου βαρύτητος καταλαλούντων.	*Ac de Pausaniæ fastu & importunitate conquererentur.*

Manifestum est debere legi καταλαλούντων, nec opus est fulcire hanc emendationem, quæ per se stat satis, & planum exprimit sensum.

Pag. 266. Rhod. 37.

Τὴν δὲ ἀρχὴν διαδεξάμενος Ἀρχέλαος.	*Cui succedens Archelaus.*

Lego Ἀρχίδαμος, nam ex ordine & numero annorum regni id evincitur.

Pag. 269. Rhod. 40.

Φυγὼν εἰς Μεγαρεῖς τοὺς Μισύας καλουμένους.	*Cumque ad Megarenses, qui Misæi appellantur, fuga se recepisset.*

Legendum est proculdubio Νισαίους. nam sic Aristophanes in Pace, Νισαῖοι Μεγαρέες, & sic vocabantur ab eorum antiquo rege Niso, à quo etiam Νίσαια eorum portus dicebatur, & sic vocabantur ad differentiam aliarum ejusdem nominis urbium, quas recenset Stephanus.

Pag.

Pag. eadem.

Γαΐον Σερουΐλιον Στρούκτον· ἐπὶ δὲ τούτων Ἠλεῖοι.	*Cajum Servilium Structum. Tum Elei.*

Deest Olympiadis recensio, non (ut puto) ab auctoris negligentia aut oblivione, sed à vitio codicis. Addendum igitur: [1] Ὀλυμπιὰς δὲ ἤχθη ἑβδομηκοστὴ καὶ ἑβδόμη καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Δάνδης (ἢ Δάτης) Ἀργεῖος. ex Dionysio Halicarnasseo lib. 9.

[1] *Olympias acta est septuagesima septima, in qua vicit stadium Dandes (seu Dates) Argivus.*

Pag. 272. Rhod. 45.

Πόλιν ἔκτισε Τοῦξουντα.	*Vrbem Teuxunta condidit.*

Lege Πυξοῦντα. Buxentum, de qua Plin. lib. 3, cap. 5.

Pag. 274. Rhod. 47.

Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος.	*Summo scil. Archontis magistratu Athenis fungente Phædone.*

Lege Ἀψηφίονος, ex Marmore Arundeliano linea 72, cui concordat Diogenes Laërtius in Socrate.

Pag. 278. Rhod. 53.

Ἐπὶ δὲ τούτων ἀποστάντες Θάσιοι ἀπὸ Ἀθηναίων.	*Eo tempore Thasiis deficientibus ab Atheniensibus.*

Non concordat cum Thucydide Diodorus de tempore hujus Thasiorum defectionis, quam Thucydides ponit, antequam Sparta terræ motibus concuteretur, quem terræ motum posuit Diodorus supra, ante annos sex, & ex Thucydidis narratione duravit id bellum cum Thasiis tres tantum annos. Ergo vel non fuit satis exactus Thucydides in ea narratione, vel calculus Diodori falsus est. Viderint Chronologi, quomodo concilientur.

Pag. 281. Rhod. 57.

Δομέτιος ὁ τῶν Σικελῶν ἡγεμών.	*Deucetius Siculorum dux.*

Lego Δουκέτιος, ut infra pag. 287 & 289.

Pag. 282. Rhod. 59.

Γενομένης δὲ μάχης ἰσχυρᾶς ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι.	*Et pugna acriter conserta Athenienses vicerunt.*

Pugnat cum Diodoro Thucydides, qui victoriam adjudicat Corinthiis, cum vide lib. 1.

Pag. 283. Rhod. 60.

Δουκέτιος ὁ τῶν Σικελῶν βασιλεὺς ὢν ὀνομασμένος τὸ γένος.	*Deucetius Siculorum rex, genere apprime nobilis.*

Quænam gens illa fuit? de qua silent omnes, & est illa vox mendosa, si quæ alia. credo reponendum Νοαῖος μὲν τὸ γένος. Nam Stephanus habet: [1] Νόαι, τὸ ἐθνικὸν Νοαῖος, ἔστι δὲ πόλις Σικελίας. ea urbs Suidæ & Favorino memoratur Νόαι. Plinio etiam Noæni in mediterraneis Siciliæ recensentur. Infra vero Diodorus ipse pag. 288 de eodem Ducetio hæc habet: [2] ἀθροίσας δύναμιν ἀξιόλογον, τὰς μὲν Νέας, ἥτις ἦν αὐτοῦ πατρίς, μετῴκισεν εἰς τὸ πεδίον. Sed cum nullus alius de urbe Νέαι in Sicilia fecerit mentionem, sine dubio legendum ibi Νόας, quæ fuit Ducetii patria. Nisi hoc sit verum, valde fallor.

[1] Noa, gentile Noæus, est autem urbs Siciliæ.

[2] Cum collegisset copias sufficientes, Neas quidem, quæ ejus erat patria, in campos deduxit mutata habitatione.

Pag. eadem.

Πρὸς Δωριεῖς τοὺς προγόνους Λακεδαιμονίων, οἰκοῦνται δὲ πόλεις τρεῖς Κυτίνιον, καὶ Ἐρίβυον, καὶ Ἐριναιόν.	*Adversus Dores originem à Lacedæmoniis ducentes, incolunt autem tres urbes Cytinium, & Bojum & Erineum.*

Hunc locum in margine sic emendavit Henricus Steph. Κυτίβιον, καὶ ἐρίνιον καὶ ἐριναῖον: nescio unde sumpserit eas voces, hoc scio longius eas abesse à genuina & vera lectione, quam ea, quæ sunt in textu. Vix puto ea esse Henrici Stephani, sed eo absente ea edita esse. Tu lector, si nobis fidis, lege Κυτίνιον καὶ ἔτι Βοῖον, καὶ Ἐρινεόν, & repete, quæ supra notavi ad paginam 187.

Pag. eadem.

Νικομήδην τὸν Κλεομένους.	*Nicomedem Cleomenis.*

Thucydides habet τὸν Κλεομβρότου, & certe melius.

Pag. 285.

Pag. 285. Rhod. 63.

Ἐνέβαλεν εἰς τὴν Φαρσαλίαν.	*In Pharsaliam irruptionem fecit.*

Hæc vox Φαρσαλίαν mihi suspecta est. Nam ex iis, quæ sequuntur, patet Myronidem, post devictos tandem Phocenses in Thessaliam penetrasse, ubi est Pharsalus, & ipsam Pharsalum urbem obsidione cinxisse. Tum inter Opuntios & Pharsaliam intersunt Epicnemidii, Thermopylæ, Trachinii & Phthiotæ, de quibus hoc loco nihil. Forte scripserat Diodorus παραλίαν. Nam Opuntii, de quibus hoc loco agit, licet non longe sint à mari, non sunt tamen in ipso littore, & distant ab eorum navali Cyno sexaginta stadiis. Itaque post subactam Opuntum, Cynum à tergo intactam non debuit relinquere Myronides ex belli ratione, sed eum portum etiam in sua potestate habere, antequam Phocidem aggrederetur. Sed eo, quod postea Phocensibus subactis Pharsaliam venit, & ibi bellum gessit, quidam corrector, imo corruptor, non habita ratione temporis & ordinis, quo res gestæ sunt, παραλίαν in Φαρσαλίαν mutavit.

Pag. 286. Rhod. 65.

Ἐπ᾽ ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησι Ἀρίστωνος — ἐπὶ δὲ τούτων Ἀθηναίοις καὶ Πελοποννησίοις πενταετεῖς ἐγένοντο σπονδαί.	*Magistratum Athenis principem gerente Aristone — His rempublicam gubernantibus quinquennes inter Athenienses & Peloponnesios induciæ factæ sunt.*

Hoc loco rursus pugnat cum Thucydide Diodorus circa tempora: nam post ea, quæ superiore anno narravit Diodorus, quæ habet Thucydides immediate, sic ait Thucydides: [1] ὕστερον διαλιπόντων ἐτῶν τριῶν σπονδαὶ ἐγένοντο Πελοποννησίοις καὶ Ἀθηναίοις πεντέτεις, &c. ad Chronologorum calculum ea relinquo examinanda.

[1] *Post tres annos fœdera quinquennalia inter Peloponnesios & Athenienses facta sunt.*

Pag. 287. Rhod. 66.

Περικλῆς ὁ τῶν Ἀθηναίων στρατηγός.	*Dux Athenis Pericles.*

Accuratius adverte lector, & videbis hanc historiam bis narratam, & esse repetitionem eorum, quæ supra Sosistrato Archonte gesta

gesta fuisse dixit, & pugnat etiam hæc narratio cum fœderibus quæ anno superiore facta fuisse narravit. Non me expedio ex his vepretis.

Ad librum 12. pag. 297. Rhod. 81.

Νόμω τεθαύμακα. | *Miror profectò.*

Hæc phrasis vitium sonat, & vox νόμω habet notam superscriptam: forte scripserat * νῷ μὲν τεθαύμακα.

** In mente mea miratus sum.*

Pag. 302. Rhod. 89.

Πλὴν τῆς ὀνομαζομένης Τριναχίης.	*Trinacia duntaxat excepta.*

Non possum satis mirari, quomodo factum sit, ut de hac urbe tam celebri, & quam Diodorus videtur secundam post Syracusas totius Siciliæ facere, nullam mentionem fecerint alii omnes, quos habemus auctores. Nam Trinaciam, vel potius Trinacriam, omnes, qui de Sicilia scripserunt, volunt fuisse nomen antiquum Insulæ totius, de urbe vero ejus nominis, apud Strabonem, Stephanum & alios οὐδὲ γρῦ. Nec Cluverius, qui tam exacte de Sicilia antiqua volumen integrum exaravit, de ea urbe loquutus est, & hunc Diodori locum dissimulavit, nescio quare: num id accepit à Timæo Diodorus? sublestæ fidei historico, & qui * διὰ τὸ τὰ τυχόντα ἀναγράφειν, γραοσυλλέκτρια dictus est, ut nos docet Suidas in Τίμαιος. Forte ita est, forte non. Nam in iis tenebris scintillam lucis non video.

** Quod omnia sine delectu scriberet, vetula collectrix.*

Pag. 308. Rhod. 98.

Οἱ μὲν Θηβαῖοι τοὺς αἰχμαλώτους ἀπολαβόντες.	*Thebani receptis captivis.*

Pugnat iterum Thucydides: nam Thebanos captivos jugulatos fuisse ait.

Pag. 309. Rhod. 100.

Ἀθηναῖοι δὲ ..... καὶ Φείαν χωρίον Ἠλείων ἐπολιόρκουν .... εἷλον τὰς Φέρας κατὰ κράτος.	*Athenienses vero — & Pheriam castellum Eleorum obsident — Pheras vi capiunt.*

Hoc loco Φείαν & Φέρας æqualiter mendosa: nulla enim Phe-

ria, nullæ Pheræ in Eleorum regione. Lege utrobique Φείαν, & τῆς Φείας. Fuit enim urbs Eleorum, de qua Thucydides, Strabo & alii, quæ modo Φεία, modo pluraliter Φεῖαι dicta est.

Pag. 310. Rhod. 101.

Ἐπ' Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἐπαμινώνδου.	*Archonte Athenis Epaminonda.*

Nomen notum & celebre pro ignoto posuerunt exscriptores. Sed hæc terminatio nominis Thebanis peculiaris, non est Attica: repone audacter, Ἐπαμείνωνος, ut est apud Athenæum lib. 5. Sæpe in ea voce erratum est, ut apud Diogenem Laërtium in Platone legitur ἐπ' Ἀμίνιυ, pro Ἐπαμείνωνος.

Pag. 311. Rhod. 103.

Οὗτοι παραγενηθέντες εἰς Πάκτωλον τῆς Βοττικῆς.	*Hi ad Pactolum Bottica progressi.*

Et rursus hoc loco Pactolum auriflum exscriptor in mente habuit, & è media Lydia in Macedoniam transfretavit. At tu melius doctus, lege, Σπάρτωλον: urbs enim fuit Bottica nota.

Pag. 314. Rhod. 107.

Ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Σικελίαν ναῦς ἑκατὸν καὶ στρατηγοὺς Λάχητα καὶ Χαβρίαν.	*Centum in Siciliam naves Lachete & Chabria ducibus mittunt.*

In hoc ultimo nomine erratum est: sæpissime id accidit in propriis nominibus locorum, urbium aut virorum. Apud Thucydidem legitur lib. 3, [1] καὶ Λάχητα τὸν Μελανώπου, στρατηγὸν αὐτῶν, καὶ Χαροιάδην, τὸν Εὐφιλήτου. Ergo legendum hoc loco, Λάχητα καὶ Χαροιάδην.

[1] *Et Lachetem Melanopi eorum ducem, & Charœadem Euphileti.*

Pag. 317. Rhod. 112.

Κείμενον ἐν Μεσσηνίᾳ· τῆς δὲ Μεσσηνίας ἀπέχον σταδίους τετρακοσίους.	*Situm in Messenia: & à Messenia quadringentis stadiis abest.*

De Pylo loquitur, quam sitam ait in Messenia, & ab illa distare stadiis quadringentis. Absurdissima sententia! hanc historiam habet à Thucydide, qui accurate eam scripsit: ex eo lege, [*] τῆς δὲ Σπάρτης ἀπέχον σταδίους τετρακοσίους.

[*] *Distans à Sparta stadios quadringentos.*

Pag. 318. Rhod. 114.

Ο' μὲν βραχίων περιέπεσεν ἐκ τῆς νεώς.	*Brachium extra navim prolapsum est.*

Falsa est hæc narratio, quam ex Thucydide corrigere debemus, & proculdubio vox βραχίων emendatione eget: nam ex tota Brasidæ historia, quam accuratè exequitur Thucydides, patet eum non amisisse brachium in ea pugna, de qua hîc Diodorus. Forte scripserat βραχύ τι, vel ἐν βραχεῖ, vel quid tale, eo sensu, *parum absuit, quin è nave caderet*, & proculdubio hanc historiam à Thucydide accepit Diodorus verbis paululum immutatis; dixit Thucydides: [1] ἡ ἀσπὶς περιεῤῥύη εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἐξενεχθείσης αὐτῆς εἰς τὴν γῆν οἱ Ἀθηναῖοι ἀνελόμενοι. Diodorus vero sic de eodem negotio: [2] ἡ δ' ἀσπὶς περιῤῥυεῖσα καὶ πεσοῦσα εἰς τὴν θάλασσαν ὑποχείριος ἐγένετο τοῖς πολεμίοις, nihil similius: unde colligitur vocem βραχίων mendosam esse. Nam si brachium amisisset Brasidas, id non tacuisset Thucydides. Quæ addidit Diodorus de numero cæsorum à Brasida, bella sunt, non vera, nam quomodo vetitus in terram descendere ob tela ingruentia, id præstare potuisset, qui cominus cum hoste non potuit pugnare, in sua navi manens, ubi & [3] λιποψυχήσας cecidit.

[1] *Clypeus in mare effluxit, & in terram delatum, Athenienses abstulerunt.*
[2] *Clypeus elapsus cum in mare cecidisset, venit in manus hostium.*
[3] *Deliquium passus.*

Pag. 320. Rhod. 117.

Τούτους μὲν ἐξέβαλεν ἐκ τῆς Νισαίας.	*Illos quidem è Nisæa exturbat.*

Ut fides historiæ constet, & consentiat hæc narratio cum Thucydide, legendum est, [4] ἐνέβαλεν εἰς τὴν Νισαίαν. Nam ex Thucydide Brasidas pepulit Athenienses urbe Megaris, & Nisæam aufugere coëgit, quam pluribus annis tenuerunt contra Megarenses.

[4] *In Nisæam recedere compulit.*

Pag. 321. Rhod. 118.

Ἐν αἷς ἦσαν ἀξιολογώταται Σύμη καὶ Γαληψός.	*Inter quas præcipui nominis erant Syme & Galepsus.*

Lege Οἰσύμη καὶ Γάληψος, nulla ibi Syme, at Oesyme satis celebris & auctoribus sæpe memorata.

Pag. 322. Rhod. 120.

Ἐπὶ δὲ τούτων Σικυώνιοι μὲν καταφρονήσαντες τῶν Ἀθηναίων.	*Ea tempestate Scionæi contemtis Atheniensibus.*

Pro

Pro Σικυώνιοι, lege meo periculo Σκιωναῖοι, ut fides historiæ constet. Vide Thucydidem, qui hæc fusè persequitur lib. 4.

Ibidem.

Τὸν ποταμὸν τ̃ ὀνομαζόμενον Κάχητα.	*Fluvium Cachetam nomine.*

Ortelius hunc locum attigit, & vult legi Κάχητον: malè. Thucydides lib. 4 eum Κάληκα vocat. Arrianus in Periplo Κάλητα. Sed Memnon, cui magis credendum, utpote Heracleotæ & Bithyniæ vicino, Κάλλητα nominat, per duplex λλ. Igitur nomen ejus fluvii sit Κάλλης, & nunc Chelit dicitur Belonio in suis observationibus. Sed hæc omnia jam supra dicta sunt, nisi me fallit memoria.

Pag. 325. Rhod. 124.

Ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀριστοφύλου.	*Senatus principe Athenis Aristophylo.*

Lege Ἀστυφίλου, ut legitur in marmore Arundeliano lin. 77, & apud Athenæum & alios.

Ibidem. Rhod. 125.

Ἀργεῖοι μὲν ἐγκαλέσαντες τοῖς Λακεδαιμονίοις.	*Argivi accusantes Lacedæmonios.*

Lege τοῖς Ἐπιδαυρίοις ex Thucydide, ubi hæc historia fusè narratur.

Pag. 327. Rhod. 128.

Ἀγιας χωρίον εἷλον.	*Oppidulum, quod Agias vocant, ceperunt.*

Lege Ὑσιας χωρίον, ut Thucyd. lib. 5, Strabo lib. 8 & 9, Pausanias passim & alii.

Pag. 328. Rhod. ibid.

Παρὰ μὲν Ἠλείοις ἄχθη Ὀλυμπιὰς πρώτη πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα.	*Apud Eleos Olympias* XCI, *celebratur.*

Ex hoc loco corrigendus est Ælianus variæ historiæ lib. 2, cap. 8, ubi sic legitur, κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐνάτην Ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν ἐνίκα

 Ἐξαίνε-

Ἐξαίνετος Ἀκραγαντῖνος στάδιον. ibi igitur ex hoc loco legendum: [1] κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐνενηκοστὴν. Error proculdubio manavit ex similitudine notarum numeralium ϛ, ζ. scriptum fuit apud Ælianum κατὰ τὴν α καὶ ζ. exscriptor male legit α κ ϛ, quod est absurdum: nam scribendum fuisset πρὸς τὴν ζ. quando unum & sex valet septem.

[1] *Prima & nonagesima Olympiade.*

Ad librum 13. pag. 352. Rhod. 168.

Τὴν Μεροδίπα πορθήσας. | *Meropidem populatus.*

Lege Μεροπίδα, id est, Co insulam.

Pag. 365. Rhod. 187.

Θρασύβουλος πεμφθεὶς παρ' Ἀθηναίων.	*Thrasybulus emissus ab Atheniensibus.*

Si fides Xenophonti Hellen. (& cur non ei fides?) Thrasyllus fuit, non Thrasybulus, & pluries eum nominat, & totam historiam persequitur. Igitur in hac eadem pag. pluries ea correctione utere.

Ibid. Rhod. 188.

Μετὰ τ τριάκοντα νεῶν ἀπολύσας.	*Cum navibus xxx. dimittens.*

Quid est ἀπολύσας? quasi Thrasyllum à se dimisisset Alcibiades, imo eum secum recepit. Igitur, ut fides historiæ constet, lege, ἀπολήψας, cum recepisset Thrasyllum cum 30 navibus.

Pag. 366. Rhod. 189.

Ἐπολέμουν τοῖς τὸ Ἴγχυον ἔχουσι.	*Chium habentes bello lacessebant.*

Henricus Steph. in margine correxit & jubet legi Ἴχιον, nescio unde habuerit eam vocem, quæ numquam mihi pro nomine loci lecta est. Ego simplicius lego, τὴν Χίον, urbem Chium, quod consonat præcedentibus.

Ibidem.

Ἀλκιβιάδης καὶ Θρασύβουλος Λάβδακον τειχίσαντες.	*Alcibiades & Thrasybulus munita Labdaco.*

Iterum hoc loco lege Θράσυλλος, & pro Λάβδακον, quod est Syracusanorum castellum in Sicilia, de qua non agitur, lege Λάμψακον,

&

& sic legendum esse patet ex eodem Diodoro, infra pag. 388, eodem libro, ubi ait Lysandrum recepisse Lampsacum, & Atheniensium præsidium ex conditione fœderis dimisisse liberum.

Pag. 368. Rhod. 192.

Ἐξέπλευσεν εἰς Ἄνδρον καὶ καταλαβόμενος Κάτριον φρούριον.	*In Andrum transmittit & Gaurium castellum occupans.*

Xenophon lib. 1, non Κάτρειον, sed Γαύρειον habet; quod præfero, & hoc loco scribi debere puto. Nam T. Livius lib. 31 *Gaureleon* vocat. Linea sequente pro ἀνδρῶν lege Ἀνδρείων.

Pag. 369. Rhod. 194.

Ἠνάγκασε τοὺς φυγάδας τοὺς τὰ τῶν Ἀθηναίων φρονοῦντας καταδέχεσθαι.	*Adegit ut exules, qui Atheniensium partes fovebant, in urbem reciperent.*

Ad illustrationem hujus loci, & pleniorem historiæ cognitionem, addendum ex Demosthene: [1] Ἐκφάντου ξυμπράττοντος, καὶ τὴν Λακεδαιμονίων φρουρὰν μετ' ὅπλων ἐκβάλλοντος.

[1] *Ecphanto adjuvante & Lacedæmoniorum præsidium armis expellente.*

Pag. 370. Rhod. 196.

Λυσανίαν ...... Θρασύβουλον.	*Lysaniam, Thrasybulum.*

In primo nomine variat Xenophon, qui uno loco Λέοντα, altero Λυσίαν vocat. Sed verum nomen est Λυσίας. Nam & ipse Diodorus infra pag. 386 sic eum appellat. Pro Θρασύβουλον vero iterum repone Θράσυλλον, ut est infra dicta pag. 386 & apud Aristophanis Scholiast. ad Ranas.

Pag. 384. Rhod. 217.

Καὶ τῆς ἄκρας τῆς Κατάνιδος.	*Et Catanide promontorio.*

Quænam fuit ea Catanis acra, de qua alii silent, tam historici quam geographi? nulla credo fuit: est enim ea vox mendosa, ut puto, sed in ea emendanda nihil juvat Xenophon, qui in eo loco, ubi de hac pugna mentionem facit, in nomine loci corruptus est, male ibi repetita Maleæ mentione, ut supra ad eum auctorem notavimus. Id promontorium apud Ptolemæum dicitur καινὴ ἄκρα, ubi credo legendum Καίνη, quod & Bertius interpretatur Cane oppidum. Pomponius Mela id oppidum *Canna* vocat. Sed credo legendum

Cana aut Cane. Stephanus in voce Κάναι hoc habet: [1] Κάναι πολίχνιον Εὐβοϊκὸν ἢ Λόκρον, κατὰ τὰ ἄκρα τῆς Λέσβου, ἔστι καὶ ὄρος Κάνη καὶ πόλις καὶ λίμνη. quæ etiam emandanda sunt & legendum: [2] Κάναι πολίχνιον Εὐβοϊκὸν ἢ Λόκρων κατὰ δὲ ἄκρα τῆς Λέσβου ἐστὶ καὶ ὄρος Κάνη καὶ πόλις καὶ λίμνη. & in voce Αἶγα idem Stephanus habet, [3] Αἶγα τῆς Αἰολίδος ἄκρα, ὡς Στράβων, ἡ νῦν Κάνη καὶ Κάναι λέγεται. Ex omnibus his locis simul collatis mihi persuadeo legendum esse in hoc Diodori loco, καὶ τῆς ἄκρας τῆς Κανίδος nisi quis malit Κάνης, potest tamen Diodorus à nomine urbis Canæ formasse nomen promontorii Κανὶς analogia Græcis solita. Sic ab urbe Ἄβαρνος factum Ἄβαρνις ἄκρα, à Γίγωνος Γίγωνις, à Δέῤῥα Δέῤῥις, à Δάρδανος Δαρδανὶς, à Τελμίσσος Τελμισσὶς, à Φάσηλος Φασηλὶς, & alia.

[1] *Cana oppidulum Euboïcum seu Locrum, secundum Lesbi extrema, est etiam Cane & mons & oppidum & lacus.*

[2] *Cana oppidulum Euboïcum vel Locrorum, ad extrema autem Lesbi est etiam mons Cane & urbs & lacus.*

[3] *Æga Æolidis promontorium, ut Strabo, quæ nunc Cane vel Cana dicitur.*

Pag. 385. Rhod. 218.

Τὴν Ναυσίου τοῦ στρατηγοῦ ναῦν. | *Nausiæ prætoris triremem.*

Lego Αυσίου τοῦ στρατηγοῦ. Nam Nausias inter illos decem duces classis nec à Xenophonte nec à Diodoro ipso nominatur.

Ibidem. Rhod. 219.

Καταποντηθῆναι. | *Procidisse.*

Melius ex Xenophonte legitur καταποντισθῆναι. Nam sic de Callicratida ait, ἀποπεσὼν εἰς τὴν θάλασσαν ἠφανίσθη, quod est proprie καταποντισθῆναι.

Pag. 386. Rhod. 220.

Εἰς τὴν Τυῤῥαίων πόλιν. | *In Tyrræorum urbem.*

Reponendum sine dubio Πυῤῥαίων, nam Πύῤῥα, urbs celebris in Lesbo insula, at nulla in ea insula Τύῤῥα aut Τύῤῥος.

Ibidem.

Τοὺς διαβαλόντας πρὸς τὰ πλήθη τῶν πλευστηκότων. | *Illos traducentes ad plebem de neglectu mortuorum.*

Imperfecta oratio, ubi proculdubio deest aliquid: tentabam supplere [4] σὺν διαβαλόντας πρὸς τὰ πλήθη αὐτοὺς ὡς ἀμελήσαντας τῶν τελευτησάντων.

[4] *Calumnia eos onerantes populum versus, ut qui nullam curam mortuorum habuissent.*

Pag. 387. Rhod. 222.

Σοφοκλῆς Θεοφίλου. | *Sophocles Theophili filius.*

Lege ὁ Σοφίλου, ut ab aliis deducitur.

Pag. 388.

Pag. 388. Rhod. 223.

Καλῴκισεν εἰς Κλαῦδα φρούριον ὂν τῆς Κλαυδίας.	*Clauda, quod Claudiæ castellum est inhabitanda concessit.*

Neque de hoc castello alius auctor, quod sciam, mentionem fecit, nec de illa Claudia regione: ideo ex sola conjectura licet emendare hunc locum sine dubio mendosum, & in proclivi quidem foret reponere Λυδίας. Sed non fuit Lydia sub Pharnabazi præfectura: nam Tissapherni, & post eum Tithrausti, parebant Caria, Ionia, Lydia; Pharnabazo vero Æolis, Hellespontus, Bithynia. Ergo censeo reponendum pro Κλαυδίας, Αἰολίδος: nam ex vestigiis unius & litteris fugientibus potuit ab imperito exscriptore altera supponi. sic ...ολίδος. qui dubius quomodo scriberet, putavit, ut ex Σικύων, fit Σικυωνία, sic ex Κλαῦδα debere fieri Κλαυδία.

Pag. eadem.

Θάσον τῆς Καρίας.	*Thasum Cariæ urbem.*

Nulla Thasus fuit in Caria, lege meo periculo Ἴασον, ut infra Diodorus lib. 19 pag. 712. De ea Ἰάσῳ mentionem fecerunt Thucydides, Polybius, Arrianus, Heraclides, Diogenes Laërtius, Appianus, multi alii.

Ibidem.

Ἀλκιβιάδου δὲ πρὸς αὐτοὺς ἐλθόντος.	*Tum Alcibiades ad ipsos excurrens.*

Tota hæc narratio de Alcibiadis colloquiis cum ducibus classis, & de pugna ipsa multum differt ab iis, quæ habemus apud Xenophontem. Fortè hæc habet ex Theopompo Diodorus, nam de eo bello scripserat, & Thucydidem continuaverat. Sed mihi potior est fides Xenophontis, cujus scripta extant.

Pag. 389. Rhod. 225.

Τὸν πατέρα τοῦ Γυλίππου Κλέαρχον.	*Patrem Gylippi Clearchum.*

Pater Gylippi Thucydidi dicitur Κλεανδρίδας, quod magis placet, ut supra notavi ad Thucydidem pag. 476.

Ad

Ad librum 14. pag. 401. Rhod. 242.

Λασθένην τε τὸν Θηβαῖον, τὸν νενικηκότα πάντας τὴν Ὀλυμπιάδα.	*Lasthenem quoque Thebanum qui hac Olympiade palmam retulit.*

Ex sequentibus patet eum cursorem fuisse. Sed quando supra dixit Crocinam Thessalum Larissæum vicisse stadium in hac Olympiade, restat, ut dicamus δόλιχον vel δίαυλον vicisse hunc Lasthenem. Sed dolichum magis convenit ei, cui tantum spiritus suppetebat, ut à Coronia Thebas usque indesinenter currens equum exercitatum athleticum vinceret. Fuit autem dolichus viginti stadiorum, ut docet Sophoclis Scholiastes ad Electram.

Ibidem. Rhod. 243.

Περὶ τὸν καλούμενον Πόρον συνῆψε μάχην.	*In loco, qui Tori nomen habet, pugnam conserit.*

De hoc nomine Πόρος eo loci silent alii. Fuit certe locus ita dictus in Thraciæ littore inter mare & lacum non longe à Maronea, de quo Cautacusenus pag. 287 & Belonius, qui in eo loco urbeculam sitam ait nomine Bouron, à Πόρος (ut credo) deducto, quæ lacui dedit nomen, quem volunt quidam Bistonicum fuisse. Sed de eo loco nunc non est sermo: nam ex tota narratione patet eum Poron debere intelligi inter Selybriam & Byzantium. Ex natura loci id nomen accepit ille πόρος, id est, *meatus*; est enim inter Selybriam & Constantinopolin lacus, qui exiguum spatium terræ relinquit in maris litore, de quo prolixe satis Procopius græcè editus lib. 4 cap. 41; eum vide, prolixior enim est ille locus, quam ut debeat hic ascribi. Is locus ob angustias πορθμὸς & μύρμηξ dicitur à Procopio.

Pag. 404. Rhod. 247.

Παυσανίαν ἐπ' αὐτοὺς ἀπέστειλαν.	*Pausaniam bellum iis facessere jubent.*

De hoc loco, vide quæ supra notavi ad Xenophontis paginam 287.

Pag. 406. Rhod. 250.

Εἰσέβαλεν εἰς Τενέβιον.	*Campos quosdam ingressus est.*

Notatur

Notatur asterisco hæc ultima vox Τειέϐιον: jure profectò. Lege, si nobis credis, erudite lector, εἰς τὸ πεδίον. Post montium scilicet angustias superatas, tandem in plana & campestria descendit; quæ præcedunt, & quæ sequuntur, inducunt nos, ut ita legamus.

Pag. 407. Rhod. 252.

Μία δ' ἐστὶ τῆς περὶ τοὺς τόπους ἐκείνους καὶ καλεῖται μὲν Λίϐανος.	*Vnica per ista loca ducit via, & Libanus vocatur.*

Mirè se prodit ἀγεωγραφησίαν hoc loco Diodorus: nec video quomodo possim eum tueri.

Ibidem.

Ὀρύξας οὖν τάφρον τὸ μὲν πλάτος ποδῶν ἑξήκοντα, τὸ δὲ μῆκος ποδῶν δέκα.	*Fossam igitur* LX *pedes latam & X pedes altam duxit.*

Si sana est hæc lectio, notanda est, alibi enim non invenias talem vocis μῆκος significationem, nempe pro βάθος. Hunc Diodori locum mallem notare, quam imitari: Sed credo deesse aliquid, & suspicor post vocem μῆκος scriptum fuisse numerum longitudinis ejus fossæ, & deinde [1] τὸ δὲ βάθος ποδῶν δέκα.

[1] *Profunditas autem pedum decem.*

Pag. 413. Rhod. 261.

Θρασύϐουλος ὁ Τυριεὺς ὀνομαζόμενος.	*Thrasybulus Tyriensis cognomento.*

Meursius emendat Στειριεὺς, optimè. Sed fuit & alter Thrasybulus Κολυτεὺς, quem etiam fuisse ex numero eorum, qui Philam occupaverunt, ait Demosthenes oratione contra Timocraten: Forte ille Alcibiadis inimicus Thrasonis filius, de quo Plutarchus in Alcibiade.

Pag. 414. Rhod. 262.

Πρὸς τοὺς περὶ Θρασύϐουλον, φανερῶς.	*Ad Thrasybuli castra, prætextu.*

Inter Θρασύϐουλον & φανερῶς desunt proculdubio multa; verborum, quæ desunt, sententia fuit, quosdam & è triginta tyrannis etiam adiisse Thrasybulum.

Pag. 415. Rhod. 264.

Οὐένλερας. | *Ventras.*

Vox est nihili: puto legendum Οὐελίτερας.

Pag. 416. Rhod. 265. & 266.

Ἀρχέλαος ὁ. β. ε. τ. κ. π. α. ὑπὸ Κρατήρου τοῦ ἐρωμένου ι. β. μ. βασιλεύσας ἔτη ἑπτά.	*Archelaus rex vexationi indulgens à Cratero, quem in deliciis habebat imprudenter sauciatus vitam cum morte commutavit, cum annos* VII *regnasset.*

Hunc Craterum Plutarchus in erotico Crateam vel Crateuam vocat. Sed de septennio regni Archelai manifesto calculus errat. Nam supra Glaucippo Archonte regnantem Archelaum facit: at à Glaucippo ad Lachetem intersunt anni decem. Forte scripserat, ἑπτὰ καὶ δέκα. Sed Dexippus (ut ait Petavius) quatuordecim tantum annos regnasse Archelaum dixit: ex litteris numeralibus error manavit, ut amat fieri.

Ibidem.

Αὖλος Μαπίλιος, Κάπιτος Κλώδιος, καὶ Μάρκος Ἄσκος.	*Aulus Manlius Capitolinus, Q. Servilius & M. Sergius.*

Hæc nomina sic ex T. Livio corrigenda: Αὖλος Μάλλιος, Κόϊντος Σερουίλιος, καὶ Μάρκος Σέργιος. Græculi exscriptores, qui linguæ latinæ nullam aut paucam notitiam habebant, sæpissime in nominibus propriis Romanis exprimendis peccabant.

Pag. 417. Rhod. 266.

Ἀνάξιτον. | *Hamaxitum.*

Palam est legi debere Ἀμάξιτον.

Pag. 428. Rhod. 283.

Τῶν νεῶν πλήρη. | *Navigiorum repleta.*

Ex antecedentibus & consequentibus sensus exigit, ut legamus [1] τῶν πεζῶν πλήρη.

[1] *Peditum plena.*

Ibidem.

Ibidem.

Ταῖς μὲν ἀρεταῖς ὑπερεῖχον οἱ Καρχηδόνιοι.	*Carthaginienses virtute superant.*

Ut antecedentibus hæc historia consonet, lego minima mutatione [1] ὑπερείχοντο Καρχηδόνιοι, &c.

[1] *Superabantur Carthaginenses.*

Pag. 437. Rhod. 297.

Τετρακισχιλίους Μεδιμναίους, ἑξακοσίους δὲ τῶν ἐκ Πελοποννήσου Μιλησίων.	*Quatuor millia Medimnæorum & Messenios è Peloponneso sexcentos.*

Qui fuerunt illi Medimnæi, non succurrit, & facile foret reponere Μηθυμναίους. Sed numerus 4000 nimius pro tali urbe videtur: at pro Μιλησίων, qui nulli fuerunt in Peloponneso, repone Μεσσηνίων.

Pag. 439. Rhod. 298.

Θυβαρνῶν.	*Thybarnarum.*

Vox corrupta: lege Θυμβράρων ex Stephano & Xenophonte Cyropædias 7.

Ibidem. Rhod. 299.

Διά τινος Λαρισσαίου Σατράπου.	*Satrapæ cujusdam Larissæi opera.*

Polyænus nos docet, quo modo hic locus emendari debet, lib. 7, cap. de Artaxerxe. Lege igitur, ut ille habet Ἀρσαίου σατράπου.

Pag. 440. Rhod. 300.

Μάρκος Φρούριος — Κλαύδιος Οὔγων καὶ Μάρκος Ἄππιος.	*Marcus Furius, M. Valerius Maximus & L. Furius.*

Ex Livio lege Μάρκος Φούριος — Μ. Οὐαλέριος Μαξ. καὶ Λούκ. Φούριος Μεδούλλινος. In nominibus propriis Romanis præfero T. Livium Romanum.

Pag. 441. Rhod. 302.

Εἶτα Νισιαίους καὶ Τίους.	*Post Nisiaos etiam & Tios.*

Lege confidenter, Νισυραίους καὶ Τηΐους. Nisyrus fuit insula vicina

Co insulæ. Teius vero peninsula in itinere à Co insula Chium versus.

Pag. 444. Rhod. 307.

Ἐπεβάλετο δὲ καὶ Ἰφικράτης ὁ Ἀθηναῖος καταλαβέσθαι τὴν χώραν.	*Regionem hanc etiam Iphicrates Athenienſis ſubigere in animum induxerat.*

Quid eſt hoc loco καταλαβέσθαι τὴν χώραν? non affulget lux ex hiſtoricis huic loco. Forte non male quis leget, τὴν ἄκραν, id eſt, Corinthiorum ἀκρόπολιν, quæ Acrocorinthus dicebatur. Forte quis meliora docebit.

Pag. 447. Rhod. 310.

Ἀβδήμονα τὸν Τύρσων. | *Abdemona Tyrium.*

Palam eſt legi debere τὸν Τύριον.

Pag. 449. Rhod. 314.

Ἐπὶ Συρακουσῶν. | *Syracuſis.*

Lege ἀπὸ Συρακουσῶν.

Pag. 453. Rhod. 319.

Ἐκκεκλημένος. | *Evocatus.*

Lege ἐκκεκλημένος.

Ad librum 15. pag. 459. Rhod. 328.

Ἄκορον τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα. | *Acorin Ægyptiorum regem.*

Theopompus apud Photium lib. 12, habet Πάκωριν.

Ibidem.

Ὁ τῶν βαρβάρων βασιλεύς. | *Arabum rex.*

Lege Ἀραβων.

Pag. 461. Rhod. 331.

Τῇ δὲ ὑστεραίᾳ. | *Sed poſtridie.*

Non concordat Ælianus lib. 12 variæ hiſt. nam ſecundum illum non adeo brevis fuit Philoxeni in Latomiis mora: ait enim ibi eum compoſuiſſe ſuum Cyclopa, pulcherrimum omnium, quæ compoſuit, poema; nec Theocritus in Idyllio 7. qui (meo quidem judicio) eam Philoxeni calamitatem deflet ænigmatice ſub Comatæ nomine:

ne: ait enim fuisse ἐν δωρεία λάρναξι (id est in Latomiis) ἔτος ὥριον, quod Scholiastæ interpretantur ἔαρος ὥραν, trimestre tempus in vere. Eam litem doctioribus judicandam relinquo.

Pag. 467. Rhod. 341.

Ἐπὶ Φαιυντίους. | *In Phauntios.*

In proclivi erat emendare, & reponere Φλιουντίους. Ortelius tamen ex hoc loco somniavit Φαιοῦν urbem, quam posuit in suo Lexico.

Ibidem.

Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Μενάνδρου.	*Cum princeps civitatis Atticæ Menander esset.*

Demosthenes contra Timocraten, loquitur de Euandro Archonte, qui proculdubio idem est cum isto Menandro. quid melius aliunde expiscandum.

Pag. 472. Rhod. 348.

Πρῶται δὲ καὶ προθυμοτάται συνεμάχησαν αἱ κατὰ τὴν Εὐβοίαν οἰκοῦσαι χώρας, Ἀκτίας, αὕτη γὰρ εὐεργετημένη ὑπὸ Λακεδαιμονίων μεγάλα, πεπολεμημένη δὲ δεινῶς ὑπὸ Ἀθηναίων, εὐλόγως πρὸς μὲν Ἀθηναίους, ἀδιάλυτον ἐφύλαττε τὴν ἔχθραν, πρὸς δὲ τοὺς Σπαρτιάτας βεβαιοτάτην πίστιν διεφύλαττεν.	*Prima vero & alacriores societatem inierunt urbes per Eubœam habitata, excepta Actia; ea enim cum à Lacedæmoniis magna accepisset beneficia, ab Atheniensibus vero gravi bello vexata fuisset, jure implacabiles inimicitias cum Atheniensibus exercebat, fidem vero firmissimam servabat Lacedæmoniis.*

Et paulo post.

Κατὰ δὲ τὴν Εὐβοίαν βραχὺ πρὸ τούτων τῶν χρόνων. Νεογένης τις ὄνομα μετ' Ἰάσωνος τοῦ Φεραίου συλλέξας στρα-	*In Eubœam vero paulo ante hoc tempus, quidam nomine Neogenes, cum una cum Iasone Pherao milites adunasset,*

πώτας κατελάβετο τὴν ἀκρόπολιν τῶν Ἀκλιαίων, καὶ Τύραννον ἑαυτὸν ἀπέδειξε ταύτης τῆς χώρας καὶ τῆς Ὠρωπίων πόλεως.

unasset, occupavit Actiaorum acropolin, & se in Tyrannum erexit ea regionis & Oropiorum urbis.

Hæc duo loca diu me torserunt: non enim videbam, quomodo intelligere possem de ea Actiorum urbe & acropoli, quæ vicina fuisset Oropo. Sed tandem ex iis tenebris emersi, & mendosa hæc duo loca in vocibus Ἀκλίας & Ἀκλιαίων & Ὠρωπίων deprehendi. Et de Actia quidem in Eubœa nihil invenitur alibi, omnes tam Historici quam Geographi de ea siluerunt, nec de Oropo in Eubœa, si Stephani abbreviatorem excipias, qui ex hoc loco proculdubio id habet. Sed judice Salmasio in Solinum p. 148 exulare debent à Stephani textu hæc verba, ἐστὶ καὶ ἄλλη Βοιωτίας, & cum multa ratione id censet: eum vide, & ita certe judicabis. Ergo pro Ἀκλίας & Ἀκλιαίων, lege meo periculo Ἑστιαίας, & Ἑστιαίων, & pro Ὠρωπίων lege Ὠρείτων, & omnia bellissimè quadrabunt. Estiæorum urbs à Pericle desolata fuit, pulsis omnibus civibus, ut nos docuit supra Diodorus lib. 10, pag. 293; & idem ait etiam Plutarchus in Pericle. Inimici igitur Atheniensium Estiæi, quod hîc de Actiæis dicitur: contra recenti beneficio devincti fuerant à Lacedæmoniis, quod etiam nos docet Diodorus verbis immediate sequentibus, ubi Theripidam missum paulo ante à Lacedæmoniis ait: qui Neogenem illum Tyrannum profligaverat, & eo pulso libertatem restituerat Oropiis (ubi legendum *Oreitis*. At Ὠρεὸς & Ἑστίαια eadem urbs fuit binominis, testis locuples Strabo lib. 10 in initio, ubi ait eam urbem prius Histiæam, deinde Oreum dictam: & idem asserit Thucydidis Scholiastes ad lib. 1, pag. 75. Facessant igitur eæ voces corruptæ, & legatur audacter Ἑστιαίας vel Ἱστιαίας (ut Strabo) & Ἑστιαίων pro Ἀκλίας & Ἀκλιαίων, & pro Ὠρωπίων, Ὠρείτων, & nullæ tenebræ insidebunt huic Diodori loco, qui, ut nunc legitur, inquinatus est & obscurus. Sed non opus erat tanto conatu. Nam ecce Diodorus ipse statim ait (quod non advertebam) [1] δι' ἣν αἰτίαν οἱ τῶν Ἑστιαίων καλουμένων χώραν οἰκοῦντες οἰκείως διετέθησαν πρὸς τοὺς Σπαρτιάτας, quod omnino evincit, quod probare aliunde conatus sum.

[1] *Qua de causa, qui Estiaorum regionem habitabant, bene dispositi erant erga Spartiatas.*

Pag. 473.

Pag. 473. Rhod. 349.

Οἱ τὴν Ἀκτὴν καλουμένην οἰκοῦντες. | *Actes, quam vocant, accolæ.*

Hi fuerunt Epidaurii, Methonæi, Trœzenii: totus enim ille litoris tractus Orientalis Ἀκτὴ dicebatur, ut Scymnus Chius versu 522. & Thucydides, si bene citatur à Stephano in Ἀκτῇ.

Pag. 480. Rhod. 361.

Τοῖς ἐπὶ τῆς Λακεδαιμονίων ἐπιστασίας κυρίοις γεγονόσι τοῦ πολιτεύματος ὁ δῆμος χαλεπῶς ἔχων καὶ μνησικακῶν ἐφυγάδευσε πάντας. | *Populus graviter offensus illis penes quos sub Lacedæmoniorum clientela summa potestas fuerat, quod injuriarum memoria stimularetur, omnes solum vertere coëgit.*

Quomodo sit intelligendus hic locus, si sanus est, non video. Supra dixerat Lacedæmonios favere Oligarchiis ubique, Athenienses vero statui populari, & ita nunc in Zacyntho, ait iis, qui à partibus Lacedæmoniorum erant, populum iratum eos omnes exulare jussisse: postea verò ait eos exules ad Timotheum Atheniensium ducem confugisse: & eo juvante bellum gessisse contra eos, qui erant in urbe. Hæc mihi videntur ἀσύστατα, proculdubio non est integer hic locus, desunt quædam quæ (ut videtur) exulum Lacedæmoniis faventium reditum, & contrariæ factionis Atheniensibus faventis expulsionem continebant. In hoc nodo solvendo nihil est opis in Xenophonte, qui de eo negotio nihil dixit: expectanda lux aliunde.

Pag. 482. Rhod. 363.

Νικοκλῆς ὁ εὐνοῦχος ἐδολοφόνησεν Εὐαγόραν τὸν βασιλέα. | *Nicocles per insidias obtruncavit regem Euagoram.*

Non meminit de ea cæde Isocrates, licet de Euagora & ejus filio Nicocle multa dixerit. Nicocles fuit Euagoræ filius legitimus, ut ex eodem Isocrate patet. Sed ex ejus silentio non est damnandus, ut falsus, hoc loco Diodorus. Nam is Rhetor Nicocli adulatur, & ideo potuit prætermittere tam dirum facinus. Theopompus certe

lib. 12

lib. 12 historiarum apud Photium, eunuchum quendam ait eam cædem patrasse, sed eum Thrasydæum nomine, patria Eleum fuisse ait. Occidit autem non solum Euagoram, sed & ejus filium Pythagorem majorem (ut puto) natu, & forte, ut regnaret Nicocles, ut conjicere licet ex illo Theopompi loco cum hoc Diodori collato, & ex rhetoris silentio, qui de morte Euagoræ nec in Euagora nec in duabus ad Nicoclem exhortationibus ne verbum quidem fecit. Ideo non dubito ex his præmissis concludere hoc loco Diodori debere legi, Νικοκλῆς καὶ ὁ Εὐνοῦχος.

Pag. 483. Rhod. 365.

Ὁ δὲ περὶ τὸ Στύμφιον. | *Alter vero ad Stymphium.*

Credo, debere legi Στύμφαλον, nisi forte fuerit mons Στύμφιον circa Stymphalum, de quo siluerint omnes alii auctores.

Ibidem.

Ὀνομασθεῖσα πυρίνη δοκίς. | *Ignita trabs cognominata.*

Id meteorum ab Aristotele videtur appellatum fuisse ὁδός. Sic enim ille metereologic. lib. 1, cap. 6, de quodam meteoro,[1] τὸ δὲ φέγγος ἀπέτεινε μέχρι τοῦ τρίτου μέρους τοῦ οὐρανοῦ, διὸ καὶ ἐκλήθη ὁδός.

[1] *Lumen autē tendebat usque ad tertiam cœli partem, & ideo vocata est via.*

Pag. 484. Rhod. 367.

Περὶ γὰρ τὰς πύλας ἀπηντήσε τοῖς περὶ Ἐπαμεινώνδαν κήρυξ τυφλὸν ἄνδρα ἀποδεδρακότα κομίζων, καὶ καθάπερ ἦν εἰθισμένον, ἀναγόρευε κηρύττων, μήτ' ἐξάγειν Θήβηθεν μήτ' ἀφανίζειν, ἀλλ' ἀπάγοντα πάλιν ἀνασώζειν.

Circa portas enim obviam factus est Epaminondæ præco cæcum fugitivum reducens & (de more) dicebat, inclamans ut præco. Neque à Thebis abducere neque perimere: sed rursus abducentem servare.

Notandus est optimus hic Græcorum vel Thebanorum mos, pius & mansuetudinis plenus. Scilicet servi fugitivi, sed sponte (ut puto) ad dominum redeuntes in manus præconis publici se tradebant, qui eos ad dominum reducentes hanc formulam alta voce, per vicos & compita, ut ab omnibus audiretur, inclamabant. *A Thebis non abducito, neque perimito, sed rursus reducito & servato.* Romani

non

non ita pii, quibus licebat servos suos pro arbitrio suo necare. de eo more nihil alibi legi.

Pag. 485. Rhod. 368.

Ἐν παρόδῳ δέ τινα τῶν πολισματίων χειρωσάμενοι.	*In transitu tamen oppidulis quibusdam in fidem suam adactis.*

Scilicet Κρέῦσιν, ut ex Xenophonte disco, Hellenicorum lib. 6.

Pag. 486. Rhod. 369.

Κλεόμβροτος ἀνέζευξε μετὰ τῆς δυνάμεως ἐκ τῆς Βοιωτίας.	*Cleombrotus cum exercitu ex Bœotia se recipiebat.*

Aliter multo rem narrat Xenophon, Hellenic. 6. eum vide, & quæ ad eum locum supra notavi pag. 349.

Pag. 488. Rhod. 373.

Ἀμύντας ...... ἐτελεύτησεν... υἱοὺς ἀπολιπὼν τρεῖς Ἀλέξανδρον καὶ Περδίκκαν καὶ Φίλιππον.	*Amyntas decessit tres post se filios Alexandrum, Perdiccam. & Philippum relinquens.*

Sed infra eodem lib. quartum addit, Ptolemæum Aloritem dictum, fratris Alexandri occisorem, & regni usurpatorem. Sed forte non fuit legitimus. Ideo eum hoc loco inter legitimos non numerat. Si credendum est Trogo apud Justinum lib. 7, fuit non filius Amyntæ, sed gener ex filia Euryone.

Pag. 492.

Ἐπὶ Παλλήνην τῆς Λακωνικῆς. | *Ad Pallenen Laconiæ.*

Lege Πελλήνην, in communi dialecto: at Dorica, qua utebantur Lacones, Πελλάναν vocabant.

Pag. 493. Rhod. 380.

Καὶ Φαιουῦντα. | *Et Phauntem.*

Lege & hoc loco Φλιοῦντα.

Pag. 494. Rhod. 382.

Ἔτη τετταράκοντα. | *Annos* III.

Lege τρία, ut docet infra pag. 497.

Pag. 495. Rhod. 383.

Μετὰ δὲ τὴν μάχην οἱ Ἀρκάδες φοβηθέντες τὰς τῶν Λακεδαιμονίων εἰσβολὰς ἔκτισαν ἐπί τινος ἐπικαίρου τόπου τὴν ὀνομαζομένην Μεγάλην πόλιν.

Post pugnam autem Arcades timentes Lacedamoniorum incursiones ædificaverunt in quodam commodo loco Megalopolin dictam urbem.

Videtur pugnare Pausanias in Arcadicis, his verbis: [1] Τῆς πόλεως ἢ οἰκιστὴς Ἐπαμεινώνδας ὁ Θηβαῖος σὺν τῷ δικαίῳ καλοῖτ' ἄν, τοῦτο τε γὰρ Ἀρκάδας οὗτος ἦν ὁ ἐπαγείρων εἰς τὸν συνοικισμόν. Non pugnat tamen, si attente legatur: non enim dicit Epaminondam affuisse, aut fundasse, sed eo quod Arcadas in unum corpus collectos simul habitare persuaserat, ideo posse etiam jure vocari Megalopoleos fundatorem.

[1] *Urbis autem conditor Epaminondas Thebanus jure vocari potest: Arcadas enim ille congregavit, ut simul habitarent.*

Pag. 496. Rhod. 385.

Θεμεσίων ὁ Ἐρετρίας τύραννος Ὠρωπὸν κατελάβετο.

Eretriæ tyrannus Themesio in potestatem suam redegit Oropum.

Ille homo à Demosthene orat. de corona, & ab Æschine de falsa legatione, & iterum contra Ctesiphontem Θεμίσων constanter vocatur. Melius: nam fuit nomen proprium Græcis usurpatum. Juvenalis sat. 10.

Quot Themison ægros autumno occiderit uno.

At *Themision* alibi non occurrit.

Pag. 498. Rhod. 388.

Καὶ γὰρ Ἀθηναίους ἐν τῷ πρὸς Ξέρξην πολέμῳ διακοσίαις ναυσὶ διαπληρουμένας, Λακεδαιμονίοις δὲ καὶ ναῦς παρεχομένοις ὑποτέταχθαι.

Athenienses enim licet CC in Xerxico bello naves cum omni apparatu possiderent, Lacedamoniis tamen, qui decem præberent, auscultasse.

Hic locus morbosus est. Nam & διακοσίαις ναυσὶ διαπληρῶντας solœcisat, & ναῦς παρεχομένοις absurdum sonat, & falsum est: & solœcismum quidem sanare facile foret legendo διακοσίας ναῦς.

Non tamen puto sic scripsisse Diodorum, sed potius διακοσίαις ναῦσι διαπλέοντας. nam διαπληρῶσαι non invenitur, quod sciam. Sic igitur totum hunc locum legendum censeo: [1] Καὶ γὰρ Ἀθηναίοις ἐν τῷ πρὸς Ξέρξην πολέμῳ διακοσίαις ναῦσι διαπλέοντας, Λακεδαιμονίοις δέκα ναῦς παρεχομένοις ὑποτετάχθαι. Hæc emendatio firmatur ex Herodoto, qui ipsissimis verbis eum numerum navium ab unaquaque civitate præbitarum recenset: hæc ait, Λακεδαιμόνιοι δὲ δέκα. Hoc fidejussore credo fidem mihi habebis, lector erudite.

[1] Nam Athenienses, qui in bello contra Xerxem ducentis navibus navigabant, Lacedamoniis decem naves prebentibus subordinabantur.

Pag. 500. Rhod. 391.

Ὁ δὲ βασιλεὺς τῶν Λακεδαιμονίων Ἆγις.	*Sed rex Lacedamoniorum Agis.*

Immensum quantum discedat à Xenophonte Diodorus in hujus expeditionis narratione. Xenophon omnia ad Agesilai gloriam amplificandam narrat, & illi tribuit, quæ hoc loco Diodorus de Agide narrat, & Plutarchus quidem in Agesilai vita sequutus est Xenophontis auctoritatem. Diodorus vero, ut puto, Theopompum & Anaximenem habuit auctores suæ narrationis, cui potius dabitur fides. Xenophontis certe auctoritas apud me prævaleret, nisi Agesilai amicitia eum suspectum faceret: itaque pendeo & nihil in eo est certi.

Pag. 504. Rhod. 398.

Ἀριοβαρζάνης ὁ τῆς Φρυγίας σατράπης, ὃς καὶ Μιθριδάτου τελευτήσαντος, τῆς τούτου βασιλείας κεκυριευκὼς ἦν.	*Ariobarzanes Phrygia Satrapes, qui Mithridatis regnum potestati sua vindicaverat.*

Non mediocris ex hoc loco emergit difficultas, ut quadret gestis à Diodoro narratis temporum ratio. Ait Diodorus, Molone Archonte jam Mithridatem mortuum esse, & Ariobarzanem ejus filium dominum factum ejus Dynastiæ: pagina vero sequenti ponit eodem anno Datamis rebellionem & pugnam cum Artabazo, & ait post eam Datamis victoriam Artaxerxem timentem ejus virtutem curasse, ut per dolum interficeretur. At Æmilius Probus & cum eo Polyænus, ille in Datamis vita, hic lib. 7 in Mithridate, ajunt Datamem interfectum fuisse per insidias & dolum Mithridatis: at non potuit esse alius Mithridates, quam ille Ariobarzanis pater, Satrapiæ Datamis vicinus, & qui cum eo rebellare simulaverat. Aut igitur

Diodorus narrat ὕστερον πρότερον, quæ pridem acciderant, aut falsi sunt Æmilius Probus & Polyænus: aliunde expectanda lux.

Pag. 506. Rhod. 400.

Τοῦ δὲ βασιλέως Τάχω ἐπανελθόντος.	*Iam Tachos rex redierat.*

Hæc Diodori narratio confusa videtur, forte & hiulca est. Sanè multum diversa ab iis, quæ de hoc negotio multo accuratius narrat Plutarchus in Agesilao, eum vide.

Pag. 507. Rhod. 402.

Τῶν δὲ συγγραφέων Ἀθάνας ὁ Συρακούσιος.	*Historicorum in numero Athanas Syracusius.*

Auctor ille à Plutarcho in Timoleonte Ἀθάνις vocatur, non Ἀθάνας. Sic etiam Athenæo lib. 3 citatur Ἀθάνις ἐν πρώτῳ Σικελικῶν.

Pag. eadem.

Καὶ στρατηγὸν Λεωσθένην ἀπολιπόντων.	*Et qui Leosthenem ducem ibi reliquerant.*

Hæc ultima vox mendum redolet: forte legendum ἀποπεμψάντων. Forte aliquid deest, & forte integra linea.

Ad librum 16. pag. 510. Rhod. 407.

Τοῦτον δὲ Πτολεμαῖος ὁ Ἀλωρίτης δολοφονήσας παρέλαβε τὴν βασιλείαν· καὶ τοῦτον ὁμοίως Περδίκκας ἐπανελόμενος ἐβασίλευσε, τούτου δὲ παρατάξει μεγάλῃ λειφθέντος ὑπὸ Ἰλλυρίων καὶ πεσόντος ἐπὶ τῆς χρείας.	*Sed eo per dolum interempto regnum arripuit Ptolemæus Alorites. Hunc simili fraude Perdiccas vita simul & regno privavit. Verum postquā is ingenti prælio ab Illyriis superatus in ipso necessitatis momento cecidisset.*

Modus, quo Ptolemæus ille Alorites Alexandrum occidit, dignus erat recenseri: eum nos docet Athenæus lib. 14. Sub specie saltationis cujusdam Macedonicæ (quæ, ut puto, in armis fiebat) occisus est, & quidem ut ait Trogus, dolo matris Eurydices, cujus adulter

adulter erat gener suus ex Euryone filia Ptolemæus ille. Cæterum in eo, quod ait Diodorus Perdiccam cecidisse in prælio contra Illyrios, non concordat Trogus, qui eum per dolum matris Eurydices etiam occisum quoque asserit: nihil tamen obstat, quin ambo verum dixerint; nempe cecidit in prælii calore per sicarios à matre ad id immissos, vel eodem modo quo Urias Hettæus in medio hostium derelictus. Cæterum Georgius Syncellus regnum Ptolemæi ponit undecim annis altius.

Pag. 511. Rhod. 408.

Κρενίδας. | *Crenidas.*

Legendum Κρηνίδας ex Strabone.

Pag. 528. Rhod. 435.

Τῶν δὲ περὶ τὸν Ὀνόμαρχον καταφυγόντων εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ τυχικῶς παραπλέοντος τοῦ Ἀθηναίου Χάρητος μετὰ πολλῶν τριήρων πολὺς ἐγένετο φόνος τῶν Φωκέων, οἱ γὰρ φεύγοντες ῥίψαντες τὰς πανοπλίας διενήχοντο πρὸς τὰς τριήρεις, ἐν οἷς ἦν καὶ αὐτὸς Ὀνόμαρχος, τέλος δὲ τῶν Φωκέων καὶ μισθοφόρων ἀνῃρέθησαν μὲν ὑπὲρ τοὺς ἑξακισχιλίους, ἐν οἷς ἦν καὶ αὐτὸς ὁ στρατηγός, ἥλωσαν δὲ οὐκ ἐλάττους τῶν τρισχιλίων. ὁ δὲ Φίλιππος τὸν μὲν Ὀνόμαρχον ἐκρέμασε, τοὺς δὲ ἄλλους ὡς ἱεροσύλους κατεπόντισε.

Onomarcho vero versus mare fugiente, & forte fortuna Charete Atheniensi adnavigante cum multis triremibus, facta est magna cædes: nam qui fugiebant, arma projicientes ad triremes enatabant, è quorum numero erat ipse Onomarchus. Tandem vero Phocensium & eorum, qui mercede militabant, occisi sunt plus quam sex mille, & inter eos ipse Dux: capti autem non minus quam ter mille: Philippus autem Onomarchum suspendit; alios vero, tamquam sacrilegos, in mare immersit.

Hæc non quadrant, nec secum, nec cum anterioribus, nec cum sequentibus. Nam ex his verbis videtur causam occisionis Phocensium

sium præsentiæ navium Atheniensium tribuere: at contra est. Nam Athenienses rebus Phocensium favebant quam maxime: dixit enim supra, [1] τοῖς δὲ Φωκεῦσι συνεμάχουν Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι, & infra etiam hac eadem pagina, dum recenset eos, qui in auxilium Phocensium copias miserunt, ait: Ἀθηναῖοι δὲ πεζοὺς μὲν πεντακισχιλίους, ἱππεῖς δὲ τετρακοσίους. Tum etiam Pausanias nos docet, quomodo Onomarchus perierit, in Phocicis: [2] Ὀνόμαρχος δὲ φεύγων καὶ ἐπὶ θάλασσαν ἀφικόμενος ἐνταῦθα ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν κατηκοντίσθη τῶν οἰκείων. quod intelligo, non ut à suis proditus, sed in turba enatare conantium: & Philippus non ipsum Onomarchum, sed Onomarchi cadaver cruci suspensum affixit. Ita videtur deesse aliquid in Diodori textu, inter Ὀνόμαρχος & πλῆθος δὲ τῶν Φωκέων, & est proculdubio imperfecta narratio & textus hiulcus. Sed apud Pausaniam pro κατηκοντίσθη lego κατεπνίγη, quod multo melius. Nam quando hoc loco ait Diodorus Onomarchum in turba suorum enatare ad triremes Athenienses conatum esse, quomodo ab iis, qui secum enatabant, & arma sua projecerant, confixus fuisset jaculis?

[1] *Phocensibus socii erant Athenienses & Lacedamonii.*

[2] *Onomarchus enim fugiens & ad mare perveniens ibi à propriis militibus in fundam mersus fuit.*

Pag. 529. Rhod. 436.

Ἱππαρίνου τοῦ Διονυσίου.	*Hipparini Dionysii.*

Emenda τοῦ Δίωνος ex Plutarcho in Dione: repetitum est in nepote avi nomen, ut amat fieri: nam Dion fuit Hipparini filius.

Pag. 532. Rhod. 441.

Φωκίωνα τὸν Ἀθηναῖον καὶ Εὐαγόραν τὸν ἐν τοῖς ἐπάνω χρόνοις βεβασιλευκότα.	*Phocionem Atheniensem & Euagoram, qui superioribus annis regia insulam potestate tenuerat.*

Cave hoc accipias de Euagora, de quo Isocrates orationem scripsit: supra enim pag. 482 narravit ejus mortem. Hic fuit ejus filius, qui fratre Protagora pulso regnavit, & à Persis Protagora restituto, Satrapiam in Asia accepit. Sed aliud est, quod me torsit in hoc loco. Nam Diodoro Plutarchus non concordat, qui ex proposito vitam Phocionis scripsit, quomodo tacuit de illo celebri ducatu, & de ea Salaminæ obsidione. Id certe mihi mirum videbatur. Sed curiosius perlecta Phocionis vita apud Plutarchum animadverti eum auctorem Phocionis mores tantum exprimere voluisse, sed de ejus rebus gestis jejunè admodum & strictè disseruisse. Nam cum dicat de

deco,[1] ὅτι πέντε καὶ τεσσαράκοντα στρατηγίας ἔλαβεν, vix de una aut altera mentionem facit, & cum curiose ejus dicta aliquid acuminis habentia notaverit, de ejus expeditionibus tacet. Ergo non potest absolvi Plutarchus, quin supine & negligenter ejus viri vitam scripserit, nec est dubitandum de fide Diodori, quin eum ipsum Phocionem, de quo Plutarchus scripsit, putemus fuisse in obsidione Salaminæ ducem Atheniensium, qui Euagoræ auxiliabantur.

[1] *Quod quinque & triginta ducatus accepit.*

Pag. 538. Rhod. 450.

Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Θεόφιλος.	*Athenis Theophilus Archon erat.*

Ex Demosthene in oratione pro corona in duobus decretis vocatur ejusdem anni ἄρχων Μνησίφιλος. Pausanias tamen in Phocicis Theophilum habet, ut etiam Dionysius Halicarnasseus in epistola ad Ammæum, & ipse Demosthenes alibi in paragraphe adversus Pantænetum, Theophilum Archontem nominat. Itaque suspicor in decretis, quæ citantur à Demosthene, non notari Archontem eponymum, sed alium è Thesmothetis.

Pag. 541. Rhod. 455.

Ἐπὶ δὲ τούτων ὁ ἱερὸς πόλεμος διαμείνας ἔτη δέκα κατελύθη.	*Tum bellum Phocense, quod in decimum annum extractum fuerat, finem invenit.*

Uno anno videtur excedere suum numerum calculus Diodori: supra enim pag. 517 Agathocle Archonte cœpisse hoc bellum ait, & durasse annos undecim. Sed ex aliis auctoribus videtur constare finitum fuisse hoc bellum anno decimo, & quidem Theophilo Archonte. Pausanias in Phocicis expresse: δεκάτῳ δὲ ὕστερον ἔτει μετὰ τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν ἐπέθηκεν ὁ Φίλιππος πέρας τῷ πολέμῳ Φωκικῷ τε καὶ ἱερῷ κληθέντι αὐτῷ, Θεοφίλου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, ὀγδόης δὲ Ὀλυμπιάδος καὶ ἑκατοστῆς ἔτει πρώτῳ ἣν Πολυκλῆς ἐνίκα στάδιον. Id est, *decimo vero anno post templi sacri direptionem, Philippus imposuit finem bello Phocico & Sacro appellato, Theophilo Athenis Prætore Olympiadis centesimæ octavæ anno primo, qua stadium vicit Polycles.* In quo Pausaniæ loco notanda est locutio insolita ὀγδόης δὲ Ὀλυμπιάδος καὶ ἑκατοστῆς ἔτει πρώτῳ. raro ita loquebantur Græci de anno 1 Olympiadis, sed dixissent Ὀλυμπιάδι ὀγδόῃ καὶ ἑκατοστῇ, unde colligo, pro ἔτει πρώτῳ legendum

gendum esse ἐπὶ τρίτῳ. & ita legendum esse omnino me persuadet, & cogit credere Demosthenes: nam in oratione de falsa legatione ait ex Phocensium excidio tantum dolorem accepisse Athenienses, ut ex consternatione moris patrii obliti, neque concilium neque Thesmothetæ curam habuerint mittendi θεωρὺς, sacros legatos ad Pythia, unde elicitur excidium Phocensium & belli finem incidisse in annum, quo Pythia celebrabantur, quod fiebat tertio Olympiadis uniuscujusque anno, quod quadrat cum Archia Archonte secundum Diodori calculum, & id notavit Petavius in suo rationario, & est nodus vindice dignus.

Pag. 548. Rhod. 465.

Ἄχρι τῆς τρίτης καὶ τεσσαρακοστῆς.	*Ad tertiam & quadragesimam.*

Ad historiæ complementum & ad hujus anni gesta addi potest ex Demosthene in oratione contra Olympiodorum: [1] οἱ δὲ Ἀθηναῖοι στρατιὰν εἰς τὴν Ἀκαρνανίαν πέμπουσι ὑπὸ ῥητόρων πεισθέντες.

[1] Athenienses vero exercitum in Acarnaniam mittunt à Rhetoribus persuasi.

Pag. 549. Rhod. 466.

Πηξόδωρος α. ν. τ. α. ἐξέβαλεν ἐκ τῆς δυναστείας Ἄδαν καὶ ἐδυνάστευεν ἔτη πέντε.	*Pexodorus fratrum ætate minimus Adam regno expulit & per annos v principatum tenuit.*

Videtur ex hoc loco emergere dubium, si cum alio Diodori loco conferatur infra p. 574: nam ibi Ctesicle Archonte Adam ab Alexandro restitutum fuisse ait. Sed videtur hic Pexodorus sic annos septem dominatum Cariæ tenuisse, non vero quinque, ut hic ponitur. Sed solvit dubium Strabo lib. 14, & Arrianus lib. 1. ex illis enim discimus post mortem Pexodori quendam Persam Satrapam rerum potitum fuisse neglecta Ada: cæterum alii Πιξώδαρον, ut Plutarchus & Strabo, alii Πηξώδαρον, ut Arrianus, vocant hunc Carem.

Ad librum 17. pag. 571. Rhod. 500.

Οἱ δ' ἐπὶ τῆς Εὐρώπης ἀπολελειμμένοι στρατιῶται ὧν Ἀντίπατρος εἶχε τὴν ἡγεμονίαν πε-	*In Europa interim sub Antipatri administratione peditum* XII *millia & equitum*

ζοὶ μὲν ὑπῆρχον μύριοι καὶ δισχίλιοι, ἱππεῖς δὲ μύριοι καὶ χίλιοι καὶ πεντακόσιοι.	*tum XI. millia & quingenti.*

De peditibus non moveo litem, de equitibus uno verbo dicam, non credo. Quis enim credat Alexandrum, qui imperium Persarum evertere satagebat, in Asiam solos equites quater mille & quingentos secum duxisse; undecim vero mille & quingentos in Europa sub Antipatro reliquisse, præcipue, cum illi foret per Phrygiam planam & equitibus commodam iter facile, & cum Persis equitatu pollentibus rem haberet. Ideo suspicor in hoc loco, voces μύριοι καὶ, male repetitas fuisse ex superiore clausula, & legendum: [1] πεζοὶ μὲν ὑπῆρχον μύριοι καὶ δισχίλιοι, ἱππεῖς δὲ χίλιοι καὶ πεντακόσιοι: nihil de numero eorum, quos Antipatro reliquit Alexander, dixit Plutarchus in ejus vita, nec Trogus apud Justinum, qui de tanto equitum numero silere non debuissent.

[1] *Pedites quidem erant duodecies mille, equites vero mille & quingenti.*

Pag. 582. Rhod. 518.

Ἐπ' Ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησι Νικηράτου.	*Archonte autem Athenis Nicerato.*

Arrianus in Alexandri expeditione lib. 2 Ἀνικητὸν nominat hunc Archontem, non vero Niceratum.

Pag. 590. Rhod. 530.

Δεξιὸν μὲν ἔχων τὸν Τίγριν, ἀριστερὸν δὲ τὸν Εὐφράτην προῄει.	*A dextra parte Tigris erat, à læva Euphrates, ducebat.*

Hæc pugnant ex diametro cum iis, quæ pagina sequenti narrat, ubi Alexander Darium petens Tigrim transvadare cogitur, cum magna difficultate & periculo. Nam Alexandro, qui à partibus Syriæ veniebat, si transeundus fuit Tigris, ut Darium peteret, necesse est cogitare, Darium non fuisse in Mesopotamia, sed in Assyria ultra Tigrim ad Orientem. Itaque credo mendosum esse hunc locum, & voces ἀριστερὸν δὲ τὸν Εὐφράτην fuisse glossamentum in margine ascriptum à quodam viro ἀρχεογραφητῶν, quæ postea in textum male irrepserunt. Sic ergo lego: [2] δεξιὸν μὲν ἔχων τὸν Τίγριν προῄει διὰ χώρας.

[2] *Habens Tigrim à dextera.*

Pag. 597. Rhod. 540.

Τεταρταῖος ἐπὶ τὸν Τίγριν ποταμὸν ἀφίκετο.	*Quartis castris ad Tigrin fluvium devenit.*

Quæ sequuntur arguunt hunc locum falsi. Nam Tigris fluvius non transit per Uxiorum fines, & multo majus spatium terrarum oberrat, quam hoc loco transire dicitur. Nam mille sexcenta stadia tantum ab origine sua ad mare usque emetitur secundum hunc locum; at Tigris decuplicem ejus spatii habet decursum. Sed ex Arriano patet, quomodo legendum est. Is enim lib. 3 pag. 64, sic ait de eodem negotio: [1] ἄρας δὲ ἐκ Σούσων καὶ διαβὰς τὸν Πασιτίγριν ποταμὸν, ἐμβάλλει εἰς τὴν Οὐξίων γῆν. ergo & apud Diodorum hoc loco lego confidenter, [a] τεταρταῖος ἐπὶ τὸν Πασιτίγριν ποταμὸν ἀφίκετο.

[1] Profectus autem Susis & Pasitigrim transiens fluvium invasit Uxiorum terram.

[a] Quarto die ad Pasitigrim fluvium pervenit.

Pag. 606. Rhod. 554.

Hiatus, qui in hac pagina conspicitur, continebat unius anni gesta Hegemone Archonte, quæ recenset Arrianus in Alexandri gestis lib. 5.

Pag. 620. Rhod. 575.

Ἐπιφανεστάτην τῶν ἑταιρῶν ὄνομα Πυθονίκην.	*Famosissimum scortum, cui Pythionices nomen.*

Si meruit hæc meretrix, ut verum ejus nomen habeamus, fuit Πυθονίκην, & bis invenitur apud Athenæum lib. 8 & 13.

Ibidem. Rhod. 576.

Προῆγεν ἐκ τῶν Σούσων καὶ διαβὰς τὸν Τίγριν.	*E Susis promovit, Tigrique superato.*

Et hoc rursus loco legendum Πασιτίγριν: nam licet sequatur ἐν ταῖς Κάραις καλουμέναις κώμαις, quod quis forte vellet interpretari de Carris Mesopotamiæ, non tamen potest intelligi de illis Mesopotamiæ Carris, quæ non longe ab Euphrate: Alexander retro multum recessisset, quod non fecit, ut ex ejus historia patet: tum ait postea diebus quatuor Sittam eum transgressum fuisse: at Sittacene est ad Trigidis Orientem, oportuisset igitur eum rursus Tigrin pervadasse. Tum non potuisset quatuor dierum spatio totam fere Mesopotamiam, Tigrin, Assyriam, & Sittacenem transgredi cum exercitu, quod difficulter faceret cursor veredarius expeditus in equo, &

Καρρῶν

Καῤῥῶν κώμη postea dicuntur fuisse in Babylonia, & ita credo legendum hoc loco.

Ad librum 18. pag. 628. Rhod. 588.

Ἀτραπῇ δὲ Μηδίαν, Ἄρχωνι δὲ Βαβυλωνίαν.	*Atrapa Mediam, Archoni Babyloniam.*

Justinus hunc virum male Acropatum vocat: at etiam hîc, ut opinor, male Atrapes dicitur. Verum nomen est apud Arrianum, Atropates, & Persicum magis sonat. Cæterum ex hoc loco deprehenditur fœdissimum apud Justinum ulcus, quod & olim Eutropio fraudem fecit. Sic autem habet Justinus, ubi provinciarum præfectos post mortem Alexandri recenset: *Phrataphernes Armenios, Tlepolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archos Pelasgos* &c. paulo melius Eutropius: *Archon Pelasgos.* At nulli unquam fuerunt Pelasgi in Oriente. Ideo ex hoc Diodori loco, & ex Arriano lib. 13 emendetur Justinus, & legatur: *Phrataphernes Armenios, Tlepolemus Carmanos, Persas Peucestes, Babylonios Archon Pellæus:* hæc sana sunt, nam apud Diodorum infra pag. 685, & Arrianum lib. 8 pag. 142 Tlepolemus Carmaniæ præfectus dicitur, & pag. 143 Peucestes Persarum, & lib. de Indicis pag. 181 Archon Cliniæ Pellæus vocatur, ideo nihil certius est nostra emendatione.

Pag. 631. Rhod. 592.

Ταύτην δὲ προσέταξεν ἐν τῇ πανηγύρει διὰ τοῦ νικήσαντος κήρυκος ἀναγνωσθῆναι τοῖς πλήθεσι.	*Eam autem constitutionem in conventu publico victoris praconio multitudini promulgari jusserat.*

Ex hoc loco discimus fuisse etiam Olympiæ agonem præconum, qui de vocis magnitudine & contentione contendebant: vide Josephi Scaligeri epistolam 448.

Pag. 633. Rhod. 595.

Θετταλοὶ μὲν πάντες πλὴν Πελληναίων.	*Thessali omnes præter Pelleneos.*

Nulla Pellene fuit in Thessalia. Lege Πελινναίων, urbs enim Thessaliæ fuit Pelinna, memorata Plin. lib. 4 cap. 8, & Stephano, aliis dicta Πελινναῖον, ut Strab. lib. 9. T. Livio lib. 36. Pindaro bis &

ejus Scholiastæ Pythiorum 10, & corrigendus in eadem voce Arrianus lib. 1. Error manavit ex eo quod nomen Pellenes urbis Achaïæ magis celebre fuit, & hoc loco ut semper exscriptores notum pro ignoto posuerunt, quod evenit & apud Scylacem, & apud Ælianum lib. 4, ubi perperam Πελλωαῖοι legitur.

Ibidem.

Ἡλιεῖς δὲ πλὴν Μαλιέων. | *Elienses demptis Maliensibus.*

Lege Μηλιεῖς δὲ.

Ibidem.

Καὶ Κλυζαῖοι. | *Clyzæi.*

In margine adscriptum fuit Λυζαῖοι vel Ἀλύζιοι, nihilo melius; tu vero melius doctus lege, Ἀλυζιαῖοι ex Thucydide lib. 7, ex Strabone, qui lib. 10 ter Ἀλυζίαν ponit, Plinio lib. 4 cap. 1, Stephano, & aliis: ea urbs in tabulis Halysso notatur: corrigendus & in ea voce Scylax, qui habet Ἀλυττία. Sed pridem id mendum in Scylace vidit, & correxit eruditus Vossius.

Pag. 658. Rhod. 633.

Τὰ μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν.......... Ἐπ' Ἄρχοντος δὲ Ἀθήνησιν Ἀρχίππου.	*Hæc igitur isto tum anno fuerunt peracta. — Athenis porro Archontis magistratum obeunte Archippo.*

Maximus hiatus debet notari inter ἐνιαυτόν & Ἐπ' Ἄρχοντος: desunt enim duorum annorum gesta, ut patet ex Olympiadum numero. Supra pag. 622 numeravit Olympiadem centesimam decimam quartam Agesio Archonte, infra pag. 679 numerat Olympiadem 116 Democle Archonte, nullibi Olympiadem 115 invenire est, nam fuit in hoc hiatu Neæchmus Archon & Apollodorus iterum Archon: ansam errori præbuit nomen Apollodori Archontis repetitum, qui supinum vel properantem exscriptorem fefellit. Nam cum Apollodorus fuerit Archon quarto anno Olympiadis 114, rursus vel idem vel alius Apollodorus fuerit Archon biennio post, scilicet secundo anno Olympiadis 115, secundum hunc Apollodorum pro primo sumpsit, & à secundo scribere continuavit, cum deberet à primo continuo filo historiam exscribere. Desunt igitur ea

quæ

quæ gesta sunt [1] Νεαίχμου ἄρχοντος Olymp. 115, & [2] Ἀπολλοδώρου ἄρχοντος τοῦ δευτέρου, vel τὸ δεύτερον, anno 2 dictæ Olympiadis 115.

[1] *Neachmo Archonte.*
[2] *Apollodoro Archonte secundum.*

Ad librum 19. pag. 700. Rhod. 697.

Ἀπολιπὼν ἐπὶ τὸν Ἰσθμὸν Γερανίας.	*Relinquens ad Isthmum Gerania.*

Credo legendum, ἐπὶ τὸν κατὰ τὸν Ἰσθμὸν Γερανίας: nullibi enim legitur Ἰσθμὸς Γερανίας.

Pag. 703. Rhod. 702.

Πορευθεὶς διὰ Βιθυνίας καὶ Ζιβύτην τὸν βασιλέα τῶν Βιθυνῶν.	*Per Bithyniam ducens, Zibyten Bithynorum regem.*

Hic Bithyniæ rex seu dynasta, Plutarcho in quæstionibus Græcis dicitur Ζιποίτης, Pausaniæ Ζυποίτης in Heliacis. At Memnoni Ζιποίτης, cui magis credo: fuit enim Heracleota Bithyniæ vicinus: hæc dubia parit Iotacismus inferioris Hellenismi. Inde errorum amplissima messis.

Pag. 705. Rhod. 706.

Καὶ θεὶς τὸν τῶν Νεμέων ἀγῶνα, τὴν εἰς Μακεδονίαν ἐπάνοδον ἐποιήσατο.	*Ludisque Nemeorum celebratis, in Macedoniam reditum instituit.*

Illustrissimus & nunquam sine laude memorandus Josephus Scaliger in suis ad Eusebium notis pag. 85 hoc loco Diodorum graviter reprehendit, & hanc narrationem accusat falsi, eo quod Nemeus agon trietericus erat, & numquam cadebat in secundum Olympiadis annum, sed semper in tertium. At ignoscant mihi tanti viri manes, si Diodorum hoc loco tueri confido: non est enim in culpa forte Diodorus. Fuerunt enim Nemea duplicia, æstiva scilicet & hiberna, ut ex Pausania liquet in Corinthiacis, ubi sic ait de Argivis: [3] καὶ δὴ καὶ δρόμου προτιθέασιν ἀγῶνα, ἀνδράσιν ὡπλισμένοις Νεμείων πανηγύρει τῶν χειμερινῶν. Et in Heliacorum 2 post lacunam hæc verba sequuntur: [4] ἐκλειφθέντα ἐκ Νεμείων τε καὶ Ἰσθμίων αὐτὸν βασιλεὺς Ἀδριανὸς ἐς Νεμείων ἀγῶνα τῶν χειμερινῶν ἀπέδωκεν Ἀργείοις. Æstiva Nemea mensis Panemi die duodecimo celebrabantur, ut ait antiqua hypothesis Nemeorum Pindari. Panemus autem Attico Hecatombæoni respondebat, ut ipse Scaliger asserit in suis de mensibus

[3] *Et certo etiam cursus instituerunt certamen, viris armatis in Nemeorum hibernorum celebritate.*
[4] *Cum cessasset ex Nemeis & Isthmiis, id Adrianus imperator Argivis reddidit in Nemeorum certamine hibernorum.*

ſibus laterculis, & erant illa celebria Nemea trieterica, & periodica: hiberna vero fuiſſe annua jure putamus, ſicut Athenis Panathenaïca magna penteterica erant, & quinto quoque anno celebrabantur: minora vero quotannis. Hoc igitur loco Diodori Caſſander poſt æſtatem & autumnum in ſua expeditione conſumptum, dum in Macedoniam ad hiberna exercitum ſuum reducebat, Nemeorum agona hibernum curavit, non vero trietericum.

Pag. 708. Rhod. 708.

Πειθέντων δὲ Ἀκαρνάνων οἱ πλεῖστοι μὲν εἰς Στρατόπολιν συνῴκησαν ὀχυρωτάτην οὖσαν καὶ μεγίστην.	*Morigeratis ad hoc Acarnanibus, pars maxima Stratopolim, quæ firmiſſima erat & maxima, commigrat.*

Ex hoc loco credo accepit Ortelius ſuam Stratopolin, quam poſuit in ſuo Lexico. Sed legendum eſt Στράτον πόλιν. nam Στράτος urbs erat Acarnaniæ caput ac veluti metropolis, ex Thucydide, Xenophonte, Polybio, Strabone, & aliis.

Pag. eadem. Rhod. 709.

Καὶ διαβὰς τὸν Ἕβρον ποταμόν.	*Et Hebro fluvio tranſmiſſo.*

Fœdum profecto mendum: Hebrum Thraciæ fluvium in Illyriam transfert hic locus. Ita non ſcripſerat proculdubio Diodorus. Lege confidenter Δρῖνον, qui neceſſario tranſvadandus erat Caſſandro, ut in regiones Glauciæ ſubjectas penetraret ex Apolloniatum regione, unde proficiſcebatur.

Pag. 712. Rhod. 715.

Κάσσανδρος ἤδη ὁ τῆς Ἀσίας κυριεύων.	*Caſſander Aſiæ jam imperans.*

Lege τῆς Καρίας: ut ſupra pag. 704. [1] τὸν τῆς Καρίας σατράπην Κάσσανδρον.

[1] *Cariæ Satrapem Caſſandrum.*

Pag. 713. Rhod. 717.

Ἀντίγονος ἀπέστειλεν εἰς τὴν Ἑλλάδα στρατηγὸν Πολεμῶνα.	*Antigonus Polemonem ducem in Græciam legavit.*

Quis fuit ille Polemo, de quo Diodorus ſolus meminit? nullus profecto. Lege ex hiſtoria Πτολεμαῖον, ut infra hac eadem pagina, & infra pag. 742.

Ibidem.

Ibidem.

Καὶ τείχισας τ̃ Σαγονέα. | *Et firmato manibus Salganeo.*

In margine adſcriptum eſt Σαλμονέα, utrobique male. Lege Σαλγανέα: eſt enim ὁ Σαλγανεὺς urbs Bœotiæ, de qua Dicæarchus, Strabo, Livius, Stephanus & alii.

Pag. 719. Rhod. 725.

Ὑπὸ Ἀρυβίλου τοῦ πατρός. | *Ab Arybilo patre.*

Lege Ἀρύμβου, vel Ἀρρύβου. nam utroque modo legitur apud auctores.

Ad librum 20. pag. 746. Rhod. 766.

Περὶ τὴν καλουμένην Στυμφαλίαν. | *Ad urbem, quæ vocatur Stymphalia.*

Stymphalia fuit in Peloponneſo; at locus, de quo nunc agitur hoc loco, non fuit in Peloponneſo, ut ex ſequentibus patet paulo poſt, ubi ait de eodem Polyſperchonte, de quo hic agitur; [1] ἐπεχείρησε μὲν διὰ τῆς Βοιωτίας παράγειν εἰς Πελοπόννησον. Ergo ſi mihi credis, leges, Στυμφαίαν. nam ea, quæ ſupra dixit: [2] κατάγειν ἐπὶ τὴν πατρώαν βασιλείαν Ἡρακλέα, docet eum non fuiſſe in Peloponneſo: non enim fuit Peloponneſus πατρῴα βασιλεία Herculis Alexandri filii, ſed Macedonia, inter quam & Ætoliam, ubi copias paraverat, jacet regiuncula Stymphæa dicta.

[1] *Tentavit per Bœotiam in Peloponneſum ducere copias.*
[2] *Reduxit in paternum regnum Herculem.*

Pag. 747. Rhod. 767.

Ὁ Ἀρέτας υἱός. | *Aretas filius.*

Arabicum nomen in Græciam transfert hæc lectio. lege Ἀρεὺς. Sic enim ab omnibus expreſſum eſt nomen filii Cleomenis Spartani.

Pag. 754. Rhod. 778.

Οὐ μόνον γὰρ ὕδατος ἐσπάνιζεν, ἀλλὰ καὶ τῆς ξηρᾶς τροφῆς ἀπολιπούσης ἐκινδύνευσεν ἅπαν ἀπολέσαι τὸ στρατόπεδον.	*Non enim aqua tantum carebat: ſed etiam nutrimento ſicco deſtitutus, amittendi totius exercitus periculum ſubiit.*

Ad illuſtrandum hunc locum & hiſtoriæ pleniorem cognitionem, facit

facit locus Theophrasti de loto arbore: πολὺ δὲ τὸ δένδρον καὶ πολύκαρπον, τὸ μὲν οὖν Ὀφέλλου στρατόπεδον ἡνίκα ἐβάδιζεν εἰς Καρχηδόνα, καὶ τούτῳ φασὶ πλείους ἡμέρας ἀπολιπόντων τῶν ἐπιτηδείων χρῆσθαι. Id est, *arbor est ibi frequens & multi fructus, exercitum itaque Ophella, cum Carthaginem iret, per plures dies eo fructu usum fuisse ajunt, deficiente commeatu.*

Pag. 770. Rhod. 803.

Ἀθήνησι μὲν ἦρχε Κόρυβος.	*Athenis summum magistratum Corybus accepit.*

Verum nomen fuit Κόροιβος, & sic scribitur apud alios, & nomen Græcis usurpatum est.

Pag. 775. Rhod. 810.

Εἰς τὸν ἐν Ἐλωρύμνοις λιμένα.	*In portu ad Elorymna.*

Lege Λωρύμοις ex Thucydide, Strabone, Appiano, Stephano, &c.

Pag. 781. Rhod. 819.

Μενέδημος τριῶν ἀφηγούμενος τριημιολχιῶν.	*Menedemus, qui tribus præerat trieremiolcis.*

Vox nihili τριημιολχιῶν. Legendum τριημιολιῶν, quæ vox apud Polybium ter aut quater occurrit. Baïfius legebat τριηρημιολιῶν. Sed ut puto, malè. Dicere autem, quid sit τριημιόλιον ναῦς, aliquis poterit ex conjectura & nominis notatione, sed deerit auctoritas. Puto igitur sic dictam navem, quæ tertia parte excedit navem ordinariæ magnitudinis, ut ἡμιόλιος esse videtur ea, quæ media sui parte excedit. Id tamen nolim adeo affirmare, quin aliam interpretationem admittere paratus sim, si meliori ratione firmetur; & forte τριημιόλια posset esse, quæ tribus quartis partibus excederet, & sic foret major hemiolia.

Pag. 785. Rhod. 825.

Οἰκοδομήσαντες παρ' ἑκάστην στοὰν πλευρὰν σταδιαῖον.	*Exstructa ad unumquodque latus porticu ad stadii longitudinem.*

Hæc sunt turbata; legendum παρ' ἑκάστην πλευρὰν στοὰν σταδιαῖον. hoc manifestum est.

Pag. 786.

Pag. 786. Rhod. 828.

Βούταν μὲν κατὰ κράτος εἷλε.	*Butam vi cepit.*

Lege Βοῦραν. Nam licet Buram eam terræ motu & maris inundatione periisse supra dixerit, tamen è Polybio patet, eam urbem instauratam fuisse, aut saltem ejus nomen revixisse; nam inter Achaïæ urbes eam enumerat, & Buram ab iis, qui terræ motus tempore aberant, restauratam ait Pausanias in Achaicis.

Pag. 791. Rhod. 835.

Μιθριδάτης ὑπήκοος ὢν Ἀντιγόνῳ κ. δ. α. π. τ. π. Κάσσανδρον, ἀνῃρέθη περὶ Κίον τῆς Μυσίας, ἄρξας αὐτῆς καὶ Ἀῤῥίνης ἔτη τριάκοντα πέντε· τὴν δὲ δυναστείαν διαδεξάμενος Μιθριδάτης ὁ υἱὸς αὐτοῦ, πολλοὺς προσεκτήσατο, τῆς δὲ Καππαδοκίας καὶ Παφλαγονίας ἦρξεν ἔτη τριάκοντα ἕξ.	*Mithridates Antigono subjectus — è vivis sublatus est* (vel *necatus*) *circa Cium Mysiæ urbem, cum ejus dominatum obtinuisset & Arrinæ annos triginta quinque: ejus vero dominatum cum accepisset Mithridates ejus filius, multos alios præterea acquisivit, & Cappadociam & Paphlagoniam obtinuit per annos 36.*

Hæc, si Plutarchum audias, non mediocrem turbam faciunt: is enim in vita Demetrii, Mithridatis hujus (qui hîc Mithridatis filius dicitur) Ariobarzanem fuisse patrem, non Mithridatem ait. Sed forte Plutarchus deceptus est in patris nomine, qui fuit avus, & in eo proclivis error fuit, eo quod duo Mithridates alii habuerunt etiam patres nomine Ariobarzanes. Sed aliam ecce turbam facit ipse Diodorus, qui apud Photium seriem deducit regum Cappadociæ, ubi ne verbum quidem hujus Mithridatis fecit, & eodem tempore Ariarathes & Ariamnas multos recenset. Ariarathes enim, ut ait, regnabat temporibus Alexandri magni, ab Eumene vel Perdicca victus & necatus, ejus filius Ariarathes ad Armenium Ardoatem fugit, & postea contractis ab eo auxiliis, Amyntam pepulit, & occidit Macedonem, qui præfecturam ejus regionis obtinuerat, & sic suam ditionem

recuperavit, & regnum filio suo adhuc vivens transmisit Ariarathi. Ideo vereor, ne hoc loco Καππαδοκίας vox irrepserit, aut eam posuerit Diodorus pro quadam ejus parte, regio nomine & non contemnenda Cappadociæ parte in potestate regum manente. De Arrina vero, cujus dominatum habuit hic Mithridates, magnum est apud alios auctores silentium, tum Græcos, tum Latinos. In margine adscriptum est Μαρίνης. Sed est obscurum per obscurius. Si quis credat ex eo debere Μυρίνης scribi, fruatur sua conjectura, sed Myrine mihi videtur nimis longè distare à Cio.

Pag. eadem.

Ἀπολλωνίας καὶ Γαλατίας. | *Apollonia & Galatia.*

Non est dubium, quin reponi debeat confidenter Καλατίας.

AD DIODORI
FRAGMENTA EXCERPTA
ab Henrico Valesio publicata, edita Parisiis
Anno 1634.

Pag. 221.

Ὅτι Ἐπωπεὺς βασιλεὺς Σικυῶνος τοὺς θεοὺς εἰς μάχην προκαλούμενος τὰ τεμένη καὶ βωμοὺς αὐτῶν ἐλυμαίνετο.	*Epopeus Sicyonis rex, Deos in certamen provocans, fana arasque eorum destruebat.*

His multum contraria narrat Pausanias in Corinthiacis. Nam Epopea templum magnificum Palladi, item & Apollini, & Dianæ ædificari curasse ait. Sed quid mutabilius hominis mente.

Pag. 233.

Ἐπὶ σοφίᾳ ..... ἦν δὲ πατρὸς Ἐξηκεστίδου.	*Propter sapientiam. — Patre natus Execestide.*

Hoc loco inter σοφίᾳ & ἦν δὲ plura desunt, & notari debet hiatus: duo capita proculdubio in unum coïerunt.

Pag. 234.

Pag. 234.

Ὅτι Μύσων τὶς ἦν Μαλιεὺς ὃς ᾤκει ἐν κώμῃ Χηνὰς καλουμένῃ.	*Erat Myso quidam Maliensis in pago, cui Chenæ nomen erat.*

Ex hoc loco ſolvitur dubitatio Diogenis Laërtii, qui de hoc Myſone ait in ejus vitæ initio: [1] τὸ γένος Χηνεὺς ἀπὸ κώμης τινὸς Οἰταϊκῆς ἢ Λακωνικῆς. Nam ſi fuit quidam pagus Laconicus nomine Χηναὶ, non fuit patria Myſonis, qui à Diodoro Μαλιεὺς dicitur. At Oeta mons fuit Μαλιέων ſeu Μηλιέων eos à meridie terminans.

[1] *Genere Cheneus à pago quodam Oetaico ſeu Laconico.*

Pag. 273.

Καὶ νομίσασα δι᾽ ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν.	*Cum exiſtimaret negligentia factum eſſe, ut vir ſuus è vita migraret.*

Ex hoc loco concluditur, M. Atilium morbo mortuum eſſe, non vero ſub carnificum tormentis, ut clamat Silius Italicus, poëticè calamitatem hanc deflens, ſequutus T. Livium, ſi vera eſt epitome lib. 18. At majorem fidem meretur Diodorus in hoc negotio, quippe Siculus, qui Carthaginis vicinæ negotia potuit melius cognoſcere. Sed de eo infra amplius dicemus in notis ad Appianum pag. 14.

Pag. 277.

Ὅτι Ἀμίλκας καὶ ὁ Βάρκας.	*Hamilcar cognomento Barca.*

Ex ſequentibus patet de uno ſolo viro hoc loco mentionem fieri: utitur enim ſemper numero ſingulari παραγενόμενος & πολιορκούμενος, & ſic ſemper: ideo corrigendus eſt hic locus, quod facillime fiet legendo, ὅτι Ἀμίλκας ὁ καὶ Βάρκας. Nam binominis fuit Hamilcar ille, teſtis Æmilius Probus ſive Cornelius Nepos in ejus vita, quæ ſic incipit: *Hamilcar Annibalis filius cognomine Barca.* & Polybius lib. 1. [2] οἱ δὲ Καρχηδόνιοι μετὰ ταῦτα στρατηγὸν καταστήσαντες αὐτῶν Ἀμίλκαν τὸν Βάρκαν ἐπικαλούμενον. & paſſim apud auctores, & ipſe Diodorus infra pag. 282. [3] ἦν γὰρ υἱὸς Ἀμίλκου τοῦ Βάρκα μὲν ἐπικαλουμένου.

[2] *Poſtea vero Carthaginienſes ducem conſtituentes Hamilcarem qui Barca cognominabatur.*

[3] *Filius autem erat Hamilcaris ejus qui Barca cognominabatur.*

Pag. 313.

Ὅτι ὁ Περσεὺς πυθόμενος ἐπιλέκτους Γαλάτας παραγινέ-	*Perſeus lectiſſimam Gallorum manum Iſtro trajecto ſuppe-*

καὶ τὸν Ἴςρον ἐπὶ συμμαχίᾳ.	tias sibi venisse cum accepisset.

Quos hîc Diodorus Γαλάτας, Gallos, vocat, Plutarchus in Æmilio Bastarnas nominat, eos rursus Γαλάτας vocat infra pag. 418, & Titus Livius lib. 40 in fine Bastarnas vocat, & eorum ducem Clondicum, quos lib. 44 Gallos semper vocat sub eodem duce Clondico militantes, unde nobis Gallis licet vindicare gentem illam bellicosissimam, contra eos, qui Gallorum gloriæ hostes eam gentem à Gallorum nomine abjudicare contra tot antiquorum testimonia non erubescunt.

Pag. 322.

Ὅτι τοῦ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως ἐκπεσόντος καὶ πεζῇ ἀπερχομένου εἰς Ῥώμην.	*Ptolemaus regno pulsus, cum Romam pedestri itinere proficisceretur.*

Si quis dubitet de hoc Ptolemæo, quisnam fuerit, discat eum fuisse Physcona, qui & Cacergetes vocabatur, quod Polybius docet.

Pag. 334.

Ὅτι Ὀροφέρνης τὸν ἀδελφὸν Ἀριαράθην ἐκβαλών.	*Pulso fratre Ariarathe Orofernes.*

Apud Photium & alios Ὀλοφέρνης legitur, & liber Judith nos docet, fuisse id nomen Orientalibus usurpatum. Fuit ille Ὀλοφέρνης suppositititius, ab Antiochide Ariarathi uxore, antequam peperisset, suppositus. Sed postea cum peperisset filium Mithridatem, qui & Ariarathes dictus est, amandatus est in Ioniam. Vide Photium in Diodori excerptis ex lib. 31, ex eo enim magna fit lux his Diodori fragmentis.

Ibidem.

Τετρακόσια τάλαντα παρέθετο Πριηνεῦσι.	*Quadringenta talenta apud Prienenses deposuit.*

Unde tanta de Prienensibus fidei opinio tam longè à Cappadocia sitis? Nimirum post natum Mithridatem, qui & Ariarathes, in Ioniam amandatus fuerat, ut in nota præcedenti diximus, & Priene forte habitaverat, unde ea Prienensium in eum nutricium suum benevolentia, & ejus in eos fides. At Prienenses ob id depositum bellum

bellum passi sunt ab Ariarathe Cappadociæ rege, & Attalo, ut docet Polybius in fragmentis pag. 173.

Pag. 337.

Ὅτι Πρυσίας ὁ Βιθυνῶν βασιλεύς.	*Prusias rex Bithyniæ.*

Plures fuerunt Prusiæ, sed iste, de quo hic sermo, fuit ille, qui Κυνηγὸς Venator & Μονόδους Unidens vocatus est. vide Suidam in Apollonias.

Pag. 353.

Τὸν Πτολεμαῖον διὰ τὴν πρὸς πάντας ἐρχομένους ὠμότητα καὶ παρανομίαν.	*Ptolemæus rex crudelitatis causa cunctis.*

Magnas peperit tenebras ea nominum similitudo, in Ægyptiorum regum historia. Sed ex iis moribus & cum fratre meliore comparatione manifestum fit, Diodorum hoc loco de Ptolemæo Physcone & Cacergeta dicto loqui. Plerique auctorum Ptolemæorum cognomina addere insuper habuerunt. Sic & in Seleucidarum serie, ubi alternis Seleuci & Antiochi recensentur, sæpe sine cognomine dubiorum magna silva nascitur.

Pag. 385.

Ἔχαιρε γὰρ μίμοις καὶ προδίκταις καὶ καθ' ὅλου πᾶσι τοῖς θαυματοποιοῖς.	*Mimis enim atque histrionibus, circulatoribus denique cunctis supra modum deditus.*

Quid significet vox προδίκταις, non adeo obvium est affirmare posse. Hunc locum citavit proculdubio Suidas in iisdem verbis, nisi quod habet προδείκταις, ut puto, melius: at ejus vocis interpretationem non apposuit: eam vocem habet ex Suida Henricus Stephanus & per δεικηλιστὰς seu δεικηλικτὰς vertit, nempe histrio, qui personas in theatro ostendit populo tamquam à nomine δείκηλον, quod est simulachrum vel imago. Sed cum de eo nullam habeat auctoritatem, non verebor, aliam afferre interpretationem non minus, ut puto, verisimilem. Προδείκτης à προδείκνύω videtur manifeste deduci, quod verbum præmonstrare & præsignificare significat. Sic apud Herodotum

 προδείκτως

περιδέκτως est, qui res futuras antequam eveniant, prædicit & prænunciat, ut supra ad eum auctorem notavimus pag. 19 supra. Ita περιδέκτης nihil aliud est, quam is, qui res futuras prænunciat, quod præstare gloriantur Astrologi, Metoposcopi, Chiromantiam professi, & alias artes tam vanas, quam à principibus plerisque creditas, divini, necromantes, & tales viri, non male hoc loco θαυματοποιοῖς conjunguntur.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
APPIANUM.

Editionis Roberti Stephani 15... Henrici Stephani 1592.

IN LIBYCA.

Pag. 14. Henr. 3.

Καὶ ὁ Ἀτίλιος Ῥέγουλος ἐν ἀποῤῥήτῳ τοῖς πέλεσι (*lege* τέλεσι) Ῥωμαίων ἐπισκήψας ἐγκρατῶς ἔχεσθαι τοῦ πολέμου ἐπανῆλθεν ἐς λίμνην (*lege* λιβύα) ἕτοιμος, καὶ αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πανταχόθεν ἐχούσῃ διέφθειραν.

Et Atilius Regulus secreto magistratus monuit, ut bello potenter incumberent, & in portum reversus est ad omnia paratus, & eum Carthaginenses in cavea undecumque aculeos habente includentes, necaverunt.



Hanc historiam vel potius fabulam, plerique Romanorum posteris, ut veram, tradiderunt. Cicero de officiis tertio, eam habet, & vigiliis necatum Atilium ait: ut & in oratione

tione in Pisonem resectas ei palpebras dixit: & Horatius Carminum 3 ode 5. Silius Italicus vero in eo argumento tragicè debacchatur: eos auctores sequutus Zonaras eadem de morte Attilii narravit: ii omnes Appiani huic loco concinere videntur. Si dixero me tantis & talibus auctoribus fidem non habere, risum forte tuum, vel indignationem movebo. Sed audi quæso, quæ me ab ea narratione credenda demonent, & expande frontem, si corrugata est. Polybius, qui belli primi Punici historiam fuse, ne dicam prolixe, satis exequitur, cum Atilii cladem & captivitatem narret, de toto eo negotio ne verbum quidem facit, ut nec de Atilii itu & reditu, nec de ejus morte loquitur. Si quis conjecturæ nostræ locus est, puto eum auctorem de morte Atilii consulto tacuisse, ne coactus foret fallere fidem historicam eam fabulam narrando, ut Romæ obtinebat, vel odium Romanorum incurrere, si contrarium recepto apud eos rumori traderet. Ut id credam suadent duo loci insignes, unus Polybii libri primi, ubi de auctoribus qui bellum Punicum primum scripserunt, ait, Philinum & Fabium, non, ut oportuit, veritatem retulisse, sed Philinum quidem omnia in Carthaginensium favorem scripsisse, Fabium vero contra, & utrumque falso: alter locus est Diodori Siculi, cujus extat fragmentum libri 24 quantivis pretii à Valesio publicatum. Sic autem incipit: (de Atilii autem uxore & ejus liberis loquitur, quibus data fuerat custodia Bostaris & Hamilcaris, Carthaginensium ducum captivorum.) [1] Ὅτι ἡ μήτηρ τῶν νεανίσκων βαρέως φέρουσα τὴν τ' ἀνδρὸς τελευτήν, καὶ νομίσασα δι' ἀμέλειαν αὐτὸν ἐκλελοιπέναι τὸ ζῆν, ἐποίησε (vel ἔπεισε) τοὺς υἱοὺς κακουχεῖν τοὺς αἰχμαλώτους. Narrat deinde, quomodo ob carceris nimium rigorem, alter eorum mortuus sit, alter vero duraverit, donec re in vulgus prodita. Οἱ δὲ, μισοπονηρήσαντες τοῖς δημάρχοις προσήγγειλαν. δεινῆς δὲ οὔσης τῆς ὠμότητος φανείσης, οἱ ἄρχοντες ἐνεκαλέσαντο τοὺς Ἀτιλίους, καὶ παρ' ὀλίγον θανάτου κρίσιν προσέθηκαν ὡς καταισχύνουσι τὴν Ῥώμην, διηπειλήσαντο δὲ τὴν ἁρμόττουσαν παρ' αὐτῶν λήψεσθαι τιμωρίαν, εἰ μὴ πᾶσαν ἐπιμέλειαν ποιήσονται τῶν αἰχμαλώτων, οἱ δὲ τῇ μητρὶ πολλὰ καταμεμψάμενοι, τὸν μὲν Βοδόστορα καύσαντες ἀπέστειλαν τὴν τέφραν τοῖς συγγενέσι, τὸν δὲ Ἀμίλκαν ἐκ τῆς κακουχίας ἀνέλαβον. Id est, *Ubi vero odio habentes eam malignitatem, id tribunis denunciaverunt, & cum videretur ea crudelitas gravissima, Magistratus Atilios ad se vocarunt, & parum absuit, quin eos in capitale judicium adducerent, tamquam Romam dedecore afficientes: denunciarunt autem illis eos gravissimas daturos pœnas, nisi*

[1] *Quod materjuvenum graviter ferens viri mortem, & putans eum à vita decessisse propter incuriam, suasit filiis, ut male haberent captivos.*

nisi omnem curam adhiberent iis captivis. Illi autem multum apud matrem quiritantes, & de ea querentes, Bostora quidem usserunt, & cineres miserunt ejus agnatis: Hamilcarem vero male habitum refocillarunt. Ex hoc Diodori loco & ex Polybii silentio licet conjicere totam de M. Atilii supplicio tragœdiam ad pulpita amandari debere, & à veritate historica exulare: & mihi videor totam Atilii historiam intelligere. Adverte animum lector. M. Atilio totam Carthaginensium ditionem liberè populante, Asdrubalem Bostarem & Hamilcarem duces arcessunt Carthaginenses: pugnant cum Atilio, vincuntur, de pace agunt; sed in cassum ob duriores conditiones ab Attilio propositas, denuo pugnant Xanthippo Lacedæmonio duce, vincunt & universum Romanorum exercitum delent, & ipsum ducem Atilium captivum Carthaginem ducunt: curam adhibet Hamilcar, & captivum fovet, ut fit in bello; classem navium 350 parant Romani, & Consulibus M. Æmilio & Servio Fulvio ducibus, ad Hermæum promontorium classem Carthaginensium profligant captis navibus 114 & ducibus Bostare & Hamilcare, quos Romam mittunt cum victoriæ nuncio: quod ex eo conjicio, quod de iis non fit amplius mentio in illo bello, sed de solo Asdrubale, & quod ex eo Diodori loco citato pateat eos captivos Romam ductos fuisse. Senatus, ut solaretur uxorem & filios Atilii, iis mandat custodiam ducum Carthaginensium, ut haberent redemptionis Atilii pretium, facta scilicet commutatione, ut fit in bello, quod Diodorus narrat. At accidit, ut morbo moreretur in captivitate Atilius: unde irata uxor & non amplius sperans, se per suorum captivorum transmutationem potituram marito, eos crudeliter vexat, unde Senatus iræ adversus matrem & filios: ea vero, ut colorem justitiæ daret crudelitati suæ, fabulam hanc de necato per incuriam & vigilias & tormenta Atilio in vulgus & alias mulieres, ejus affines loquaces tradidit, unde rumor ille increbuit, & in majus traditus est, & propter Carthaginensium odium facile creditus, vires acquisivit eundo; nisi ita res se habuerit, multum me fallit conjectura. Lege lector, veritatis sectator, totum Diodori fragmentum & Polybii librum 1 attente, &, ut spero, dices me non aberrare à verisimili, & inter errata historica M. Atilii caveam, & aculeos & palpebras sectas annumerabis.

Pag. 60. Henr. 84.

Οἱ Καρχηδόνιοι εἰ τι ἐπι περίλοιπον ἦν, ἔκρινον καταϲκάψαι Σκιπίωνα καὶ οἰκεῖν αὐτὴν ἀπεῖπον ἅπασι καὶ ἐπηρᾶσαντο μάλιστα περὶ τῆς Βύρσης εἴ τις οἰκήσειεν αὐτήν.

Hi, si quid Carthaginis superer at, decreverunt id Scipionem diruere: interdixeruntque ne quis ibi habitet, additis etiam diris devotionibus si quis contra faciat, si quis Byrsam condat denuo.

Quid sibi velit hoc loco verbum ἐπηρᾶσαντο, non possum divinare, nec mihi dubium est debere legi, ἐπηράσαντο, id est, diris & imprecationibus devoverunt omnes, qui eum locum incolerent.

AD
APPIANI SYRIACA.

Pag. 64. Henr. 86.

Ἕκτος δ' ἀπὸ Σελεύκου. | *Sextus autem à Seleuco.*

Falsus est Appiani calculus, si ita scripsit: fuit enim quintus tantum, non sextus: numeremus. Seleucus Alexandri in Oriente successor, cujus filius Antiochus Soter, cujus filius Antiochus Deus dictus, cujus filius Seleucus Callinicus, cujus filius Antiochus Magnus, de quo hic sermo: ergo legendum πέμπτος, si de filiatione & gradibus generationis intelligendum, vel, ut ratio constet, in Appiani calculo, intelligendum est de ordine successionis & ita bene se haberet lectio vulgata. Nam Seleucus Ceraunus frater Antiochi Magni ante eum regnavit.

Pag. 8. Henr. 115.

Τοὺς λῃστείους καταφυγόντας εἰς τὸν Μύσιον Ὄλυμπον. | *Tolistobogios in Olympum Mysiæ montem refugos.*

Palam est debere legi pro τοὺς λῃστείους, Τολιστοβοίους: fuit enim Galatarum tribus.

Pag. 90. Henr. 130.

Δύο δὲ εἶχεν Λαοδίκην καὶ Βερενίκην ἐξ ἔρωτός τε καὶ ἐγγύης Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου θυγατέρας.	*Duas autem habebat, Laodicen & Berenicen, adamatas ac desponsatas, Ptolemai Philadelphi filias.*

Legendum θυγατέρα in numero singulari: falsum enim est Laodicem fuisse Philadelphi filiam. Imo fuit Antiochi Soteris filia, & soror ex patre mariti Antiochi, Polyæno teste lib. 8. [1] Ἀντίοχος ὁ προσαγορευθεὶς θεὸς ἔγημε Λαοδίκην ὁμοπατρίαν ἀδελφὴν ἐξ ἧς αὐτῷ παῖς ἐγένετο Σέλευκος. δευτέραν ἔγημε Βερονίκην Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως θυγατέρα. Ideo videtur aliquid deesse in hoc Appiani loco: veluti, ἐξ ἔρωτός τε καὶ ἐγγύης τὴν μὲν ὁμοπατρίαν ἀδελφὴν, τὴν δὲ Πτολεμαίου, &c. Nam ut nunc legitur, non est sine salebris hic locus. De hac Laodice (credo) intelligendus est Valerius Maximus lib. 9, cap. 15, quæ virum necavit & pro eo in lecto posuit Artemonem quendam facie simillimum: quod firmat emendationem nostram. De eadem Laodice etiam intelligendus Athenæus lib. 13, ubi Danaë uxor Sophronii, qui Ephesum ad defectionem impulerat, quæ dum ducebatur ad supplicium, de Diis, & merito dubitari ajebat, an sint Dii, cum Laodice, quæ virum necaverat, imperaret: ipsa vero, quæ virum servaverat, ad mortem duceretur.

[1] *Antiochus cognominatus Deus, duxit Laodicem sororem ex patre, ex qua filium habuit Seleucum: secundam uxorem duxit Beronicem, Ptolemai regis filiam.*

Ibidem. Henr. 131.

Σελεύκῳ δὲ ἀσθενεῖ ὄντι—ἐπεβούλευσαν οἱ φίλοι διὰ φαρμάκων καὶ εἰς ἔτη δύο μόνα ἐβασίλευσεν.	*Seleucus vero valetudine infirma veneno sublatus purpuratorum perfidia, post exactum regni annum alterum.*

Isaacus Causabonus in Synopsi sua Chronologica ad Polybium, Seleuco Cerauno, de quo hic sermo, quatuor fere annos imperii tribuit.

Pag. eadem.

Ἀντιόχου δὲ δύο οὐ πλήρεσιν.	*Antiochus vero biennio tantum.*

Falsissimus calculus: Sed non est is Appiani error, est proculdubio

dubio codicis, ubi male δύο pro δυοκαίδεκα vel δώδεκα scriptum erat. Nam omnes Chronologi consentiunt in numero annorum Antiochi Epiphanis, de quo hic sermo, & ajunt eum regnasse undecim solidos annos, & menses aliquot: error forte manavit ex litteris numeralibus, ubi scriptum erat ιβ, at evanuerat ι, & solum β remanserat.

AD
APPIANI MITHRIDATICUM.
Pag. 114. Henr. 172.

Τῶν δὲ πρὸς Ῥωμαίων αὐτῆς βασιλέων ἐννέα καὶ πεντηκόντα ἐφεξῆς γινομένων. οὕτω μοὶ μάλιστα μνημονεῦσαι πρεπόντως τὰ Ῥωμαίων συγγράφοντα.	*Cæterum de regibus, qui* XLIX *deinceps annos ante Romanos ibi rerum potiti sunt, hoc maxime modo scribendum est in Romana historia.*

Hic locus proculdubio corruptus est in verbis, & falsus in numero. Primum enim legendum est πρὸ Ῥωμαίων, non πρὸς, ut excusum est. Deinde quid est τὰ Ῥωμαίων συγγράφοντα? lego, τὰ Ῥωμαίοις συνάπτοντα, id est, *quæ Romanos attingunt*, scilicet quæ connexionem aliquam habent cum Romanorum negotiis. Numerus etiam insigniter corruptus est, & si quid video, [1] παρέλκει τὸ καὶ πεντήκοντα. Nam si verus is numerus esset, jam multo ante Trojani belli tempora fuisse Bithyniæ reges dicendum esset, quod est absurdum. Nam Homerus nec Thynos nec Bithynos in toto opere nominavit, licet de aliis populis Trojanorum vicinis multa dixerit: quod autem tollendæ sint hæ voces καὶ πεντήκοντα, suadet verus numerus Bithyniæ regum, qui novem fuerunt, secundum auctores qui de iis scripserunt. Undecim quidem forent, si Dœdalsum & filium ejus Botiram numeremus, sed ii duo nunquam dicti sunt reges, sed ἔπαρχοι, & ἀρχὴν ἔχοντες. Primus vero, de quo Memnon dixit, ἐβασίλευσεν, est Βᾶς, qui tempore Alexandri Macedonis vivebat, & Calantum ejus præfectum à Bithynia repulit. Hujus filius Zipœtes 2. cui Nicomedes primus nomine successit 3. huic vero Prusias primus, qui & Claudus dictus est, 4. post eum Prusias Zelæ filius, 5. cujus filius Prusias Venator dictus, 6. cujus filius & interfector Nicomedes Epiphanes dictus, 7. cujus Nicomedes alter Philopator, 8. post quem

[1] *Abundat ea vox* quadraquinta.

quem Nicomedes ultimus, qui hæredem sui regni populum Romanum instituit, 9. hi sunt novem Bithyniæ reges quos ad octo reducit Georgius Syncellus pag. 276 his verbis: [1] Οἱ Βιθυνῶν βασιλεῖς η' κτ̄ Διονύσιον ἔνθεν ἤρξαντο διαρκέσαντες ἔτη σ. ι. γ'. Scilicet non numerabat Syncellus primum, qui Bas dicebatur, in regum serie, quoniam non à patre per successionem acceperat regis nomen, sed primo ἔπαρχος dictus, succedenti tempore regem ipse se nominavit. Sic firmat Syncellus nostram de tollendis vocibus ϗ πτλαρχηνος conjecturam. Sed & auctorum silentium, ut Demosthenis, id firmare videtur, & alii Rhetores, qui cum de Thraciæ regibus plurimis locis meminerint, nunquam de Bithyniæ regibus verba fecerunt, licet sæpissimè de Byzantio, de Cherronneso, de Sacro, vel ἱερῷ in ore Ponti in Bithynia sito meminerint. Itaque non dubito audacter pronunciare, τὸ καὶ πτλαρχηνος debere deleri, ut superfluum.

[1] *Reges Bithynorum 8. secundum Dionysium, à quo cœperunt in annos 213 duravere.*

Pag. 115. Henr. 174.

Καὶ Ἀνδρόνικος αὐτὸν ἤδη δυσφόρων.	*Andronicus jam ejus satelles.*

Ex præcedentibus emendo & lego δορυφορῶν.

Pag. 116. Henr. 176.

Καππαδοκίας τι αὐτῆς καὶ τῶν ὁμόρων περὶ τὸν Πόντον ἐθνῶν κάτεσχεν.	*Et Cappadociam ipsam & finitimas gentes Ponticas obtinuit.*

De parte quadam Cappadociæ concedi potest, quod dicit hoc loco Appianus: de tota vero nequaquam; fuerunt enim eodem tempore Cappadociæ reges, sed jam id supra notavimus ad Diodori paginam 791.

Pag. 120. Henr. 183.

Ἀμφὶ τὸ πρῶτον Πάχιον χωρίον.	*Circa primum Pachium vicum.*

Ortelius sic legit, & Pachium habet, & putat idem esse cum Sangia Strabonis; quam bene, videant ejus fautores. Ptolemæus vero habet Πρωτόμαχοι, unde quis non inepte colligat verum nomen fuisse Πρωτομάχιον, nomine scilicet loco indito à primo prælio, quod

 ibi

ibi factum est, ut dixit paulo supra, [1] Ο῞τε πρῶτον ἤεσαν ἐς ἀλλήλους Ρ῾ωμαῖοί τε καὶ Μιθριδάτης. Sed hæc est mera conjectura, quam probare per me unicuique licebit.

[1] *Quando primum pugnarunt Romani & Mithridates.*

Pag. 122. Henr. 185.

Τραλλιανοὶ δ᾽ αὐθένται τῦ Κάσρυ.	*Tralliani ne hospitum cade manus contaminarent.*

Lege τῦ Καοσίυ ex præcedentibus.

Pag. 133. Henr. 204.

Ο῾ Φλάκκος διαιτῶν ὐδὲν, ἐς τιμὴν ἐπεσέμηνεν τῦ Φιμβρίυ.	*Flaccus arbiter cum nullam rationem habuisset honoris Fimbriæ.*

Aliter distingue. Ο῾ Φλάκκος διαιτῶν, ὐδὲν ἐς τιμὴν, &c. Id est, *Flaccus controversias componens nihil unquam in honorem Fimbriæ, ne signo quidem fecit.*

Pag. 133. Henr. 206.

Τὰ δὲ μὲν Φιμβρίας ἐς Ἴλιον εἰργάζετο ληγύσης ἄρτι τῆς τρίτης καὶ ἑκατοστῆς Ολυμπιάδος.	*Hæc Iliensium clades incidit in finem* CLXXIII *Olympiadis.*

Hoc monstrum Chronologicum non est ex Appiano, sed à mala manu, & à codice mutilo. Legendum est, [2] τρίτης καὶ ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς. similitudo terminationis fraudem fecit scribæ, vel evanuit *o* inter ϛ' & γ'.

[2] *Tertia septuagesima & centesima.*

Pag. 134. Henr. 207.

Ε῾νετὺς καὶ Δαρδανέας καὶ Εντὺς περίοικα Μακεδόνων ἔθνη.	*Henetos, Dardanos aliasque finitimas Macedoniæ gentes.*

Quinam fuerint illi Heneti, Macedonum contermini, quorum regionem Sulla vastavit, dicat alius: fateor enim me prorsus illos ignorare. Homeri Ε῾νετοὶ fuerunt in Paphlagonia, alii ad maris Adriatici intimum recessum, ubi & hodie incolunt Veneti, ambo longe à Macedonia, ad quos Sulla non pervenit. Plutarchus de sola Medica à Sulla vastata meminit, idque in transgressu, dum Macedonia Hellespontum vadit. Itaque legendum puto, Μήδυς καὶ Δαρδανέας

καὶ

καὶ Σιντοῦς. Hæ tres gentes Macedoniæ conterminæ erant, & Medi quidem & Sinti in ipſo itinere: ad Dardanos vero deflexit dum vacabat ſcilicet, & ut loquitur Appianus, ἀργίαν διατιθέμενος.

Pag. 135. Henr. 208.

Καὶ κατέβαινον ἐς πεδίον ἄμφω σὺν ὀλίγοις.	*Et ambo cum exiguo comitatu in campum progreſſi ſunt.*

Circa Dardanum fuit ille campus, ut docet Plutarchus in Sulla.

Pag. 143. Henr. 222.

Καὶ λιμῷ πιεσθέντες ὑπὸ Λουκούλλου, ἀγῶνα τε αὐτῷ θέμενοι.	*Tum beneficio Luculli, qui eum fame premebat: qua de cauſa ludum inſtituentes.*

Mutilus eſt hic locus; non enim à Lucullo fame preſſi ſunt Cyziceni, ſed à Mithridate: excidit igitur pars quædam hujus ſententiæ. Scripſerat proculdubio [1] λιμῷ πιεσθέντες, καὶ σωθέντες ὑπὸ Λουκούλλου, vel ἐσώθησαν, vel tale quid.

[1] *Fame preſſi & à Lucullo ſervati.*

Ibidem. Henr. 223.

Βάρβας δὲ Προυσιάδα εἷλε τὴν πρὸς τῷ ὄρει.	*Barba vero Pruſiadem ſub monte ſitam occupavit.*

Intelligit Pruſiadem ad Olympum ſitam. Nam licet alia Pruſias fuerit ad Arganthonium montem ſita, & item alia ad Hippium montem & fluvium: tamen quando montis nomen non addidit, de Olympo intelligendum eſt, qui in ea regione ob amplitudinem & excelſitatem mons καθ' ἐξοχὴν dicebatur.

Pag. 155. Henr. 244.

Καὶ πολλαὶ μεταβολαὶ μέχρι Καίσαρος ἐγένοντο τοῦ Σεβαστοῦ, ἐφ' οὗ καθάπερ τὰ λοιπὰ, καὶ ἥδε ἡ βασιλεία περιῆλθεν εἰς στρατηγίαν.	*Et multa mutationes fuerunt uſque ad Auguſtum Cæſarem, quo imperante ſicut alia quædam, ita hoc regnum in provinciæ formam redactum eſt.*

Peccat hoc loco, ut videtur, Appianus in hiſtoriam. Nam Tiberio demum imperante redacta eſt Cappadocia in provinciam: teſtis idoneus

idoneus Cornelius Tacitus, cujus fidem non dubito præferre Appiano, qui lib. Annalium 2 Conſule Tiberio tertium & Germanico iterum hæc ait: *At Cappadoces in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepêre, & quædam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum imperium ſperaretur.* Conſtantinus equidem in Themate Armeniaco de Cappadocia ait: ἐβασιλεύετο δὲ μέχρις Αὐγούστου Καίσαρος. Sed illud μέχρι ex Tacito debet intelligi incluſivè.

Pag. 158. Henr. 249.

Ἑκκαιδέκατος ὢν ἀπὸ Δαρείου τοῦ ὑστάτου Περσῶν βασιλέως. ὄγδοος δὲ ἀπὸ Μιθριδάτου τοῦ Μακεδόνων ἀποστάντος τε καὶ κτησαμένου τὴν Ποντικὴν ἀρχήν.

Sextus decimus ejus ſtirpis à Dario Perſarum rege ultimo, octavus à Mithridate illo, qui primus deſertis Macedonibus Pontici regni fuit conditor.

Locus hic fœdiſſimè corruptus, niſi corrigeretur, poſſet omnibus Chronologis crucem figere. Nam ſi Mithridates Eupator decimus ſextus à Dario Codomano ultimo Perſarum rege fuit, quem vicit Alexander, quomodo fuit octavus à Mithridate fundatore ſeu Ctiſte, qui Alexandro & Antigono Alexandri duci fuit contemporaneus, & ſic contemporaneus etiam ipſi, cujus octavus nepos Eupator dicitur: certe hæc ſunt ἀσύστατα. Rurſus eum malè octavum facit à Mithridate Ctiſte, quem ſupra hujus libri initio ſextum tantum facit. Sic enim ſupra pag. 116 de illo Ctiſte: [1] ἐπὶ τε μέγα τὴν ἀρχὴν προαγαγὼν παισὶ παρέδωκεν, οἱ δὲ ἦρχον ἕτερος μετ' ἕτερον, ἕως ἐπὶ τὸν ἕκτον, ἀπὸ τοῦ πρώτου Μιθριδάτου ὃς Ῥωμαίοις ἐπολέμησε. Quod verum eſt: ſic enim procedit eorum ſtemma.

Mithridates, κτίστης ſeu fundator.
|
Ariobarzanes.
|
Mithridates
|
Pharnaces
|
Mithridates Euergetes.
|
Mithridates Eupator.

Hoc ſtemma ex Polybio, Memnone, Diodoro, Strabone, & ipſo Appiano

1 Et in majus ſuum extendens imperium, liberis ſuis tradidit: illi autem regnarunt alius poſt alium uſque ad ſextum à primo Mithridate, qui cum Romanis bellum geſſit.

Appiano probatur. Itaque totum hunc locum ita restituo: [1] ἑκκαιδέκατος ὢν ἀπὸ τοῦ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου Περσῶν βασιλέως, ἕκτος δὲ ἀπὸ Μιθριδάτου τοῦ Μακεδόνων ἀποστάντος τε καὶ κτισαμένου (sic lego, non κτησαμένου) τὴν Ποντικὴν ἀρχήν. Scio τὸ κτησαμένου retineri posse, sed multum præfero κτισαμένου: nam fuit ejus principis gloria, & inde nomen habuit [2] κτίστης, διὰ τὸ κτίσασθαι τὴν Ποντικὴν ἀρχήν.

[1] *Sextus decimus à Dario Hystaspis Persarum rege. Sextus vero à Mithridate, qui à Macedonibus defecit, & qui fundavit regnum Ponticum.*
[2] *Quod fundaverit Ponticum imperium.*

Pag. eadem. Henr. 250.

Ἐς Νεμέσαν τε καὶ Δελφούς.	*Delphos Nemeamque.*

Nemo ambiget, quin reponendum sit Νεμέαν.

Pag. 159. Henr. 251.

Ἀπέφηνε δὲ καὶ τῆς ἐν Κομαγηνοῖς θεᾶς Ἀρχέλαον ἱερέα.	*Ejus etiam Deæ, quæ à Comanis colitur, Archelaum flaminem fecit.*

De hac Comagenorum Dea omnes auctores siluerunt, nec dubito legendum esse ἐν Κομανοῖς. Nam & sacerdotium illud Deæ Comanum vel Comanorum fuit quasi regalis dignitas, sive de Comanis Cappadociæ, sive de Ponticis velis intelligere, nam in utraque urbe fuit tale sacerdotium sublime & maximæ dignitatis, quæ vel regii sanguinis viris, vel quibusdam bene meritis fidelitatis & officiorum præmium dabatur: vide Strabonem lib. 12. Legendum autem esse Κομανοῖς evincit etiam casus ille dativus pluralis numeri. Nam dicuntur τὰ Κόμανα, unde dativus Κομανοῖς. At Comagene provincia semper Κομαγηνὴ dicitur singulariter. Tum urbem Comagenes nominavisset, ubi templum illius Deæ: nam Comagene nomen est provinciæ, non urbis, & de Ephesia Diana non dicitur ἡ ἐν Ἰωνίᾳ Ἄρτεμις, sed ἡ ἐν Ἐφέσῳ. Nec Apollo Clarius dicitur ὁ ἐν Αἰολίδι, sed ὁ ἐν Κλάρῳ. Nec Pythius Apollo dicitur ὁ ἐν Φωκίδι, sed ὁ ἐν Δελφοῖς vel Πυθοῖ.

Pag. 160.

Παρελθὼν δὲ ἐς τὸ Καπιτώλιον, οὐδένα τῶν αἰχμαλώτων ὡς ἕτεροι τῶν θριάμβους παραγόντων, ἀλλ᾽ ἐς τὰς πατρίδας &c.	*Ubi vero pervenit in Capitolium, neminem captivum necavit, ut triumphatores alii, sed in patrias &c.*

Imperfecta est oratio, & pendet sententia: deest verbum ἀνεῖλε-

το vel πέπρακε, vel tale quid. Sic enim erat in usu. Sic Livius lib. 6 de Camillo: *Longe plurimos captivos ex Hetruscis ante currum duxit, quibus sub hasta venundatis, tantum æris redactum est, &c.* Idem etiam mos apud Græcos obtinebat. Plutarchus in apophthegmatis de Philippo Macedone. [1] ληφθέντων δὲ πολλῶν αἰχμαλώτων ἐπίπρασκεν αὐτούς. & ibidem de Agathocle, [2] λαβὼν δὲ κατὰ κράτος ἐπίπρασκε τοὺς αἰχμαλώτους.

[1] *Cum autem plures cepisset captivos, eos vendidit.*
[2] *Cum vi cepisset captivos, eos vendidit.*

AD
APPIANI HANNIBALICUM.

Editionis Henrici Steph. post Ctesiam Agatharchidem & Memnonem in octavo, anno 1557. *In Folio, anno* 1592. *pag.* 319.

Pag. 125.

Μετὰ δὲ τοῦτο ἐξῆγεν εὐθὺς ἐπὶ τὴν μάχην αὐτοὺς ὄντας ἀπ' ἀγρυπνίας καὶ κόπου.	*Quo facto mox in aciem copias educit, nondum à vigiliis ac laboribus recreatas.*

Illud αὐτοὺς ὄντας proculdubio morbosum est, forte & mutilum. Forte scripserat auctor κάμνοντας, vel ut propius accedamus ad editam lectionem, ἐκλύτους ὄντας, vel aliud quid ejusdem significatus, quod excogitabit eruditus lector.

Pag. 126. in Fol. ibid.

Ἀννίβας δὲ ἐπειδὴ τήν τε λίμνην εἶδε τὴν Πλειστίνην.	*Annibal Plestinam paludem conspicatus.*

Philippus Cluverius vir in Italiæ geographia exercitatissimus jure miratur, quare Appianus solus hunc locum Πλειστίνην vocaverit, & credit legendum esse Περυσίνην. eum vide Italiæ antiquæ lib. 2, ubi id argumentum fuse tractavit.

Pag. 129. in Fol. p. 323.

Καὶ ἐς Γερωνίαν τῆς Ιαπυγίης ἐπειχθεὶς.	*Et progressus Gerionem Apuliæ urbem.*

Ab aliis aliter scribitur ejus urbis nomen. Polybius lib. 3 Γερούνιον vocat. T. Livius lib. 22 *Gerionem*; tabulæ *Geronum*; ubi credo legendum

gendum *Geronium*: nec dubito Livium *Geronium* vel *Geroniam* scripsisse. Sed exscriptor, qui aliquid de Geryone & Hercule audiverat, eam vocem, quæ in mente natabat, expressit.

Pag. 137. in Fol. p. 330.

Τὰς τε μηχανὰς αὐτῶν συνεχῶς ἐνεπίμπρασαν οὐκ ἧσσον αὐτοὺς τῶν γυναικῶν ἀνδριζομένων.	*Crebro erumpentes & strenue pugnantes opera illius incendebant adjuvantibus mulieribus, quæ audacia viris haudquaquam cedebant.*

Pro οὐκ ἧσσον αὐτοὺς, lego, [1] οὐχ ἧσσον αὐτῶν: non est opus rationibus, ut sic legendum esse tibi persuadeam; erudite lector, lege totum locum, & mecum stabis.

[1] *Non minus quam viri.*

Pag. 140. in Fol. 332.

Λιμένες δὲ εἰσὶ τοῖς Ταραντίνοις πρὸς Βορέαν ἄνεμον ἐκ πελάγους ἐσπλέοντι διὰ Ἰσθμοῦ καὶ τὸν Ἰσθμὸν ἀπέκλεινον γεφύραις.	*Sunt autem portus Tarentinorum ad Boream versi, si quis è mari per Isthmum intro naviget. At Isthmum pontibus evitabant.*

Locus hic laborat & à mendo, & à malo auctoris Hellenismo. Appianus vir Ægyptius hellenismi sinceri non optimus auctor hoc loco Ἰσθμὸν in significatu posuit Græcis insolito, pro maris utrinque terra coarctati meatu, qui Græcis στενὸν, & πορθμὸς dicitur. Nam Ἰσθμὸς teste Hesychio & aliis lexicographis est αὐχὴν καὶ τράχηλος καὶ στενὸν χωρίον μεταξὺ δύο θαλάσσων, id est, *cervix, collum & locus angustus inter duo maria.* at hic è contrario Appianus, ut dixi, intelligit maris fluxum augustum, inter duas terras, nec dubitari potest, quin sic intellexerit, quando ait ἐσπλέοντι διὰ ἰσθμοῦ, *per Isthmum naviganti.* Tum infra repetit, [2] ἐπελθὼν αὐτοῖς ὁ Ἀννίβας ἐδίδαξε λεωφόρον ὁδὸν, ἣ διὰ μέσης τῆς πόλεως ἔφερεν ἀπὸ τῶν λιμένων ἐπὶ τὴν νότιον θάλατταν, ὀρύξαντας Ἰσθμὸν ἕτερον ποιήσασθαι. Romani occupaverant os portus, qui erat ad septentrionalem urbis partem, & id ponte & præsidio firmaverant, ut Tarentinis omne per mare commercium auferrent. Itaque commeatus inopia fatigabantur; sed Hannibalis monitu viam, quæ à portu per urbem in mare meridianum apertum tendebat, foderunt,

[2] *Accedens Hannibal eos docuit publicam viam, quæ per mediam urbem à portubus tendebat ad meridianum mare fodientes, Isthmum alium facere.*

derunt, & per eam fossam sibi mare liberum fecerunt naves recipientes & emittentes. Judica lector, an talis fossa debeat Ἰσθμὸς vocari. Imo Isthmus fit aggerendo terram, non auferendo: ergo hoc loco male hellenizat Appianus, sed & hoc loco pro ἀπέκλινον legendum ἀπέκλεισεν, optimo sensu, is tamen error non est Appiani, sed exscriptoris.

Pag. 144. Fol. p. 336.

Κλαύδιος ἢ Φλάκκος ἑτέραις ὁδοῖς ἐπειχθεὶς ἀλέκτῳ τάχει ἀντεστρατοπέδευσε τῷ Ἀννίβᾳ.	*Claudius Flaccus diverso itinere incredibili celeritate Annibali castra opponit.*

In ἀλέκτῳ τάχει mendum est manifestissimum, sed quod sanare non est difficile. Lego confidenter ἀλλήκτῳ τάχει, id est, *celeritate continua, non intermissa, indesinente*, plano sensu.

Pag. 146. Fol. p. 338.

Ὁ ἢ Ἀννίβας, ἐπεὶ τῆς πείρας ἀπέτυχεν ἐς Πλεκαίνους διελθών.	*Annibal irrito incepto in Lucaniam traducens copias.*

Vox Πλεκαίνους proculdubio in mendo cubat, vel in Πελίγνους, vel in Λευκανοὺς mutanda, & certum est quidem ex Livio, Hannibalem per Pelignos iter fecisse vel eundo vel redeundo, (nam id incertum est) sed vox ἐχείμασε *hibernavit* suadet, ut legam potius Λευκανούς: non enim hiemavit in Pelignis unquam Hannibal.

Pag. 147. Fol. p. 339.

Ἰαπύ ἢ ἐν πόλει Σαλατίᾳ.	*Salatia in Apulia.*

Obvium & facile est supplere finem vocis mutilæ Ἰαπὺ, & Ἰαπύγων legere: nam Græci auctores totum tractum littoris ab acra Iapygia usque ad Frentanum & Samnium Iapygiam vocabant, & sic Appianus ipse Civilium 1 Canusium & Venusiam in Iapygia ponit. [1] Ἰνδακιλίῳ δὲ ἐν Ἰαπυγίᾳ προσετίθεντο Κανυσῖνοι, καὶ Οὐενυσῖνοι. At Canusium Salapiæ vicinum fuit (nam & hoc loco pro Σαλατίᾳ legendum Σαλαπίᾳ) ergo non est dubium, quin scribendum sit hoc loco, Ἰαπύγων ἢ ἐν πόλει Σαλαπίᾳ. Sic & infra pag. 150 pro Σαλατίνοις ἢ μόνοιν, reponendum est Σαλαπίνοις.

1 *Indacilio adjunxerunt se Canusini & Venusini.*

AD

AD APPIANI IBERICUM.

Pag. 160. Fol. p. 258.

Ζακανθαῖοι δὲ ἄποικοι Ζακυνθίων, ἐν μέσῳ τοῦ τε Πυρήνης καὶ τοῦ ποταμοῦ Ἴβηρος ὄντες.	*Sed Sagunthini (ea fuit Zacynthiorum colonia.)*

Pessimus geographus in rebus Hispaniæ Appianus, qui Saguntum inter Pyrenæos & Iberum fluvium locat, quæ omnium geographorum consensu fuit inter Iberum & Sucronem, non longe à loco, ubi nunc Valentia.

Ibidem. Fol. p. 259.

Ὅσοι δὲ τοῦ Βάρκα διαπολῖται.	*Qui diversas à Barca in Republica partes secuti.*

Apud alios auctores vox διαπολῖται, credo, non invenitur. hoc loco ab Appiano ponitur pro ἀντιπολιτευόμενοι, ut ex totius loci lectione patet. Sed Appianus, ut suprà notavi, non debet nobis esse in exemplum purioris hellenismi.

Pag. 161. Fol. ibid.

Οὐδ᾽ ἐπὶ τῷ Καρχηδονίων κουφόνῳ μέχρι παντὸς εἶναι.	*Neque Carthaginiensis populi libidini perpetuo foret obnoxius.*

Quid sit κουφόνῳ, prorsus ignoro: mendosa forte ea vox. Forte scripserat auctor κούφῳ νῷ, id est, *vana mente*, vel *levi animo*, quod suadent quæ immediate sequuntur, [1] ῥᾳδίως εἰς εὐεργέτας πρὸς ἀχαριστίαν τρεπομένων. Totum locum sic emendatum latinè reddere conabor: *neque levi Carthaginensium animo semper subjectum esse, qui facilè erga beneficos ingratum animum induunt.* vel, si melius erit reponere κυφῶνι, ut sit sensus, *semper Carthaginensium supplicio suppositos esse*: nam κύφων Hesychius κολαστήριον ξύλον, vel, δεσμὸς ξύλινος interpretatur.

[1] *Qui facile erga beneficos ingrati fiunt.*

Pag. eadem.

Λιβύην μὲν οὖν ἐθοῦσαν ἕωρα.	*Sed Africam videbat.*

Lego ἠθουσαν sine circumflexu & intelligo, *assuefactam*, scilicet jugo Carthaginensium.

Pag. 163.

Συνῴκισεν αὖθις καὶ Καρχηδονίων ἄποικον ἀπέφαινεν, ἣν νῦν οἶμαι Καρχηδόνα καλεῖσθαι τὴν Σπαρταγένην.	*Instauratam & novis repletam incolis Carthaginiensium coloniam esse voluit, quam nunc arbitror Carthaginem vocari Spartagenam.*

Hoc loco rursus misere prodit suam ignorantiam in rebus Hispaniæ Appianus, qui Carthaginem novam seu Spartariam, eandem esse putat, quæ olim Saguntus, quæ invicem distabant plus quam 50 leucis.

AD
APPIANI CIVILIUM II.

Pag. 227. Henr. 463.

Ὁ δὲ Καῖσαρ τοῦ Πομπηΐου τὸν Ἄλωρα ποταμὸν ἐν μέσῳ θέμενος ἐστρατοπέδευσε.	*Cæsar ex adverso Pompeii castra metatus est interfluente Alore flumine.*

Quem fluvium Alora hîc vocat Appianus, omnes alii Apsum vocant. Ideo reponendum est, τὸν Ἄψον ποταμόν.

Ad Civilium 5. pag. 368.

Ὁ δὲ Καῖσαρ καὶ ὁ Ἀντώνιος τὴν Ῥωμαίων αὖθις ἀρχὴν ἐφ᾽ ἑαυτῶν ἐμερίσαντο ἅπασαν, ὅρον μὲν εἶναι σφισὶ Κοδρόπολιν τῆς Ἰλλυρίδος, ἐν μέσῳ τοῦ Ἰονίου μυχοῦ μάλιστα δοκοῦσαν εἶναι.	*Tum Cæsar & Antonius totum Romanum imperium inter se denuo partiti sunt, feceruntque terminum utriusque ditionis Codropolin oppidum Illyricum, quod videbatur situm in intimo sinu Adriatico.*

Hanc urbem Κοδρόπολιν nemo geographorum aut historicorum novit, ideo non dubito mutare, & legere Σκόδραν πόλιν. Scodra fuit urbs

urbs celebris in Illyride, de qua meminere inter antiquos Polybius in excerptis legat. cap. 76, ubi nunc male Σκάρδα legitur. Sed T. Livius, qui ab eo habet, ter Scodram nominat lib. 44, & ait Gentium regem Illyriorum pro totius regni arce eam ſibi ſumpſiſſe, & eſſe Labeatum gentis longè munitiſſimam. Ptolemæus eam poſuit tab. 5 cap. 17. ea nunc paululum immutato ſono *Scutari* dicitur, nobilitata ſui excidio, quod poſt conſtantiam mirabilem & multos Turcarum aſſultus tandem paſſa eſt ſuperioribus ſeculis.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
MEMNONIS
FRAGMENTUM.

Editionis Henrici Stephani anno 1557. *In Phocio Gr.Lat.*
Anno 1611. *pag.* 705.

Pag. 76.

Ὄψε δὲ καὶ μόλις ὑπὸ Χίωνος τοῦ Μάτριος ..... καὶ Λέοντος καὶ Εὐξένωνος.	*Sed vix tandem à Chione Matris filio .:. & Leone & Euxenome.*



Adde ex Suida, καὶ Λεωνίδου καὶ Ἀντιθέου; eum vide in Κλέαρχος. Habet etiam Trogus Leonidem in numero eorum Tyrannicidarum apud Justinum lib. 17.

Pag. 80. Phoc. 709.

Καὶ θεραπείᾳ Κλεοπάτρας.	*Et suis erga Cleopatram obsequiis.*

Hæc Cleopatra fuit soror germana Alexandri magni, eodem patre

tre Philippo, & eadem matre Olympiade nata: uxor fuit Alexandri Molossi seu Epirotæ, & post ejus mortem à Perdicca ambita, deinde & à Ptolemæo: tandem vero ab Antigono necata, dum Sardibus ad Ptolemæum in Ægypum ire tentat, vide Diodorum lib. 18 & 20, & Trogum apud Justinum lib. 13. ad eam Ctesiphon Atheniensis missus est legatus, ut eam super morte Alexandri Molossi mariti sui solaretur, ut ait Æschines in oratione contra Ctesiphontem. Non est mirum si plurimum apud Alexandrum poterat, quando fuit ei unica soror ex utroque parente.

Pag. 81. Phoc. ibid.

Ἐξογκώθη τι τὸ σῶμα, καὶ τοῦ κατὰ φύσιν πολὺ πλέον ἐλιπαίνθη.	*In crassam corporis molem excrevit, pinguedine supra modum adauctus.*

Extat Palladæ epigramma super hoc casu.

Οὐ ποιεῖ θάνατον μόνον ἡ φύσις, ἀλλὰ τὸν αὐτὸν
Καὶ πολλῇ παχύτης πολλάκις εἰργάσατο·
Τοῦ δ' ὁ τυραννήσας Διονύσιος Ἡρακλείας
Τῆς ἐν τῷ Πόντῳ μάρτυς ὁ τοῦτο παθών.

Pag. 82. Phoc. 712.

Λυσίμαχος πάλιν τῶν περὶ Ἡρακλείαν καὶ τῶν παίδων ἐπεμελεῖτο, ὃς καὶ Ἄμαστριν ποιεῖται γυναῖκα.	*Lysimachus in curationem Heracliensium & puerorum successit, qui & Amastrin uxorem sibi adscivit.*

Ex ea uxore Lysimachus filium suscepit Alexandrum nomine, de quo tacet Memnon, sed id discimus ex Polyæno, quem ideo potissimum cito, quoniam is locus emendatione indiget, sic autem habet lib. 6 pag. 443: Ἀλέξανδρος Λυσιμάχου καὶ Μηκρίδης υἱός, ad quæ sic commentatur Casaubonus: *in nostro codice corruptissimè fuit*, Μησρίδου υἱός. Ex illo corrupto codice restituo, καὶ Ἀμήστριδος υἱός, ut ex hoc loco Memnonis colligitur.

Pag. 86. Phoc. 716.

Τὴν δὲ Ἀσίαν Ἀντιγόνῳ παραθέσθαι τῷ παιδί.	*Asiam filio Antigono commendavit.*

Palam est legendum esse, Ἀντιγόνῳ, ut ex historia cuique nota constat.

 Ibidem.


Ibidem. Phoc. 717.

Ἐν ταύτῃ γὰρ ρ´ μὲν ἄνδρες ἕκαστον στοῖχον ἤρεττον.	*In hac enim* C *viri suæ quique centuriæ ordine remos ducebant.*

Lege ἕκαστον στοῖχον, ut requirit ſententia, & quoniam hic Memnonis locus multum facit ad quæſtionem, quam in pluribus cœtibus agitari vidi de triremibus & aliis navigiis, quæ remis agebantur, ſuper eo loco aliquantum nos immorari patere, lector erudite, & noſtram ſententiam promere, & eam auctoritatibus firmare. Nam video plures viros eoſque non contemnendos ſibi perſuadere non poſſe, plures remorum ordines alium ſupra alium extructos fuiſſe in triremibus, quadriremibus & aliis majoris molis navigiis; ſed putare ἑξήρεις & ἑπτήρεις dici non à remorum verſibus, ſed à remigum numero ad unumquemque remum ſedentium. Ergo lubet hoc loco aliquid de ea re dicere, & auctorum teſtimonia adducere, quibus melius opinari cogantur, & primum diluenda ſunt ea incommoda, quæ ab iis objiciuntur, de Demetrii Poliorcetæ ſexdecimremibus, quæ ἑκκαιδεκήρεις Græcè dicebantur, tum de Ptolemæi Philopatoris quadraginta ordinum navi. Nam dicunt non poſſe id intelligi de remorum plurimis ordinibus ob immenſam altitudinem ad tantos ordines requiſitam. Ad hæc reſpondeo; primo, quod ad Philopatoris navem, eam fabricatam fuiſſe non ad uſum, ſed ad miraculum ſolum & magnificentiæ laudem: ideo non eſſe adducendam ad exemplum propter incommoda. Nam qui eam non vidit, quomodo ſibi perſuadere poterit, navim unam habuiſſe duas proras, & duas puppes, & quatuor gubernacula? eam tamen docebimus facilius accommodari poſſe ad noſtram opinionem, quam ad contrariam ſententiam. De Demetrii vero navibus, quibus in bello utebatur, fateor difficile eſſe excogitare, quomodo tantus numerus remorum & remigum potuerit ad uſum accommodari. Non mirum: nam & id fuit difficile creditu hominibus ejus ſæculi, & viſebantur ut mira quædam, & prorſus fidem excedentia machinamenta: ſic enim de iis Plutarchus in Demetrio, μεγέθει μὲν γὰρ ἐξέπληττε καὶ τοὺς φίλους, κάλλει δὲ καὶ τοὺς πολεμίους ἔτερπε, id eſt, *mole percellebant amicos, pulchritudine vero etiam hoſtes delectabant.* & paulo poſt, καὶ τὰς μὲν ἑκκαιδεκήρεις καὶ πεντεκαιδεκήρεις ἐθαύμαζον ἑστῶτες οἱ πολέμιοι, id eſt, *ſenumdenum & quinumdenum ordinum naves ejus ſtantes hoſtes ſtupebant:* & paulo poſt de Lyſimacho,

Lysimacho, qui Demetrium quamvis hostem rogaverat, ut sibi suas naves in cursu ostenderet, cum eas illi ostendisset, cum admiratione discessit. Fuerunt igitur ejus sæculi partus monstrorum instar, Demetrii magnificentiæ, & artificum ingenii mira experimenta: ideo, nec mirum est hujus sæculi homines vix posse talium navium usum imaginari. Sed si ponamus verum esse, id, quod excogitant, scilicet ad unumquemque remum sedisse homines sexdecim, tunc multo majus incommodum emerget ex eorum intelligendi modo: nam sic homines 32 sedentes cum spatio ad adducenda brachia libero, latitudinem navis immensam supponunt. Sed, si ita est, videamus, an ratio illis constet in Philopatoris nave, quam Plutarchus in Demetrio, sed Athenæus curiosius multo & exactius libro 5 cap. 9 describunt. Ea habuit in longitudine cubitos 280, in latitudine cubitos 38, ἀπὸ παρόδου ἐπὶ πάροδον, id est, *à via ad viam*, cubitos 38 ea via fuit, quæ in supremo tabulato patebat juxta Thranitas, quæ Ennio Agea dici videtur, & nautica nostra lingua dicitur *la rambade.* Dematur nunc spatium, quod debuit esse inter remiges dextros & sinistros, per quod itur à prora ad puppim, ubi sunt mali, & κελεύσται, & vocatur nostris *la coursie*: & ponamus fuisse cubitorum sex, quod parum est in tantæ molis nave: nam omnia ministeria & jussa tum ducis tum gubernatoris per eam viam exequi necesse est, unde multi cursus, recursus & occursationes ibi fiebant. Restat spatium cubitorum 32: restabat igitur spatium cubitorum 32 ad remiges collocandos, qui (secundum adversariorum sententiam) erant 80. nam ad unumquemque remum quadraginta sedere debebant secundum illos, & sic in sexdecim cubitorum spatio collocabantur remiges 40. At unicuique remigi cubiti duo vix sufficiunt ad motum & brachiorum reductionem, & sic opus erit cubitorum 80 in unoquoque latere ad remigum sedem, quod est contra positionem. Ergo non potest sic intelligi, ut volunt, propter absurdum, quod inde sequeretur, nec est triremis, quæ tres homines, nec sexremis, vel septemremis, quæ sex vel septem remiges habet in scalmo ad remum sedentes, sed aliter intelligi debet. Sed & alia validissima ratione refutari potest ea de remigum numero sententia. Nam, exempli gratia, si in sexdecimremibus Poliorcetæ sedissent ad unumquemque remum ad eum agitandum remiges sexdecim, dando unicuique remigi ad motum corporis & brachiorum reductionem spatium duorum cubitorum, quod vix sufficit, necesse fuisset remum unum-

quemque in navis latitudine interius porrectum fuisse usque ad cubitos 32 & plus. At tantundem vel plus debuit extare & prominere extrinsecus mare versus, ut fieret mersio satis profunda, & ad remigum numerum conveniens aquæ impulsio. Nunc cogitemus, qualis fuerit remi cum navis latere χιασμὸς, & quantum in altitudine extremitas remi interior erecta fuerit, & si bene id in animo conceperis lector, invenies eam remi partem extremam interiorem non potuisse nec à sedentibus nec à stantibus nec à currentibus & recurrentibus gubernari, & oportuisset ultimos ad extremitatem remi remiges in aëre volasse μετεώρους, & eo altius, quo minor fuit remi pars exterius versus mare sese extendens propter exaltationem extremi manubrii, quod per sequentem figuram facilius intelligetur.




A *Locus, ubi sedent remiges, & ubi fit remi cum latere navis decussatio.*
B *Extremitas interior remi, quam primus remex tenere debet manibus.*
C *Palmula remi in mare immersi.*
D *Extremitas remi alterius, qui non tantum intus extenditur.*
E *Palmula remi in mare immersi.*

Adde quod non fuit tanta in sexdecimremibus remorum longitudo, quando in Philopatoris immensa illa nave ordinum quadraginta superiores & majores remi cubitos 38 in longitudine tantum habebant. Itaque ut remiges sint utiles, non debet spatium remi interius longius extendi, quam ut prior remex vel ultimus ad ejus extremitatem sedens, possit in suo scalmo remum impellere, assurgens sufficienter, & reducere, quod fit commode, quando remi multum exterius extenduntur: parum vero interius, ut in figura ad litteram D spectatur. Rursus in ea Philopatoris nave ordinum 40, quam describit Athenæus, remi Thranitarum maximi erant longi cubitos 38. *κώπας δὲ θρανιτικὰς ὀκτὼ καὶ τριάκοντα πήχων τὰς μεγίστας, αἳ διὰ τὸ μόλυβδον ἔχειν ἐν τοῖς ἐγχειριδίοις καὶ γεγονέναι λίαν ἔσω βαρεῖαι κατὰ*

τὴν

τὴν ζύγωσιν διήρεις ἀπήρχον ἐπὶ τῆς χρείας, id est, *remos vero thraniticos maximos, erant cubitorum triginta octo, qui eo, quod multum plumbum habebant in manubriis ad æquilibrium, facilis usus erant ad remigandum.* Nunc ponamus secundum adversariorum sententiam remiges 40 ad remum cubitorum 38, tantum abest, ut aliqua pars remi potuerit extare, & mare potuerit legere; ut cubiti 42 desint ad collocandos remiges, dando unicuique ad sedendum & brachiorum reductionem cubitos duos. Quod autem ait *Thraniticas maximas*, inducit necessario fuisse quasdam minores, unde colligitur fuisse plures Thranitarum ordines in iis majoris molis navigiis, quorum superiores longioribus remis utebantur, inferiores vero brevioribus. Ideo suspicor fuisse (exempli gratia) in quindecimremibus Demetrii, ordines seu versus Thranitarum quinque, Zugitarum quinque, & Thalamitarum quinque, qui tamen potuerunt & aliter & impariter distribui. Rursus utar alio argumento. Si triremis fuit ea, quæ tres tantum remiges ad remum sedentes habebat, non debuit esse multi pretii ea navis: nam & nostræ triremes (quas *subtiles* vocant) sæpe quinque remiges ad puppim, quatuor ad proram habent; vel si minores sint, ad puppim quatuor, ad proram tres. At triremes *validæ* vocantur à Lucano lib. 3. Ideo non fuerunt eæ, quæ tres tantum remiges ad remum unum habebant, aliter ergo intelligendum est. At objicitur in eadem Philopatoris nave ordinum 40, quæ à mari ad acrostolium 48 tantum cubitos altitudinis habebat, collocari non potuisse quadraginta ordinum remiges unus super alterum extructi: nam homini sedenti vix sufficere tres cubitos. Ad quod respondeo multo facilius esse contrariam sententiam evertere, quam nostram stabilire, & affirmativè docere, quomodo sexdecim remigum ordines potuerint facile remigare, & ad usum accommodari: dico tamen ordines illos non debere existimari fuisse κατὰ καθετὸν, ad perpendiculum extructos, sed cum multa obliquitate in quinquuncem dispositos, adeo ut inter superiores & inferiores, multum spatii in navis longitudine interciperetur: parum vero in altitudine, quod per sequentem figuram conabor tibi, candide lector, insinuare.



Unumquodque ſedile ſeu ſcalmus habet pedem unum & quadrantem in altitudine A B, & in longitudine B C pedem & dodrantem. Sic ſedebant novem remigum ordines unus ſuper alium extructi, ſed oblique & unuſquiſque remex ſpatium ad aſſurgendum habebat pedes ſex in altitudine, ſcilicet à puncto A ad punctum D: & ſic novem illi ordines occupabant in altitudine navis tantum undecim pedes circiter: & ſic in ſexdecim-remibus Demetrii ſexdecim illi ordines occupabant in altitudine ſpatium pedum 20 tantum: & ſic in Philopatoris nave alta à mari cubitos 48, quadraginta ordines occupabant 50 pedes altitudinis, & reſtabant pedes viginti duo ad apluſtre & alia ornamenta. Sed & conſideranda etiam ſunt Athenæi verba, ubi ait de ea nave: καὶ ἐδέξατο ἐρέτας πλείους τῶν τετρακισχιλίων, *& capiebat remiges plus quam quater mille.* Dicat mihi, quicunque contendit unum duntaxat fuiſſe remorum ordinem, quo modo in navis longitudine, quæ fuit cubitorum 280, locabit tantos remos & remiges, ut in unoquoque navis latere ſedeant remiges bis mille. Certe, ſi inde ſe expedierit, erit mihi magnus Apollo. Sed ſi ἑξήρης fuerit navis, in qua ſex remiges in ſcalmo ad remum ſedebant, cur Plinius, quando eam vocem latinè reddit, non dicit ſex remigum navem, ſed *ſex ordinum*? ordinem nempe dixit quod Græci dixerunt στοῖχον. nam στοῖχος vel στίχος, Latinè dicitur, *ordo*, *verſus*, *ſeries*. Numerabantur ergo in navi ordines remorum, qui longum faciunt verſum in longitudine navis, & extrinſecus videri & numerari poterant: remiges vero non item: erant enim interius ſedentes extra conſpectum hoſtium, & contra telorum jactum cooperti. Silius Italicus lib. 14 Prætoriam Pœnorum navim quadringentos remos habuiſſe dicit.

dicit. Si in uno versu, oportuisset navem eam habuisse longitudinem triplicatam ejus, quæ in Philopatoris nave notata est ab Athenæo. Sed præcipue notanda sunt ejusdem Poëtæ verba paulo post, ubi de incensa Pœnorum nave ita canit:

Intrat diffusos pestis Vulcania passim,
Atque implet dispersa foros, trepidatur omisso
Summis remigio: sed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Summi remiges urebantur, ait; at imi illud ignorabant: itaque summi ab imis non poterant videri, & non erant siti in uno versu alii ad proram, alii ad puppim, ut volunt contrariæ opinionis fautores. Idem Silius de Prætoria Romanorum sic ait:

Ipse adeo senis ductor Rhœteïus ibat
Pulsibus, & valido superabat remige ventos.

Senis pulsibus non potest intelligi sex remis ab unoquoque latere: esset enim absurdum de Prætoria sic intelligere; restat, quod de sex remorum ordinibus intelligatur, quod paulo infra diserte ait:

Et quæ Sidonios vultus portabat Elisæ
Bis ternis ratis ordinibus grassata per undas.

Sed audiamus Virgilium, qui sic canit Æneidos 5.

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Triplici versu, terno ordine, non mihi videntur hæc verba posse intelligi aliter, quam de remorum numero, non de remigum. Addamus & Lucanum, qui lib. 3 sic habet:

—— validaque triremes
Quasque quater surgens extructi remigis ordo
Commovet: & plureis quæ mergunt æquore pinus.

Quater surgens extructi remigis ordo, quid aliud est, quam quatuor ordines remigum, unus super alium extructorum? Nam extructi ordines non possunt dici de iis, qui à latere aliorum in eodem scalmo sedent: tum illa, *& plures, quæ mergunt æquore pinus*, nonne & multitudinem majorum remorum significant? Quod & aperte colligitur ex M. Antonii concionantis verbis apud Dionem lib. 50, ubi navium suarum robur & magnitudinem celebrans præ infirmitate navium Cæsaris, ait: εἰ γὰρ δὴ καὶ πλησιάσειέ τις, πῶς μὲν ἂν οὐχ᾽ ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ πλήθους τῶν κωπῶν βαπτισθείη, id est, *sin autem appropinquarit aliquis, quomodo*

modo non ab ipsa remorum multitudine immergetur? At secundum contrariam nostræ sententiam non plures in quinqueremi, quam in quadriremi fuere, sed à pluribus viris ut volunt violentius agitati. Tum id, quod sequitur apud Lucanum:

Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invenit & summis longe petit æquora remis.

Illud *verberibus senis* non potest intelligi de pluribus ad unum remum remigibus: nam plures remiges non infligunt plura verbera, sed violentiora. Unicus locus cum colore opponitur: is est Scholiastæ Aristophanis ad Ranas ad hæc verba: προσαπαρδεῖν γ᾽ ἐς τὸ στόμα τῷ θαλάμακι, i.e. *oppedere in os Thalamaci*: ubi sic ille Scholiastes: τῷ κωπηλατοῦντι ἐν τῷ κάτω μέρει τῆς τριήρους· οἱ δὲ Θαλάμακες ὀλίγον ἐλάμβανον μισθὸν διὰ τὸ κολοβαῖς χρῆσθαι κώπαις παρὰ τὰς ἄλλας τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετμῶν, καὶ ἡ μὲν κάτω θαλαμίτῃ, ἡ δὲ μέση ζυγίτῃ, ἡ δὲ ἄνω θρανῖται. hæc, quæ genuina sunt optimi Scholiastis, meam sententiam omnino explicant, & firmant: at quæ sequuntur, eam subvertunt: Θρανίτης οὖν ὁ πρὸς τὴν πρύμνην, Ζυγίτης ὁ μέσος, Θαλαμίτης ὁ πρὸς πρῶραν. Is locus Latinè reddatur ad faciliorem apud omnes intelligentiam: *remum agitanti in inferiore navis parte: Thalamaces vero parvum accipiebant stipendium; eo quod curtioribus utebantur remis, si cum aliis tribus ordinibus remigum comparabantur: & ordo quidem inferior Thalamitæ, medius Zugitæ, superior vero Thranitæ.* Sed postea immediate sequitur: *Thranites igitur, qui ad puppim, Zugites medius, Thalamites qui ad proram.* Sed cum hæc Scholia ex diversis auctoribus consarcinata sint, proculdubio hæc ultima verba credo esse cujusdam inferioris sæculi græculi, qui nunquam triremes viderat, quod patet ex particula οὖν, quæ est hominis, qui ex supradictis aliquid concludit, non vero ex propria scientia. Hæc scripseram ante biennium, cum incidi in locum Josephi Scaligeri ad Eusebium pag. 63, ubi illum ita sentire de hoc loco, & ea ultima verba abdicare ut absurdum glossamentum, multum gavisus sum. Multa Lazarus Baïfius in libro de re navali ad eum propositum dixit. Sed nihil ausus est pronunciare. Nam postquam ex verbis supra citatis, quæ infarta fuerunt in Scholium antiquum Aristophanis, voluit astruere, Thalamitas, Zugitas, & Thranitas non exstructos fuisse alios super alios, sed in diversis navis partibus, prora scilicet & puppi & medio, tamen collato Polybii loco æstuans, sic denique se extricat, *Nec tamen verebor ingenue fateri,*

mihi

mihi adhuc non liquere, an hac nostra conjectura vera sit, ut mihi in magnis opinionum naufragiis versari videar, è quibus per me ipse emergere nequeo, illum solum animi candorem præstare possum & debeo, ut lectori ignorantiam meam fateri non erubescam. Locus Polybii, qui illum torsit, hic est: ἡ δὲ τοῦ Φιλίππου δεκήρης ναυαρχὶς οὖσα παραλόγως ἐγενήθη τοῖς ἐχθροῖς ὑποχείριος· ὑποπεσούσης γὰρ αὐτῇ τριημιολίας ταύτῃ δοῦσα πληγὴν βιαίαν κατὰ μέσον τὸ κύτος, ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν, i. e. *Philippi autem decemremis Prætoria, mire in potestatem hostium venit: nam cum occurrisset illi trihemiolia navis, ei intulit plagam violentem, in medium ventrem sub scalmo Thranitarum.* Jure profecto à sua sententia discessit Baïfius ex hoc loco. Nam si Thranitæ fuerunt in medio corpore navis, non fuerunt tantum in puppi, ut male colligebat græculus ille, qui suum centonem assuit Scholiastæ Aristophanis antiquo, de quo mentionem paulo supra fecimus: & habebat etiam Thranitarum ordo sedem κατὰ μέσον τὸ κύτος in medio navis corpore. Sed debuerunt etiam illum à priore illa sententia demovere loci auctorum ab eo citati. Unus Appiani, qui ita habet: Ὁ δὲ Ἀγρίππας ἵετο μάλιστα ἐπὶ τοῦ Παπίου, καὶ αὐτῷ κατὰ τὴν ἐπωτίδα ἐμπεσὼν, κατέσεισε τὴν ναῦν, καὶ ἐς τὰ κοῖλα ἀνέρρηξεν, ἡ δὲ τοὺς τε ἐν τοῖς πύργοις ἀπεσείσατο, καὶ τὴν θάλασσαν ἀθρόως ἐδέχετο, καὶ τῶν ἐρετῶν, οἱ μὲν θαλαμῖται πάντες ἀπελήφθησαν, οἱ δὲ ἕτεροι τὸ κατάστρωμα ἀναρρήξαντες ἐξενήχοντο, id est, *Agrippa vero recta præcipue in Papium invectus est, & ei incidens circa epotidem, navim succussit, & rupturam in ejus cavitate fecit: ea vero excussit eos, qui in turribus erant, & mare subito admisit, & remigum Thalamitæ quidem omnes absorpti sunt, alii vero effracto tabulato enavigarunt.* Ex hoc loco patet Thalamitas omnium remigum inferiores fuisse, ideo absorpti fuerunt illico: at Zugitæ & Thranitæ, qui longius à mari erant, tabulatum navis fregere, & nando salutem quæsiverunt. Alter locus Pollucis ab eo citatus sic habet: καλοῖτο ἂν καὶ θάλαμος οὗ οἱ θαλάμιοι ἐρέττουσι, τὰ δὲ μέσα τῆς νεὼς ζύγα, οὗ οἱ ζύγιοι κάθηνται, τὸ δὲ περὶ τὸ κατάστρωμα θρᾶνος, οὗ οἱ θρανῖται. id est, *vocatur autem Thalamus, ubi Thalamii remigant: media vero navis juga, ubi jugii sedent: pars vero quæ est ad tabulatum, Thranus, ubi Thranitæ.* Pollux hoc loco Thranitas non locat ad puppim, & Thalamitas ad proram, ut volunt, sed Thranitas ad catastroma, quod per immersam navem à puppi ad proram extendebatur. Cum Polluce audiatur Hesychius: θαλάμιαι κῶπαι αἱ κατωτάτω, καὶ οἱ ταύτην ἔχοντες τὴν χώραν Θαλάμιοι λέγονται. Θαλάμιος, ὁ κατωτάτω. Θαλάμιος ἐρέτης, ὁ κατωτάτω ἐρέσσων ἐν τῇ νηΐ.

& rursus: Θαλάμιος λέγεται ὁ ἔσχατος, ὁ δὲ μέσος ζύγιος, ὁ δὲ ἀνώτατος Θρανίτης. hæc Hesychii sic Latine sonant. *Thalamii remi, qui infra sunt, & qui eum locum habent, Thalamii dicuntur. Thalamius infimus.* & rursus: *Thalamius dicitur remex infimus, qui inferius remigat in navi.* & rursus: *Thalamius dicitur extremus, medius vero Zygius, supremus vero Thranites.* Et tandem: Ἐπισφελίτης, ὁ Θρανίτης· σφέλας γὰρ τὸ ταπεινὸν δίφρον τὸ ὑποπόδιον· τοιοῦτος δὲ καὶ ὁ θρανῖτος· ἔχει δὲ τὴν ἄνω ἕδραν, id est, *Episphelites Thranites: sphelas enim est humile sedile sub pedibus positum, & talis est Thranus, habet autem sedem, quæ supra est.* Hæ tantæ numero interpretationes, quarum nulla de puppi aut prora mentionem facit, probant nostram sententiam, & evincunt centonem illum assutum Scholiasti Aristophanis nuperum esse: nam si eum vidissent, aliquam de eo significatu mentionem fecissent. Verba etiam Pausaniæ in Atticis torserunt Baïfium & fatetur ea se non intelligere: nec mirum: non conveniunt enim, nec faciunt ad suum intelligendi modum. Sic autem habet: τὸ δὲ ἐν Δήλῳ πλοῖον οὐδένα πω νικήσαντα οἶδα, καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων, *navi vero, quæ Deli est, nullam novi superiorem, quæ à tabulato in novem remiges descendit.* Id facile secundum nostram opinionem intelligitur, & nihil dici potest expressius: non enim descendunt remiges, nisi alii superiores, alii inferiores sint. Sed non viderat locum Memnonis nostri, de quo agitur nunc (nondum enim Baïfii tempore editus fuerat) quem integrum apponam, apprime enim facit ad intelligentiam hujus problematis: καὶ ὀκτήρης μία ἡ Λεοντοφόρος καλουμένη, ἡ μεγέθους ἕνεκα καὶ κάλλους ἥκουσα εἰς θαῦμα, ἐν ταύτῃ γὰρ ρʹ μὲν ἄνδρες ἕκαστον στοῖχον ἤρεττον, ὡς ὀκτακοσίους ἐκ θατέρου μέρους γενέσθαι, ἐξ ἑκατέρων δὲ χιλίους καὶ ἑξακοσίους. Ea verba operæ pretium est bene intelligere, quæ Latinè expressa sic habent: *& octiremis una, quæ Leontophoros nominabatur, ob magnitudinem & pulchritudinem admirabilis: in ea enim centum homines unumquemque remorum versum remigabant, adeo ut in unoquoque latere octingenti forent, in ambobus vero mille & sexcenti.* στοῖχος vel στίχος, *ordo, versus, series.* Pollux, οἱ δὲ στίχοι τῶν κωπῶν ταρσώματα καλοῦνται. Hoc loco Memnonis clarissime plures remorum ordines explicantur: ea navis fuit octiremis: centum viri in unoquoque remorum ordine remigabant: ideo erant in uno navis latere octingenti, in utroque mille sexcenti: unde sequitur fuisse in ea octo remorum ordines; aliter computi ratio non quadraret. Sed ne quid dissimulem, mirum videtur non plures fuisse viros in serie thranitarum, qui longissimos remos tractabant,

bant, & *summis longe petebant aequora remis*, ut Lucanus dixit, quam in ordine Thalamitarum, qui, ut dixit antiquus Aristophanis Scholiastes, κολοβαῖς ἐχρῶντο κώπαις, *remis curtis utebantur*. Sed plumbata superiorum remorum manubria tractabiles & faciles ad remigandum eos reddebant. Sed & nomina remigum nostram sententiam omnino suadent amplectendam: nam si alii ad proram, alii ad κύτος seu navis ventrem, alii ad puppim sedebant, à loco debuerant vocari πρωρῖται, μέσοι, πρυμνῖται. Sed aliter procedit eorum denominatio, ab infimo nempe & mari proximo sedili, ad catastroma, θαλάμακες seu θαλαμῖται, eo quod ἐν θαλάμῳ ἤρεττον, id est, in inferiori parte ad mare. Nam, ut ait Aristophanis Scholiastes ad Pacem, κυρίως ἡ κάτω τῆς νεὼς τρώγλη θαλαμία λέγεται, id est, *proprie inferius in nave foramen, thalamium dicitur*. Ζυγῖται, quod ad juga remigabant, quae sunt trabes transversae, quae navis latera firmiter compaginabant & copulabant. Θρανῖται, quod ἐν θράνῳ remos agebant: fuit autem θρᾶνος, ut ait Pollux, περὶ τὸ κατάστρωμα, ad tabulatum in navis summo. Idem probat Aristophanis Scholiastes in Acharnis ad haec verba: ὁ θρανίτης λεώς. Sic enim commentatur: τῶν γὰρ ἐρεττόντων οἱ μὲν ἄνω ἐρέττοντες θρανῖται λέγονται, οἱ δὲ μέσοι ζυγῖται, οἱ δὲ κάτω θαλάμιοι, id est, *remigum enim, qui supra remigabant, Thranitae, medii Zugitae, infimi vero Thalamii*. Vides lector, remiges distingui ab ἄνω & κάτω, supra & infra, non vero à πρόσω & ὀπίσω, ab ante & post, quod fieri debuisset, si à sedibus in prora & puppi, vel proram versus & puppim denominati fuissent: tum qui ad medium navis sedissent, debuissent οἱ κάτω ἐρέττοντες dici, nam media navis depressior, prora altior, puppis altissima. Sed & ita, ut volumus, intelligendum esse prorsus evincit antiquus auctor Tacticorum ad calcem Æliani editus, qui sic habet: ἡ τριακόντορος, καὶ τεσσαρακόντορος, καὶ πεντηκόντορος λέγεται κατὰ τὸ πλῆθος τῶν κώπων. ἡ μονήρης καὶ διήρης, καὶ ἑξῆς κατὰ τοὺς στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις, id est, *triacontorus, tessaracontorus, pentecontorus, dicitur à multitudine remorum: soliremis, biremis & quae sequuntur ordine, ab ordinibus seu versibus secundum altitudinem, unus super alterum*. Nisi haec expressa sint & manifesta secundum nostram sententiam, non renuo, quin omnium hominum vanissimus audiam. Si quis vidit Romae columnam Trajani, vidit manifeste duos & tres remigum ordines: si eam non vidit, poterit videre ejus iconas editas, ubi pagina 3 numero 156 & pag. 71 & 72 numero 236 & pag. 76 videbit plures biremium iconas, & unius etiam triremis cum tribus

remorum ordinibus, uno super alterum in quincuncem dispositis & extructis, ubi notanda sunt, quæ commentatus est Ciacconius: nam ad paginam 71 numero 234 figuram sic explicat: *biremis Liburnicæ forma, quæ ideo biremis dicta, quod duplici remorum ordine ageretur, superiori quidem uno, inferiori vero altero.* Plura possem, sed jam in immensum venit hæc diatribe, & vereor, ne tibi longior justo videatur: ad alia igitur properemus.

Pag. 87. Phoc. 717.

Ἐν τούτῳ ᾗ Ἡρακλεῶται τήν τε Κίερον καὶ τὴν Τίον ἀνεσώσαντο.	*Hac occasione Heracleenses Cierum & Tium ad se reduxerunt.*

Sollicitavit hunc locum doctissimus Salmasius in suis Plinianis exercitationibus, & vult legi Κίον. Sed pace sua dicam, nihil est mutandum: nulla fuit Κίος in Heracleotarum ditione, fuit Κίερος & Τίος: at fuit Κίος urbs Mysiæ non procul à Dascylio, sed longè ab Heracleotarum finibus: confundit vir ille summus Κίον & Κίερον: eum vide pagina 878 & sequentibus.

Pag. 89. Phoc. 721.

Νικομήδης δὲ κατὰ Βιθυνῶν πρῶτον συμμαχόντων αὐτῷ καὶ τῶν ἐξ Ἡρακλείας σὺν βαρβάρους ἐξοπλίσας.	*Nicomedes igitur contra Bithynos primum, illorum auxilio, & quos ex Heraclea armasset barbarorum.*

Sententia non satis clara, sed ponenda virgula post πρῶτον, & per Barbaros intelligendi sunt Bithyni: sic enim optime quadrabit sententia cum iis, quæ sequuntur. Cæterum ex T. Livio discimus, eos Bithynos habuisse Zybœam ducem partium contra Nicomedem: eum vide lib. trigesimo octavo.

Pag. 90. Phoc. ibid.

Ζιποίτης λαμπρὸς ἐν πολέμοις — κτίζει πόλιν ὑπὸ τῷ Λυπέρῳ ὄρει, τῇ αὐτοῦ κλήσει ἐπώνυμον.	*Zipætes clarus bellis urbem condit ad Lyperum montem, nomine suo insignem.*

Eam urbem Stephanus Ζιποίτιον vocat, quod cum hoc loco egregie consonat: de ea tamen nulli alii auctores meminerunt, quod sciam.

Pag. 91.

Pag. 91. Phoc. 724.

Ἕως Καλλητὸς ποταμοῦ.	*Ad Calletem usque fluvium.*

De nominis hujus fluvii varia scriptura jam supra diximus ad Thucydidem pag. 303, & Diodorum pag. 312. illuc te remittimus.

Pag. 92. Phoc. ibid.

Προκοννησίας πέτρας.	*Proconnesio saxo.*

Hanc petram vocat Strabo lib. 13 λίθον λευκὸν σφόδρα ἐπαινούμενον. Ea petra marmor fuit candicans, & ita etiam Plinius Proconnesium marmor vocat, & Cyzicenum.

Pag. 95. Phoc. 728.

Ῥωμαίοις δὲ πρὸς Μάρσους καὶ Πιλίγγους καὶ Μαργουκίνους.	*Romanis etiam contra Marsos, Pelignos & Marrucinos.*

Obvium & facile est emendare legendo Πελίγνους καὶ Μαῤῥουκίνους. Nam de bello Marsico sive sociali loquitur, quod cœpit anno V. C. 663 Olympiade 172, L. Marcio Philippo & C. Julio Cæsare Coss. & in numero populorum, qui tunc contra Romanos conjuraverunt, erant cum multis aliis Marsi, Peligni, Marrucini. Sed quid sibi volunt ea, quæ sequuntur ([1] ἔθνη δὲ εἰσὶ ταῦτα ὑπὲρ Λιβύης κατῳκημένα Γαδείρων ὅμορα) nemo putet pro Λιβύης legendum Λιγύης: nulla enim ex gentibus nominatis Ligures attingebat: certe hæc verba parenthesis nota inclusa sunt scholium alicujus scioli omnino ἀγεωγραφήτου: delenda sunt prorsus, nam malè irrepserunt in Memnonis textum, & sic antè me pronuntiavit Cluverius Italiæ antiquæ lib. 2.

[1] *Ea autem sunt nationes supra Libyam habitantes vicina Gadibus.*

Pag. 96. Phoc. 729.

Τῆς γὰρ ἐν τῇ Ῥώμῃ συγκλήτου Νικομήδην τὸν ἐκ Νικομήδους καὶ Νύσης, βασιλέα Βιθυνίας καθιστώσης. Μιθριδάτην τὸν Χρηστὸν ἐπικληθέντα Νικομήδην ἀντικαθίστη.	*Senatus enim Romæ Nicomedem ex Nicomede & Nysa progenitum, Bithyniæ regem instituisset: Mithridates Nicomedem Frugi cognomento, illi opposuit.*

Hic locus ulcerosus & mutilus medici manu indiget. Lege post καθιστώσης. Μιθριδάτης Σωκράτην τὸν Χρηστὸν ἐπικληθέντα Νικομήδει ἀντικαθίστη.

πεκαθίση. De hac emendatione non dubitabit, quicunque in historia versatus erit, & consulet Appianum in Mithridatico, ubi sic legitur. [1] Νικομήδει τῷ Νικομήδους τοῦ Προυσίου Βιθυνίας ὡς πατρῴας ὑπὸ Ῥωμαίων ἀποδειχθέντι βασιλεύειν, Σωκράτην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Νικομήδους, ὅτῳ Χρηστὸς ἐπώνυμον ἦν, μετὰ στρατιᾶς ἔπεμψε, καὶ τὴν Βιθυνῶν ἀρχὴν ὁ Σωκράτης ἐς ἑαυτὸν περιέσπασε. Hunc Socratem Mithridates postea è medio sustulit in gratiam Romanorum, ut ajebat apud Justinum lib. 38 in sua ad suos milites adversus Romanos concione: *Non regem Bithyniæ Chreston, in quem Senatus arma decreverat, à se in gratiam illorum occisum?*

[1] *Nicomedi Nicomedis filio, Prusiæ nepoti, qui Bithyniæ rex tamquam paterni regni à Romanis declaratus fuerat, Socratem fratrem, qui Chrestus, seu bonus vocabatur, cum exercitu opposuit, & Bithyniæ regnum Socrates ad se traduxit.*

Ibidem.

Καὶ κρατεῖ τῆς μάχης συμβαλὼν Ἀρχέλαος.

Collatisque signis victor evadit Archelaus.

Ad pleniorem hujus historiæ notitiam facit Strabo lib. 12, ubi locum pugnæ notat ad Amniam fluvium in Domanetide Paphlagoniæ regione. Sed multo plura de eadem pugna Appianus in Mithridatico: eum videsis, plura enim sunt, quam ut huc transcribi deceat.

Pag. 103. Phoc. 737.

Ἐκεῖθεν ὁ Τριάριος ἐπὶ Προυσιάδα τὴν ἐπιθαλάσσιον μετὰ τῆς δυνάμεως παραγίνεται· αὐτὴ δὲ Κίερος τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο, ἐν ᾗ καὶ ἡ τῆς Ἀργοῦς ἄφιξις λέγεται καὶ ὁ τοῦ Ὕλα ἀφανισμός.

Hinc Triarius Prusiadem mari impositam cum exercitu petit: Cierum olim nominabant. Quo etiam Argonautas appulisse & evanuisse Hylam fama est.

Mirum foret, nisi erratum esset in hujus urbis nomine: adeo apud omnes auctores ob soni viciniam confunduntur. Lege αὐτὴ δὲ Κίος τὸ παλαιόν. Ita legendum patet ex Hylæ historia, quæ non ad Cierum Heracleotarum ad Pontum, sed ad Cium Mysiæ in Propontide evenit, si fides Apollonio in Argonauticis. Sed eo, quod Κίος & Κίερος duæ urbes unum aliud nomen acceperunt, & utraque Prusias postea dicta est, sæpissime erratum est in his vocibus. Ex hoc loco tamen vult omnes alios locos corrigi Salmasius, sed si quis Memnonem nostrum accuratè legerit, non dubitabit, quin ex aliis locis hic locus sit corrigendus.

Pag. 105.

Pag. 105. Phoc. 740.

Τῷ στόλῳ εἰς τὸν ποταμὸν ἀνέπλει.	*Classem in fluvium retro movet.*

Lego εἰς τὸν Πόντον, & sic suadet legendum totius historiæ series & ratio. Nam quis fuit ille fluvius? in quo tempestate perierunt Mithridatis naves? nullus certe est in eo tractu tam immensæ latitudinis, imo è mari in Hippium fluvium naves suas reliquas subduxit, & fuit illi fluvius ille portus salutaris & fluvius ille fuit in ejus itinere ad Pontum regnum suum tendentis. Lege attente, lector candide, totam historiam, & ni valde fallor, mecum stabis.

Pag. 110. Phoc. 745.

Καὶ πολλὰ παθόντες καὶ ποιήσαντες τοῖς πολεμίοις.	*Et multis acceptis damnis illatisque hostibus.*

Malim legi τοὺς πολεμίους. Nam licet forte non sit sine exemplo vulgata lectio, tamen & elegantior multo & magis recepta est apud antiquos auctores purioris Hellenismi lectio, quam repono: ii enim quarto casu semper usi sunt in ea phrasi.

Pag. 115. Phoc. 752.

Σάνηγας γὰρ καὶ Λαζοὺς ἐποίκους εἶχον τὰ χωρία.	*A Sanegibus & Lazis incoluntur illa loca.*

Sanegæ illi nulli alii auctori memorati videntur esse iidem, qui ab Ammiano Marcellino Zani vocantur in eodem tractu: concordat satis situs, nam & à Ptolemæo ponuntur in Colchorum vicinia.

JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
PLVTARCHVM
IN
VITARUM COMPARATIONE.

Editionis Parisiensis in Fol. anno 1624. & Francofurtensis anno 1599.

IN THESEO.

Pag. 5.

Καὶ μικρὸν προελθὼν Δαμαστὴν ἐν Ἑρμιόνι τὸν Προκρούστην.	*Paulumque progressus Hermione Damasten Procrusten.*

Si quis attentè considerare velit totius itineris Thesei rationem & seriem, mecum (ut puto) non dubitabit asserere nomen Ἑρμιόνι in mendo cubare. Theseus Trœzene profectus Athenas versus in Epidauro Periphetem clava pugnantem occidit: ultra progressus in Isthmo Sinnin Pityocampten justo affecit supplicio: ulterius procedens Crom-

Crommyone Suem mactavit, Megaris Scironem, Eleusine Cercyona, Hermione (si diis placet) Damasten interemit, & paucis post hæc lineis προϊόντι δ' αὐτῷ καὶ γινομένῳ κατὰ τὸν Κήφισον, &c. id est, *ulterius tendenti ei & cum ad Cephisum pervenisset*. Hermione urbs est ad mare sita in Argolico sinu, per quam si fecisset iter Theseus, non versus Athenas, sed Argos ivisset. At ex itineris ordine Hermione, de qua hîc, debuit esse inter Eleusinen & Cephisum. Sed nulla ibi fuit Hermione, ideo notius & celebre nomen pro ignoto posuit scriba, ut semper fit. Idem Plutarchus infra in Phocione eandem historiam narrans habet ἐν Ἑρμείῳ, quod magis accedit ad verum nomen. Ergo lege audacter & meo periculo, ἐν Ἑρμεῖ. Nam τὸ Ἑρμὸς fuit Demus Acamantidis tribus in Attica, testibus Harpocratione, Hesychio, Stephano, & Suida, & ex hoc loco, quo fuerit situ, colligitur. Diodorus lib. 4 hunc Damasten Corydalum in Attica habitasse ait. Fuit autem Corydalus mons Atticæ inter Eleusinen & Athenas in eo tractu.

Pag. 12. Franc. 11.

Ἔθυσε δὲ καὶ Μετοίκια. | *Celebravit etiam Metœcia.*

Hoc festum alio nomine Ξυνοίκια à Thucydide nominatur, & utriusque appellationis ratio est in promptu.

Ibidem.

Οἱ δὲ Σίννιν οὐχὶ Σκίρωνα. | *Alii Sinnin non Scironem.*

Melius credo, qui Sinnin dixerunt esse *Canethi & Henioches*. Nam Sciron aliter deducitur, scilicet à Pyla rege Megarensium, cujus fuit filius Sciron, si fides Pausaniæ in Atticis. Hesychius tamen in Σκιρεῖ eum Neptuni filium facit. Sed nihil mirum.

Pag. 15.

Μενεσθεὺς ὁ Πετεῶς. | *Menestheus Petei.*

Lege ὁ Πετίω: est enim nomen Atticæ inclinationis, ὁ Πετίως τοῦ Πετίω, quod convenit viro Atticæ originis.

In Lycurgo. pag. 40.

Πατροκλέους μὲν τοῦ Ἀριστοδήμου γενέσθαι Σόον, Σόου δὲ Εὐρυτίωνα. | *Ex Patrocle Aristodemi filio genitum Soum, ex quo Eurytionem.*

Hîc duo nomina propria diversè ab aliis auctoribus scribuntur. Nam quem hic Plutarchus Πατροκλέα, alii Προκλέα nominant, & quem Εὐρυτίωνα vocat, sæpe Εὐρύπωντα dictum invenies. Error in hoc ultimo nomine manavit à recto casu: nam inter Εὐρύπων & Εὐρυτίων minima est scripturæ differentia.

Pag. 51.

Ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρνιθίας. | *In ara Dianæ Orthiæ.*

Palam est legendum Ὀρθίας, & sic legit interpres.

Pag. 52.

Δικαίως (εἶπε) τεθνάκαντι τοὶ ἄνδρες, ἔδει γὰρ ἀφέμεν ὅλαν αὐτὰν καταχαῆμεν.	*Merito perierunt isti: permittendum enim fuerat, ut totũ conflagraret oppidum.*

Hæc Dorica verba male excepta sunt ab interprete, qui sic ea reddidit: *Merito (inquit) perierunt isti: permittendum enim erat ut totum conflagraret oppidum.* Tamquam si de Selinunte oppido intelligi deberet ea conflagratio: quam longe à Laconis mente, cujus notandus non fuisset sermo, qui nihil salis aut acuminis in sensu habuisset. At multo acutius ille Lacon, qui σβεννύντας τυραννίδα morte dignos judicat, quare? quia oportebat totam eam Tyrannidem igne absumi permittere. Cæterum, ut Laconismus bene procedat, pro τοὶ ἄνδρες legendum foret τ᾽ ἄνδρες.

In Poplicola. pag. 105.

Οὕτω δὲ μετὰ τῶν ὅπλων ἀφεὶς ἑαυτὸν εἰς τὸν ποταμὸν, ἀπενήξατο καὶ προσέμιξε τῇ πέραν ὄχθῃ.	*Inde armatus se in Tiberim misit, atque incolumis ad ulteriorem ripam tranavit.*

Aliter Polybius lib. 6, qui de eo ait: [1] κατὰ προαίρεσιν μετήλλαξε τὸν βίον. &, ut credo, verius. Sed Plutarchus & alii, qui eum superfuisse volunt, historiam bellam fecerunt, & talem virtutem morte repensam à Diis suis fuisse noluerunt.

[1] *Ex proposito vita excessit.*

In Themistocle. pag. 114.

Σιμωνίδην τὸν Χῖον. | *Simonidem Chium.*

Repone τὸν Κεῖον.

Pag. 118.

Ἐφάνη Τενεδία μία τριήρης αὐτόμολος.	*Ecce triremis una Tenedia.*

Lego ex Herodoto, Τηνία μία τριήρης. Nam hanc historiam ex eo accepit Plutarchus, & est ea vox repetita pluries apud Herodotum, & verisimilius est Tenios insulares longe à continente Asiæ & Persarum imperio sitos, ad Græcos defecisse, quam Tenedios longius à Græcia & in ipso Asiæ littore habitantes.

Pag. 128.

Κατὰ τὸν Ἄλκιμον ἀκρωτήριον. | *Alcimi promontorio.*

Lege Ἀλίμον vel Ἀλιμοῦντα. De hoc forte loco intelligit Aristoteles de hist. animal. 6 cap. 15 his verbis: [1] οἷον περὶ Ἀθήνας ἐν Σαλαμῖνι καὶ πρὸς τῷ Θεμιστοκλείῳ.

[1] *Quale est circa Athenas in Salamine & ad Themistocleum.*

In Camillo. pag. 138.

Καὶ τὴν ἐπὶ Γεραιστῷ. | *Et alteram ad Geræstum.*

Geræstus est Eubœæ promontorium, insulæ totius extremum, & prominens Ægeum & Cycladas versus, cum urbe cognomine, ubi non est verisimile Thessalos appulisse, qui numquam in re nautica excelluerunt. Ergo lege Κέρησσον ex Pausania in Bœoticis, ubi ea Thessalorum expeditio memoratur: item ex eodem Plutarcho lib. de Herodoti malignitate, ubi de hac eadem pugna contra Thessalos & Latamiam loquitur, & prope Thespias eam accidisse innuit: fuit autem Ceressus locus excelsus & munitus in Thespiensium ditione.

Pag. 144.

Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ παρῆν ὁ Κάμιλλος ἐπ' αὐτὸν ὡπλισμένος λαμπρῶς, καὶ τεθαῤῥηκότας ἔχων τότε τοὺς Ῥωμαίους, καὶ γινομένης ἰσχυρᾶς μάχης ἐπὶ πολὺν χρόνον, αὐτούς τε τρέπεται πολλῷ φόνῳ καὶ λαμβάνει τὸ στρατόπεδον, &c.	*Simulatque diluxit, institit ei Camillus fulgentibus armis, cum exercitu tunc animi pleno, commissaque ad multum diei acri pugna Gallos ingenti cæde fudit fugavitque, cepit & castra eorum.*

Sequutus est hoc loco Plutarchus Titum Livium, ut sui Camilli, cujus vitam ornare instituerat, gloriæ grato Romanis mendacio velificaretur. Rualdus doctus equidem & acri judicio vir, & qui Plutarchum illustrandum & castigandum non sine multis doctrinæ adminiculis aggressus est, ad hunc locum multa dixit, nec tamen satis multa. Nam cum T. Livium aretalogum & Romanorum mancipium mendacii fategerit hoc loco arguere, id quidem fecit, sed, ut mihi videtur, nimis strictè & quasi ad alia properans; poterat enim eum pluribus telis obruere, & hanc fabulam ex hominum memoria radicitus evellere: & Polybium quidem cum citat, optime facit: est enim rerum Romanarum fide dignissimus auctor, qui duobus tantum aut circiter seculis aberat ab urbis captæ temporibus. Sed de illo auctore celeberrimo id, quod oblitus est dicere Rualdus, notabo, T. Livium fere omnia à Polybio accepisse, sæpe paginas integras illius auctoris suo operi intexuisse, adeo ut interpretis Polybii sæpissime vice fungatur, ejus tamen suppresso nomine fere ubique, & si quando accidit, ut ejus meminerit, eum citasse cum elogio jejuno & me hercules invido, *rerum Romanarum non contemnendus auctor:* unde sequitur Livium malignitate quadam cum assentatione erga Romanos & odio erga Gallos aliter eam historiam tradidisse, quam à Polybio veraci & libero auctore acceperat. Sed ut post Rualdi messem aliquod spicilegium in ejus agro faciam, aliquid etiam de meo ad id argumentum afferam, & tamquam triarius è subsidiis in primam aciem contra Livium advolabo, & ex ipsius Polybii pharetra telum depromam acutissimum, nempe ex libro 2, ubi Gallos Boios & Insubres, ut auxilium à Gæsatis Transalpinis impetrarent, his rationibus usos inducit: ἀναμιμνήσκοντες δὲ τὰς τῶν ἰδίων προγόνων πράξεις αὐτοὺς, ἐν ᾗ κἀκεῖνοι στρατεύσαντες, οὐ μόνον ἐνίκησαν μαχόμενοι Ῥωμαίους, ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν μάχην κάτεσχον ἐξ ἐφόδου αὐτὴν τὴν Ῥώμην· γενόμενοι δὲ καὶ πάντων τῶν ὑπαρχόντων ἐγκρατεῖς, καὶ τῆς πόλεως αὐτῆς μῆνας ἑπτὰ κυριεύσαντες, τέλος ἐθελοντὶ, καὶ μετὰ χάριτος παραδόντες τὴν πόλιν ἄθραυστοι καὶ ἀσινεῖς ἔχοντες τὴν ὠφέλειαν, εἰς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθον; ea sic Latine reddidit Casaubonus: *Majorum res gestas illis in memoriam revocantes, qui expeditione simili suscepta non solum prælio Romanos vicerant, sed etiam à pugna Romam ipsam occuparant, bonis deinde illorum omnibus potiti, urbe etiam ipsa per septem menses in sua potestate detenta, postquam sua sponte & beneficii loco eam victis tradidissent, illæsi atque incolumes in suam patriam reversi fuerunt.* In qua versione oblitus est Casaubonus

ſaubonus interpretari hæc verba ἔχοντες τὴν ὠφέλειαν, quæ tamen litem decidunt, *habentes emolumentum*, id eſt proculdubio aurum, quod ex pacto acceperant. At ſi vera fuiſſet Gallorum ad internecionem uſque deletorum clades, quam tragice narrat Livius, certè Boiorum illos legatos, ab ejus negotii mentione maxime abſtinuiſſe decebat, quippe quod contra eorum propoſitum Gæſatas à petita ſocietate plurimum deterrere valebat, & ridicula fuiſſet eorum exhortatio, & magis ridiculus Polybius, qui eos ita dicentes introduxit, niſi Gallorum victoria omnibus nota & conſtanter eo tempore credita fuiſſet. Itane credibile eſt, Polybium Africani & Lælii amicum & contubernalem, virorum patriæ amantium & gloriæ gentis ſuæ cupidorum, qui proculdubio multa Romanorum acta ab eorum ſermone didicerat, & qui ſua ſcripta eorum cenſuræ ſubjeciſſe dicitur, auſum fuiſſe talem narrationem ſuis paginis inſerere ſine maledicentiæ nota, & Romanorum odio. Si contraria fama vel dubia tantum ad eorum virorum aures perveniſſet, Exul nempe Polybius ſolo Romanorum auxilio fultus, ſine lare, ſine divitiis, Romanos ut auro redemptos ad poſteros traducere ſine auctoribus fide dignis impudentiſſimo mendacio tentavit? Id certè putare foret abſurdiſſimum. Sed nunc Trogum Pompejum audiamus virum Romanum; is lib. 28 Ætolos Romanorum legatis ſic reſpondentes inducit. *Adverſus Gallos urbem eos ſuam tueri non potuiſſe, captamque non ferro defendiſſe, ſed auro redemiſſe.* Orationem etiam Mithridatis ad milites brevitate militari conſpicuam idem Trogus hiſtoriæ ſuæ inſeruerat, & eam in ſuo compendio Juſtinus integram intexuit, qua veluti telo trabali transfigitur tradita à T. Livio fabula: ea ſic habet lib. 38. Mithridates ait *ſe audire populos Tranſalpinæ Galliæ Italiam ingreſſos, maximis eam plurimiſque urbibus poſſidere, & latius aliquanto ſolum finium, quam in Aſia, quæ dicitur imbellis, eoſdem Gallos occupaſſe, nec victam ſibi ſolum dici Romam à Gallis, ſed etiam captam, ita ut unius illis montis cacumen tantum relinqueretur, nec bello hoſtem ſed pretio remotum.* Hæc ultima verba T. Livium jugulant à Trogo cive Romano ſatis antiquo prolata. Nunc vero prodeat Suetonius Livio poſterior tempore, & videamus, quomodo illius mendacio aſtipuletur. Is in Tiberio cap. 3 ſic ait de Tiberii majoribus: *Druſus hoſtium duce Drauſo cominus trucidato, ſibi poſteriſque ſuis cognomen invenit. Traditur etiam proprætore, ex provincia Gallia retuliſſe aurum Senonibus olim in obſidione Capitolii datum, nec, ut fama, extortum à Camillo.* Sic Suetonius pro fama & nudo ru-

 more

more Livii fabulam explodit. Nam quamvis in eo fortè fuerit vanus Drusus, dum talem honorem sibi arrogavit, tamen numquam eam gloriam affectavisset, nisi omnibus constitisset aurum illud à Gallis in patriam suam asportatum fuisse. Sed nunc Livium suo ipsius telo configamus; ecce parum sui mendacii memor Samnites in Hetruscorum advocato consilio ita differentes inducit: *Unam ipsis spem in Hetruscis restare, scire gentem Italiæ opulentissimam armis, viris, pecunia esse, habere accolas Gallos, inter ferrum & arma natos, feroces cum suopte ingenio, tum adversus Romanum populum, quem captum esse auroque redemptum haud vana jactantes memorent.* Certe nihil expressius dici potest. Paulus Orosius certe, dum eam historiam narrat, de Camillo non meminit. Ideo certissimum est, nec de eo in eo negotio Trogum mentionem fecisse; omnia enim fere ex Trogo habet Orosius, qui sic habet in fine libri 2 de Romæ captu. *universam reliquam juventutem, quam constat vix mille hominum fuisse tunc, in arce Capitolini montis latitantem, obsidione concludunt, ibique infelices reliquias, fame, peste, desperatione, formidine, terrent, subigunt, vendunt. Nam mille libris auri discessionis pretium paciscuntur,* & cætera, quæ vide. Vapulet ergo fabricator talis mendacii seu assertor T. Livius Romanorum adulator, & Galli nominis inimicus, utpote Patavinus domo, urbe semper Gallis vicinis infesta, quod ipse fatetur lib. 10, inde suum in Gallos odium quod ubique testatur. Vapulet, inquam, & Rualdo, & mihi, & quicunque historicam veritatem amat. Elegantiæ quidem & nitoris laudem à me non invito accipiet, fidei vero & veracitatis nequaquam & dum vapulabit, spectator adsit Plutarchus, qui hoc loco eum malè sequutus est, & Polyænus, qui ejus mendacii testes manifeste falsi & qui inter se discordes, ut & cum Livio, tali fabulæ fidem magis derogant, quam astruunt.

In Pericle. pag. 156.

Θουκυδίδου τοῦ Μιλησίου λόγος.	*Thucydidis Milesii jocosum.*

Nullus fuit Thucydides Mileto oriundus, quod sciam. Itaque repono non dubitans τοῦ Μελησίου. Thucydides ille Melesii filius fuit, qui Pericli in reipublicæ Atheniensium administratione adversabatur, ut videre est apud Aristophanis Scholiasten in Acharnis.

Pag. 157.

Συμβουλευόμενος αὐτῷ Δημονίδου τοῦ Ἰῆθεν.	*Demonidis consilio Iensis.*

Lege

Lege ἐξ Οἰῆθεν: tres pagi ſive demi fuerunt in Attica, quibus hoc adverbium convenire poteſt, Οἶον ſcilicet Deceleicum dictum Hippothoontidis tribus, Οἶον Ceramicum Leontidis, & Οἴη ſive Ὄη Pandionidis: quinam vero Demus ex his tribus fuerit Demonidis iſtius patria, incertum eſt. Putarem tamen eum potius fuiſſe natum ἐν Οἴῃ, in Oea Pandionidis tribus: de aliis enim magis dicitur ἐξ Ὄιυ, quam Οἰῆθεν.

Pag. 160.

Εἴς τε τὰς Πυριλάμπους ὀρνιθοτροφίας ὃς ἑταῖρος ὢν Περικλέους αἰτίαν εἶχε ταῶνας ὑφιέναι ταῖς γυναιξὶν αἷς ὁ Περικλῆς ἐπλησίαζε.

Pyrilampiſque avium vivaria, cui, quum familiaris Periclis eſſet, infligebatur, ipſum mulieribus quibus conſueſceret Pericles, ſubjicere pavones.

Vertunt omnes interpretes *pavones ſubmittere* vel *ſubjicere*. Sed ita vertendo nullus exit ſenſus commodus, & eſt ſententia obſcuriſſima. At ego minima mutatione ex his tenebris me expedio, & lego ταωνὰς retracto accentu in ultimam ſyllabam, ut ſit ταωνὴ, pavonis ſpolium, cutis ſcilicet cum plumis. Nam, ut dicitur λεοντὴ leonis ſpolium cum jubis & pilis, ἀλωπεκὴ pellis vulpina, αἰγὴ capræ exuvium, τραγὴ, παρδαλεὴ, ἀρκτὴ, γυπὴ, λυκὴ, γαλεὴ; ſic, ut credo, Plutarchus uſurpavit ταωνὰς, ut ſignificaret ταώνων δορὰς, quæ ſcilicet ob colorum elegantiam & plumæ mollitiem ſubjiciebantur mulieribus loco ſtragulæ veſtis. Nec mirum, ſi ea vox alibi non occurrit, nam & res ipſa omnino extraordinaria, & rara. In re nova, & quæ numquam forte alibi evenit, uſus eſt Plutarchus voce rara, forte & ab ipſo formata, ſed analogiæ uſitatiſſimæ. Ad hunc locum illuſtrandum & firmandam meam ſententiam videtur facere Tertulliani locus lib. de Pallio, qui ſic habet: *quamquam & pavo pluma veſtis & quidem de cataclitis, imo omni conchilio depreſſior.* ubi vox *de cataclitis* Latinis inſolita non poteſt aliter intelligi, quam de iis plumis, quæ ad accumbendum ſunt utiles ob mollitiem & elegantiam, ſcilicet ab origine Græca deducitur ea vox ἀπὸ τῦ κατακλίνεσθαι, quod cum Plutarcho conſentit.

Pag. 165.

Ἦν μὲν γὰρ αὐτῷ γυνὴ προσή-

Siquidem uxorem habebat propin-

κουσαν μὲν κατὰ γένος, συνῳκηκυῖα δὲ Ἱππονίκῳ πρότερον ἐξ οὗ Καλλίαν ἔτεκε τὸν πλούσιον.

propinquam suam, quæ ante nupta Hipponico fuerat, & illi Calliam ediderat divitem illum.

Nomen mulieris ejus quæsivi, & tandem inveni. Ea fuit filia Megaclis: nam Lysias in Alcibiadis accusatione ait ei fuisse Megaclem ex matre proavum. At hujus Alcibiadis junioris fuit Hippareta mater, uxor nempe Alcibiadis famigerati illius ducis, junioris Alcibiadis accusati patris, Hipponici filia. Superest igitur, ut mater Hipparetes Hipponici uxor, fuerit Megaclis filia, ut fuerit Megacles proavus Alcibiadis junioris. Quod si fides sit Æmilio Probo seu Cornelio Nepoti in Alcibiade, nomen ejus mulieris fuit Dinomache: nam ibi Periclis privignus dicitur fuisse Alcibiades, & mater Alcibiadis Dinomache dicebatur Megaclis filia: quod si verum est, trium virorum fuit uxor ea Dinomache, nempe, primum Cliniæ, ex quo Alcibiadem genuit, postea Hipponici & tandem Periclis. Sed Hippareten ex alia uxore Hipponicum genuisse necesse est: non enim licebat Græcis ducere sorores ὁμομητρίους, id est, uterinas, sed tantum ὁμοπατρίους, paternas. Sic igitur procedit illud stemma.

Megacles — Agariste — Xanthippus

Dinomache — Clinias — Hipponicus — Pericles Ariphron

Alcibiades —— Hipparete

Alcibiades junior à Lysia accusatus.

In Alcibiade. pag. 191.

Τοῦ δὲ Ἀλκιβιάδου Περικλῆς καὶ Ἀρίφρων τοῦ Ξανθίππου προσήκοντες κατὰ γένος ἐπετρόπευον.

Tutores Alcibiadis fuerunt Pericles & Ariphron Xanthippi filii propinqui ejus.

Pericles enim & Ariphron erant ex Agariste sorore Megaclis geniti. Alcibiadis vero Dinomachen habuit matrem, Megaclis filiam, ut ex Herodoto etiam & ipso Plutarcho colligitur: id patet ex stemmate supra posito.

Pag. 196.

Ὑπέρβολος Περιθοίδης. | *Hyperbolus Perithœdes.*

Περι-

Περγασῆσι demus fuit Atticæ, de quo Demosthenes in oratione ad Polyclen, Harpocration, Hesychius, Stephanus, Suidas. Nomen patris fuit Chremides. Ὑπέρβολος ὁ Χρεμίδου Aristophanis Scholiastes ad Pacem.

Pag. 202.

Θεόδωρον Φυγεέα. | *Theodorum Phygeensem.*

Emendat Meursius Φηγιέα, optimè.

Pag. 204.

Φρύνιχος ὁ Διραδιώτης. | *Phrynichus Diradiotes.*

Scribe Δειραδιώτης. nam Δειράδες fuit demus Atticæ à situ loci proculdubio sic dictus. nam δειρὰς est eminentia jugi prælongi vel collum vel cervix montis. Cæterum quatuor fuerant Phrynichi, de quibus Aristophanis Scholiastes in Ranis & in Vespis.

Pag. 213.

Ἔτυχε μὲν ἐν κώμῃ τινὶ τῆς Φρυγίας ὁ Ἀλκιβιάδης τότε διαιτώμενος.	*Agebat forte Alcibiades in vico Phrygiæ.*

Nomen ejus loci notare debebat Plutarchus, quod proculdubio fecisset, si non ignorasset. Eum diverse vocant auctores, ideo nihil certi. Aristoteles ait, [1] ἐν τῇ Ἀργινούσῃ πρὸς τὸ ἐλαφῶεν ὄρος. histor. animal. lib. 6 cap. 29. At Cornelius Nepos seu Æmilius Probus in Alcibiade ἐν τῇ Σαλμινέᾳ. Ælianus vero montem, quem Aristoteles vocat Ἐλαφῶεν, dicit simpliciter λόφον πρὸς Ἐλεαπόντῳ.

[1] *In Arginusa ad Elaphoën seu Cervorum montem.*

In Coriolano. pag. 227.

Καὶ Οὐικάνους. | *Et Vicellenses.*

Lege Λαουικανούς. Lavicum est urbs Latii.

Ibidem.

Ἐπὶ δὲ καὶ Βόλλας πόλιν. | *Postquam Bollas oppidum.*

Repone Βοΐλλας. Bovillæ urbs Latii.

In Timoleonte. pag. 244.

Ὁ δὲ εἰσέπλει φοβερὸς ναυσὶ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν, καταλαμβάνων τὸν λιμένα, πεζῶν δὲ μυριάδας ἕξ	*Ille magno cum terrore invectus portum est, atque centum quinquaginta navibus eum occupavit: peditum sexaginta millia exposuit*

in

ἀποβιβάζων, καὶ στρατοπεδεύων ἐν τῇ πόλει.	*in terram, castra in urbe locavit.*

Ambigo, quid de hoc loco censere debeam. Mihi videtur τὸ μυριάδας ἓξ fidem excedere, & aliquando putavi reponendum χιλιάδας. Nam sexaginta hominum millia in centum quinquaginta naves distributa, faciunt in unaquaque nave mille quadringentos, quibus si addas nautas & calones, & si cogites è numero 150 navium necesse esse quasdam esse στρογγύλας, quæ commeatus tanto exercitui necessarios portarent, tunc numerus epibatarum excedet fidem. Tum quomodo milites sexaginta mille in ipsa urbe castra metari potuissent: certe hæc difficilia creditu, non tamen impossibilia. Nam & circuitus muri Syracusarum vastissimus,& naves Carthaginensium capaces, præcipue ad brevem transfretationem. At si numerus 60000 militum major videtur justo,sex mille videtur minor, ut tanto negotio sufficere posset.Ideo ἐπέχω. Ut tamen aliquid decernam, dico, si per centum & quinquaginta naves intelligit solas triremes & navigia militaria, majore τῶν πλοίων ὑπηρετικῶν numero comitatas, tum non pugno, quin vox μυριάδας vera sit, & genuina: quod si in numero navium 150 comprehendebantur etiam naves, quæ commeatum portabant, tunc vellem reponi χιλιάδας. Nam ecce infra p. 248 sic ait: [a] ἐν τούτῳ δὲ Καρχηδόνιοι καταπλεύσαντες εἰς τὸ Λιλύβαιον ἄγοντες ἑπτὰ μυριάδας στρατοῦ καὶ τριήρεις διακοσίας καὶ πλοῖα χίλια. At si ad transfretandum exercitum hominum 70 mille habuere mille & ducentas naves, certe ad sexaginta mille non sufficeissent naves 150: ergo vel numerus navium major, vel numerus militum minor.

[a] *Interea Carthaginenses appulerunt Lilybæum ducentes exercitum 70 mille hominum, ducentis triremibus & mille navibus.*

Pag. 251.

Καλαυρίαν. | *Calauriam.*

Hæc vox bis in eadem pagina repetita mendosa est: repone Καυλωνίαν, & super hac voce vide Cluverium Sicil. antiq. lib. 2.

Pag. 252.

Καὶ περὶ τὸ ῥεῦμα τὸν Ἄβολον. | *Et circa rivulum Abolum.*

Lege τὸν Ἄλαβον, ut emendat idem Cluverius Sicil. ant. lib. 1.

In Paulo Æmilio pag. 261.

Οὐ γὰρ μόνον ἀπέπεμψε τοὺς Γαλάτας ψευσάμενος.	*Neque Gallos modo remisit delusos.*

Rursus honori patriæ & meorum Gallorum hæc nota dabitur. Hoc loco Γαλάτας Gallos vocat, quos pagina superiore Bastarnas nomina-

nominavit. Jure: nam & ex Polybio in excerptis legat. & ex Diodoro in excerptis id colligitur, & ipse Plutarchus supra pag. 259. [1] ὑπεκίνει δὲ καὶ Γαλάτας τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον ᾠκημένους, οἳ Βαστάρναι καλοῦνται. Sed de his jam supra diximus ad Diodorum pag. 313. Gaudeat igitur mea Gallia tam nobili colonia: non enim est invenire aliam gentem animi celsitudine & militari laude clariorem, vel cujus victoriæ plures recenseantur.

[1] *Subinstigavit autem & Gallos, qui circa Istrum habitabant & Bastarnæ vocantur.*

Pag. 267.

Ἐν Ἀλήψῳ. | *Alepsum.*

Lege Γαλήψῳ: fuit enim Galepsus in eo tractu.

In Pelopida. pag. 278.

Ἀλλὰ τὸ ταῦτα καλῶν ἀμφοτέρ᾽ ἐκλελέσθαι. | *At utrumque horum sine locasse bono.*

Manifestum est debere legi καλῶς.

Pag. 280.

Καὶ μαχόμενοι πρὸς τοὺς Ἀρκάδας. | *Et pugnantes adversus Arcadas.*

Mirum est Xenophontem de hac pugna nihil dixisse in Hellenicis; sed, ut jam supra dixi, non admoverat ultimam manum iis libris Xenophon.

Pag. 284.

Καὶ τὴν Καδμείαν ἐλευθερῶσαι. | *Et Cadmiam recipere.*

Adde ad pleniorem historiæ cognitionem ex Dinarcho contra Demosthenem; [2] καὶ βοηθησάντων μὲν Ἀθηναίων ἐκ κοινοῦ ψηφίσματος, ὃ ἔγραψε Κέφαλος ὁ ῥήτωρ, ἰδίῳ δὲ σώματι κινδυνευόντων Θρασῶνος τοῦ Ἐρχιέως καὶ Ἡλίου, καὶ Φορμισίου.

[2] *Et auxiliantibus Atheniensibus ex communi decreto, quod scripserat Cephalus rhetor, proprio corpore vero periclitantibus Thrasone, Erchieo, & Helio, & Phormisio.*

Pag. 291.

Ὁ μὴ Μενεκλείδαν ζημιῶσαι χρήμασι. | *Item Meneclidæ æstimavit pecunia.*

Lege, ὁ μὲν Μενεκλείδας ζημιωθῆναι χρήμασι, aliter sensus nullus est.

Pag. 294.

Ἐπικράτους γ᾽ οὖν ποτὲ τοῦ σκευοφόρου. | *Quando Epicrate lixa.*

Lege, τοῦ σακεσφόρου, ex Harpocratione in Ἐπικράτης, & ex Aristophane in Concionantibus, & ib. Schol.

In

In Marcello. pag. 298.

Μάρκελλον ὅπερ ἐστὶν Ἀρήιον ὥς φησι Ποσειδώνιος.	*Marcellum quaſi Martialem, ut tradit Poſidonius.*

Sibi conſulit Plutarchus, dum Poſidonium citat, ne videatur auctor etymi tam longe petiti & abſurdi. Sed melius feciſſet, ſi de eo tacuiſſet, & non approbaviſſet ſua citatione Poſidonii deliramentum. Marcellus ſi dictus fuiſſet à Marte, Martellus dictus fuiſſet: nam à ſecundo primitivi caſu fere ſemper nomina propria formantur in lingua Latina. Sic *Iovius* & *Iovialis*, non à recto *Iupiter*, ſed à genitivo *Iovis*. Sic *Venerius* à ſecundo caſu *Veneris*, non à Venus: *Iunonius* à *Iunonis*, *Apollinaris* à genitivo *Apollinis*. Sic à ſecundo caſu *Martis* factum eſt *Martius*, Coriolanus nomine & Martius menſis: & ſi à recto *Mars* formari debuiſſet nomen, *Marſellus* per ſ, non *Marcellus* per c dictus fuiſſet heros ille Romanus. Marcellus igitur eſt diminutivum nomen à ſimplici Marco, ut *fiſcellus* à fiſco, *locellus* à loco, *porcellus* à porco, *ſaccellus* à ſacco, *modicellus* (qua voce uſus eſt Suëtonius Nerone) à modico. Sed Poſidonius Apamenſis ex Aſia non ſatis idoneus auctor fuit originum linguæ Latinæ, quem Plutarchus Chæronenſis ex Bœotia malè hoc loco ſequitur. Marcus ille, cui primum Marcelli nomen inditum, proculdubio id nomen accepit, dum puer erat, & dictus eſt Marcellus ὑποκοριστικῶς, quaſi parvulus Marcus. Forte quod in pugna juvenis admodum ſtrenuitatis documen aliquod dederat, ut olim apud nos dictus eſt *le damoiſel de Commerti*.

Pag. 299.

Οἱ τὴν ὑπαλπείαν νεμόμενοι τῆς Ἰταλίας Ἴβηρες Κελτικὸν ἔθνος.	*Iberes, qui regionem Italiæ ſubalpinam incolebant, gens Gallica.*

Palam eſt debere legi, Ἴνσουβρες, non Ἴβηρες, & miror interpretem hoc non vidiſſe.

In Philopœmene. pag. 356.

Κάσσανδρος ἦν ἐν Μαντινείᾳ.	*Caſſander fuit Mantineæ.*

Hunc virum Pauſanias in Arcadicis, Cleandrum vocat, quem ſequitur Suidas in voce *Philopœmen*.

Pag. eadem.

Τὸν Φιλοποίμενος πατέρα Κραῦσιν.	*Crauſin patrem Philopœmenis.*

At

At secundum Pausaniam, Suidam & alios Κραῦγιν.

Ibidem.

Ἔκδημος καὶ Δημοφάνης. | *Ecdemus Demophanesque.*

Pausaniæ in Arcadicis Ἔκδηλος καὶ Μεγαλοφάνης. Suidas modo cum Plutarcho sentit, modo Pausaniam sequitur.

Pag. 365.

Ὀγδοήκοντα δὲ Σπαρτιάτας ἀπέκτεινεν. | *Octoginta Spartiatas occidit.*

Hæc cædes facta est in Compasio, loco quodam Laconiæ, ut ex Polybio in excerptis legationibus colligitur pag. 845 & 850 editionis Casaubonianæ.

In Flaminio. pag. 370.

Τὰς περὶ τὸν Ἄψον ποταμὸν ἐκβολὰς καὶ τὰ στενά. | *Ostium Apsi amnis illasque fauces.*

Non puto hæc sana esse in voce Ἄψον, vel duo fuerunt Apsi fluvii in eo littoris tractu, (quod non credo) vel Plutarchus latius sumit, & extra Acroceraunia extendit usque ad loca ultra Apolloniam, ubi Apsus fluit, quem Lucanus per paludem leniter illabi mari facit, non per rupes & angustias; simul Cæsaris circumvallatio circa ea loca facta in suis cum Pompejo velitationibus nullam de illis angustiis facit mentionem: at ex sequentibus patet eas angustias esse Epiri introitum Apollonia & Macedonia inferiore venientibus, ideo non possunt esse Apsi fluvii, qui minimo spatio decurrit. Sic enim Lucanus de eo & Genuso:

—— neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terræ vicino littore novit.

Sunt ergo, ut puto, angustiæ ad Aoum fluvium, de quibus T. Livius lib. 32. Lego igitur, τὸν Ἄωον, & fuit facilis lapsus ex uno in alterum.

Ibidem.

Διὰ τῆς Δασσαρητίδος καὶ Λύκον. | *Per Dassaretios & Lycum.*

Lego διὰ τῆς Δασσαρήτιδος κατὰ Λύγκον. Legendum Δασσαρήτιδος, ut legitur apud alios auctores, patet præcipue ex T. Livio, qui semper *Dassaretidis* scribit. Lyncus autem fuit urbs Macedoniæ in Dassaretiorum vicinia, unde regio dicebatur Λύγκηστις, Lyncestis, de qua Scymnus Chius, Ptolemæus, & alii. Vide Thucydidem lib. 4, ubi pluries Lyncum nominat.

Ibidem.

Χάρωπα τὸν Μαχάταν. | *Charopum Machatam.*

Sic legit interpres, & vertit *Charopam Machatam*, at facile erat emendare, & legere, τὸν Μαχάτα, & vertere *Machata filium*. Nam in ea domo utebantur iis duobus nominibus alternatim, ut videre est apud Polybium in excerptis pag. 129.

In Pyrrho. pag. 386.

Τὴν τε Νυμφαίαν καὶ τὴν παραλίαν τῆς Μακεδονίας.	*Nymphaam regionem Macedonia maritimam.*

De hac regione Nymphæa apud Geographos magnum silentium, nec dubito legendum esse, Τυμφαίαν. Scio in ea regione fuisse locum dictum Νυμφαῖον; sed is locus fuit colliculus & pratum, ubi bitumen colligebatur, non vero urbs neque oppidum, ideo ab eo prato nominatum fuisse totam regionem absurdum foret existimare. Scio & fuisse Nymphæum in littore Illyridis proprie dictæ, de quo Cæsar Civil. 3. Sed erat ille locus longe ab Epiro ultra Lissum & Macedoniæ fines, qui locus nec tenebatur ab Alexandro, nec erat expetendus Pyrrho. Mons vero Τύμφη, qui aliis Στύμφη, unde Τυμφαῖοι, de quibus Strabo lib. 7 bis loquitur, fuit in confinio Epiri & Macedoniæ. Ideo Pyrrhus eam regionem petit, ut suo regno vicinam. Quod vero ad τὴν παραλίαν τῆς Μακεδονίας attinet, intelligit eam regionem, quæ olim Illyris vocabatur, & Pyrrhi tempore erat sub Macedonum imperio, unde paulatim mutato nomine Macedonia inferior & littoralis vocata est.

Pag. 387.

Καὶ Βιρκένναν τὴν Βαρδύλλιος τοῦ Ἰλλυρίων, καὶ Λάνασσαν.	*Et Bircennam Bardyllis Illyrii & Lanassam.*

Lege τοῦ Ἰλλυριοῦ, & adde ad has uxores ex Trogo lib. 26 etiam aliam Ptolemæi Ceranui filiam.

Pag. 401.

Αἰ δ' ἄνθρωπος ἔσεαι καὶ πάκαρπων ἄλλος.	*Sin homo, existet & te potior alius.*

Hæc corrupta sic lego, [1] ἔσσεται καὶ τεῦ καῤῥῶν ἄλλος, & interpres sic legisse videtur. Καῤῥῶν vox est Dorica, quæ *præstantior* vel *melior* Latine redditur.

[1] *Erit & te melior alius.*

In

In Lysandro. pag. 434.

Λέγεται δὲ ὁ Λυσάνδρου πατὴρ Ἀριστόκλειτος. | *Fama est Lysandri patrem Aristoclitum.*

Alii nomen Patris Lysandri Ἀριστόκριτον vocant, & sic in vetere epigrammate in basi statuæ Lysandri inscripto vocabatur, in Anthologia pag. 505.

[1] Ἀθάνατον πάτρᾳ καὶ Ἀριστοκρίτῳ κλέος ἔργων,
Λύσανδρ᾽ ἐκτέλεσας.

Et pag. 507 in epigrammatis titulo, τὸ ἐπὶ τῷ ἀνδριάντι Λυσάνδρου τοῦ Ἀριστοκρίτου, & sic etiam habet Pausanias in Laconicis bis eadem pagina.

1 Immortalem patriæ & Aristocrito gloriam operum, ô Lysander perfecisti.

Pag. 440.

Σαμίους δὲ πάντας ἐκβαλών. | *Samios universos exterminavit.*

Cave credas eas res gestas eo ordine, quo eas ponit hoc loco Plutarchus: nam Sami obsidio & expugnatio multo posterior fuit longorum murorum eversione, ut videre est apud Xenophontem Hellenic. 2.

Pag. 441.

Θηραμένους τοῦ Ἄγκωνος. | *Theramene Anconis.*

Lege Ἅγνωνος, ut invenitur passim apud auctores.

Pag. 442.

Αὐτὸς μὲν ἐπὶ Θρᾴκης ἐξέπλευσε. | *Ipse contendit in Thraciam.*

Hoc loco inserenda fuit historia de Thaso à Lysandro capta, & de Thasiorum Atticissantium laniena, quam narrat Polyænus lib. 1 cap. 4 de Lysandro: de ea siluit Plutarchus, vel favore in Lysandri famam, vel oblivione, non enim ignorantia.

Pag. 444.

Τῶν Ἀφυγαίων πόλιν. | *Aphrygæorum oppidum.*

Lege τῶν Ἀφυταίων, interpres fuit ἀγεωγράφητος, qui non correxit, & errorem sequitur: at non ita doctissimus Bochartus, qui eum errorem vidit, & emendavit in suo Phaleg, parte 2 lib. 2 cap. 15.

Pag. 449.

Οἱ δὲ ἐν τῇ πόλει Θηβαῖοι μετὰ τῶν Ἁλιαρτίων συντεταγμένοι | *Porro qui intra muros Thebani erant, cum Haliartiis instructi*

τέως μὲν ἡσύχαζον· ἐπεὶ δὲ τὸν Λύσανδρον ἅμα τοῖς πρώτοις προσπελάζοντα τῷ τείχει κατεῖδον, ἐξαπίνης ἀνοίξαντες τὰς πύλας, καὶ προσπεσόντες, αὐτόν τε μετὰ τοῦ μάντεως κατέβαλον.

instructi non moverunt se in præsentia. Ut vero Lysandrum cum antesignanis successisse viderunt ad mœnia, porta repente patefacta erumpunt, illumque cum vate interficiunt.

In hac narratione de Atheniensibus ne verbum quidem. Φιλοβοίωτος fuit Plutarchus, & patriæ suæ gloriæ semper velificatur. At Aristides in prima Leuctrica hoc decus Atheniensibus tribuit. Nam dum introducit Athenienses beneficia sua in Thebanos commemorantes, sic eos loqui facit: [1] καὶ Λύσανδρον ἀπεκτείναμεν, καὶ τρόπαιον ἐστήσαμεν καὶ καθαρὰν πολεμίων τὴν Βοιωτίαν ἀπεφήναμεν. Et rursus Leuctrica 5. [2] καὶ ὧν Θρασύβουλον ἐδέξατο ἀποδεδωκέναι χάριν αὐτάρκη Λύσανδρον ἀποκτείναντας. Sed forte Aristides rhetor, non historicus, non ita exacte sequitur veritatem, & καλλωπίζων τὸν λόγον ea dixit, quæ ad suum propositum facere videbantur: mirum tamen foret, si ea de suo & nullo auctore dixisset, quæ ab omnibus ut falsa exsibilari poterant. Diodorus tamen in eo præiit Plutarcho, & lib. 14 sic ait: Βοιωτοὶ δὲ πείσαντες Ἀθηναίους συνεπιλαβέσθαι τοῦ πολέμου, τότε μὲν κατ' αὐτοὺς ὥρμησαν, καὶ κατέλαβον Ἁλίαρτον ὑπὸ Λυσάνδρου καὶ Φωκέων πολιορκουμένην, γενομένης δὲ μάχης ὅ τε Λύσανδρος ἔπεσε, id est, *Bœoti ab Atheniensibus obtinuerunt, ut ejus belli participes essent: tunc vero ipsi per se soli proruperunt, & Haliartum à Lysandro & Phocensibus obsessum invenerunt, commissa vero pugna Lysander cecidit.* Ergo nisi alius auctor astipuletur Aristidi, potior sit historicorum fides: ut tamen aliquid ad eos auctores conciliandos dicam, sic, ut puto, res transacta est. Exercitus Atheniensium non affuit, sed non dubito, plures ex Atheniensium juventute alacriores (decreto jam facto de auxiliis mittendis) per se ipsos ad pugnæ futuræ rumorem accurrisse, & in ea pugna bonam navasse operam ob Lysandri odium recens, & forte quosdam ex eis Lysandri cædis participes fuisse, & ideo Lysandri occisi gloriam Athenienses sibi vindicasse.

[1] Et Lysandrum occidimus & tropæum ereximus & Bœotiã vacuam hostium fecimus.

[2] Et eorum, quod Thrasybulum recepit, gratiam sufficientem reddidimus, Lysandrum occidentes.

In Sulla pag. 468.

Διαπλεύσας οὖν εἰς Ἄδιψον. | *Quare Adipsum navigavit.*

Lege Αἰδηψὸν: fuit enim Ædepsus Eubœæ urbs, ubi fuerunt lavacra calida. Strabo lib. 9: [3] κεῖται δὲ κατ' Αἰδηψὸν τῆς Εὐβοίας, ὅπου

[3] Sita est ad Ædepsum Eubœæ, ubi sunt Thermæ Herculis.

τὰ θερμὰ τοῦ Ἡρακλέους. Et Aristot. meteorolog. 2 cap. 8. [1] διὸ καὶ τὰ θερμὰ τὰ περὶ Αἰδηψὸν ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας γέγονε. Fuit etiam & in eodem loco fons aquæ gelidæ, quæ ægris opitulabatur, ut ait Athenæus lib. 3 cap. 1. vide & Plutarchum lib. de fraterno amore p. 487.

[1] *Propter quod & calida aqua, qua circa Ædepsum, à pari causa gignuntur.*

In Cimone. pag. 479.

Περὶ Στεῖριν αἰολίζοντες.	*Circa Stirin, qui jam in Ætolorum mores abierunt.*

Interpres vertit: *qui jam in Æolorum mores abierunt*: at vertere debebat, *qui Æolica utebantur dialecto.* Id enim est proprie αἰολίζειν. Sed ex hoc loco videtur colligi posse, non omnes Phocenses usos fuisse Æolica dialecto: forte & Dorum vicini etiam Doricè loquebantur, fuit enim Dorica τετράπολις vicina Phocidis.

Pag. 480.

Καὶ τῷ πάππῳ Κίμωνι προσποι-κῶς.	*Quasi avum referens Cimonem.*

Eustathius ad Iliad. ζ videtur legisse προπάππῳ, sed malè, ut patet ex Herodoto lib. 6. Nam Cimonis hujus proavus fuit Stesagoras, avus vero Cimon. Evidentiæ gratia apponam stemma ex diversis Herodoti locis sic deductum:

	Cypselus — N — Stesagoras	uxor, cujus nomen ignoratur.	
	Miltiades Cherronesi dynastes sine liberis.	Cimon Coalemus dictus, quadrigis Olympia ter vicit, & priorem victoriam Miltiadi uterino fratri concessit, secundam Pisistrato, à Pisistrati filiis cæsus.	
Olorus Thrax			
Hegesipyla —	Miltiades qui Marathone Persas vicit, & Stesagora fratre mortuo Cheronnesum habuit —	uxor anonyma Atheniensis. Marcellinus in vita Thucydidis.	Stesagoras qui post mortem patrui Miltiadis Cheronnesum possedit. sine liberis.
Olorus, ut ait Marcellinus in vita Thucydidis	Cimon cujus Plutarchus vitam scripsit —	Helpinice, quam quidam faciunt Cimonis uxorem.	Metiochus qui in Perside vixit.
Thucydides Historiographus	Miltiades de quo Æschines in oratione de falsa legatione.		

 Ex

Ex hoc ſtemmate, cujus probationes extant apud Herodotum lib. 6, patet bene legi apud Plutarchum τῷ πάππῳ, ut nunc legitur: Euſtathium vero uſum codice in hoc loco corrupto.

Pag. 482.

Ὥςε Βούτην τὸν βασιλέως ςρατηγόν. | *Vt regius dux Butes.*

Jam ſupra notavi hujus viri nomen diverſè proferri apud auctores. Vide ſupra pag. 21.

Pag. 483.

Σοχάρης ὁ Δεκελεύς. | *Sochares Decelenſis.*

Lege Σωφάνης, ut apud Herodotum pluries & alios: vir fuit bellica virtute inſignis.

Ibidem.

Πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους ἔτι νέου καθέντος Ἀφεψίων ὁ ἄρχων.	*Nam quum primam fabulam Sophocles etiamnum juvenis dediſſet, Arepſion Archon.*

De vero nomine hujus Archontis, qui fuit Ἀψηφίων, jam ſupra diximus ad Diodori paginam 274, & parvi momenti videtur eſſe ea quæſtio, ſed alia majoris ponderis difficultas ex hoc loco emergere videtur. Primum enim vel duo fuere hoc nomine Archontes, vel unus & idem Ἀφεψίων ſeu Ἀψηφίων fuit bis Archon, anno ſcilicet 4 Olymp. 74, & anno 4 Olymp. 77. Hoc ultimum conſtat ex Chronico marmoreo, quod marmor Arundelianum vocant, cui concinit Diogenes Laërtius in Socrate. Illud primum extat in Olympiadum anagraphe. Secundo Apſephione Archonte Sophoclem viciſſe tragœdia teſtatur marmor. Sed eum natum ait annos 28, quod quadrat cum iis, qui ejus natalia ponunt anno 2 Olymp. 71. At non quadrat cum Plutarcho, qui hoc loco ait eum adhuc juvenem fuiſſe, cum primum in Theatrum deſcendit & vicit: nam ἔτι νέου καθέντος non poteſt intelligi de viro jam adulto, & annum vigeſimum octavum agente. Plutarchus igitur ſequitur eos, qui volunt Sophoclem natum Olymp. 73, quos ſequutus eſt etiam Suidas, & ſic natus erat annos novemdecim Apſephione ſecundo vel iterum Archonte. Nam quod ad primum Apſephionem pertinet, qui fuit Archon anno 4 Olymp. 74, non videtur potuiſſe eo anno viciſſe tragœdia Sophocles, quamvis eum ponamus natum Philippo Archonte anno 2 Olymp. 71. quatuordecim annos enim natus fuiſſet, quod non eſt veriſimile. Quod ſi quis à me petat, quo propendeam, & quænam ſit in eo

mea

mea ſententia, certe mihi potior eſt auctoritas marmoris Plutarcho multo recentioris, & cujus codices aliquid pati à mala manu potuerunt, quod ſæpe accidit, in computis & litteris numeralibus. Tum is, quicumque eſt, qui vitam Sophoclis ſcripſit, cum marmore conſentit. Ideo vincat marmor.

Pag. 487.

Ἵππου μὲν δρόμον άπέχειν θαλάσσης.	*A mari curriculum equi abſtinere.*

Infra explicat, quale ſit ſpatium curſus equi, & interpretatur τετρακοσίων σταδίων ἐν τῷ: ergo equi curſum intelligit quadringenta ſtadia.

Ibidem.

Καὶ Καλλίαν τὸν πρεσβεύσαντα τιμῆσαι διαφερόντως.	*Et Calliam, qui eam legationem obierat, ſummis decoraſſe honoribus.*

At contra Demoſthenes in oratione de falſa legatione: Καλλίαν τὸν Ἱππονίκου ταύτην τὴν ὑπὸ πάντων θρυλουμένην εἰρήνην πρεσβεύσαντα, ἵππου μὲν δρόμον ἡμέρας πεζῇ μὴ καταβαίνειν ἐπὶ τὴν θάλατταν βασιλέα· ἐντὸς δὲ Χελιδονέων καὶ Κυανέων πλοίῳ μακρῷ μὴ πλεῖν, ὅτι δῶρα λαβεῖν ἔδοξε πρεσβεύσας, μικροῦ μὲν ἀπέκτειναν, ἐν δὲ ταῖς εὐθύναις πεντήκοντα ἐπράξαντο τάλαντα, id eſt, *Calliam Hipponici, qui legatus eam celebrem pacem perfecerat, qua convenerat regem exercitu terreſtri non debere deſcendere mare verſus propius, quam equi curſus diurnus, nec navigare longa navi citra Chelidonias & Cyaneas: quod dona videbatur accepiſſe in ea legatione, parum abfuit, quin occiderent, & ei quinquaginta talentorum mulctam dixerunt.* Sed ex Athenienſium levitate hæc conciliari poſſunt, & exemplo Alcibiadis, Cimonis, & aliorum.

In Lucullo. pag. 492.

Καὶ τὸ μειράκιον ὁ Πτολεμαῖος.	*Eumque adoleſcens Ptolemaus.*

Ptolemæorum homonymia multas peperit in hiſtoria tenebras; ſed is, de quo hic ſermo fit, non poteſt alius eſſe, quam is, qui cognomine Auletes dictus fuit, ex temporum ratione.

Pag. 497.

Πρῶτος αὐτοῖς πεμφθεὶς ὑπ' Ἀρχελάου Δημῶναξ.	*Verum Demonax primus qui ab Archelao miſſus in urbem fuerat.*

Ex Julio Floro discimus modum, quo Demonax iste ad obsessos per medios hostes elapsus est, nempe utre vectus: vide Florum lib. 3.

In Nicia. pag. 526.

Ἐν τῷ Δήλῳ. | *Ad Delium.*

Lege ἐν δὲ Δηλίῳ: nullam enim ad Delum cladem Atheniensium notaverunt historici; at cladem ad Delium, quam duce Hippocrate passi sunt Athenienses, Thucydides pluribus exequitur lib. 4.

In Agesilao. pag. 596.

Ἐκ γυναικὸς εὐδοκίμου Λαμπρίδους.	*Ex uxore probata fœmina Lampride.*

Lege Λαμπιτοῦς ex Herodoto lib. 6, & Platone in Alcibiade, & est nomen Laconicum apud Aristophanem in Lysistrate Λαμπιτώ.

Pag. 604.

Οἱ δὲ καλούμενοι Τράλλεις, οὓς καὶ Ξέρξης ἔδωκεν δῶρα.	*Illi qui Tralles dicuntur, quos Xerxes quoque redemerat donis.*

Mirum est Plinium in recensione gentium Thraciæ tam exacta & numerosa nullam de his Trallibus fecisse mentionem: fuit tamen vel gens vel factio quædam militaris, & à quibus Tralles celebris Asiæ urbs nomen habuit. Strabo lib. 14: [1] κτίσμα δέ φασιν εἶναι τὰς Τράλλεις Ἀργείων, καὶ τινῶν Θρᾳκῶν ἀφ' ὧν τοὔνομα. Fuit gens ferox & crudelis: ideo ea utebantur ad cædes faciendas reges & Tyranni, teste Hesychio. [2] Τράλλεις: οὕτως ἐκαλοῦντο μισθοφόροι Θρᾷκες, οἱ τοῖς βασιλεῦσι τὰς φονικὰς χρείας πληροῦντες. Ex hoc loco habitasse videntur ad Sinum Melanem vel mare Ægæum aut Strymonicum in itinere, quo Xerxes Græciam petebat, vicini Sapæis vel Sintis.

[1] Tralles autem ajunt esse opus Argivorum & quorumdam Thracum, unde nomen.

[2] Sic vocabantur Thraces mercenarii, qui cædes à regibus jussas exequebantur.

Pag. 608.

Ἐν σπονδαῖς καὶ εἰρήνῃ τὴν Καδμείαν καταλαβών.	*Qui Cadmeam tempore pacis & amicitiæ occupavit.*

Adde καὶ πανηγύρει. Nam Pythiorum tempore capta fuit à Phœbida Cadmæa, ut ait Aristides in Eleusiniaca.

Pag. 611.

Συνέβη πταίσματα τοῖς Σπαρτιάταις, καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν ὧν ἦν τὸ περὶ Λεῦκτρα μέγιστον.	*Spartiatæ terra marique titubavere, multo maxime apud Leuctra.*

Alii

Alii codices habent Τεγέας, non Λεύκτρα: multo melius. Λεῦκτρα irrepsit à manu scioli cujusdam, qui, dum corrigere putabat, corrupit. Id ex serie patet, nam hæc dicuntur multo ante Leuctricam pugnam, cum Epaminondas adhuc privatus, &, ut ait, στρατηγίας πεῖραν οὔπω δεδωκώς.

Pag. 613.

Ἑλὼν δὲ πολίχνιόν τινα τῶν Μαντινέων.	*Sed oppidulum quoddam Mantineorum cepit.*

Hujus urbeculæ nomen fuit Εὔταια, ut ex Xenophonte disco lib. 6.

Ibidem.

Οὐκ εἴα πρὸς τοσοῦτον ῥεῦμα καὶ κλύδωνα πολέμου μάχεσθαι τοὺς Λακεδαιμονίους.	*Non permisit cum tantis belli fluctibus & undis Lacedæmonios luctari.*

Adde ex Polyæno ad historiæ complementum: καὶ λογοποιοὺς καθῆκεν, ὡς ἄρα χρησμὸς εἴη, τοὺς περῶντας τὸν ποταμὸν Λακεδαιμονίους ἡττᾶσθαι, id est, *summisit rumorum disseminatores, dicentes, quod ex oraculo, qui primi fluvium transmitterent, vinci deberent.*

Pag. 616.

Ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν.	***Parturire montem, mox murem nasci.***

Ad quem jocum respondisse fertur Agesilaus, φανήσομαι ποτέ σοι καὶ λέων, ut ait Eustathius ad Odyss. 1.

In Pompejo. pag. 631.

Τῆς δὲ Ἥρας τὸν ἐν Σάμῳ, τὸν ἐν Ἄργει τὸν ἐπὶ Λευκανίῳ.	*Iunonis Sami, Argis in Leucadio.*

Interpres legit, Λευκαδίῳ, nescio quam bene: primum enim non memini me legisse Leucadem celebrem fuisse Junonis templo, sed Apollinis, ut ex Strabone & aliis liquet: tum non dicitur Λευκάδιον ἄκρα, sed Λευκὰς ἄκρα, vel Λευκάτας, Latine quidem posset dici *Leucadium promontorium*, sed Græcè non invenitur, quod sciam. Ego si mea conjectura aliquod pondus haberet, vellem legi minima mutatione Λευκωνίῳ, nam sæpissime α & ω unum pro altero ponuntur. Fuit autem Leuconium in Chio insula, teste Thucydide lib. 8, & ipso Plutarcho lib. de virtutibus mulierum, ubi Λευκωνία legitur à Polyæno lib. 8 cap. περὶ Χίων.

Pag. 638.

Ταύτης μὲν ἦν γενεᾶς καὶ αἵματος ἡ Στρατονίκη.	*His natalibus & sanguine fuit Stratonice.*

Infra Monimes tamquam alterius pellicis Mithridatis facit mentionem. Appianus unam & eandem facit: nam Μονίμην Στρατονικίδα vocat, id est, *Monimen Stratonicensem.* Uter melius, non est magni momenti scire, facile certe fuit mutare Στρατονικὶς in Στρατονίκη.

In Alexandro. pag. 667.

Μικρὰ δὲ οὕτω παρακαλπάσας καὶ καταψήσας, ὡς ἑώρα πληρούμενον θυμοῦ καὶ πνεύματος, ἀποῤῥίψας ἡσυχῆ τὴν χλαμύδα καὶ μετεωρίσας αὐτὸν, ἀσφαλῶς περιέβη.	*Tum molliter eum ad procursum incitavit ac permulsit. quem ubi ferocientem vidit & exsultantem, abjecta leniter chlamyde insiluit in eum, & nullo negotio conscendit.*

De sanitate hujus loci fateor me multum dubitare, imo non dubitare, quin sit mendosus. Eum sic vertit Cruserius, in qua versione in verbo παρακαλπάσας sequutus est doctissimi Budæi interpretationem, qui παρακαλπάζειν interpretatur, *equo à latere cursitare freno ejus manu apprehenso,* quæ interpretatio vix potest huic loco convenire, & à Budæo in lingua Græca exercitatissimo provoco ad equorum domitores. Nam ea sententia contra naturam rei pugnaret: peto à te lector, ut cum bona tua venia liceat mihi, qui in re equestri multum olim desudavi, à doctissimo Budæo abire scientiæ equestris imperito. Ergo ferociebat Bucephalus, & umbra sua irritatus, non admittebat sessorem. Alexander id animadvertens ejus caput ad solem convertit, ut umbræ suæ motum non amplius videret: tunc ratio suadet, ut eum permulceret, & iram equi sedare tentaret, quod fecit (ut opinor) eum palpando & permulcendo, non vero eum ad cursum provocando, (ut ait Cruserius) ipse pedes, quod contrarium effectum produxisset, & periculum maximum sibi creasset, & id probat verbum καταψήσας, quo utitur Plutarchus, quod significat manu demulcere & sudorem abstergere, quod non concordat cum interpretatione Budæi verbi παρακαλπάσας: nam quomodo equum currentem manu permulsisset? Certe id est absurdum, & si ita intellexit Plutarchus,

tarchus, ſe prodidit Bœotum, non Theſſalum, & naturæ equorum omnino inexpertum. Κάλπη fuit certaminis ludicri ſpecies in ludis Olympicis, ubi vir currentem equam (nam equabus potiſſimum ad tale certamen utebantur) ipſe pedes habenam manu retinens ad latus currebat, & ſic oportebat viri & equæ curſum eadem pernicitate procedere. Sed id fiebat cum equabus domitis & ad id ſpeciatim inſtitutis, ad ferocientem vero equum indomitum, qui ſeſſorem nondum paſſus fuerat, non conveniebat tale quid. Ideo ſuſpicio mihi incidit, Plutarchum, qui Romæ ſcribebat, uſum fuiſſe Romana voce ad Græcum ſonum accommodata; & ſcripſiſſe παραπαλπάσας (nam identidem κ pro π & vice verſa ponuntur) quod per verbum ſequens Græcis notum interpretatus eſt. Romani enim pro *equum demulcere* utebantur verbo *palpare* equis proprio, ut patet ex Horatio Sermonum 2 ſatyra 1. Certe ſi παρακαλπάσας retineri debet (quod verbum alibi non legitur) ego in contrarium interpretarer Cruſerio ſenſum, ſcilicet, ſenſim cedens equi motibus, & eum leniter inſequens, nec renitens, ut qui in agone καλπῆς currebant, dum deſiliebant ab equa, ſequebantur eam à latere, habenas tenentes, ſed eas non retrahentes, ſed cedentes equæ motibus. Sed quid dicendum eſt de eo, quod Plutarchus ait: ὡς ἑώρα πληρούμενον θυμοῦ καὶ πνεύματος, *ira & ſpiritus plenum?* certe id eſt abſurdiſſimum. Nam ſcopus Alexandri fuit equum lenire, & ipſum ab ira & ſuſpicionibus abducere in ſedatum & tranquillum ſtatum, ut eum facilius aſcenderet: non eſt enim equus facilis aſcenſu, dum iræ & ſpiritus plenus eſt. Igitur non dubito, quin Plutarchus ſcripſerit χηρούμενον, id eſt, *viduatum*, vel στερούμενον *privatum.* Rurſus μεταρσίσας αὐτὸν pugnat cum re ipſa, & legendum ἑαυτὸν: nam ſi legis αὐτὸν, referendum eſſet illud αὐτὸν ad equum, & eſt contra rationem equum ſurſum elevare facere, dum quis cupit in eum aſcendere. Itaque purgandus eſt erroribus & mendis totus ille locus, & ſic legendus. [1] μικρὰ δὲ οὕτω παρακαλπάσας (niſi malis παραπαλπάσας, quod præferrem) καὶ καταψήσας, ὡς ἑώρα χηρούμενον (vel στερούμενον) θυμοῦ καὶ πνεύματος, ἀπορρίψας ἡσυχῆ τὴν χλαμύδα καὶ μετεωρίσας ἑαυτὸν, ἀσφαλῶς περιέβη, ſic legendum, nam περιέβη ſignificat *circumiit*, non, *conſcendit.*

[1] *Parumper ſic ſubpalpans & demulcens, ut vidit eum ab ira & ſpiritu vacuum, chlamydem leniter deponens, & ſeipſum in altum exaltans, ſecure inſcendit.*

Pag. 673.

Μέχρι τῆς Φοινίκης καὶ Κιλικίας.	*Vſque ad Phœniciam & Ciliciam.*

Cave

Cave lector, ne hoc loco accipias Φοίνικης pro Phœnicia, ubi fuit Tyrus & Sidon; non enim de ea intelligit, aliter inverso ordine eas provincias poneret, nam Tyrus & Sidon, longe adhuc erant, sed intellige Phœnicen, quæ est Lyciæ seu Pamphyliæ ad Massicytum montem, de qua Q. Smyrnæus canit:

[1] Πάντες ὅσοι Φοίνικην ἕδος περὶ πάγχυ νέμονται
Αἶπύ τε Μασσικύτοιο ῥίον, &c.

Et apud Josephum Chœrilus de antiquis Solymis. — [2] οἱ
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφίεντες.

[1] Omnes quicunque circa Phœnicem terram habitant & altum Massicyti montem.

[2] Qui linguâ Phœniciam ab ore emittentes.

Hujus mentionem fecit Nicandri Scholiastes de Thapso herba: ἀνευρηκέναι δὲ αὐτὴν φασὶ τὸν Κρατεύαν ἐπὶ νήσῳ τινὶ Θάψῳ μιᾷ τῶν σποράδων· ἐστὶ δὲ αὐτὴ ἡ νῆσος Ἀρκύσης καὶ Φοίνικης μεταξύ. id est, *invenisse autem eam ajunt Crateuam in quadam Thaspo insula una ex Sporadibus: est autem ea insula inter Arcusam & Phœnicem.* ubi tamen pro Ἀρκύσης vellem legi Ἀρκοννήσου. Constantinus in Themate orientali urbem & fluvium cognominem ibi ponit. T. Livius lib. 37 de portu Phœnicunte in eo tractu loquitur.

Pag. 684.

Τοῦ Βουκεφάλα φειδόμενος ἤδη παρήλικος ὄντος.	*Quod Bucephala, qui jam gravis ætate erat, parceret.*

Et si credimus Pelagoni in Geoponicis, non solum senescente, sed unoculo, & quod mirum, id dehonestamentum pulchrum existimanti: sic enim ait in capite ἵππου σήμεια p.423. τινὲς δὲ καὶ τοὺς ἑτεροφθάλμους ἐν τοῖς καλλίστοις τάττουσι, οἷον φασὶ γεγενῆσθαι τὸν τοῦ Μακεδόνος Ἀλεξάνδρου Βουκέφαλον. *Quidam unoculos inter pulcherrimos censent, qualem ajunt fuisse Bucephalum Alexandri.*

Pag. 688.

Τῶν καταπονηθέντων οἱ καταπονήσαντες ἥδιον καθεύδουσι.	*Eos jucundius alios qui fatigant, quam fatiscentes quiescere.*

Ut sensus sit conveniens, legendum videtur, τῶν ἀποπονηθέντων, iis, qui à labore cessarunt, laborantes melius dormiunt.

Pag. 692.

Μακεδὼν ὄνομα Λίμνος.	*Macedo nomine Limnus.*

Curtio dicitur Δύμνος. melius.

Ibidem.

Ibidem.

Ἀδελφῷ Βαλείνῳ.	*Fratri Balino.*

Apud Curtium Κεβαλίνῳ.

Pag. 694.

Τῶν δὲ σωματοφυλάκων ἑνὸς Ἀριστοφάνες.	*Quum unus satellitum Aristophanes.*

Rescribe Ἀρίστου: sic enim pluries à Q. Curtio & ab Arriano vocatur.

In Cæsare. pag. 707.

Ταύτης δὲ ἐκπεσεῖν αὐτὸν ὑπεναντιωθεὶς Σύλλας παρεσκεύασεν.	*Cæterum hujus repulsam adversante clam ei Sullâ tulit.*

Hæc sic intelligit Rualdus: *Sulla effecit, ut eo, quem petebat, honore deciderit*, & inde magno clamore contra Plutarchum insurgit, ut falsum & contra historiæ fidem ea narrantem. Sed provoco ad omnes lexicographos, ut nos doceant, si hoc loco παρεσκεύασεν bene interpretatus est, *effecit*: at ego credebam debere exprimi Latine, *omnia disposuit*, vel, *præparavit ut repulsam ferret*, & quamvis Mario & Cinna Romæ adhuc potentibus eam Sacerdotii petitionem aggressus fuerat Cæsar, nihil obstat, quo minus Sulla missis ad suos amicos & clientes litteris Cæsari adversatus fuerit; & ideo poterat abstinere à reprehensione Plutarchi hoc loco Rualdus. Ego, qua sum rusticitate, putabam æqui lectoris esse officium, semper auctori favere, & omnibus modis tentare, ne absurdam sententiam auctori antiquo tribuere videatur.

In Phocione. pag. 750.

Καὶ τὸν Ἴμβριον Ἀθηνόδωρον καὶ Ῥοδίους δύο Δημάρατον καὶ Σπάρτωνα.	*Et Imbrium Athenodorum, præterea Rhodios duos Demaratum & Spartonem.*

Ex hoc loco restituendus est Æliani locus mutilus, & mendosus variæ hist. lib. 1. cap. 25, qui sic habet: [1] Ἀθηνόδωρον τὸν Ἱμεραῖον καὶ Δημάρατον, ἀδελφῷ δὲ ἄρα ἤστην ἄμφω Ῥοδίω, in quo Æliani loco id est absurdum, quod Athenodorum Himeræum ex Sicilia & simul Rhodium facit. Sic igitur ex hoc Plutarchi loco lege, Ἀθηνόδωρον τὸν Ἴμβριον, καὶ Δημάρατον καὶ Σπάρτωνα, ἀδελφὼ δὲ, &c.

[1] *Athenodorum Himeræum & Demaratum: hi duo vero erant fratres Rhodii.*

Pag. 751.

Πυθονίκης τῆς ἑταίρας ἀποθανούσης.	*Pythonicæ meretrici defunctæ.*

Melius Πυθιονίκης, ut apud Athenæum sæpius.

Ibidem.

Ἐν Ἑρμείῳ.	*In Hermio.*

Iterum errat in hac voce Plutarchi codex: nam supra pag. 5 ἐν Ἑρμιώνῃ posuerat, hîc ἐν Ἑρμείῳ: at tu lege, ἐν Ἑρμῷ, ex Harpocratione, Hesychio, & aliis, ut supra ad eum locum notavimus.

In Agide. pag. 799.

Ἱερὸν δὲ Πασιφάας καὶ μαντεῖον ἦν ἐν Θαλαμίαις τιμώμενον.	*Templum & oraculum Thalamiis celebre erat Pasiphaës.*

Hoc templum & oraculum non Pasiphaës, sed Παφίης dicitur Pausaniæ bis eadem pagina, & ait dæmonem esse indigetem Thalamatibus.

Pag. 808.

Καὶ δύο τῶν συντρόφους τοῦ Κλεομένους οὓς Σαμοθρᾶκας καλοῦσι.	*Et duo, qui cum Cleomene fuerant educati, quos Samothracas vocabant.*

Hi, quos vocat Plutarchus Samothracas, videntur iidem esse, quos vocat Herodotus Πυθίους lib. 6.

Pag. 813.

Τὰ Ὤνια χαρακώσας.	*Onia vallo munita.*

Lege Ὄνεια ex Thucydide, Xenophonte, Strabone, & multis aliis non contemnendis auctoribus.

Pag. 820.

Ὀφθεὶς δὲ τῷ Πτολεμαίῳ.	*Visus autem Ptolemæo.*

Ei scilicet, qui Euergetes dictus est.

Ibidem.

Ὁ μὲν βασιλεὺς γὰρ αὐτὸς οὕτω διέφθαρτο τὴν ψυχήν.	*Quippe usque eo rex ipse effœminatus erat.*

Hic fuit, qui Philopator cognominatus est.

Pag. 821.

Νικάγορας ὁ Μεσσήνιος — ἀνὴρ μισῶν μὲν τὸν Κλεομένην.	*Messenius Nicagoras: hic oderat Cleomenem.*

Odii

Odii illius causam pete ex Polybio lib. 5.

In Demosthene. pag. 847.

Ὁ δὲ Ἄργας (καὶ τοῦτο γὰρ φασὶ γενέσθαι τῷ Δημοσθένει παρώνυμον) ἢ πρὸς τὸν τρόπον ὡς θηριώδη καὶ πικρὸν ἐτέθη.

Argas (nam & hoc cognominis Demostheni ferunt fuisse) dictus est vel ex morum feritate & acerbitate.

Legendum ὁ πρὸς τὸν &c. Alia, credo, causa fuit ejus cognominis: nam fabula nos docet serpentem gelu constrictum & fere mortuum à viatore acceptum & proprio sinu fotum, eum statim momordisse. Ideo rhetor, qui tutores suos statim ac vir factus est, accusavit, ita dictus fuit.

Pag. 854.

Ἔπεμψε μὲν Φίλιππος — Ἀμύνταν μὲν καὶ Κλέαρχον Μακεδόνας, Δάοχον δὲ καὶ Θέσσαλον καὶ Θρασυδαῖον ἀντερῦντας.

Ad eos refellendos misit etiam Philippus Amyntam & Clearchum Macedonas, praeterea Daochum Thessalum & Thrasydaeum.

Ex Aristide legendum Δάοχον δὲ Θέσσαλον, καὶ Θρασυδαῖον. Nam ex Aristidis oratione περὶ συμμαχίας posteriore disco, Thessalos quosdam fuisse in numero eorum legatorum, quibus etiam addendus est Pytho quidam Byzantinus omnium acerrimus, & qui patriam Philippo prodiderat. Fuerunt igitur quinque legati, Amyntas & Clearchus Macedones, Daochus & Thrasydæus Thessali, & Python Byzantinus.

Pag. 857.

Γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαρώνδου Ἄρχοντος μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν, κριθεῖσα δὲ ὕστερον ἔτεσι δέκα, ἐπ' Ἀριστοφῶντος.

Nomen ejus delatum fuit Charonda Archonte, paulo ante cladem Chæronensem, judicatum decem annis post, Archonte Aristophonte.

Calculus Plutarchi non quadrat cum Diodoro, & numero Olympiadum. Nam Charondas fuit Archon anno 3 Olymp. 110, Aristophon vero anno 3 Olympiad. 112: spatium ergo inter utrumque terminum octo anni tantum, non decem.

In M. Tullio Cicerone. pag. 883.

Ἦν δὲ πατρὸς Ὀκταουΐου, τῶν οὐκ ἄγαν ἐπιφανῶν, Ἀττίας δὲ μητρὸς ἀδελφῆς Καίσαρος.	*Filius fuit Octavii, viri non perinde clari & Atti a fororis Cæsaris.*

Scribe ἀδελφιδῆς. Fuit enim Attia Octavii uxor, mater Augusti, filia M. Attii Balbi, & Juliæ sororis Cæsaris: ideo fuit ejus ex sorore neptis, non soror. Infra in Antonio idem est error, sed ab Henrico Stephano notatus & correctus in suis notis.

In Demetrio. pag. 890.

Μιθριδάτης ὁ Ἀριοβαρζάνου παῖς.	*Mithridates Ariobarzanis.*

Valde vereor, ne Plutarchus hoc loco falsus sit, dum Mithridatem hunc Ariobarzanis filium putat. Fuit enim Ariobarzanis non filius, sed nepos ex Mithridate patre viro claro & potente, quem Antigonus occidendum curavit circa Cium Mysiæ urbem anno 3 Olymp. 119, Nicocle Archonte, cum in regno seu potius Dynastia mansisset annos 35, teste Diodoro lib. 20 ad dictum annum. Cui successit Mithridates filius, jure Antigono suspectus, non tam, ut credo, ob somnium, quam ob cædem patris: quod si cui mirum videbitur eum militasse sub patris interfectore, cogitet, quanta tunc fuerit Antigoni potentia in Asia, & quid non faciendum sibi principes ducant dominatus retinendi causa. Ratio igitur temporis non patitur, hæc intelligi debere de Mithridate Ariobarzanis filio, qui cœpit dominari pauló ante Alexandrum circa Olympiadem 110, nec potuit esse coævus Demetrio, ut hic dicitur. Legendum igitur puto, Μιθριδάτης ὁ Μιθριδάτου τοῦ Ἀριοβαρζάνου, ut Plutarchum à culpa liberemus.

Pag. 894.

Συνῳκήσασα δὲ Ὀφέλλᾳ τῷ Κυρηναίων ἄρξαντι.	*Et Ophelta nuptias Cyrenæorum principis tenuerat.*

Eum Principem Diodorus Ὀφέλλαν vocat lib. 20 pluries.

Pag. 898.

Τὴν μεγίστην ἑλέπολιν τοῖς τείχεσι προσήγαγε.	*Maximamque helepolim admovit muro.*

Commentarii vice ad hunc locum potest fungi Vitruvius lib. 10 cap. 22, qui eam machinam Diogneti Rhodii solertia in potestatem

tem

tem Rhodiorum venisse ait, & pluribus eam historiam persequitur.

Pag. 900.

Δημοχάρης ὁ Λακωνεὺς.	*Demochares Laconensis.*

Interpres vertit *Laconensis*, male: nam τὸ Λακωνεὺς est à mala manu. Legendum Ἀδηνιεὺς, vel Ἀδηνοεὺς (nam utrumque dicitur) ut Demosthenes ad Polyclem, & ubique. Nam Ἀδήνιον, vel Ἀδηνόνοον, vel Ἀδηνόνοιον demus fuit Leontidis tribus, de quo cum Demosthene, Phrynicho, Philocoro, Harpocration, Stephanus, Suidas. Inde erat Meton ille celebris Mathematicus, ut discimus ex Aristophanis Scholiaste ad Aves.

Pag. 906.

Ἀπήντησεν αὐτῷ περὶ Δήινον.	*Processit ei ad Dion obviam.*

Rescribe περὶ Δίον, nam Δίον urbs fuit in illo tractu celebris: Δήινον vero vox nihili.

In Antonio. pag. 955.

Καὶ Κλεοπάτραν μὲν τὴν ἐκ Κλεοπάτρας Ἰόβᾳ τῷ χαριεστάτῳ βασιλέων συνῴκισε.	*Ex Cleopatra susceptam Cleopatram lepidissimo regi Iubæ collocavit.*

Hæc fœmina à Suetonio in C. Cæsare non Cleopatra, sed Selene vocatur, sed potuit esse binominis.

In Dione. pag. 970.

Πρὸς Δίωνα περὶ τὰς Μάκρας στρατοπεδεύοντα.	*Dioni qui circa Macras consedebat.*

Macræ fuerunt ibi nullæ. Lege, περὶ τὰς Ἄκρας. Thucydides lib. 6. [1] Ἄκραι δὲ καὶ Κάσμεναι ὑπὸ Συρακουσίων ᾠκίσθησαν.

[1] *Acræ & Casmena à Syracusanis habitata sunt.*

In Arato. pag. 1032.

Μόλις ἥψατο τῆς Ἀδρίας πολεμίας οὔσης.	*Ægre Adriam decurrit oppidum hostile.*

Lege Ἀνδρίας, id est, in Andro insula, circa Andrum civitatem, quod patet ex eo, quod postea cum servis dicitur in Eubœam trajecisse, quæ fuit è regione Andri insulæ & vicina.

AD PLUTARCHUM

IN TOMO II.

Lib. ΠΕΡΙ' ΠΑΙΔΩ'Ν 'ΑΓΩΓΗ'Σ.

Pag. 1.

Διόφαντον γ' οὖν τὸν Θεμιστοκλέους. | *Quomodo Diophantum Themistoclis filium.*



Nomen viri fuit Κλεόφαντος. nam Plato, qui non procul fuit à Themiſtoclis tempore, & Athenis vixit, eum ſic nominat, in libro περὶ ἀρετῆς εἰ διδακτὸν, & in Memnone, quem ſequitur Stobæus.

Ad librum πῶς ἄν τις διακρίνοι. pag. 58.

Ὥσπερ Κρίσων ὁ Ἱμεραῖος ἀπελείφθη διαθέων πρὸς Ἀλέξανδρον. | *Sicut Criſſon Himeraus curſu cum Alexandro certans dedita opera poſterior fuit.*

Timeo, ne hoc loco Plutarchus memoria lapſus erraverit. Nam Criſōn Himeræus curſor ille famigeratus vicit ſtadium Olympiadibus 83 & 84 & 85 multum ante tempora Alexandri regis: videtur tamen Plutarchus intelligere Alexandrum Macedonem Philippi filium, quando eum ſine alia nota nominat. Tum non convenit Alexandro Amyntæ, qui vigebat tempore belli Perſici annis circiter 36, antequam Criſon ille innoteſceret: nec alteri Alexandro Amyntæ, qui 60 circiter annis poſterior fuit Criſone. At non eſt dubium Plutarchum de Alexandro Magno intellexiſſe, qui fuit pernicitate pedum celebris, &, ut ait Plutarchus in ejus vita, ποδώκης. Ideo proponebant ei adulatores & aſſeclæ, ut in Olympica celebritate ſtadium decurreret, quod aſpernatus eſt, ut indignum regia majeſtate. De Criſone igitur Himeræo puto Plutarchum aliter ſcripſiſſe, quam in animo habebat, & properante calamo Criſonem Himeræum pro alio quodam curſore poſuiſſe, forte pro Cleomantide Clitorio, qui eodem, quo Alexander, tempore floruit, & ſtadium vicit Olympiade 111 eodem anno, quo Philippus Alexandri pater cæſus fuit, Alexandro tunc vigeſimum annum agente, ut ait Arrianus. Hæc ego ut potui: ſi quis meliora dederit, ſequar lubens. Nam quod infra lib. περὶ εὐθυμίας, ubi hanc hiſtoriam repetit, in quibuſdam

dam exemplaribus legitur Βρίσων, credo esse errorem ob affinitatem majuscularum K & B, nam de Brisone cursore nihil legitur, & cognomen *Himeraus* eundem esse evincit manifesto, & debere Κρίσων legi.

Ad Conjugalia præcepta. pag. 144.

Δεύτερον ἐν τῇ Ῥαρίᾳ. | *Secundum in Raria.*

Suspicor legendum, ἐν τῷ Ῥαρίῳ; nam Ῥάριον πεδίον memoratur Pausaniæ in Atticis: nulla vero urbs, nullus demus Ῥάρος, à quo denominari debeat regio quædam in Attica.

Ad septem sapientum convivium. pag. 162.

Ἀπέκτειναν δὲ αὐτὸν οἱ τῆς παιδίσκης ἀδελφοί.	*Nihilominus eum puellæ fratres trucidaverunt.*

Nomina virorum fuerunt Ctimenus & Antiphus, ut nos docet Pausanias in Bœoticis.

Pag. 194.

Οἰκῆσαι δὲ Μεσσήνην δι' ἐτῶν τριάκοντα καὶ διακοσίων.	*Messenemque post* CCXXX *annos condendam.*

Numeri corrupti sunt, quod sæpe evenit. Lege ἐνενήκοντα καὶ διακοσίων. Nam Epocha de Messeniæ seu Iræ excidio curiose notata est à Pausania in Messeniacis: [1] ἑάλω δὲ ἡ Εἶρα — Ἀθηναίοις ἄρχοντος Αὐτοσθένους ἐπὶ πρώτῳ τῆς ὀγδόης τε καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν ἐνίκα Χίονις Λάκων. Messenes vero instauratio ab Epaminonda facta est anno 3 Olympiadis 102 Dyscyneto Archonte. Pone calculos lector, & invenies numerum 298. Ideo paulo post idem Pausanias ait Messenios extra Peloponnesum trecentos fere annos vagasse.

[1] *Capta est Ira — Archonte apud Athenienses Autosthene anno 1 Olympiadis 28, qua vicit Chionis Laco.*

Pag. 211.

Οἱ δὲ καλούμενοι Τρωαδεῖς (οἷς καὶ Ξέρξης ὡς λέγεται ἔδωκε δῶρα.)	*Troadenses, à quibus etiam Xerxes, ut ferunt, transitum donis redemerat.*

Neglexit interpres consulere Plutarchum supra in Agesilao, ubi scriptum est rectè Τραλλιεῖς, quæ lectio hoc loco reponenda.

Pag. 224.

Λεωτυχίδης ὁ Ἀρίστωνος. | *Leotychidas Aristonis filius.*

Errat Plutarchus; non enim fuit Aristonis, sed Menaris Leotychides iste. Sed fefellit eum, quod in serie regum Eurypontidarum post Aristonem sequitur Leotychides: nam Aristoni successit, pulso

ſo Demarato Ariſtonis filio. Vide Herodotum lib. 8 & Pauſaniam in Laconicis.

Pag. 229.

Τῶν Εὐρυπεωντιδῶν. | *Eurytionidarum.*

Si addidiſſet exſcriptor ad hanc vocem poſt ω litteram κ, Lacedæmoniorum reges egregiè ornaviſſet. Lege: Εὐρυπωντιδῶν.

Pag. 235.

Βῦρις καὶ Σπέρτις. | *Buris & Spertis.*

Apud alios auctores legitur Βῦλις καὶ Σπέρχις.

Lib. de quæſtionibus Græcis. pag. 295.

Ἐκέλευε τὰ ὀστᾶ φορεῖν, ἣν ἐκείνη στολὴν ἐφόρει. | *Oſſa ipſius, quas ea geſſiſſet, veſtibus amiciri juſſit.*

Sic etiam legit interpres, & reddidit. At id fuiſſet contra Græcorum morem, qui oſſa condebant humo. Lego, τὴν ἐσθῆτα, quam lectionem ſequentia aſtruunt.

Pag. 299.

Ἐν τῷ καλουμένῳ Στήφοντι. | *In Stephonte.*

Ortelius legiſſe videtur Σπίφοντι, & ita legitur in indice Codicis, ergo lege Σπίφοντι.

Pag. 302.

Ἢ ὅτι Λέλεγας καὶ Μινύας τὸ παλαιὸν ἐξελάσαντες αὐτοὺς. | *Leleges & Minyæ quondam pulſis vi Trallianis.*

Et paulo poſt.

Τὸν κτείναντα Μινύην ἢ Λελέγην. | *Si quis Minyam Lelegemve occiderit.*

Utrobique lege, Μιλύας & Μιλύην, & pro Λελέγην lege Λέλεγα, à recto Λέλεξ. Milyæ fuerunt in Aſia circa Lyciam: Minyæ vero in Bœotia & Peloponneſo.

Pag. 304.

Ἐξέπεσε κατὰ τὸν Λακητῆρα. | *Ad Laceterem excidit.*

Strabo Λακτῆρα vocat lib. 14: utrum ſit verum & genuinum, neſcio. Certum eſt ἀπὸ τοῦ λακεῖν ſic nominatum, ſcilicet à ſtrepitu maris circa eum locum.

In Parallelis. pag. 307.

Ἐπὶ τῷ Σανδάνῳ ποταμῷ. | *Sandanum fluvium.*

Stobæus

Stobæus lib. de fortitudine hanc historiam narrans hunc fluvium Σάρδονα vocat, sic: γενόμενος δὲ κατὰ γέφυραν τοῦ ποταμοῦ Σάρδονος. Sed in margine scriptum est Σανδάνη, ex hoc forte loco Plutarchi: nulli auctores præter hos, quos viderim, de eo fluvio meminerunt.

Pag. 308.

Ἀγησίλαος ὁ πατὴρ μέχρι τοῦ ναοῦ τῆς Χαλκιοίκου συνεδίωξεν.	*Pater Agesilaus eum usque ad fanum Minervæ Chalciæci persecutus est.*

Nota hîc Plutarchi μνημονικὸν σφάλμα. Non enim fuit Pausaniæ pater Agesilaus, sed Cleombrotus, ex Thucydide, Pausania, & aliis.

Pag. 327.

Καὶ τοὺς Ἀερόπου παῖδας.	*Et Aeropi filios.*

Nomina virorum fuerunt Ἡρομένης, Ἀῤῥαβαῖος, Ἀλέξανδρος, ut est apud Arrianum lib. 1. Si fuerunt autem filii ejus Aëropi, qui ante Pausaniam & Amyntam regnavit, jam ætate provectos fuisse oportet, nam inter Aëropum eum & Alexandrum quinquaginta anni intercesserunt ad minimum.

Lib. de Gloria Atheniensium. pag. 349.

Τὴν δὲ ἕκτην ἐπὶ δέκα Μουνυχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος.	*Decimam sextam Munychionis Dianæ consecraverunt: tunc enim Luna vincentibus apud Salamina Græcis pleno orbe apparuit.*

Insurgit in Plutarchum hoc loco Rualdus his verbis: *Plutarchum alibi alieno, hîc proprio gladio jugulamus: in Camillo namque pag.* 138 Βοηδρομιῶνος περὶ τὰς εἰκάδας, *Boedromionis die vigesima, commissam illam pugnam Salaminiensem disertè pronunciat: idque ipsum in commentario de diebus à se demonstratum ibidem testatur.* Hæc Rualdus, qui postea pluribus argumentis utitur & conjecturis, ut probet Salaminiensem contra Xerxem pugnam commissam fuisse autumni tempore, quod certum est, & ejus conjecturis aliud argumentum addam multo evidentius. Æschylus in Persis ait, exercitum Xerxis fugientem Strymonem glacie concretum pedibus transivisse.

— νυκτὶ δ' ἐν ταύτῃ θεὸς
Χειμῶν' ἄωρον ὦρσε, πήγνυσι δὲ πᾶν
Ῥέεθρον ἁγνοῦ Στρυμόνος, &c.

Idest, *in ea autem nocte deus hiemem intempestivam excitavit: compressit autem totum fluentum puri Strymonis*: ex his verbis elicitur, jam autumno inclinante eam fugam factam. Nam si Munychionis medio ea pugna commissa fuisset, tunc Thargelione mense, qui Munychionem sequitur & nostro Junio respondet, in ipsius æstatis limine necesse foret eam fugam & concreti glacie Strymonis διαπεραιοῦσιν factam fuisse, quod absurdum foret. Nam quamvis dicat χειμῶν' ἄωρον, id non debet intelligi contra naturæ legem in æstate, sed ultra ordinarium hiemis cursum, qui mense Pyanepsione (qui Boedromionem sequitur, & Novembris nostri initio respondet) non solet ita sævire. Ideo fuit illa hiems ἄωρος, *præfestina*. Certa igitur est in in eo Rualdi assertio. Sed non ideo in culpa Plutarchus, sed magis Rualdus, qui eum male intellexit: nam de alia proculdubio pugna loquitur Plutarchus, non de ea, quæ Eurybiade duce & Themistocle adjutore contra Xerxis ad littus sedentis classem inter Salaminem insulam & Attica littora commissa est: sed de altera, quæ supra Salaminiam Cypri insulæ regionem Cimone Atheniensium duce facta est, qua Phœnicum, Cypriorum & Cilicum classis deleta est. Nam cum hac ultima optime quadrant, quæ Plutarchus hoc loco dicit, & plenilunium, de quo hic loquitur, cum sextodecimo Munychionis die omnino convenit. Nam menses, quibus utebatur populus Atheniensis, cum nova luna incipiebant, & ideo plenilunium fiebat initio diei sextidecimi. De hac igitur secunda ad Salaminem Cypriam pugna agit hoc loco Plutarchus proculdubio, quam continuo sequuta est pugna terrestris contra Persas ad Eurymedontem fluvium nocte, ubi castra Persarum aggressi Athenienses in tenebris pugnantes, cœlo nubilo, tumultu & confusione castra Persarum turbaverunt: postea vero [1] νικῶσιν Ἕλλησιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος, & eos adjuvit, ut Persas jam fugientes persequerentur, & magis cæderent. Quod autem hæc secunda pugna bene dicebatur Salaminia, eo quod commissa fuit ad Salaminiæ Cypriæ littora, testis Thucydides lib. 1, ait enim: [2] πλεύσαντες ὑπὲρ Σαλαμῖνος τῆς ἐν Κύπρῳ Φοίνιξι καὶ Κυπρίοις καὶ Κίλιξιν ἐναυμάχησαν καὶ ἐπεζομάχησαν ἅμα, non quod pedestri acie decertaverint eodem loco, sed quod statim ac victores fuerunt circa Salaminiæ littora continuata navigatione sine ulla intermissione ad Eurymedontem eadem die pervenerunt, & Persarum castra expugnaverunt. Sic de eo negotio Aristides in Panathenaïco conjungens hæc duo facinora loquitur: [3] αἱ

περὶ

[1] *Vincentibus Græcis illuxit Dea in plenilunio.*

[2] *Navigantes supra Salaminam, quæ est in Cypro, contra Phœnicas, Cyprios & Cilices pugna navali & pedestri etiam certaverunt.*

[3] *Quæ circa Cyprum & Pamphyliam navium & peditum pugnæ.*

περὶ Κύπρον καὶ Παμφυλίαν ναυμαχίαι καὶ πεζομαχίαι. Sic igitur hoc loco Plutarchus duo illa egregia facinora ſub nomine pugnæ περὶ Σαλαμῖνα comprehendit, & à loco, ubi principium pugnæ factum eſt & victoriæ, totius diei & noctis expeditionem nominat, quod non advertentem Joſephum Scaligerum torſit hujus loci cum Herodoto collati difficultas, & Plutarchum pugnare cum ratione temporum putavit, lib. 5 de Emendatione temporum. Vide Diodorum lib. 11 ad annum tertium Olymp. 77. Cæterum quando de Cimonis ducatu & geſtis hoc loco egimus, notanda eſt inſignis Æmilii Probi vel Cornelii Nepotis hallucinatio vel μνημονικὸν σφάλμα, qui in ejus Imperatoris vita ſic ait: *Idem iterum apud Mycalem Cypriorum & Phœnicum ducentarum navium claſſem devictam cepit, eademque die pari fortuna in terra uſus eſt. Namque navibus hoſtium captis ſtatim ex claſſe copias ſuas eduxit, barbarorumque uno concurſu maximam vim proſtravit*, &c. Ex quibus verbis & iis, quæ præcedunt & ſequuntur, concluditur auctorem non aliam habuiſſe in animo pugnam, quam eam, qua Cimon claſſem Phœnicum, Cypriorum & Cilicum ad Cypri littora ſuperavit, & pedeſtres etiam regis copias ad Eurymedontem fluvium delevit: ſed male excidiſſe illi, ut Mycalem memoraret, ubi Leotychides Spartanus cum Athenienſium & Græcorum aliorum navibus claſſe regia in terram ſubducta potitus eſt, & deleto barbarorum exercitu naves eorum incendit. Certe vix inducor, ut credam ſic ſcripſiſſe Cornelium Nepotem, ſed mendoſam eam vocem *Mycalem* judico, pro qua voce niſi reponatur *Macariam*, non video quid reponendum ſit. Fuit autem Macaria urbs in littore Salaminiæ ditionis è regione Ciliciæ, de qua fateor neminem in ea pugna meminiſſe. Sed cum conſtet *Mycalem* in mendo cubare; nullam aliam urbem in toto illo littore video, cujus nomen magis ad Mycalem accedat. Ejus ſitus etiam non repugnat. Nam ex Diodoro conſtat claſſem regiam devictam fuiſſe ad Cypri littora, his verbis: Κίμων δὲ πυνθανόμενος τὸν στόλον τῶν Περσῶν διατρίβειν περὶ τὴν Κύπρον, πλεύσας ἐπὶ τοὺς βαρβάρους ἐναυμάχησε, id eſt, *Cimon autem cum reſciviſſet claſſem Perſarum circa Cyprum immorari, claſſe in barbaros invectus pugnavit.* & paulo poſt de barbaris: τῶν δὲ λοιπῶν νεῶν καταφυγουσῶν εἰς τὴν Κύπρον, οἱ μὲν ἐν αὐταῖς ἄνδρες εἰς τὴν γῆν ἀνεχώρησαν, αἱ δὲ ναῦς κεναὶ τῶν βοηθούντων οὖσαι τοῖς πολεμίοις ἐχειρώθησαν ὑποχείριοι, id eſt, *reliquis vero navibus Cyprum aufugientibus, viri quidem in terram effugerunt, naves vero vacuæ in poteſtatem hoſtium venerunt.* Narrat deinde quomodo Ci-

mon

mon tali victoria non contentus statim vela fecit ad Eurymedontem, ubi pedestres Persarum copiæ castra habebant, & quomodo stratagemate eos decepit, cum naves captas Græcis militibus tiaris & vestibus Persarum indutis replevit, & sic Persas ex improviso adortus ad internecionem usq; delevit: itaque cum pugna navalis ad littora Cypri insulæ facta fuerit, ubi nulla Mycale, Macaria vero urbs maritima fuerit in eo littore è regione Ciliciæ & Pamphyliæ, ubi fuit Eurymedon fluvius, non sine verisimilitudine putavi debere legi *Macariam*, licet de ea urbe à nullo auctore alio in ejus pugnæ narratione mentio facta fuerit Cypro & Salamina nominibus notioribus ad se trahentibus ejus pugnæ denominationem. Itaque id tantum propono, non assevero, de eo judices lector.

Lib. de Iside & Osiride. pag. 354.

Τέχναλις ὁ Βοκχόρεως πατήρ. | *Technatis qui Bocchorem filium habuit.*

Hunc Technatim Νεόχαβιν vocat Athenæus lib. 10.

Pag. 364.

Ἀρχικλαμένουσαν. | *Quæ princeps es.*

Vox nihili. Credo legendum ἀρχιπλάνην οὖσαν vel ἀρχίπλανον. Scilicet eam, quæ præest Thyadum & Βακχαίτων choro. Usus est ea voce Lucianus in Toxari.

Lib. de Oraculorum defectu. pag. 415.

Τὰ γὰρ πεντήκοντα καὶ τέσσαρα μεσούσης ὅρον ἀνθρωπίνης ζωῆς εἶναι, συγκείμενον ἐκ τε τῆς μονάδος, καὶ τῶν πρώτων δυοῖν ἐπιπέδων, καὶ δυοῖν τετραγόνων, καὶ δυοῖν κύβων οὓς καὶ Πλάτων ἔλαβεν ἐν τῇ ψυχογονίᾳ. | *Nam* LIV *statuunt esse numerum dimidiæ vitæ humanæ, compositum ex unitate, primis duobus planis, duobus quadratis, & duobus cubis: quos Plato etiam numeros ad animæ procreationem adhibuit.*

Hæc è Pythagoreorum schola acceperat Plato, & ex eo Plutarchus, quorum hæc est mens. Numerus 54 medietas scilicet numeri 108, qui longissimæ hominum vitæ terminus est, componitur ex unitate 1, & duobus planis primis 2 & 3, quos primos planos vocat, eo, quod sunt omnium planorum seu superficierum minimi & primi, 2 scilicet, cujus latera sunt 1 & 2, qui primus & minimus planus est,

&

& 3, cujus latera sunt 1 & 3, qui secundus est planus, & ex duobus primis quadratis, scilicet 4 & 9, & ex duobus primis cubis, scilicet 8 & 27 hoc modo.

1 Μόνας, unitas
2, 3 } duo primi plani
4, 9 } duo primi quadrati.
8, 27 } duo primi cubi

54

Pag. 416.


Ὁ δὲ τῶν ἐνακισχιλίων ἑπτακοσίων εἴκοσι τὴν γένεσιν ἔσχηκε, συντεθεὶς μὲν τῶν ἐκ τῆς μονάδος, τεσσάρων ἐφεξῆς, τετράκις γενομένων τεσσάρων· τεσσαράκοντα γὰρ ἑκατέρως γίνεται, ταῦτα γὰρ πεντάκις τριγωνισθέντα τὸν ἐγκείμενον ἀριθμὸν πάρεσχεν.

Numerus IX CIↃ IↃCCXX *procreatus est quatuor primis ab unitate numeris in unam summam collectis, eaque quater accepta: sic enim conficiuntur* XL, *qui numerus quinquies trianguli in morem assumtus* IX CIↃ IↃ CCXX *producit.*

Hæc etiam, quoniam videntur habere aliquid obscuritatis, in gratiam tironum explicabo. Ait igitur: *numerus 9720 producitur ex quatuor primis ab unitate numeris continue, simul sumptis, quater acceptis, quadraginta enim omni modo efficiunt, qui numerus quinquies per tres multiplicatus, positum numerum producit.* hæc sic intelliguntur. Quatuor primi numeri ab unitate sunt 1 2 3 4, qui simul sumpti faciunt 10, qui quater acceptus gignit 40: numerus vero 40 sic productus, quinquies multiplicatus per tres producit numerum positum 9720. Nam 40 per tres multiplicatus gignit 120, hic rursus per tres multiplicatus facit 360, tertio numerus 360 per tres multiplicatus gignit 1080, quarto numerus 1080 per tres multiplicatus facit numerum 3240, quinto numerus 3240 per tres multiplicatus producit numerum 9720 prius positum. Hæc est mens ejus loci. Sed in eo notandum est, primo, vocem τεσσάρων, quæ secundo loco ponitur, redun-

 dare,

dare, & delendam esse : nam male repetitur. Secundo, Plutarchum non loqui cum Mathematicorum filiis, & abusum esse voce τριγωνισθέντα pro τριπλασιασθέντα, nam sicut τετραγωνίζειν non dicitur pro τετραπλασιάζειν, quod est *per quatuor multiplicare*, sed significat quadrare numerum, & per seipsum multiplicare, ut fiat quadratus numerus : nam, exempli gratia, numerus 40 non est τετραγωνισμὸς τοῦ δέκα, sed τετραπλασιασμὸς, *quadratura numeri decem*, sed, *multiplicatio per quatuor*. nam τετραπλασιασμὸς τοῦ δέκα producit 40, sed τετραγωνισμὸς τοῦ δέκα producit 100. Sic τριγωνισμὸς non debet sumi pro τριπλασιασμὸς : nam τριγωνισμὸς ἀριθμοῦ, si ea voce uterentur Mathematici, deberet intelligi numerus triangulo comprehensus æquilatero, cujus latera forent numerus quidam, ut, verbi gratia, τριγωνισμὸς τοῦ δέκα foret 55, hoc modo:



Nam τριγωνισμὸς dicitur ἀπὸ τριγώνου, quod est geometricè non arithmeticè loqui : at τριπλασιασμὸς τοῦ δέκα est multiplicatio per tres numeri 10, quæ producit 30. Non debuit igitur Plutarchus voce τριγωνισθέντα uti pro multiplicata per tres, & debet hæc vox intelligi πα[illegible]τέρως, si tamen ita scripserat Plutarchus.

Lib. de ira cohibenda.

Ἓν ἐξελόμενος κανθάριον (ὡς Μάριον ἱστοροῦσι νήρυτον) οὐκ ἂν ἑτέρῳ πίνοιεν.	*Vnum deligentes cantharum, ut Marius, aut certæ formæ poculum, ex alio nolunt bibere.*

[1] Nerites autem concham habet levem, magnam & rotundam, figura autem similem buccinis.

Legerem libenter νηρείτην : est enim conchæ species, de qua Athenæus lib. 3, & Plin. lib. 9 cap. 33, necnon Aristoteles de part. animal. lib. 4, qui eam concham describit, sic : [1] ὁ δὲ νηρείτης τὸ μὲν ὄστρακον ἔχει λεῖον καὶ μέγα καὶ στρόγγυλον, τὴν δὲ μορφὴν παραπλησίαν τοῖς κήρυξι. Hæc descriptio satis convenit potatoriæ conchæ, quales & in Gallia vidi multas. De hac videtur etiam loqui Lycophron versu 238.

Κρηθμοῖ-

Κρηδεμνοῖσι καὶ ἱμασῖοισι νηρίτης φίλος.

Plinius vero videtur etiam deſcribere Concham, his verbis: *navigant ex his nerita, prabenteſque concavam ſibi partem, & alteram auræ opponentes per ſumma æquora veliſicant.* Talem ego vidi in amici cujuſdam κειμηλιοθήκῃ, levitate & candore conſpicuam, quæ majorem, quam pro totius magnitudine partem expanſam habebat, tenuitate tanta, ut fere tranſpareret. Putabam aliquando debere legi apud Plinium *Neïta*, quaſi ἀπὸ τῆς νηός, eo quod veliſicant, ut navis, ut diceretur Νηΐτης ἰχθύς, ut Νηΐτης ςρατός. Sed eam vocem apud Græcos in eo ſignificatu non inveni, & forte νηρίτης dictus à privativa ν & ἐρέτης, *remex*, quod ſine remigibus naviget.

Lib. de amore fraterno. pag. 478.

Τὰ παλαιὰ τῶν Διοσκούρων ἀφιδρύματα οἱ Σπαρτιᾶται Δόκανα καλοῦσι, ἔςι δὲ δύο ξύλα παράλληλα δυσὶ πλαγίοις ἐπιζευγμένα.	*Vetuſta Caſtorum ſimulacra Spartani Dokana, quaſi trabalia vocant. ſunt autem duo ligna æqualiter invicem diſtantia, duobus aliis tranſverſis juncta.*

Inde eſt, quod Aſtrologorum filii ſignum Geminorum tali charactere ſignant, quod à Laconibus acceperunt: talis enim eſt hujus ſigni nota ♊.

Pag. 480.

Ξέρξης αἰσθόμενος Ὦχον τὸν υἱὸν ἐπιβεβουλευκότα τοῖς ἀδελφοῖς ἀθυμήσας ἀπέθανε.	*Xerxes Ochum filium inſidias fratribus ſtruxiſſe cum comperiſſet, mœrore eſt extinctus.*

Prima pars nominis evanuit. Legendum enim eſt Ἀρτοξέρξης, aut ſi ſcripſit Plutarchus, ut editum eſt, memoria lapſus id ſcripſit: nam de Xerxe notum eſt eum dolo cæſum ab Artabano & Eunucho, ex Ariſtotele politic. 5 cap. 10, ex Diodoro lib. 11, ex Euſebio, & aliis.

Lib. de vitioſo pudore. pag. 530.

Οἱ δὲ δειπνήσαντες αὐτὸν ἐςραγγάλισαν.	*Eſtque ab aſſidentibus ſtrangulatus.*

Aliter ejus principis cædes narratur à Pauſania: ait enim veneno ei dato in ea cœna periiſſe; hunc vide in Bœoticis, & conſentit Lycophron

phron in Alexandra versu 796, & sequentibus, ubi locum etiam indicat, nempe in Trampya Epiri urbe, ubi mortuus est ille Hercules Alexandri & Barsines filius.

Lib. de iis, qui sero à numine puniuntur. pag. 548.

Ὃς προδοὺς τὴν ἐπὶ Κύπρῳ μάχην.	*Qui prodita in Cypro pugna.*

Mendosa manifeste lectio, quam miror sequutum esse Xylandrum talem virum. Lege, τὴν ἐπὶ τάφρῳ μάχην. ea pugna in toto Messenico bello celebris fuit, de qua vide Pausaniam in Messeniacis.

Lib. de Socratis Genio. pag. 583.

Πῦρ οἱ Κυκλώνιοι παρένησαν.	*Ignem Cyclonii circumposuerunt.*

Lege Κυλώνιοι, ut infra lib. de Stoïcorum repugnantiis, & ab aliis vocantur eo nomine.

Pag. 667.

Τῆς Εὐβοίας ὁ Γάληψος.	*Galepsus Eubœæ.*

Rescribe Αἴδηψος: nam ea, quæ sequuntur, id docent. Celebris enim fuit Ædepsus in Eubœa lavacris calidis, ut ipse Plutarchus supra asserit lib. de fraterno amore pag. 487. Vide, quæ notavi supra ad eundem auctorem in Sulla pag. 468.

Lib. Symposiacorum. pag. 706.

Τὸν Μενέλαον Ὅμηρος πεποίηκε αὐτόματον.	*Menelaum Homerus fecit invocatum.*

Hæc & quæ sequuntur usque ad finem paginæ, non pertinent ad superius problema de depravata musica, cui male assuta sunt, & est ἀπόσπασμα, & initium sequentis problematis de umbris conviviorum. Ergo luxata hæc in proprium locum repone, & fiat principium sequentis cap. Τὸν Μενέλαον, quæ verba male quidam ad finem sequentis problematis contulerant, ut ex Xylandri versione patet: non enim ibi congruunt.

Lib. Eroticorum 1. pag. 772.

Καὶ οὕτως οἱ μὲν Φλιάσιοι πρὸ τῆς ἐπιθέσεως εἰς τὴν Κόρινθον ἐσώθησαν.	*Sic Phliasii isti ante tempus opprimendis istis constitutum Corinthum evaserunt.*

Hæc supradictis non conveniunt. Nam Corinthii erant, non Phliasii, qui in Corinthum se receperunt. Forte legendum οἱ μὲν

διὰ

διὰ Φλιασίας. Nam illac etiam ſe poterant recipere, & forte rectam & breviorem viam per Nemeam vel Cleonas ultro non ſunt ſequuti, eo quod alia ſecurior erat.

Pag. 774.

Ὅτε Ἀμφικτύων ὑπὸ Σθενέλου φυγάς.	*Amphictyon à Sthenelo extorris factus.*

Sic legit etiam Xylander: at ego confidenter repono Ἀμφιτρύων. Amphictyon Deucalionis filius nihil habuit negotii cum Sthenelo, quem duobus ſeculis præceſſit. At Amphitryo ab eo ſugatus, Thebas conceſſit, ut Apollodorus lib. 2, & multi alii: nihil notius eſt.

Lib. ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι. pag. 776.

Τὸ Ἐρύγγιον τὸ βοτάνιον λέγουσι μιᾶς αἰγὸς εἰς τὸ στόμα λαβούσης αὐτήν τε πρῶτον ἐκείνην, καὶ τὸ λοιπὸν αἰπόλιον ἵστασθαι.	*Eryngium herbam ajunt, ſi una capella in os ſumat, ipſam primum, mox totam gregem ſubſiſtere.*

Hic Plutarchi locus & error mirum eſt quantum impoſuerit iis, qui poſt eum vixerunt, adeo ut uſque ad hoc ſeculum hujus erroris labes manaverit. Nam & non contemnendi viri ejus herbæ id miraculum non dubitaverunt aſſerere: at nihil eſt vanius. Nam ex male intellecto Ariſtotele, ea fabula originem cepit, ſive Plutarchus eam primus poſteris tradiderit, ſive alius quis ante eum. Scripſit Ariſtoteles lib. 9 de hiſtoria animalium cap. 3, poſtquam de ovibus, & earum ſtoliditate dixit, eas non procedere hieme ingruente, niſi paſtores vi cogant arietes procedere, poſtea de capris etiam ait: τῶν δὲ αἰγῶν ὅταν τις μιᾶς λάβηται τὸ ἄκρον τοῦ ἠρύγγου, ἐστὶ δὲ οἷον θρὶξ, αἱ ἄλλαι ἑστᾶσιν ὥσπερ μεμωρωμέναι, id eſt, *Caprarum vero, ſi aliquis unam prehenderit per eryngum (eſt autem tamquam capillus) cetera ſiſtuntur tamquam ſtupefacta.* Uſus eſt forte Plutarchus codice, ubi per errorem ſcriptum erat: ὅταν μία λάβηται τὸ ἄκρον τοῦ ἠρυγγίου, & ſic putavit Ariſtotelem dixiſſe, *quando una earum acceperit ſummitatem eryngii*, & ſic deceptus eſt homonymia vocis ἠρύγγου & ἠρυγγίου, quæ & capræ barbam & quandam cardui ſpeciem ſignificat. Hæc ſcripſeram falſo exultans gaudio, putans me id primum notaſſe: verum poſtea vidi Henricum Steph. eum errorem notaſſe & in Plutarcho, & in Nicandri Scholiaſte.

Pag. 807.

Καὶ πρός τινα δυνάστην ἐπιστόλιον αὐτοῦ τοιοῦτο φέρεται.	*Et fertur ejus ad quendam potentem tale epistolium.*

Fuit ille Idrieus Cariæ Dynaſtes, ut ex Plutarchi Ageſilao patet ſupra pag. 603.

Lib. de 10 Rhetoribus in Antiphonte. pag. 833.

Ἡνίκα ἐτειχίζετο ἡ Ἐετιώνια.	*Quo tempore Eetionea fuit munita.*

Lege conjunctis Ἠετιώνεια. Sic enim ſemper Thucydides pluribus locis.

Ibidem.

Ἐπαινεῖται δὲ αὐτοῦ μάλιστα ὁ περὶ Ἡροδότου.	*Maxime laudantur orationes ejus de Herodoto.*

Valde fallor, ni legendum ſit, περὶ Ἡρώδου, extat enim ejus oratio περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου, omnium quæ extant, maxime elaborata.

In Andocide. pag. 835.

Ἄντικρυς τοῦ Πορίνου Σελλίνου.	*E regione Porini Selini.*

Quis fuit Sellinus ille, qui meruit ſtatuam habere Athenis, de quo omnes alii ſiluerunt: num Deus aut homo illuſtris? nullus credo; eſt enim mendoſa lectio, & cenſeo reponendum eſſe Σόλωνος, & de eo judica lector. Πορίνου vero debet intelligi de materia ejus ſtatuæ ex Porino lapide ſcilicet, de quo Herodotus lib. 5 ſect. 62, Plinius lib. 36 cap. 17, Pauſan. pag. 196.

In Lyſia. pag. eadem.

Ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος τοῦ μετὰ Φρασικλῆ κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος.	*Philocle Archonte, qui Phraſicli ſucceſſit: anno ſecundo Olympiadis* XXCII.

Hæc peccant corrupta & in nomine unius Archontis & in numero Olympiadis, & miror id non advertiſſe Xylandrum, qui errorem ſequutus eſt. Lege, τοῦ μετὰ Φρασικλείδου κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς Ὀλυμπιάδος. Et quod ad nomen Archontis cum Plutarcho conſentit Dionyſius Halicarnaſſeus. At omnes alii auctores, quos vidi, & Olympiadum anagraphe habent Φρασικλείδης: at in numero Olympiadis eſt manifeſte falſus & ex Diodoro & ex Dionyſio Halicarnaſſeo initio lib. 10, & ex Olympiadum recenſione exſcriptor

eo,

eo, quod præcedebat τὸ δεύτερον ἔτος, male repetiit τῆς δευτέρας, quod redundat.

Ibidem.

Ἕως Κλεάρχου τοῦ Ἀθήνησιν Ἄρχοντος ἔτη ἑξήκοντα τρία, τῷ δὲ ἑξῆς Καλλίᾳ ἐνενηκοστῇ δευτέρᾳ.

Usque ad id tempus quo LXIII *annos implevit Archonte Athenis Clearcho. Proximo anno Callia Archonte Olympiade* XCII.

Scribe ἕως Κλεοκρίτου τοῦ Ἀθήνησιν Ἄρχοντος ἔτη ὥστε τριάκοντα. Est enim numerus annorum triginta à fine Praxitelis usque ad initium Cleocriti; quod autem debeat scribi Κλεοκρίτου, ipse paucis lineis inferius testis est Plutarchus cum Diodoro, Eusebio, & aliis.

Ibidem.

Θρασυλλαίου τοῦ Ἠλείου. | *Thrasyleo Eleo.*

Xenophon eum pluries Θρασυδαῖον vocat lib. 3 Hellenicorum.

In Isocrate. pag. 836.

Λυσιμάχου Μυῤῥινουσίου δύο καὶ εἴκοσιν ἔτεσι, πρεσβύτερος δὲ Πλάτωνος ἑπτά.

Archonte Lysimacho Myrrhinusio Lysia posterior fuit annis XXII, *Platone prior annis* VII.

Hæc inutila sunt & pendet sententia: alia exemplaria melius: [1] Λυσιμάχου Μυῤῥινουσίου Ἄρχοντος Ἀθήνησι, δυσὶ μὲν καὶ εἴκοσι Λυσίου νεώτερος, πρεσβύτερος δὲ Πλάτωνος, &c.

[1] *Myrrhinusio Lysimacho Archonte Athenis annis 22 junior Lysia, antiquior vero Platone.*

Lib. de Herodoti malignitate. pag. 864.

Χώραν καὶ τόπον ποιῶν ἐν ᾧ θήσεται τὴν Ἀμεινοκλέους παιδοφονίαν.

Ut locum faceret in quo Ameinoclis cædem in prolem collocaret.

De hoc loco supra ad Herodotum satis egimus, & ab hac accusatione Herodotum liberavimus: eum locum vide supra in notis ad paginam 447 Herodoti.

Lib. de placitis Philosoph. pag. 877.

Διὸ καὶ ἐφθέγγοντο οἱ Πυθαγορικοὶ, ὡς μεγίστου ὅρκου ὄντος τῆς τετράδος.

Itaque sanctissimum jusjurandum Pythagorai quaternario sunt complexi.

Οὐ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν	*Per tibi nostra animæ præbentem tetrada juro,*
Παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.	*Naturæ fontemque & firmamenta perennis.*

Plura ad hunc locum occurrunt consideranda. Primum, quod videtur solœcizare Plutarchi oratio, dum ait, ὅρκου ὄντος τῆς τετράδος, cum videatur debere dici ὅρκου οὔσης τῆς τετράδος. Forte scripserat Plutarchus ὄντως adverbialiter, quod degeneravit in ὄντος. Sed multo major difficultas inest in sensu, ecce enim versus, quos citat, non videntur probare suam θέσιν, nimirum quaternionem fuisse magnum juramentum Pythagoricis usurpari solitum. Nam nec articulus τὸν, nec participium παραδόντα possunt referri ad τετρακτὺν vocem fœminini generis, ut ἰδηπύς. Ideo Macrobius lib. 1 de somnio Scipionis eos versus sic interpretatur: *Iuro tibi per eum, qui dat animæ nostræ quaternionem.* At profecto, qui jurat per eum, qui dat aliquid, non jurat per datum munus, & tamen licet eos versus sic Latine expresserit Macrobius, eandem ex iis inductionem facit, quam Plutarchus his verbis: *Sed quaternarium quidem Pythagorai, quem τετρακτὺν vocant, adeo quasi ad perfectionem animæ pertinentem, inter arcana venerantur, ut ex eo & jurisjurandi religionem sibi fecerint.* Et in eo excusari non potest Macrobius, qui meliora vidit, & deteriora sequutus est. Igitur, si Plutarchum à culpa liberare volumus, referri debet μὰ ad τετρακτὺν, & aliter aberraret à scopo suo Plutarchus, & per τὸν παραδόντα subintelligendam esse vocem θεὸν, quasi dixisset: [a] μὰ τετρακτὺν θεὸν τὸν παραδόντα ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παγὰν &c. ut sic fiat numeri quaternarii velut ἀποθέωσις. Sunt, qui velint per τὸν παραδόντα intelligendum esse ipsum Pythagoram. Sed non fuerunt adeo stolidi, ut puto, Pythagorici, ut crederent, Pythagoram dedisse eorum animæ fontem naturæ immortalis vel semper fluentis: id enim non est hominis opus, sed Dei creatoris, quod tamen sequi videretur ex iis versibus secundum eorum sensum, qui versus licet Pythagoræ tribuantur, non sunt tamen ipsius, sed cujusdam Pythagorici ex ejus successoribus, ut inter doctos constat. Posset tamen aliquis eorum, qui per τὸν debere intelligi Pythagoram contendunt, respondere in his versibus παραδόντα non debere intelligi, qui dat aut qui dedit, sed qui docet aut docuit; nam παράδοσις sæpe sumitur pro doctrina, vel ore tradita vel etiam in scriptis relicta. Sed in eo sensu non usus fuisset

[a] *Per quaternionem Deum, qui dat animæ nostræ fontem naturæ semper fluentis.*

fuisset auctor vocibus ἀμετέρᾳ ψυχᾷ, sed ἀμῶν simpliciter dixisset, vel ἀμετέρῳ νῷ: non enim apposite diceretur παραδοῦναι τῇ ψυχῇ, pro *docere*, sed potius τῷ νῷ, est enim νοῦς *mens*, ea pars animæ, quæ doceri potest. Tum nec Plutarchus nec Macrobius nec Lucianus ita intellexerunt: eorum verba citavimus præter Luciani, qui libro, cui titulus περὶ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πλαίσματος, de Pythagoricis sic ait: εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὴν τετρακτὺν τὸν μέγαλον ὅρκον αὐτῶν &c. ex quibus locis colligitur, constitisse apud antiquos jurisjurandi formulam apud Pythagoricos fuisse μὰ τετρακτὺν, & ideo sic intelligendi sunt ii versus, μὰ τετρακτὺν, τὸν παραδόντα ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παγὰν ἀεννάου φύσεως. *Per quaternionem, deum scilicet, qui dat animæ nostræ fontem animæ semper permanentis.* Cur autem eam dignitatem tribuerint quaternioni, non omnino liquet, neque in eo consentiunt antiqui, & Plutarchus quidem ex Pythagoræ mente rationem hanc reddit: καὶ ἡ ἡμετέρη ψυχὴ (φησὶν) ἐκ τετράδος σύγκειται, εἶναι γὰρ νοῦν, ἐπιστήμην, δόξαν, αἴσθησιν. Id est, *nostra anima (inquit) ex quaternario numero constat, scilicet, mente, scientia, opinione, sensu.* Sed alibi aliter sentire videtur: nam in lib. de Iside & Osiride τετρακτὺν dicit esse numerum 36: ἡ δὲ καλουμένη τετρακτὺς, τὰ ἓξ καὶ τριάκοντα μέγιστος ἦν ὅρκος, ὡς τεθρύλληται, id est, *quaternio autem scilicet numerus triginta sex maximum erat jusjurandum, ut fertur.* At Lucianus aliter de numero 10 intelligit: nam in libro, cui titulus βίων πρᾶσις, ita inducit Pythagoram in Dialogo dicentem ad mercatorem. Pythag. πῶς ἀριθμέεις? Mercator. ἕν, δύο, τρία, τέσσαρα. Pythag. ὁρᾷς, ἃ σὺ δοκέεις τέσσαρα, ταῦτα δέκα εἰσὶ, καὶ ἡμέτερον ὅρκιον, καὶ τρίγωνον ἐντελὲς τὰ τέσσαρα, id est, Pythag. *quomodo numeras?* Mercat. *unum, duo, tria, quatuor.* Pyth. *vide, quæ tibi videntur quatuor, sunt decem, & nostrum jusjurandum & triangulum perfectum quatuor.* In tanta sententiarum varietate, ut aliquid certi decerneretur, opus foret, ut ipse Pythagoras vel ex ejus schola Philolaus aliquis aut Lysis per metempsychosin reviviseeret, ut de eorum sententia certiores fieremus. Certe non mirum esse debet Pythagoricos in jurisjurandi religione numeros adhibuisse, quando eos Deorum appellatione vel invicem deos numerorum nominibus indigitabant, quod nos docet idem Plutarchus lib. de Iside & Osiride, ubi ait, Pythagoricos nominasse unitatem Apollinem, binarium Dianam, trinarium & septenarium Minervam, primum cubum, id est octo, Neptunum, numerum vero triginta sex, quem τετρακτὺν dicit, mundum. Nullibi invenio, cui Deo quaternarium tribuerint. Scio qui-

dem ab Ægyptiis (à quibus Laërtius & alii volunt Pythagoram ſua dogmata accepiſſe) quaternarium ſuo Mercurio tributum fuiſſe, ſed non ſatis conſtat, quibus è Diis Græcorum referenda ſint nomina Deorum Ægyptiorum, tum de eorum placitis hîc non agitur, ſed de Pythagoræ doctrina. Forte Jovi tributus fuit deorum ſummo ob numeri perfectionem, undequaque ſibi paris, & ideo per eum numerum potius quam per alios juraſſe, utpote qui deum omnibus aliis imperantem ſignificabat, cui noſtræ conjecturæ non adeo confido, quin ſi quis melius nos doceat, gratias agam.

Pag. 880.

Καθάπερ Διαγόρας ὁ Μιλήσιος. | *Vt Diagoras Melius.*

Repone ὁ Μήλιος, ex Ariſtophane & innumeris aliis.

Lib. de facie in orbe Lunæ. pag. 932.

Ἐκλείπει γὰρ οὗτος μὲν σελήνης, σελήνη δὲ γῆς ἐν μέσῳ τῶν τριῶν ἰσταμένης ὧν γίνεται τὸ μὲν ἐν συνόδῳ, τὸ δὲ ἐν διχοτομίᾳ.	*Hunc luna, eam terra in medio trium conſtituta deficere, illud in coitu luminarium, hoc in oppoſitione fieri.*

Plutarchus hoc loco, dum ſcribebat, aut aliud agebat, & hoc excidit illi incurioſe ſcribenti, vel διχοτομίαν accipit alio modo, quam accipiunt omnes alii ſcriptores & aſtrologi. Nam διχότομον σελήνην accipiunt, ut verbum ſonat, pro dimidiata: & μηνοειδῆ quidem corniculatam, διχότομον dimidiatam, ἀμφίκυρτον utrinque gibboſam, πανσέληνον plenam vocavere, & ſic Martianus Capella lib. 8 (ubi tamen pro διχότομος, διάτομος legitur) Ammianus Marcellinus lib. 20 ſatis fuſè ea verba interpretatur.

Lib. de primo frigido. Pag. 954.

Ὡς περὶ τὸ Ταίναρον, ὃ δὴ Στυγὸς ὕδωρ καλοῦσι.	*Qualis eſt apud Tænarum quam Stygis aquam appellant.*

Rurſus & hoc loco Plutarchum memoria fefellit, ſi ita ſcripſit. Longiſſime enim à Tænaro Laconiæ promontorio Stygis aqua in Arcadia ſtillat. Repone περὶ τὴν Νώνακριν, ut ipſe ſcripſit in Alexandro ſupra, ſed quoniam ad Tænarum dicuntur eſſe ᾅδου πύλαι, *inferni fauces*, ibi etiam Stygis aquam mente vagante dixit.

Lib. de Solertia animal. pag 968.

Οἱ μὲν οὖν μυθολόγοι τῷ Δευ-	*Sane qui fabulas narrant ii colum-*

καλίωνι φασὶ περιστερὰν ἐκ τῆς λάρνακος ἀφιεμένην δήλωμα γενέσθαι.	*columbam ajunt ex arca emissam Deucalioni certum indicium detulisse.*

Ex hoc loco discimus libros Mosis non omnino ignotos fuisse antiquis Græcis, qui Deucalioni suo & arcam λάρνακα, & columbam περιστερὰν tribuerunt.

Pag. 969.

Γανύκτορος τοῦ Ναυπακτίου παῖδας. | *Ganyctoris Naupactii filios.*

Ctimenum scil. & Antiphum, ut jam supra notavi ex Pausania.

Pag. 985.

Ἐξενεχθῆναι τῆς Σικυῶνος. | *In Cythnum esse delatum.*

Non est dubium vocem Σικυῶνος esse mendum, sed dubium est, utrum Σικυῶνος vel Σίφνου reponendum sit.

Lib. de Platonicis quæst. pag. 1003.

Πᾶς γὰρ τρίγωνος ἀριθμὸς ὀκτάκις γενόμενος καὶ μονάδα προσλαβὼν γίνεται τετράγωνος.	*Nam omnis triangulus numerus si octies sumptus unitatem adsciscat, quadratum exhibet.*


Supra notavi Plutarchum usum fuisse participio τριγωνισθέντα pro τριπλασιασθέντα. At hoc loco τρίγωνος ἀριθμὸς dicitur, qui in triangulum æquilaterum potest componi. Exempli gratia, 1 numerus (si tamen unitas numerus dici potest) octies acceptus facit octo, & unitate addita fit novem numerus quadratus, & unitas est tam trigona, quam quadrata, & cubica. At numerus 3, qui proprie est primus numerus triangularis ∴, octies acceptus gignit 24, cui addita unitate fit 25 numerus quadratus. Sic numerus sex, secundus numerus trigonalis ∴̇, octies acceptus, producit 48, cui addita unitate fit 49 numerus quadratus: sic decem ∴∴ parit 81, sic 15 ∴∴∴ parit 121, & sic deinceps, & hic locus multum lucis accipiet ex nota sequenti.

Lib. de animæ procreatione. pag. 1018.

Ὁ δὲ λς´ πρῶτος ἐστὶ τετράγωνος ἅμα καὶ τρίγωνος, τετράγωνον μὲν ἀπὸ τῆς ἑξά-	XXXVI *primus est, qui simul & quadratus sit & triangulus: quadratus senarii*

δος, τρίγωνος δὲ ἀπὸ τῆς ὀγδοάδος. | *rii triangulus ab octonario.*

Nunc ex hoc loco manifesto deprehenditur, quid Platonici, quos sequitur Plutarchus, intellexerint per τρίγωνον ἀριθμὸν: quando enim dicit numerum 36 simul esse quadratum & triangulum vel triangularem: & quadratum quidem à numero 6, triangularem vero à numero octo, necesse est, eum intellexisse triangulum æquilaterum, cujus latera sunt octo, continere 36 arithmetice, ut quadratum, cujus latus est sex, eundem numerum continet, hoc modo:



Sit quadratum a b c d, cujus latus a b sit 6, ut & cætera latera, fiet quadratum 36 puncta nempe seu unitates arithmetice, non geometrice, nam geometrice quadratum illud haberet tantum in unoquoque latere quinque spatia vel pedes, & si spatia sint pedes, area quadrati erit tantum pedum 25, & triangulus, cujus latus erit pedum octo, continebit triangula æquilatera 49. Sed aliter, ut vides, intelligit Plutarchus hoc loco, & arithmetice numerat per puncta seu unitates. Rursus sit triangulus e f g, cujus latus e f sit 8, ut & cætera latera, erunt in triangulo puncta seu unitates 36, & sic, quod ait hoc loco Plutarchus, numerus ille productus triginta sex est quadratus & triangularis. Sed in eo non concordat secum Plutarchus, qui aliter intellexit vocem τριγωνισθέντος supra, ut notavi ad lib. de oraculorum defectu pag. 416. Nam si eo loco τριγωνισθέντος acciperetur, ut hoc loco, numerus 40 ibi positus quinquies τριγωνισθεὶς, id est, in trianguli æquilateri latus positus, produceret tantum numerum 4100, non vero 9720, ut opus erat: nam unumquodque triangulum æquilaterum, cujus latus foret 40, haberet puncta seu unitates 820, qui numerus quinquies acceptus, ut volebat eo loco Plutarchus, produceret 4100, ut dixi. Cæterum notandum est ex hoc loco aliter Pythagoricos, & qui eos sequuti sunt, Platonicos, aliter vero

vero Euclidem, & qui eum sectantur geometræ; qui de triangulari numero ὧδε χρή.

Lib. non posse suaviter vivi secundum Epicurum. pag. 1099.

Ἢ κτείνας Ἀρχίαν ἐλευθερῶσαι τὰς Ἀθήνας.	*Quam occiso Archia liberare Athenas.*

Et rursus hoc loco memoria lapsus Plutarchus, vel potius calamo properante Ἀθήνας posuit, cum Θήβας in animo haberet. Nam de Pelopida intelligit, qui Archia occiso Thebas liberavit. Reponendum igitur Θήβας.

Lib. de fluviis in Hebro. Editionis Tolosanæ anno 1615. pag. 11.

Ὄρος ᾗ αὐτῷ παράκειται Παγγαῖον.	*Porro mons illi adhæret Pangæus.*

Si Plutarchi est hic liber, quod non puto, certe hoc loco ἀγεωγράφητος foret eximie. Nam Pangæus mons non est ad Hebrum, sed ad mare, & videtur Rhodopen Pangæum nominare.

In Mæandro. pag. 34.

Παράκειται ᾗ αὐτῷ ὄρος Σίπυλον.	*Nec procul distat mons Sipylus.*

Nugatur iste fluviorum enarrator: longissime à Mæandro est Sipylus, Caystro fluvio & Caystri campo intercedente.



Jacobi Palmerii

A Grentemesnil, Militis Cadomensis,

EXERCITATIONES AD ARRIANVM. DE EXPEDITIONE ALEXANDRI.

Editionis Henrici Stephani anno 1575.

Pag. 2.

Διαβὰς δὲ τὸν Νέον ποταμόν. | *Trajecto autem Neo flumine.*



Nullus ibi fluvius Νέος. Lege meo periculo Νέστον, qui transeundus fuit Alexandro.

Ibidem.

Κατειληφότες τὴν ἄκραν τοῦ Αἵμου, τὸ στόλον παρ' οὗ ἦν τῷ στρατεύματι ἡ πάροδος. | *Vt quum ipsi verticem montis occupassent, exercitum inde arcerent, qua aditus militibus patebat.*

Non erit mihi multum laborandum, ut tibi persuadeam στόλον debere deleri & reponendum esse στενὸν, id est, angustias, plano sensu.

Pag. 4.

Pag. 4.

Διέβαλον δὲ τῆς νυκτός.	*Trajecerunt autem noctu.*

Nullus est hic locus διαβολῇ. Lege confidenter διέβαινον.

Pag. 5.

Καὶ παρὰ Κελτῶν τῶν ἐπὶ τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ ᾠκισμένων.	*Et à Celtis, qui Ionium sinum incolunt.*

Boii & Senones ad Adriaticum habitabant, qui sæpe Ἰόνιος κόλπος dictus est. Sed ii nimis longè à Triballis, & illis nihil erat cum Alexandro negotii, sed ex eorum numero fuere, qui teste Trogo & Strabone Illyricum & Pannonias insederunt. Sic enim Trogus apud Justinum lib. 24: *Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad novas sedes quærendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quæ & urbem Romam captam incendit, & portio Illyricos sinus ducibus avibus (nam augurandi studio Galli præter cæteros callent) per strages Barbarorum penetravit, & in Pannonia consedit.* Sic vero Strabo lib. 7. [1] μέρος δέ τι τῆς χώρας ταύτης ἠρήμωσαν οἱ Δακοὶ καταπολεμήσαντες Βοίους καὶ Ταυρίσκους ἔθνη Κελτικά; & paulo post de Scordiscis: [2] τοὺς Σκορδίσκους καλουμένους Γαλάτας, καὶ γὰρ οὗτοι τοῖς Ἰλλυρικοῖς ἔθνεσι καὶ τοῖς Θρᾳκικοῖς ᾤκησαν ἀναμίξ. Et rursus paulo post de Alpibus, ubi earum partes & nomina recenset, ait: [3] αἳ διαμένουσι μέχρι τῶν Ἰαπόδων Κελτικοῦ τε ἅμα καὶ Ἰλλυρικοῦ ἔθνους. Ex his locis videre est Illyricum littus ad Ionium mare pertinens habitatum fuisse à Gallis, & ab iis consentaneum est credere, venisse eos legatos ad Alexandrum, de quibus hoc Arriani loco fit mentio.

Pag. 8.

Καὶ παρὰ τὰ τῆς Στυμφαίας καὶ Παρυαίας ἄκρα ἑβδομαῖος ἀφικνεῖται ἐς Πελλήνην τῆς Θετταλίας.	*Rupesque Stymphæas & Paryæas septimo die Pellam Thessaliæ urbem pervenit.*

Hæc corrupta sic restituo, καὶ παρὰ τὰ τῆς Τυμφαίας καὶ Παραυαίας ἄκρα ἑβδομαῖος ἀφικνεῖται εἰς Πελιναῖον τῆς Θετταλίας. Et quod ad primam vocem Στυμφαίας, quam in Τυμφαίας muto, fateor apud quosdam auctores aliquando inveniri Στυμφαίας, & varie hoc nomen scribi: nam & Στυμφαλία etiam vitiose scribitur apud Diodorum, quod supra emendavimus. Sed τὸ σ & hic & alibi sæpe repetitur ex finali præcedentis vocis, & apud plures & meliores auctores legitur Τυμφαία, & Τύμφη mons, qui regioni dedit nomen. Quod ad vo-

[1] Partem vero ejus regionis desolarunt Daci, qui Boios & Tauriscos gentes Celticas bello pepulerunt.

[2] Scordiscos vocatos Gallos, nam & ii cum Illyriis & Thracibus mixtim habitabant.

[3] Quæ durant usque ad Iapodas, gentem Celticam & Illyricam simul.

cem Παρυαίας attinet, nulla regio sic nominata est, sed Παραυία fuit in montibus Epiri non longe à Tymphæis, & sic (ut puto) dicebantur, eo, quod παρὰ τὸν Αὐαν ποταμὸν, *ad Auam fluvium*, qui & Αφας dicebatur, habitabant. Πελλίνη vero Thessaliæ nulla, sed à montibus Parauæorum descendenti Alexandro occurrebat Πελινναῖον.

Pag. 12.

Ἐξελαύνει ἀφ' Ἑλλεσπόντου. | *Ab Hellesponto solvit.*

Lege ἐφ' Ἑλλήσποντον, ut sensus requirit palam.

Ibidem.

Λίμνην τὴν Κερκινίτιν. | *Lacum Cercinitin.*

Legerem libenter Μυρκινίτιν. Fuit enim eo loci Μύρκινος urbs, à quo credo eam paludem nominatam fuisse.

Pag. 13.

Πρὸς τῷ προσακτίῳ ποταμῷ. | *Ad Prosactium flumen.*

Homerus & Strabo Πράκτιον vocant.

Ibidem.

Κατὰ δὲ τὴν πάροδον Πριάμου πόλιν. | *In transitu Priami oppidum.*

Lege Πρίαπον πόλιν, ut ex itineris serie colligitur, nam de Ilio supra jam locutus est, quæ sola dici poterat Priami urbs.

Pag. 14.

Ἔχων σὺν ἑταίρους σὺν ἱππέας. | *Cum equitatu sociorum.*

Interpretatur Vulcanius *cum equitatu sociorum*, ut & paucis lineis interpositis, ὑπασπιστὰς τῶν ἑταίρων vertit *scutatos sociorum*, & sic semper, ubi ea vox occurrit: at socii Græci dicuntur potius σύμμαχοι non ἑταῖροι. Tu ergo melius doctus verte, primo loco, *equites sodales* vel potius *equites è sodalium turma*, & secundo loco ὑπασπιστὰς τῶν ἑταίρων, verte, *armigeros* vel *scutigeros sodalium*. Fuit enim corpus quoddam militiæ in exercitu Alexandri ita vocitatum honoris causa, *sodales principis*.

Pag. 17.

Ἀλέξανδρον τὸν Ἀερόπου. | *Alexandrum Aëropum.*

Sic & supra pag. 8; sed ibi fuit causa dubitandi, num Alexander ob pernicitatem vocaretur ἀερόπους, quasi *pedes aërios habens*. Sed hic manifestum est debere legi τὸν Ἀερόπου *Aëropi filium*, de quo Plutarchus lib. de virtute Alexandri. Ergo sic credo debere legi supra pag. 8 & infra etiam pag. 24.

Ibidem.

Ibidem.

Ὃς ἔφυγεν ἐκ Μακεδονίας ὡς Ἀλεξάνδρον. | *Qui ex Macedonia ab Alexandro se subduxerat.*

Lege ἀπ' Ἀλεξάνδρου: sic enim requirit sententia.

Pag. 20.

Μεταξὺ τῆς τε ἄλλης νήσου. | *Inter aliam insulam.*

Lege confidenter Λάδης νήσου. Fuit enim Lada insula proxima Mileto. Pausanias in Atticis: [1] ἔστι δὲ Μιλησίοις πρὸ τῆς πόλεως Λάδη νῆσος. Strabo lib. 14: [2] πρόκειται δὲ ἡ Λάδη νῆσος πλησίον.

[1] *Milesii vero ante eorum urbem habent Ladam insulam.*
[2] *Lada autem insula ante jacet juxta.*

Pag. 25.

Πέμπει εἰς Παρμενίωνα Ἀμφότερον τὸν Ἀλεξάνδρου μὲν παῖδα, ἀδελφὸν δὲ Κρατέρου. | *Amphoterum Alexandri quidem filium, Crateri autem fratrem, ad Parmenionem mittit.*

Subit hoc loco mirari supinitatem Vulcanii, qui interpretatus est *Alexandri filium*; At debebat vertere *Alexandri puerum*: non erat enim Alexandri filius, qui fuit frater Crateri, sed puer ad aulæ ministeria, quales etiam habent hoc seculo reges & magnates, quos Græco vocabulo vocant *pages*. Hæc enim vox Francica manavit à vocativo casu παῖ, & eam credo attulerunt Franci Constantinopoli & Græcia pulsi.

Pag. 35.

Τῶν Καρδάκων καλουμένων. | *Cardacas.*

Strabo lib. 15 nos docet, qui fuerint isti Cardaces: locus est prolixior, eum vide: sufficiet nunc hæc ejus verba citare, quæ notant ejus appellationis causam [3] καλοῦνται δὲ οἱ Κάρδακες ἀπὸ κλοπείας τρεφόμενοι, κάρδα γὰρ τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικὸν λέγεται.

[3] *Vocantur autem illi Cardaces ex latrocinio viventes: nam Carda virile quid & bellicosum significat.*

Pag. 40.

Θυμώδης ὁ Μέντορος. | *Thymodes Mentoris filius.*

Lege, ut supra pag. 29, Θυμώνδας: nam Θυμώδης non sapit κύριον.

Pag. 49.

Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀνικήτου. | *Archonte Aniceto.*

Alii hunc Archontem Niceratum vocant.

Pag. 56.

Ἐν ἀριστερᾷ ἔχων τὰ Σογδιανῶν | *A sinistra habens Sogdianorum*

ὄρη, ἐν δεξιᾷ ἢ αὐτὸν τ Τίγρητα. | *montes, à dextra Tigrim.*

Hæc sunt κόσματα secundum Ptolemæum & alios geographos. Sogdiana longissime abest à Tigre fluvio, tota Media, Hyrcania, Bactriana, intercedentibus; ideo non est in dubio, quin cubet in mendo vox Σογδιανῶν, pro qua forte reponendum, Κορδυαίων vel Καρδυαίων vel Γορδυαίων: nam varie exprimitur nomen eorum populorum, qui eos montes habitant, per quos Tigris fluvius in plana Assyriæ provehitur.

Pag. 57.

Καὶ Ἀριάκης Καππαδόκων. | *Et Cappadocibus Ariaces.*

Legendum Ἀριαράθης, secundum Diodorum lib. 18, Plutarchum in Eumene, Appianum in Mithridatico, Justinum lib. 13, & Lucianum in Macrobiis: nullus autem Cappadociæ rex Ἀριάκης appellatus est.

Pag. 60.

Ἐπὶ ἢ ἡ Ἀμύντα ꙋ Φιλίππου. | *Ab hoc Amynta Philippi filii.*

Infra pag. 64 eundem Amyntam vocat Andromeni filium, & concordant alii auctores, nec ullibi mentio fit Amyntæ Philippi. Ergo repone Ἀμύντου ꙋ Ἀνδρομένου.

Ibidem.

Οἱ Βαλακροὶ ἀκοντισταί. | *Et Balacri jaculatores.*

Balacrorum gens nullibi fuit. Lego Βαλάκρου, ut paulo infra pag. 61: *οἱ σὺν Βαλάκρῳ ἀκοντισταί, qui sub Balacro erant jaculatores.*

Pag. 63.

Μηνὸς Πυανεψιῶνος. | *Mense Iulio.*

Interpretatur Vulcanius *mense Iulio*, immane quantum à vero aberrans. Nam Octobri & Novembri respondebat Pyanepsion, secundum Scaligerum & meliores Chronologos.

Pag. 67.

Ἀφικνεῖται ἐς Ῥάγας. | *Ragas pervenit.*

Ea proculdubio est Rages Tobiæ, de qua etiam Diodorus lib. 19.

Pag. 71.

Καὶ Καρχηδονίων Ἡρακλείδην. | *Atque Heraclidem Carthaginiensium.*

Lege Χαλκηδονίων. Millies is error occurrit apud auctores: id non vidit Vulcanius, qui *Carthaginenses* vertit. Sed ex solo nomine

Heraclidæ

Heraclidæ patet non fuisse Carthaginensem, tum ex antecedentibus patet de Græcis sermonem fieri, & Carthaginenses nihil negotii habebant cum Alexandro, eo tempore multum ab iis remoto.

Pag. 76.

Τῷ δὲ Ταναΐδι τούτῳ, ὃν Ὀρξάντην ἄλλῳ ὀνόματι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι λέγει Ἀριστόβουλος.	*Hujus fluminis Tanais (quod & alio nomine Orxantem à finitimis barbaris appellari Aristobulus dicit.)*

Fluvius ille Ὀρξάντης proculdubio is est, quem Ἰαξάρτην Ptolemæus vocat in tab. 7 Asiæ, quem adulatores Alexandri Tanaim volebant esse. Hunc mappæ recentiores Chesel vocant.

Pag. 79.

Ὅτι τοὺς ἐν Παρακάδοις καταλειφθέντας.	*Eos qui Taracadis in arce relicti erant.*

Lege ἐν Μαρακάνδοις, ut ex fine libri superioris pag. 76 patet, & infra pag. 80.

Pag. 81.

Τοῖς δὲ ἀμφὶ Ἀριστόμαχον.	*Sed Aristomachi equitatus.*

Repone Ἀνδρόμαχον. Nam & ex inferioribus id patet, ubi Ἀνδρόμαχος nominatur, & nullus Aristomachus in numero sociorum Alexandri apud auctores invenitur: de Andromacho vero sæpius apud eos fit mentio. Sed Curtius Menedemum hujus expeditionis ducem facit, nec de Andromacho ibi meminit.

Pag. 89.

Φαραμάνης ὁ Χωρασμηνίων βασιλεὺς — ἔφασκε δὲ ὁ Φαραμάνης ὅμορος οἰκεῖν τῷ τε Κόλχων γένει καὶ ταῖς γυναιξὶ ταῖς Ἀμαζόσι.	*Pharamanes Chorasmenorum rex, qui se finitimum Colchorum genti & mulieribus Amazonibus esse dicebat.*

Hæc fabulosa videntur, nec ullo modo quadrant regionum positioni. Chorasmii non longe à Ptolemæo ponuntur ab Oxo fluvio, & Oxianis vicini, & hoc quidem satis quadrat cum loco, ubi tunc erat Alexander: hibernabat enim Zariaspis, urbe ad Oxum sita. Ideo potuit facile & debuit illum convenire Pharæmanes. Quadrat etiam, quod ait Alexandrum Pharæmanem cum Artabazo Persa conciliasse, quem Bactrianis præfecerat. At illum Colchis & Amazonibus

zonibus ad Euxinum pontum habitantibus vicinum fuisse id certe absurdum est. Regio & urbs Choarasin adhuc tempore geographi Nubiensis vocabatur in eodem tractu, & ab eodem ponitur in octava parte Climatis tertii juxta flumen Gihon, quod ei est Oxus; hæc regio distat à Colchide & Ponto plus quam gradibus 30 secundum longitudinem ab Oriente ad Occidentem, hoc est, miliaribus fere 2000. Bella igitur ea narratio, non vera.

Pag. 105.

Καὶ ἄλλο Καΰστρου πεδίον Λύδιον ἀπὸ Λυδίου ποταμοῦ.	*Item Caystri campus Lydius à Lydio flumine.*

Hæc vitium sonant. Lege, Λυδίας ἀπὸ Καΰστρου ποταμοῦ.

Pag. 137.

Ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἀράβιον.	*Ad Arabium amnem.*

Salmasius emendat Ἄρβιν, eum vide in Pliniacis exercitationibus pag. 1177.

Pag. 138.

Ἥπερ ἦν μεγίστη τοῦ ἔθνους τῶν Ὠρειτῶν.	*Qui erat Oritarum gentis maximus.*

Credo debere scribi per ο μικρὸν. Nam Lucanus Poëta primam syllabam brevem fecit,

Tum furor extremos movit Romanus Oretas.

Et videntur appellati fuisse Ὀρεῖται ἀπὸ τῶν ὀρῶν, quasi montanos dicas. Nam & infra dicuntur Oritæ cum Gedrosiis angustias montium occupasse, & Ptolemæo in illo tractu ponuntur Ἀρβίτα ὄρη: tamen constanter apud nostrum auctorem scribitur id nomen per ω.

Pag. 161.

Καὶ τὸ Ἀρτέμιδος τῆς Κερκαίας τὸ ἕδος.	*Et Dianæ Cerceæ simulacrum.*

Sic opinor dicta ab urbecula, quæ Κέρκαι vocabatur, ad Euripum Euboïcum sita, non longe ab Aulide, de qua Suidas in Ἀκουσίλαος.

Ad librum de Indicis. pag. 181.

Πευκέστης Ἀλεξάνδρου Μιόζεος, καὶ Πείθων Κρατευᾶ, Ἀλκομένεος καὶ Λεοννάτος Ἀντιπάτρου, Αἰγαῖος καὶ Παντάυχος Νικολάου, Ἀλαρίτης.	*Peucestes Alexandri Miozis, Python Cratea, Alcomeneus & Pantauchus Nicolai, Alarites.*

Hæc

Hæc mendosa, & ab interpunctione laborantia sic rescribenda sunt: Πολυκέτης Ἀλεξάνδρου Μιεζαῖος, καὶ Πείθων Κρατεύα Ἀλαλκομενεὺς καὶ Λεοννάτος Ἀντιπάτρου Αἰγαῖος, καὶ Παντώρχης Νικολάου Ἀλωρίτης. Mieza, Alalcomenæ, Aloorus, urbes fuerunt Macedoniæ, unde domo fuerunt hi viri, de quibus hoc loco mentio fit. Cæterum nota tres vel quatuor Leonnatos in comitatu Alexandri, scilicet Λεοννάτος Ἀντέου σωματοφύλαξ, de quo supra lib. 6 pag. 143. Λεοννάτος Ὀνάσου, de quo supra lib. 3 pag. 55. Λεοννάτος Ἀντιπάτρου, de quo hic, & Λεοννάτος Εὔνου, de quo paulo supra hac eadem pagina.

Pag. 183.


Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀθήνησι Κηφισοδώρου.	*Archonte Athenis Cephisodoro.*

Pugnat Diodorus, qui Cephisodorum post Hegesiam ponit, quo Hegesia Archonte mortuus est Alexander, teste ipso Arriano supra pag. 167. Sed & Dionysius Halicarnasseus in iis Archontibus enumerandis omnino diversus est; Hegesiam enim non numerat. Idcirco magnæ tenebræ affunduntur huic loco, nec est unde lumen mutuari possim. Videant Chronologi, quid super his turbis decernendum sit.

Ibidem.

Οἱ Ἀράβιες καλεόμενοι.	*Arabii.*

Claudius Salmasius contendit legendum Ἄρβιες, ut & paulo infra Ἄρβιος pro Ἀράβιος. Eum vide in exercitationibus Plinianis ad C. Julium Solinum pag. 1177, & ubicunque infra eædem voces inveniuntur, idem monet.



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD DIONEM CASSIUM COCCEIANUM ROMANARUM HISTORIARUM,

Editionis Rob. Steph. Lutetiæ 1548. Leunclavii Hanoviæ 1606.

Lib. 36. Steph. pag. 8. Leuncl. 18.

Καὶ κατὰ τοῦ δεκασμοῦ περὶ τὰς ἀρχὰς ἁλισκομένων ἐνομοθέτη πρὸς αὐτῶν τῶν ὑπάτων.	*Lex præterea ab ipsis consulibus promulgata est de ambitu.*



Consulum illorum nomina non edit, sed intelligit proculdubio legem Calpurniam de ambitu, quam proposuit & tulit C. Calpurnius Piso, qui consul fuit cum M'Acilio Glabrione A. V. C. sexcentesimo octuagesimo septimo, vel circiter.

Steph. pag. 13. Leuncl. 26.

Τὴν Σωφανηνὴν μόνην ἀπένειμε.	*Sophenem solam attribuit.*

Sic

Sic forte Dio scripsit, nam paucis antea lineis, imo verbis dixerat, καὶ ἡ Σωφανηνὴ χώρα τοῖς Ἀρμενίοις πρόσορος, id est, *& Sophanene regio Armeniis contermina.* Sic etiam habet editio Henrici Stephani. At Xylander utrobique vertit *Sophene:* & quidem in eo consentit cum Geographis & Historicis aliis, qui Sophenem vocant. Strabo certe decies (credo) eam regionem constanter Sophenem nominat. Est igitur error vel auctoris vel exscriptoris.

Ad librum 37. Steph. p. 15. Leuncl. 28.

Primum emendandus est catalogus Consulum hujus libri, qui sic habet in primo consulum pare, & secundo,

Λ. Μάλλιος λ. υἱὸς καὶ Καῖσαρ ὕπ.

Ubi reponendum est,

Λ. Μάλλιος λ. υἱὸς Τορκουάτος, Λ. Ἰούλιος λ. υἱὸς Καῖσαρ.

Item in quinto Consulum pari, ubi male legitur

Μ. Πούπλιος. μ. υἱὸς ὕπ. Μ. Ουαλέριος. μ. υἱὸς Μεσσάλας νίπερς

legendum est:

Μ. Πούπιος μ. υἱὸς. Πίσων ὕπ. Μ. Βαλέριος μ. υἱὸς Μεσσάλας Νίγερ.

Sic legendum esse patet in primo Coss. pari, & secundo ex Salustio, Tranquillo & Pædiano: in quinto pari ex Cæsare, Plinio, fastis Siculis, Cassiodoro, Pædiano, & aliis. Ipse etiam Dio infra pag. 19 habet: τῷ τε ἐχομένῳ ἔτει τοῦ τε Φιγούλου καὶ τοῦ Καίσαρος τοῦ Λουκίου ἀρχόντων. Fuit autem ille L. Cæsar Lucii filius illius, qui bello Marsico Consul fuit cum P. Rutilio Lupo, & bis contra Samnites vario successu pugnavit: vide epitomen Livianam lib. 73.

Steph. pag. 21. Leuncl. 36.

Ἐν τῷ διακένῳ τούτῳ τὸ τεῖχος διασπᾶσαι.	*Eo libero spatio muri subruendi.*

In editione Henrici Stephani legitur, ἐν τῷ διακένῳ τούτῳ: optime. Nam διάκενον τὸ substantive sic à Thucydide usurpatum est in fine libri 4 pro interstitio temporis, nec opus est adjicere ex Xiphilino καιρῷ, qui sic habet, ἐν τῷ διακένῳ τούτῳ καιρῷ; nam Thucydidis locutio elegantior.

Steph. ibid. Leuncl. 37.

Ὥστε καὶ ἐς παῤῥησίαν τῆς νομίσεως ἐκνικῆσαι.	*Vt legum quoque auctoritatem vicerit.*

 Hanc

Hanc vocem *νομίσεως* in eo significatu raro occurrentem habet ex Thucydide: is enim lib. 5, ubi Melienses respondentes Niciæ & Atheniensibus inducit, sic loquitur: *οὐδὲν γὰρ ἔξω τῆς ἀνθρωπείας τῶν μὲν ἐς τὸ θεῖον νομίσεως, τῶν δ' ἐς σφᾶς αὐτοὺς βουλήσεως δικαιοῦμεν ἢ πράσσομεν*, id est, ut vertit Valla, *ut qui nihil ducamus justum, agamusve, præter hominum opinionem aut de Diis aut de ipsorum hominum erga se deliberatione.* Νόμισις igitur hoc loco ut apud Thucydidem, nihil aliud est, quam θρησκεία, vel περὶ τῶν θεῶν δόγμα, cultus, religio, de Diis opinio.

Steph. pag. 26. Leuncl. 45.

Παρασκευαζομένου γὰρ τοῦ Λεντούλου καταπρῆσαι τέ τινας, καὶ σφαγὰς ἐργάσασθαι.	*Iam enim Lentulus se ad urbem quibusdam locis incendendam paraverat, adque cædes patrandas.*

Sic habet etiam editio Henrici Stephani. At non dubito, quin scripserit Dio: *καταπρήσεις τε τινὰς καὶ σφαγάς*, id est, *incendia, & cædes quasdam*, multo meliore sensu.

Steph. pag. 27. Leuncl. 47.

Ἀλλ' ὧν ἐπεχείρει πρωτεῦσαι, τούτους ὡς καὶ κρείττων ὑπέρχετο.	*Igitur inter quos primus fieri moliebatur, his sese ultro insinuabat.*

Sic etiam Henricus Steph. Nihilominus lego, *τούτους ὡς καὶ κρείττους*, optimo sensu, & sic verto: *sed quos anteire conabatur, iis tamquam melioribus se submittebat.* Nec abscedit ab eo sensu Xylander, qui sic vertit: *inter quos primus fieri moliebatur, his sese ultro insinuabat.* Omisit versionem vocis *κρείττων*, eo quod (ut puto) judicabat eam vocem male convenire sententiæ & præcedentibus,

Ad librum 38.

Catalogus consulum in capite libri mancus est, & nomen unius ex consulibus deest, nempe M. Calpurnii Bibuli. Causæ erroris duæ possunt reddi, vel quod Bibulus in suo consulatu nihil omnino fecit, & domi mansit à Cæsare per vim in ordinem redactus, unde epigramma vulgatum,

Non Bibulo quidquam nuper sed Cæsare factum est,
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Vel (quod magis credo) eo quod anno sequenti L. Calpurnius Piso factus est consul: ex duobus illis Calpurniis alter sublatus est, tamquam si male repetitum fuisset bis id nomen. In editione Henrici Stephani

phani non deest, sive is ex veritate rei id suppleverit, sive integriore manuscripto usus fuerit. Sic igitur restituendus est ille catalogus,

Γ. Ἰουλι@. Γ. ὑὸς Καίσαρ, M. Καλπούρνι@ . . ὑὸς Βίβουλ@.
Α. Καλπούρνι@ Α. ὑὸς Πίσων, Αυλ. Γαβίνι@ Αυλ. ὑὸς. ὕπατ@.

Steph. pag. 26. Leuncl. 60.

οὐχ' ὅτι οὐκ ἠπίστατο. | *Non quod ignoraret.*

Lego ἠπίστατο.

Steph. pag. 48. Leuncl. 79.

Διὰ τ Διδύων. | *Per Heduos.*

Lege Αἰδύων, ut habet editio Henrici Stephani, & duabus lineis inferius pro αἰδύσιοι lege αἴδυοι.

Ad librum 39. Steph. pag. 58. Leuncl. 93.

Καὶ κοινῷ πλὴν Ῥημῶν λόγῳ.	*Et unanimi consensu solis exceptis Rhemis.*

Lege Ῥημῶν, & hîc & infra pluries, ubi hæc vox occurrit, & sic legit Henricus Steph.

Steph. pag. 69. Leuncl. 109.

Διά τε τ Λίγερ ποταμοῦ. | *Per Ligerim fluvium.*

Parva mutatione lege Λίγερ: nam puto sic Dionem scripsisse; licet id mendum repræsentet editio Henrici Stephani, sed vidit mendum Xylander, & *Ligerim fluvium*, interpretatus est: melius Strabo, qui semper eum fluvium Λίγηρα vocat.

Pag. eadem.

Ὥστε ἐν παντὶ τὸν Καίσαρα γενέσθαι.	*Itaque Cæsar summam difficultatem pertulit.*

Sic habet editio Henrici Stephani, sed videtur Xylander aliter legisse, qui sic vertit, *Itaque Cæsar summam difficultatem pertulit.* Forte legendum ἐν ἀπορίᾳ, nec dubito, quin in eo sensu scripserit, de voce non tam constat.

Steph. ibidem. Leuncl. 110.

Ἀπὸ τ σκόπων. | *Remis.*

Lege cum Xylandro & Henrico Steph. κώπων.

Steph. pag. 71. Leuncl. 113.

Τόν τε Ῥῆνον διέβησαν καὶ ἐς τὴν τ Τρηούρων ἐνέβαλον.	*Rhenum transgressi in Trevirorum fines pervenerunt.*

Sic aliæ editiones, ſed legendum, τῶ Τρεκήρων, bene Xylander interpretatus eſt, *in Trevirorum fines*.

Ad librum 40. Steph. pag. 77. Leuncl. 121.

Libri quadrageſimi catalogus Conſulum eſt corruptiſſimus, qui ſic habet:

Γν. Δομίπος, Μ. ὐὸς Καλβῖνος, Μ. Ουαλέριος Γν ὐὸς Μάγνος τὸ γ. ὕπατος.
Κ. υ. Καικίλιος Μέτελλος σκιπίων νασικῦ υ. σέρπος Συλπίκιος.
Κ. υ. ῥῦφος ὑπ. μ. Κλαύδιος μ. υ. Μάρκελλος Αἰμιλίυ μ. υ. Παῦλος απ.

Emendatus in editione Henrici Stephani, ſed non uſque quaque perfectus: pauca quæ deſunt addam, & ſic diſponenda ſunt paria conſulum,

Γν. Δομίτιος Μ. υ. Καλβῖνος, Μ. Ουαλέριος Μ. υ. Μεσσάλας.
Γν. Πομπήιος Γν. υ. Μάγνος τὸ γ. ὕπ. Κοιν. Καικίλιος Κοιν. υ. Μέτελλος Πίος Σκιπίων Νασίκου υ.
Σερβ. Συλπίκιος Κοιν. υ. Ῥῦφος. Μ. Κλαύδιος Μ. υ. Μάρκελλος.
Κ. Κλαύδιος Κ. υ. Μάρκελλος. Λ. Αἰμίλιος Μ. υ. Παῦλος.

In primo pari Conſulum poſt Ουαλέριος addidi Μ. υ. Μεσσάλας: nam ex faſtis ſic reſtituendum illud par.: addidi quidem ex mea conjectura Μ. υ. id eſt, *Marci filius*, nam in Valeriorum gente nobiliſſima plures inveniuntur familiæ, agnominibus diſtinctæ, quarum prima & antiquiſſima Voluſii, qui & Publicolæ poſtea dicti, item Maximi, quorum primi dicti Lactucæ & Lactucini: eorum pars Corvi & Corvini appellati ſunt, quorum quidam Meſſalæ cognomen acceperunt, ut notat Macrobius lib. 1 Saturnaliorum. Fuit & alia familia, quæ Flacci cognomine inſignita eſt, & alia, quæ Lævini cognomen accepit. Harum familiarum Flacci fere omnes prænomine Lucii gaudebant, aliæ variis prænominibus utebantur. At Meſſalæ unum & idem prænomen Marci ſemper uſurpavere, & nullus, quod ſciam, Meſſala invenitur, cui non præfixum fuerit Marci prænomen. Secundum par Conſulum ex ipſo Dionis textu elicitur, ut ex Plutarcho, Appiano, & aliis. Tertium par ex Caſſiodoro, Appiano, & ipſo Dione probatur. Quartum etiam eoſdem auctores habet, & Hirtium lib. 8 de bello Gallico: apud Appianum vero, in quibuſdam codicibus pro Κλαύδιος Μάρκελλος legitur Καλίδιος, male.

Steph. pag. 78. Leuncl. 123.

Ὡς καὶ αὐτοβοεὶ. | *Primo incurſu.*

Lege αὐτοβοεὶ cum Henrico Stephano.

Steph. pag. 80. Leuncl. 126.

Ὥστε Ταλύμενος Εἰλάκης, ὁ τότε τῆς χώρας ἐκείνης σατραπεύων.	*Ac Talymenus Ilaces quidam ejus tum regionis præfectus regius.*

Ex Plutarcho in M. Crasso licet hunc locum emendare. Nam apud illum ille Satrapa Σιλλάκης appellatur. Ταλύμενος vero vox est proculdubio Barbara, Persarum propria, quæ, ut arbitror, dignitatem aliquam significat, & suspicor legendum Ταλιμαῖος Σιλλάκης, eo quod apud Odericum Vitalem dux exercitus Persarum, qui contra Francos Christianos è regionibus Persidis & Mesopotamiæ collectus fuerat, dicitur Talimannus vel Dalimannus; cui tamen meæ conjecturæ non adeo fido, quin meliora probare paratus sim, si quis ea tradiderit.

Steph. pag. 83. Leuncl. 131.

Σύχνους μὲν κεραίᾳ πληγῇ ἀπέβαλε.	*Plerosque eorum lethali vulnere sternebant.*

Sic etiam habet Henrici Steph. editio. Sed legendum est καιρίᾳ πληγῇ, & ita videtur legisse Xylander, qui *lethali vulnere* interpretatur.

Steph. pag. 85. Leuncl. 133.

Ἀφ' οὗπερ Κεράσος ῥᾳδίως αὐτοὺς ἅτε οὐ πολλοὺς ὄντας ἀπεώσατο.	*Itaque Cassius eos non magno negotio repulit.*

Ex totius rei narratione patet legendum esse, ἀφ' οὗπερ Κάσιος, sic & infra eadem pagina, ὅτι γὰρ Κεράσος ἰσχυρῶς αὐτοὺς ἀπεκρούσατο, legendum est ὅτι γὰρ Κάσιος, & sic etiam legit Henricus Stephanus.

Steph. ibid. Leuncl. 134.

Ἀνέπεισε διαγγέλλων.	*Persuasit per internuncios.*

Sic habet editio Henrici Stephani: nihilominus puto male duas voces in unum coiisse, & legendum esse divisim, δι' ἀγγέλων.

Steph. pag. 87. Leuncl. 136.

Ἐς Ἰουβτούριγας ἐμβεβληκότας.	*In Bituriges profecti.*

Lege Οὐιτούριγας, ut & inferius quatuor lineis ex Cæsare lib. 7, quod & Xylander vidit.

Pag. eadem.

Καὶ πόλιν αὐτῶν Εὐαρικὸν ἑλόντες.	*Avarico oppido occupato.*

Lege

Lege πάλιν αὐτῶν Ἀναέρνων, & ſic interpretatur Xylander, ex eodem Cæſare lib. 7.

Steph. ibid. Leuncl. 137.

Τῶν δὲ ἀνθρώπων ἐς Γοργοβίναν συγκαταφυγόντων.	*Sed Aruerni Gergoriam ſeſe univerſi contulerant.*

Lege ἐς Γεργωβίαν ex eodem Cæſare.

Steph. pag. 89. Leuncl. 140.

Τώ τε χεῖρε πτήσας.	*Manuſque tendens.*

Forte legendum περιτείνας.

Ad librum 41. Steph. pag. 112. Leuncl. 174.

Πῦρ πολὺ πρὸς τῷ Ἄνα ποταμῷ ἀναδίδοται.	*Quod ad fluvium Anam ignis multus editur.*

Sic habet editio Henrici Stephani, nec vidit mendum Xylander, qui *fluvium Anam* interpretatur. Lege confidenter πρὸς τῷ Αἴᾳ. Sic enim credo ſcripſit Dio, quando facilior fuit lapſus ex Αἴᾳ in Ἄνᾳ, quam ex Ἀώῳ. Fluvius enim, de quo hic agitur, qui per campos Apolloniatum fluit, ſæpe Græcis Αἴας dicitur, ut Scyllaci cap. Ἰλλυριοί. καὶ ὁ Αἴας ποταμὸς ἀπὸ τοῦ Πίνδου ὄρους παρὰ τὴν Ἀπολλωνίαν παρέῤῥει. Lycophron verſu 1015 & 1019, & ibi Tzetzes, Stephanus in Λάκμων. Latinis Lucano & Ovidio *Æas* dictus. Pluribus tamen Ἀῶος appellatur. Plinius ea duo nomina agnoſcit lib. 3 cap. 25: *flumen Aous à quibuſdam Æas appellatum.* Id igitur nomen Dio videtur ſic inclinaſſe, ὁ Αἴας, τοῦ Αἴα. Lycophron vero Αἴας Αἴαντος inclinavit.

Ad librum 42. Steph. pag. 119. Leuncl. 185.

Libri hujus catalogus Conſulum mutilus & corruptus & turbatus eſt.

Ἰουλίου Καίσαρος τὸ β. καὶ Πουπλίου Σερουιλίου Ἰσαυρικοῦ ὑπατείας, καὶ ἄλλο ἔτος γα, ἐν ᾧ Ἄρχοντες οἱ ἀριθμούμενοι οἵδε ἐγένοντο.

Ἰούλιος γ. υ.	Φούφιος κ. υ.
Καῖσαρ δικτάτωρ τὸ β. ὑπ. μ.	Καλῖνος ὑπ. π.
Ἀντωνῖνος μ. υ. Ἵππαρχος, ὕπατος δὲ κ.	Οὐαντῖνος π. υ.

Quæ ſic ordinanda & emendanda judico, & primum inducenda videntur, quæ de Julii Cæſaris & Servilii Iſaurici conſulatu hoc loco dicuntur: nam ii conſules jam ſuperioris libri initio enumerati ſunt, nec iterum hoc loco memorandi; poſtea videtur de ejus dictatura mentionem feciſſe, ſic,

Γ. Ἰούλιος Γ. υ. Καῖσαρ δικτάτωρ, M. Ἀντώνιος. M. υ. Ἵππαρχος. Κοιν.

Κοιν. Φούφιος Κοιν. υ. Καλλῆνος ὕπ. Π. Ουατίνιος Π. υ. ὕπ.
Hæc ex tabulis Capitolinis & Cassiodoro probantur.

Steph. pag. 122. Leuncl. 188.

Καὶ μέχρι μὲν τῆς Ἀσίας κατὰ πίστιν αὐτοῦ προσιών.	*Quumque in Asiam usque, quanam loca is petiisset inquirendo, perrexisset.*

Lege cum Henrico Steph. κατὰ πύστιν, ut sensus requirit, id est, ad ejus indagationem.

Ad Lib. 43. Steph. pag. 146. Leuncl. 223.

Καὶ Ἀρσινόη γυνή τε οὖσα, καὶ βασιλὶς τότε νομισθεῖσα, ἔν τε δήμοις ὁ μήποτε ἔν γε τῇ Ῥώμῃ ἐγεγόνει ὀφθεῖσα, πάμπολυν οἶκτον ἐνέβαλε.	*Et Arsinoe quondam regina dicta, quum tunc, quod Romæ ante conspectum fuerat nunquam, in turba captivorum cerneretur, multam commiserationem movebat.*

Sic habet etiam editio Henrici Stephani, & ita legit Xylander, qui ἔν τε δήμοις interpretatur *in turba captivorum*. Sed valde fallor, ni aliter scripserit Dio, nempe ἔν τε δέσμοις, id est, *in vinculis*. Nam in triumphorum pompa reges & duces victi, ducebantur catenis onusti. Sed id nondum in reginis visum fuerat.

Steph. pag. 149. Leuncl. 227.

Καὶ ὅτι τοῖς δεκασμοῖς ἐπ' ἀρχῆς ἀποδείξει ἁλοῦσιν.	*Quodque iis, qui ambitus condemnati fuerant.*

Lege, si mihi credis, τοῖς δεκασμοῦ, ut sententia omnino requirit, licet editio Henrici Stephani cum ea, quam tractamus, concordet in eo mendo. Sed Xylander interpretatur *ambitus condemnati*, quod est ad verbum δεκασμοῦ ἁλοῦσιν.

Steph. ibid. Leuncl. 228.

Τὴν τε Ἔβεσον. | *Ebusum.*

Lege Ἔβουσον, vel Ἔβυσον, sic enim Strabo & alii Geographi eam vocant, Latinis dicebatur *Ebusus*.

Steph. pag. 156. Leuncl. 236.

Ὅτι καὶ τῶν ἐγχωρίους τῶν δημοσίους, οὐχ ὅτι τῶν βεβή-	*Quod loca publica nec profana modo, sed sacra etiam sub*

λους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἱεροὺς πάντας τε πρατήριον, καὶ ἀπεκήρυξε τοὺς πλείονας.	*hasta proposuit ac pleraque vendidit.*

Hæc corrupta & mutila sic jacent in editione Henrici Stephani, quæ sic restituenda puto: ὅτι καὶ τοὺς χώρους τοὺς δημοσίους, οὐχ ὅτι τοὺς βεβήλους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἱεροὺς πάντάς τε ἐς πρατήριον ἐσήγε, καὶ ἀπεκήρυξε τοὺς πλείονας, id est, *quod & agros publicos, non solum profanos, sed etiam sacros omnes subhastavit, & plerosque vendidit*: nec multo aliter Xylander.

Ad Lib. 44. Steph. pag. 160. Leuncl. 243.

Καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς Ἰούλιον προσηγόρευσαν.	*Denique Iovis cognomentum ipsi palam imposuerunt.*

Mutat Henricus Stephanus, & pro Δία edidit Δία. Sed non memini me legisse Julium Cæsarem Jovem appellatum fuisse: ideo lego δῖον, id est, *divum*, quæ appellatio proculdubio illi tributa est, & ubique invenitur, *Divus Julius*.

Steph. pag. 162. Leuncl. 245.

Καὶ δημοσίᾳ προσπαρώξυνον.	*Et publice incitabant.*

Deest ex sequentibus manifesto Bruti nomen: itaque hic locus asterisco notatur, ut mutilus in Henrici Stephani editione, & Xylander supplevit Bruti nomen. Sic enim latius expressit hunc locum, *magnanimus quisque * Brutumque & privatim accedentes hortabantur & publice incitabant*. Sed eum fugit ratio: non enim ea sonant Græca Dionis, quæ sic edidit Henricus Steph. κἀκ τούτου τούς τε ἄλλους τοὺς φρονηματώδεις * ἰδίᾳ προσιόντες ἀνέπειθον καὶ δημοσίᾳ προσπαρώξυνον, ubi deesse videntur duæ voces vel tres, quas sic suppleri posse confido, τοὺς φρονηματώδεις καὶ Βροῦτον μάλιστα πολλοὶ ἰδίᾳ προσιόντες &c, id est, *magnanimos quosque & Brutum præcipue multi privatim accedentes suadebant, & publice incitabant*.

Ad Lib. 45 Steph. pag. 178. Leuncl. 269.

Ὁ γὰρ δὴ Γάιος ὁ Ὀκτάουιος Καιπίας (οὕτω γὰρ ὁ τῆς Ἀτίας τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφῆς υἱὸς ὠνομάζετο.)	*C. Octavius Cæpias (hoc enim nomen fuit Attiæ filio, quæ sororis Cæsaris filia erat.)*

Si ita scripserat Dio, non exacte noverat Octaviorum stemma. Nam C. Octavius Cæpio (qui male hîc Cæpias dicitur) qui etiam

Thurinus

Thurinus dicebatur, & postea Augustus dictus est, erat quidem ex Attia genitus, sed ea Julii Cæsaris non sorore, sed Juliæ sororis filia, testibus idoneis Suetonio & Vellejo Paterculo. Ideo cum Henrico Stephano pro ἀδελφῆς lego ἀδελφιδῆς, & sic corrigendum etiam lemma, quod huic libro præponitur, ubi pro μήτηρ αὐτοῦ Ἀττία ἡ ἀδελφὴ Καίσαρος, legendum ἡ ἀδελφιδὴ Καίσαρος.

Ibidem.

Ἐτράφη μὲν παρά τε τῇ μητρὶ καὶ παρὰ τῷ ἀδελφῷ αὐτῆς Λευκίῳ Φιλίππῳ.	*Apud matrem & vitricum suum L. Philippum educatus est.*

Sic habet etiam editio Henrici Stephani, sed Xylander vidit τὸ ἄτοπον, & vertit, *apud matrem & vitricum L. Philippum.* Itaque legendum, παρὰ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς Λευκίῳ Φιλίππῳ.

Ad Lib. 46. Steph. pag. 196. Leuncl. 295.

In catalogo legitur: Αὔβιος ὕπατος ὁ πάνσας καπετωνιάνος,
Αὖλος Ὕρτιος, καὶ Αὔλου υἱός.

Lege, Κ. Οὐίβιος ὁ Πάνσας Καπετωνιανὸς ὑπ.
Αὖλος Ἵρτιος Αὔλου υἱός.

Steph. pag. 208. Leuncl. 312.

Τῷ Βιβίῳ οὐιβίῳ ἐγένετο.	*Vibio Pansæ evenerunt.*

Melius editio Henrici Stephani, quæ vocem Βιβίῳ non habet: est enim ejusdem nominis iteratio non ferenda, quæ fluxit ex diverso modo scribendi Græce nomen *Vibius*, quod modo Βίβιος, modo Οὐίβιος scribebatur.

Ibidem.

Καὶ τις ἐν τούτῳ φοίνικα αὐτῷ προσφέρων.	*Interimque puniceam ei vestem quidam afferens.*

Sic vertit Xylander, optime meo quidem judicio secundum rei veritatem, non vero secundum Græca Dionis; nunquam, puto, vox φοίνιξ alibi invenietur in eo significatu. Sed credo legendum in Græco textu φοινικίδα, nam si vox φοίνικα retinetur, ramus palmæ vel fructus intelligendus erit, non vestis. Sed de ea palmæ gestatione in procinctu silent omnes antiquarii.

Steph. pag. 212. Leuncl. 318.

Καὶ ἐπὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῶν ἐτράπετο.	*Et ad vim animum adjecit.*

Vel delendum est αὐτῶν, vel legendum κατ᾽ αὐτῶν, & id sensus requirit.

Steph. pag. 214. Leuncl. 322.

Ὡς ᾗ καὶ ἐκεῖνοι τοῖς χρήμασι...... καταληφθῶσιν.	*Ita demum plebe etiam pecunia sibi conciliata.*

Sic etiam editio Henrici Stephani: sed videtur Xylander legisse καταληφθῶσιν, melius certe, qui vertit, *plebe sibi conciliata*; & ita legi oportere sententia postulat.

Ad Lib. 47. Steph. pag. 216. Leuncl. 330.

Τῷ τε Ἀντωνίῳ καὶ ὁ θεῖος Λεύκιος Ἀντώνιος Καῖσαρ.	*Antonii L. Cæsar avunculus ejus.*

Sic habent aliæ editiones. Sed hoc mendum acumen Xylandri non fugit, nam discedens à Græco textu, vertit *L. Cæsar* voce *Antonius* suppressa secundum rei veritatem. Nam & Appianus Juliam nominat matrem Antonii, cujus frater erat ille Lucius, ut ex Cæsare patet lib. 5 civilium, & Vellejus Paterculus L. Cæsarem avunculum Antonii nominat: & fuisse Antonii matris Juliæ fratrem nos docet perspicue Plutarchus in Antonii vita. Ideo in hoc Dionis loco legendum, vel, ὁ θεῖος Λεύκιος Καῖσαρ, & delendum τὸ Ἀντώνιος, quæ vox male adjecta est, vel pro Ἀντώνιος reponendum Ἰούλιος: nam in Antoniorum stemmate non inveniuntur Cæsares, & sic legendum ipse Dio paulo infra nos docet, his verbis: τὸν θεῖον ὁ Ἀντώνιος πολλὰ τῆς μητρὸς τῆς ἑαυτοῦ τῆς Ἰουλίας ἱκετευσάσης ἀφῆκεν, id est, *& avunculum Antonius dimisit multis matris suæ Iuliæ precibus exoratus.*

Steph. pag. 224. Leuncl. 336.

Ἀλλ' ὑπό τε τῶν ταξέων ἐς στενὸν κατακλειόμενοι.	*Tamen tributis his in arctum redacti.*

Vocem ταξέων vertit Xylander *tributis*, satis commode, quod ad sententiam, & videtur velle τὰς τάξεις significare idem, quod nos lingua Gallica nunc dicimus *taxes*, nempe imperatæ pecuniæ. Sed requiro exemplum hujus significatus. Posset aliquis putare eam vocem debere intelligi de ordinibus militum, cohortibus scilicet prætorianis triumvirorum, quæ diversis modis & vexationibus pecuniis cives emungebant, & prædia occupabant; quod propono, non decerno: tu super eo lector cogitabis, ex sequentibus certe nostra interpretatio videtur astrui posse.

Steph. pag. 225. Leuncl. 337.

Αἱ ἔξωθεν ἐπιφοραί.	*Auctarius.*

Lego

Lego ἐπιφοραί, ut melius legit Xylander, qui *auctaria* vertit. Ea vox tamen raro occurrit in eo significatu.

Steph. pag. 226. Leuncl. 338.

Καίτοι καὶ ἀστυνόμος ὁ Κάσσιος ἦν τότε, τὰ Ἀπολλώνια οὐδέπω διεωρτάκει, ἀλλ᾽ ἐκεῖνα μὲν διὰ Ἀντωνίου τοῦ συστρατηγοῦ καὶ ἀπὼν ἐκπρεπέστατα διετέλεσεν.	*Erat quidem tum prætor urbanus Cassius, nec dum Apollinares ludos curaverat: verum eos per collegam Antonii absens etiam splendidissime peregit.*

Hîc nodus est vindice dignus: hinc enim exurgit non mediocris difficultas. Hæc sic vertit Xylander: *erat quidem tunc prætor urbanus Cassius, nec dum Apollinares ludos curaverat, verum eos per collegam Antonium absens etiam splendidissime peregit.* Quæ versio nec cum voce Græca ἀστυνόμος, nec cum veritate historiæ consentit: ἀστυνόμος enim ædilem potius significat, & prætoris urbani dignitas à Plutarcho in Bruto στρατηγία πολιτικὴ dicitur, & prætores semper στρατηγοὶ à Græcis dicti sunt. Male igitur ἀστυνόμος vertit *prætor urbanus.* Sed nec cum historia consentit: non erat enim prætor urbanus Cassius, sed in concertatione cum Bruto, quam habuit super ejus magistratus petitione, victus est, & obtinuit præturam urbanam Brutus, ut districte narrat Plutarchus in Bruto: præturam vero aliam obtinuit Cassius, & στρατηγὸς factus est. At non memini me legisse, unum & eundem virum ædilem simul & prætorem factum fuisse: nam ædilis erat urbanus magistratus, qui ædes publicas & fora & cloacas & urbem universam curabat, & ideo non debebat abesse Roma. At prætores peregrini bellorum & aliarum rerum per provincias curam gerebant, & erant quædam provinciæ, quæ prætoribus gubernandæ assignabantur. Ideo suspicor Dionem abusum fuisse voce ἀστυνόμος pro στρατηγός. Sed de eo consulendi sunt docti.

Steph. pag. 230. Leuncl. 341.

Τίλλιον Κίμβρον.	*Tullium Cimbrum.*

Leg. Τούλλιον Κίμβρον.

Steph. pag. 232. Leuncl. 347.

Καὶ συγκαταφυγὼν ἐς τὸ ἔρυμα αὐτοβοεὶ εἷλε.	*Ac cum fugientibus in castra irrumpens, eodem momento iis potitus est.*

Sic habent editiones, & ſic legit Xylander, qui vertit : *cum fugientibus in caſtra irrumpens, eodem momento iis potitus eſt.* Sed vox συγκαταφυγὼν id non poteſt ſignificare : nam is, qui fugientibus inſiſtens, & eos cædens una cum iis in oppidum irrumpit, & iis potitur, non poteſt dici fugiſſe. Ergo minima mutatione lego συγκαταφυγὸν, & ſic interpretor totum locum : *Brutus autem Lyciorum exercitum in eorum limitibus ſibi obviam factum prælio vicit, & cum confertim fugiſſet in locum munitum, primo impetu cepit*, & ſic vocem συγκαταφυγὸν ad ςράτευμα refero, non ad Brutum.

Ibidem.

Προσέμιξαν αὐτοῖς ἀπροσδόκητοι γυμνητεύουσι.	*Xanthios nudos de improviſo adorti.*

Hæc ita vertit Xylander, at γυμνητεύω non invenitur in eo ſignificatu, niſi forte apud auctorem inferioris ſeculi. Sed hoc loco non convenit ea interpretatio, ſed vertere debebat *leviter armatos :* nam γύμνητες ſunt velites & opponuntur τοῖς ὁπλίταις, id eſt, *militibus gravis armaturæ.* Nam quis credat Xanthios ita ſtolidos fuiſſe, ut in ea impreſſione nuda corpora militibus armatis objicere voluiſſent? Solis Gallis nimis & ſtolide ferocibus id tribuitur.

Pag. 233.

Τὸ σύμβολον ἐκρύσαντες, αὐτοὺς κατέλαβον.	*Eis ſymbolo dejectis, ipſi locum occupaverunt.*

Sic etiam diſtinguit Henricus Stephanus, ſed male, nam mutanda eſt loco virgula, & legendum eſt, τὸ σύμβολον, ἐκρύσαντες αὐτοὺς, κατέλαβον. Nam αὐτοὺς refertur ad τῶν ἐναντίων, id eſt, *ad hoſtes*, de quibus loquebatur.

Ad Lib. 48. Steph. pag. 238. Leuncl. 357.

Catalogus Conſulum mutilus & corruptus eſt : emendatior multo editus ab Henrico Stephano, in quo tamen pauca quædam deſunt quæ ſupplenda videntur ſic,

Λούκιος Ἀντώνιος Μ. υ. Πιέτας. Π. Σερουίλιος. Π. υ. Ἰσαυρικὸς ὕπατος τὸ β.
Γν. Δομίτιος. Μ. υ. Καλουῖνος τὸ β ὕπατος, Γ. Ἀσίνιος Γ. υ. Πολλίων.
Λ. Μάρκιος, υ. Κενσωρῖνος, Γ. Καλουίσιος Γ. υ. Σαβῖνος.
Ἄππιος Κλαύδιος. Γ. υ. Πούλχερος, Γ. Νορβανὸς, Γ. υ. Φλάκκος.
Μ. Ουιψάνιος, Λ. υ. Ἀγρίππας, Λ. Κανίδιος, Λ. υ. Γάλλος.

Hæc colliguntur ex faſtis, Caſſiodoro, tabulis &c.

Steph.

Steph. pag. 239. Leuncl. ibid.

Ἀν τι παραχινῇ. | *Si quid is moveret.*

Melius Henricus Stephanus, *ἄν τι παραχινῇ si quid moveat.*

Steph. pag. 246. Leuncl. 368.

Φθαρέντων δὲ ἐκείνων, ἄλλοι τε πρὸς αὐτὸν * τὰ μὲν πρῶτα ἀσμένως ἐδέξατο. | *Secundum eorum interitum cum alii ad eum * libenter accepit.*

Hunc locum manifeste mutilum & ideo notatum asterisco sic restituendum esse puto ex Appiano lib. 5 civilium: ἄλλοι τε πρὸς αὐτὸν διέφυγον καὶ Σταῖος Μᾶρκος, ἀνὴρ δραστήριος καὶ αὐτὸν τὰ μὲν πρῶτα &c. Causa erroris fuit exscriptori vox αὐτὸν bis posita. Sed manum de tabula. Nam idem vidit Xylander, & addidit in sua versione. Forte locum Appiani viderat.

Steph. pag. 247. Leuncl. 369.

Τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀμελεῖσθαι. | *Caput ejus effossum.*

Xylander vertit ἀμελεῖσθαι *effossum esse.* Nescio quomodo legerit. Vertendum erat (si bene lectio se habet) *caput ejus negligi*, aut *de capite suo curam non haberi.* Sed Robertus Steph. in suis castigationibus vult legi ἀφελέσθαι, quod forte melius.

Ibidem.

Ἐλοχίσθη ὑπὸ τοῦ ταμιείου. | *A quæstore insidiis petitus.*

Videtur legendum esse τοῦ ταμίου. Nam ὁ ταμίας est quæstor; ταμιεῖον vero locus ubi reponuntur publicæ pecuniæ, *ærarium.* Sed quoniam paulo infra occurit ταμιείας, & συνταμιείαν, & rursus ταμιείαν, & passim in toto opere, videtur ea vox manasse à Dionis hellenismo non optimo, & sic scripsisse Asiaticum hominem secundum Nicæorum suorum dialectum.

Ibidem.

Ἥττησε. | *Vicit.*

Id verbum est antiquis insolitum, qui passive tantum ἡττᾶσθαι usurparunt, & in ea voce, ut in superiore nota, Dionis non satis purus hellenismus notandus est.

Steph. pag. 251. Leuncl. 375.

Τὴν δ' Ἄραδιν πολιορκίᾳ. | *Aradin autem expugnatione.*

Sic habent editiones. Sed ejus urbis nulla est mentio apud Geographos. Ideo lego Κάραλιν, quæ fuit totius Sardiniæ metropolis.

Steph.

Steph. pag. 256. Leuncl. 382.

Ἐγένετο μὲν καὶ ἐνιαυσίοις τοῖς παρθίνοις κίνησις.	*Eodem tempore apud Epidaurios (Parthinorum urbs est Epidaurus) tumultum coortum.*

Hæc sic reddidit Latine Xylander. Legebat igitur Ἐπιδαυρίοις. Sed in eo gravissime lapsus est vir doctus. Epidaurus enim longe à finibus Parthinorum, Dalmatiæ à Ptolemæo tribuitur. Parthini vero Parthum tantum & Eribœam urbes habebant, si tamen non una & eadem fuit urbs Parthus, de qua Polybius loquitur, & Eribœa, quam Ptolemæus in Parthinis solam ponit. Ergo aliò vertendum est. Itaque minima mutatione lego apud Dionem hoc loco: ἐγένετο μὲν καὶ ἐνιαύσιος τοῖς Παρθίνοις κίνησις, id est, *factus est etiam in Parthinis motus bellicus, sed qui annum unum tantum duravit.* Sic omnino credo Dionem scripsisse.

Steph. pag. 257. Leuncl. 383.

Τό τε πλῆθος πρὸς τοὺς τελώνας βαρύτατα σφισὶν ἐγκειμένους ἐσίασε.	*Plebs seditionem contra publicanos, qui eam gravissime urgebant ita movit.*

Lege confidenter ἐστασίασε, & ita Henricus Steph. edidit.

Ad Lib. 49. Steph. pag. 263. Leuncl. 391.

In Catalogo quædam emendatione indigent, qui sic habet:

Λ. Γέλλιος Λ. υ. Ποπλικόλας Μ. Κόκκιος Νερούας ὕπ. Λ. Κορνουφίκιος Λ. υ. Σέξτος.

Πόπιπιος Σέξτου υ. Μ. Ἀντώνιος Μ. υ. τὸ β. ὕπ.

Λ. Σκελβώνιος Λ. υ. Λίβων Καῖσαρ τὸ β. Ὀυολκάκιος Λ. υ. Τοῦλλος.

Quæ sic emendanda & digerenda sunt ex Cassiodoro & fastis,

Λ. Γέλλιος Λ. υ. Ποπλικόλας, Μ. Κόκκιος Νέρουας ὕπ.

Λ. Κορνουφίκιος Λ. υ. Σέξτος Πόπειος Σέξτου υ.

Μ. Ἀντώνιος Μ. υἱὸς τὸ β. Λ. Σκελβώνιος Λ. υ. Λίβων.

Κ. Καῖσαρ, τὸ β. Λ. Ὀυολκάπιος Λ. υ. Τοῦλλος.

Steph. pag. 267. Leuncl. 398.

Οἱ μὲν ἐπαιώνησαν.	*Cæsariani lætum clamorem sustulerunt.*

Communi Dialecto & Attica legendum foret ἐπαιάνισαν, à παιανίζω, unde παιανισμὸς vox usurpata Thucydidi: sed, ut sæpe notavi,

η & ι

η & ι sæpe ab exscriptoribus confunduntur ob inferioris hellenismi jotacismum, quod si sic, ut hîc legitur, Dio scribit, Βιθυνίζει, non Ἀττικίζει.

Steph. pag. 269. Leuncl. 400.

Καὶ τὸ ἐφ' ἵππȣ ἐς τὸ ἄστυ ἐσελάσαι. | *Utque eques in urbem intraret.*

Hæc sic interpretatus est Xylander, quasi vero eximium aliquod privilegium foret, urbem equo vectum intrare: certe id non convenit cum cæteris honoribus, quos illi deferebat Senatus fere divinos: tum ut Xylandri interpretatio admitteretur, mutanda foret lectio, & pro ἐφ' ἵππȣ legendum foret una voce ἐφίππιον. Itaque suspicor, imo credo legendum esse minima mutatione ἐξ ἵππȣς, id est, *ut curru sejugi in ipsa urbe uteretur.* Eam sententiam firmat egregiè Plinius lib. 34 cap. 5, qui sic habet: *Equestres vero statuæ modo Romanam celebrationem habent, orto sine dubio à Græcis exemplo. Sed illi celetas tantum dicabant in sacris victores. Postea vero, & qui bigis vel quadrigis vicissent, unde & nostri currus nati in his, qui triumphavissent. Serum hoc, & in his non nisi à divo Augusto sejuges sicut & elephanti.* Hunc Plinii locum mihi indicavit vir nobilitate, pietate, eruditione eximia, & morum incredibili suavitate principibus viris notissimus, & omnibus conspicuus Jacobus Mosantius, dominus de Brieux, nostri (unde glorior) amantissimus, qui pro sua humanitate studia nostra juvat, & librorum amplissima penu instructus, nobiscum eos facillime communicat. Sed ne quid dissimulem, videtur pugnare cum nostra sententia ipse Dio infra lib. 58, de Caligula ait: καὶ τὸ ἅρμα, τὸ πομπικὸν ἐφ' ȣ̃ ἤχθη ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν, ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει, id est, *& currum triumphalem, quo vehebatur, sex equi trahebant, quod numquam factum antea fuerat.* Pugnare quidem videtur, at non pugnat: nam paucis post locum, quem tractamus, lineis hæc habet Dio, de Augusto & honoribus ei à senatu delatis ait: καὶ τῶν ψηφισθέντων τινὰ παρῄτησατο, id est, *& eorum, quæ decreverunt, quædam non admisit.* Scilicet id decreverant patres, & obtulerunt ei currum sejugem, sed eum honorem nimis fastuosum, & insolitum non admisit: sed Caligula superbissimus mortalium eo usus est. Optime igitur Plinius tempus notavit, quo visus est Romæ currus sejugis, nimirum sub Augusto, cui oblatus est à Senatu, sed non admissus à modesto principe, ut & sæpe triumphum ei à patribus decretum ducere recusavit, teste ipso Dione infra pag. 349, & quando ovans post victoriam de Parthis urbem intravit: ἐπὶ κέλητος ἐς τὴν πόλιν ἐσήλασε, dixit Dio, & semper de ovatione in equo sic loquitur.

Hæc, ni fallor, ſatis quadrant cum noſtra emendatione, quam ſi probas, humaniſſime lector, beabis.

Steph. pag. 270. Leuncl. 401.

Ἐν τῷ Στατίῳ. | *In Palatino.*

Sic Xylander vertit, forte ſecundum hiſtoriæ veritatem. Nam id Suetonius in Auguſto videtur innuere cap. 29. At quare Palatinus mons dictus fuit à Dione Græce Στάτιον; id certe ignoro, & vellem Xylander id nos docuiſſet, num à Jove Statore?

Steph. pag. 271. Leuncl. 402.

Τοῦ τε Ἀντωνίου ἔς τε τὴν Φιλίαν ἀποσωθέντος.	*Interim Antonius cum in ſociorum evaſiſſet terram.*

Ea ſic vertit Xylander, quæ verſio cum Græco ſatis concordat, quod ad ſententiam. Sed multum me fallit opinio, aut legendum eſt: ἔς τε Παμφυλίαν ἀποσωθέντος: nam ea, quæ paulo poſt addit de Antonio, καὶ ἐπειδὰν πρὸς τὴν Αἴγυπτον αὐτίκα ἀπῆρε, id mihi omnino ſuadet; per Pamphiliam enim ex Aſia in Ægyptum eſt breviſſimus trajectus.

Steph. pag. 276. Leuncl. 409.

Καὶ οὕτως ἄλλους ἔξω τε βλέποντες, καὶ τὰ ὅπλα προβεβλημένοι περιέχουσιν.	*Ita ut foras obverſi cum armis ſuis reliquos ambiant.*

Sic habent editiones, & ſic legit Xylander, & fateor eam lectionem ſenſum exhibere non incommodum. Sed valde fallor, aut Dio ſcripſerat: ἔξω τε βελῶν ὄντας, quæ ſententia multo melior eſt. Nam quid profuiſſet iis, qui in medio leviter armati & lixæ nudi erant, eorum cuſtodia, qui teſtudinem formabant, niſi ipſi extra teli jactum fuiſſent? nihil omnino, & male cum iis actum fuiſſet, in quos confertos nulla ſagitta ſine vulnere miſſa fuiſſet.

Pag. 277.

Ὅτι τε παῖδας ἐξ αὐτῆς .... ἀνείλετο.	*Quod & liberos ex ea ... ſuſcepiſſet.*

Vox ἀνείλετο ambigua eſt, & prima facie videtur dicere, Antonium liberos Cleopatra natos occidiſſe. Sed aliter hoc loco accipienda eſt, pro, *tollere*, id eſt, ad educandum accipere.

Ad Lib. 50. Steph. pag. 282. Leuncl. 418.

Catalogus Conſulum mendoſus ſic habet:

Γν. Δομίτιος Γ. υ. γινέν. Γ. Ἀλωόβαρβος ὕπ. Γ. Σόσιος Γ. υ. γι γγ. Καῖσαρ τὸ γ. M. Ουα-

M. Ουαλέριος M. υ. Μεσσαλᾶς ὕπ. Λαοκορύινιος.

Qui sic restituendus est:

Γν. Δομίτιος Γν. υ. Γν. νεπ. Ἀηνόβαρβος, Γ. Σόσιος Γ. υ. Γ. νεπ. Γ. Καῖσαρ τὸ γ. M. Ουαλέριος M. υ. Μεσσαλᾶς Κορβῖνος ὕπ.

Ad Libr. 51.

Catalogus bene se habet. Steph. p. 303. Leuncl. 447.

Καὶ οἱ μὲν ὑπὸ τοῦ Μεσσάλου ἠπατηθέντες ἐπέμφθησαν.	*Hi quidem à Messala decepti missi sunt.*

Lege ἀπατηθέντες, ut ex sequentibus plane liquet.

Steph. pag. 304. Leuncl. 449.

Πρὸς τὴν Πηλουσίου πίστιν ἐπανελθών.	*Cum ad nuncium eorum, quæ Pelusii evenissent, discessisset.*

Melius Henricus Steph. πρὸς τὴν περὶ τοῦ Πηλουσίου πύστιν, id est, *ad inquirendum de iis, quæ Pelusii gesta fuerant*, vel, ut vertit Xylander, *ad nuntium eorum, quæ Pelusii evenissent.* Eundem errorem supra notavimus lib. 42 p. 122, & pro πίστιν reposuimus πύστιν.

Steph. pag. 310. Leuncl. 459.

Ὥστε τὰ μὲν κλήματα ἐπιτιμηθῆναι.	*Vt & facultatum census auctus sit.*

Ita vertit Xylander, sed vertendum erat, *ut possessionum quidem pretium auctum fuerit.* Nam facultates intelliguntur non solum de agrorum possessionibus, sed etiam de nummis in fœnore positis, & de supellectile. Ibidem.

Τῆς τε Ἰαπυγίας. | *Iapydis.*

Procul ab eo tractu Iapygia. Melius Henricus Stephanus Ἰαπυδίας, secundum Ptolemæum. At Straboni semper ii populi Ἰάποδες nominantur, quem sequuti sunt omnes fere Geographi.

Ibidem.

Ἐν μὲν γὰρ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ταῦτα διεωρτάσθη.

Hæc verba in sua versione omisit Xylander, credo eo, quod verbum illud διεωρτάσθη illi videbatur δυσερμήνευτον, & apud alios auctores non usitatum. Id verbum certe videtur à Dione formatum. Posset quis vertere: *in triumphi festo traducta sunt.*

Ad Lib. 52. Steph. pag. 315. Leuncl. 465.

Τόν τε πατέρα καὶ τὴν ἐς αὐτὸν εὐ-	*Pietatis in patrem tuum, in-*

σέβειν ἐσκῆφθαι καὶ τὸ δῆμον τήν τε γερουσίαν προβεβλῆσθαι.	que S. P. Q. R. præscriptione usi censeamur.

Male hæc accepit Xylander, qui sic interpretatur. Certe non video quid hic *præscriptionis* vox faciat, & Xylandri sensum non capio. Sic vertendum fuit: *patrem & in eum pietatem pratexisse, & S.P.Q.R^i. nomen pratendisse*, & ita intelligere debere evincunt ea, quæ sequuntur.

Steph. pag. 327. Leuncl. 483.

Καὶ ἐκκλησίας μάλιστα ζῆν ἀναγκαζόμενον.	Quæ rapto vivere cogitur.

Fœdissimum mendum hunc locum occupaverat, sed medicinam fecit Henricus Stephanus legendo, ἐκ λείας, optime.

Ad Lib. 53.

Catalogus Consulum ab Henrico Steph. emendatus est optime.

Steph. pag. 344. Leuncl. 507.

Αἱ μὲν γὰρ ἀρχαὶ αἱ ἐκ τῶν νόμων ὡς πλῆθος γινόμεναι καὶ νῦν * τῆς τῶν τιμητῶν καθίστανται.	Nam qui ex præscripto legum magistratus habentur, plerumque nunc etiam * censorum constituuntur.

Hiatus, qui asterisco notatur, una voce mihi videtur suppleri debere, sic: καὶ νῦν πλὴν τῆς τῶν τιμητῶν καθίστανται, quæ sic vertenda sunt: *nam magistratus, qui legibus ut plurimum instituti sunt, nunc etiam exceptis Censoribus constituuntur.* Nimirum Censoris potestas decessit imperatoriæ, & non video censores sub imperatoribus post Augustum factos, & ejus rei rationem reddit infra lib. sequente: ut nec dictatores, quos debebat etiam excipere, & forte hiatus debebat majus spatium occupare, ut suppleri posset: πλὴν τῆς δικτατωρίας καὶ τῆς τῶν τιμητῶν &c. & tale supplementum ex iis, quæ sequuntur, firmatur maxime. Steph. pag. 346. Leuncl. 511.

Τῆς δὲ δὴ Φλαμινίας αὐτὸς .... καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰκόνες αὐτῷ ἐπ' ἀψίδων ἔν τε τῇ τοῦ Τιβερίδος γεφύρᾳ καὶ ἐν Ἀριμίνῳ ἐποιήθησαν.	Flaminiam ..... ac ob id statua Augusto super aras in ponte Tiberis & Arimini sunt posita.

Ex his verbis conjicere licet Ariminum in ipsa Flaminia situm fuisse. Nam cur ob instauratam Flaminiam Augusti imaginem dedicassent, si non eorum maxime interfuisset eam viam denuo sterni? Sed & hoc firmat Cicero Philippica XII. quem vide. Steph.

Steph. pag. 350. Leuncl. 516.

Αἴλιος Γάλλος ὁ τῆς Αἰγύπτου ἄρχων.	Ælius Gallus Ægypti præfectus.

Henrici Stephani editio habet Αἴλιος Λάργος.

Ad Lib. 54.

In Consulum catalogo, quæ desunt aut mendosa sunt, bene supplevit & correxit in sua editione Henricus Stephanus.

Steph. pag. 355 Leuncl. 522.

Εἰρήνην.	Pacem.

Lege cum Henrico Steph. ἐρήμην.

Steph. pag. 362. Leuncl. 533.

Καὶ διὰ τὴν Τερεντίαν τὴν τοῦ Μαικήνου γυναῖκα.	Et propter Terentiam Mecenatis uxorem.

Ea proculdubio Terentilla fuit, quam Augusto exprobravit Antonius per epistolam, ut narrat Suetonius in Augusto cap. 69.

Steph. pag. 363. Leuncl. 534.

Ῥυμητάλκῃ θείῳ τε τῶν Κόκκυος παίδων.	Rhymetalci avunculo & filiorum Coccyos.

Sic Henricus Stephanus legit, & Xylander, qui vertit *Coccyos*. Sed non est dubium, quin reponi debeat Κότυος, & vertendum *Cottyis*. Nomen est Thraciæ regum familiare & solitum Κότυς, & infra pag. 370 (Leuncl. 545) sic vocatur.

Steph. ibid. Leuncl. 535.

Τέγκρηνοι.	Tencteri.

Melius Henricus Stephanus Τέγκτηροι. Ibidem sequitur, [1] καὶ τὸν Ῥῆνον διαβάντες τήν γε Γερμανίαν καὶ τὴν Γαλατίαν ἐλεηλάτησαν. Loquitur hic Dion homo Bithynus improprie. Nam Julius Cæsar, qui nomina earum gentium optime noverat, Germanos trans Rhenum ponit, dum sic ait statim initio de Belgis: *proximi sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt*. Celtas ibidem ait eos esse, qui à Romanis Galli vocabantur; at Dio semper Κέλτους vocat, qui trans Rhenum habitantes Romanis Germani dicebantur. Eum errorem accepit ab aliis Græcis, qui remotiores ab occiduis partibus eas pessime distinxerunt. Vel forte respicit ad res ab Augusto gestas, qui teste Suetonio in Octavio cap. 21 Sicambros & Suevos Germanos citra Rhenum in Galliam traduxit. De voce *Germani* aliquid dicere monet hic

[1] *Deinde Rheno transmisso ex Germania & Gallia prædas egerant.*

hic locus, quæ vox olim ipsis populis ultra Rhenum habitantibus incognita fuit, qui nomine generali *Tuistonas* se vocabant, quod nomen & hodie durat, dum *Theisman* Germanum hominem vocant. Id nomen proculdubio à Gallis citra Rhenum habitantibus, Belgis Treveris & Sequanis accepere, qui eo, quod à gentibus ultra Rhenum habitantibus bello petebantur, generali quodam nomine Germanos eos, id est, Bellatores vocabant. Nam *guerra* bellum est, & à prisco Gallorum idiomate ad nos usque fluxit: *Man* verò hominem significabat olim apud Gallos, & hodie etiam apud Germanos, Anglos & Septentrionales populos idem significat. *Germans* igitur nihil aliud sonabat, quam eos, qui bellum inferebant, & à Gallis in tumultu, dum eorum agros vastabant & prædas agebant, *Germani* vocabantur. Sic nostrates agricolæ trepidi ob armatorum adventum clamant, *voila les gendarmes*, & sic nomen institutum ob armorum gestationem, paulatim factum est nationis universæ nomen, & à Gallis id Romani acceperunt.

Steph. pag. 368. Leuncl. 542.

Ἀλλὰ καὶ καθ' ἑαυτὸν δραχμὰς τῷ δήμῳ, ὡς καὶ ἐκείνου κελεύσαντος διένειμε.	*Sed viritim quoque pecuniam à se quasi Agrippa ita mandasset, divisit.*

Parum honoris memoriæ Agrippæ fecisset Augustus, si donativum tam exile populo dedisset sub ejus nomine. Vidit absurdum credo Xylander, qui *pecunias* vertit, non expresso numero. Audacior ero, & assero literam numeralem, ut sæpe fit, evanuisse. Lego igitur: *καθ' ἑαυτὸν ν δραχμὰς*, litera numeralis *ν* ob finalem *ν* vocis *ἑαυτὸν* tamquam superflua omissa est ab exscriptore indocto, & inde error manavit. Drachma unicuique viro sordidum fuisset donativum pro Romana & Imperatoria magnificentia: quinquaginta vero drachmæ satis honestum fuit, nec nimium. Nam ipse Augustus teste eodem Dione supra lib. 51 post devictum Antonium dedit viritim populo nomine Marcelli drachmas centum, idque non tantum viris adultis, sed etiam pueris. Sed & in hoc loco pro *καθ' ἑαυτὸν* puto legendum *καθ' ἕκαστον*, ut legitur in loco libri 51 citato.

Ibidem.

Τὰς μοναρχίας διετέλεσε. | *Gladiatorios ludos perfecit.*

Absurdissima lectio, sed quam emendavit Henricus Stephanus, qui edidit *μονομαχίας*, optime.

Steph.

Steph. 369. Leuncl. 543.

Ἐξ ἄλλης τινὸς γαμέτης οὖσαν. | *Ex alia conjuge genitam.*

Nempe ex Cæcilia Pomponii Attici filia, ut quidam volunt.

Steph. ibidem. Leuncl. 544.

Ἐς τὴν Χερουσηΐδα προσεχώρησε μέχρι τοῦ Οὐισούτρου. | *In Cheruscorum regionem usque ad Visurgim processit.*

Lege Χερουσκίδα, & Οὐισοῦργου, ex Tacito.

Steph. pag. 370. Leuncl. ibid.

Ἐκεῖ τε ᾗ ὅτε Λουπίας καὶ ὁ Ἐλίσσων συμμίγνυνται. | *Ad Lupia & Alisonis fluviorum confluentes.*

Vel falsus est Dio, vel cursus eorum fluviorum mutatus est, ut sæpe fit: nam hodie non coëunt Lupia & Aliso, sed unusquisque per se in Rhenum cadit.

Ad Lib. 55. Steph. pag. 381. Leuncl. 560.

Τοῖς δὲ αἰωρήμασι καὶ τοῖς ἠπίοις φαρμάκοις. | *Pleraque autem lenibus corporis exercitiis & mitibus remediis.*

Nota, candide lector, genus curationis nunc non usitatum, αἰώρημα scilicet, motus corporis in pensili sede, quod nunc à medicis ignoratur vel negligitur.

Steph. pag. 387. Leuncl. 569.

Καὶ τοῦ Τιβερίου τοῦ τε Μεσσαλίνου ἐν Συσκίᾳ ἐγχρονισάντων. | *Tiberius autem ac Messalinus, Syscia commorarentur.*

Vertit Xylander, *Syscia commorarentur.* Vellem nos docuisset, ubi terrarum ea regio jaceat, quæ ab omnibus Geographis ignoratur. Mendum est, sed quid reponendum sit, ignoro: nam rescribere ἐν Μυσίᾳ vetat ratio itineris, quod faciebant Tiberius & Messalinus, dum Germania Dalmatiam petunt.

Ad Lib. 57. Steph. pag. 423. Leuncl. 618.

Ἐπὶ τὸν Δροῦσον ἐτετράπτο, καί ποτε πὺξ αὐτῷ ἐνέτεινε. | *Etiam Drusum aggressus jam erat, eique colaphum aliquando intenderat.*

Sic vertit Xylander. Sed nec cum Græco nec cum historia concordat. Nam Græci colaphum infligere dicunt παίειν κατὰ κόρρης: & Tacitus, cui major fides adhibenda est, sic negotium narrat. *Nam Drusus*

Drusus impatiens æmuli, & animo commotior orto forte jurgio intenderat Sejano manus, & contra tendentis os verberaverat. Videtur igitur Dio hæc verba, *contra tendentis*, exprimere voluisse per πὺξ αὐτῷ ἀντέτεινεν, at *contra tendere manus* non est ferire, sed pugno versus adversarii faciem extenso plagas minari, quod summæ fuit impudentiæ Sejano: verberasse autem eum filium imperatoris quis credet? vertendum igitur: *& aliquando etiam pugnum Druso intenderat. Intendere manus* apud Tacitum non est ferire, sed manu protensa in os despectui habere aliquem. Seneca de Clementia lib. 1, *& Diis ipsis manus intenduntur.* Ipse Tacitus lib. 1 Annal. *ut quis prætorianorum militum amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentare causam discordiæ.* Hodie etiam & apud nos manum intendere in jurgio rixam movet. Id Itali vocant *far la fica.* Zonaras tamen interpretationem Xylandri firmat, & Sejanum Druso plagam intentasse, & manu percussisse ait. *At non ego credulus illi.*

Steph. pag. 426. Leuncl. 623.

Καὶ μαθὼν τὸν ταμίαν ἐπὶ δικαιώσει αὐτοῦ παρόντα.	*Audiensque quæstorem ad supplicium sumendum venisse.*

Sic & infra pag. 430 de Sejano: *καὶ οὕτω δικαιωθεὶς κατὰ τῶν ἀναβασμῶν ἐρρίφη.* Igitur δικαιοῦν est judicium capitale executioni mandare, & δικαίωσις ipsa executio condemnationis. Sic nostra plebs *faire justice* usurpat in eodem significatu.

Steph. pag. 427. Leuncl. 625.

Αὐτός τε θύων εἶδεν ἀποστρεφόμενον, καὶ μετὰ τοῦτο.	*Ipse litans viderat se avertere ac deinde.*

Post vocem ἀποστρεφόμενον notandus est hiatus, quod vidit Henricus Stephanus, & asterico notavit.

Ad Lib. 58. Steph. pag. 460. Leuncl. 670.

Καὶ χάριν οἱ Ἑλληνιστὶ γνῶναι ἐπέτρεψε.	*Ac gratias ipsis Græce agi mandavit.*

Ita hæc vertit Xylander, contra rationem & auctoris sententiam: verto, *& ut sibi Græce gratias agerent, permisit.*

Pag. 450.

Καὶ Πούπλιος Γαβίνιος Μαυρουσίους νικήσας .... καὶ ἀετὸν στρατιωτικὸν, ὃς μόνος ἔτι	*P. Gabinius Marsos vicit & militarem aquilam, quæ sola clade Variana adhuc*

παρ' αὐτοῖς ἐκ τῆ τῦ Ὀυάρυ συμφορᾶς ἦν, ἐκομίσατο.

adhuc supererat, recuperavit.

Xylander μαυρσοίυς mendosam vocem male in *Marsos* mutavit: debebat reponere Χερύσκυς. Nam & Arminius erat Cheruscus domo, & dixit supra Dio, de Variana clade: δεξάμενοι τὸν Ὀυάρον.... περιήγαγον αὐτὸν .... ἐς τὴν Χερυσκίδα, &c. id est, *Varum adduxerunt in Cheruscorum regionem.*

AD

DIONIS FRAGMENTA

Ab Henrico Valesio publicata.

Pag. 578.

Καὶ Τίτυ Μενηνίυ τῦ στρατηγῦ (ἐπὶ γὰρ τύτυ τὸ πάθος ἐγένετο) κατηγορηθέντος ὕστερον ἐν τῷ δήμῳ, ὅτι μὴ μετ' ἐκείνοις ἤμυσε.

Postremo T. Menenium, quo consule ea clades acciderat, arcessitum ad populum, quod castra cum Fabiis minime conjunxisset.

Significatus vocis ἤμυσε rarus & insusitatus hîc est notandus. Valesius id interpretatur, *quod castra cum Fabiis minime conjunxisset*, quod satis placeret (nam qui castra muniunt, fossam prædocentes ἀμύσσυσι, fodiunt terram) si cum Livio concordaret hæc interpretatio, qui lib. 2 sic hanc historiam narrat: *Cum hæc accepta clades esset, jam C. Horatius & T. Menenius Coss. erant. Menenius adversus Thuscos victoria elatos confestim missus: tum quoque male pugnatum est.* Si post eam cladem acceptam demum missus est adversus Thuscos Menenius, quomodo potuisset cum Fabiis jam cæsis castra conjungere, & eo nomine accusari & condemnari? certe hæc sunt ἀσύςατα. Quid? si quis putet τὸ ἤμυσε intelligi debere de luctus publici signis, quorum unum erat ἀμύσσειν, *genas unguibus lancinare*: aliquando etiam metaphorice *angi, dolere*, ut apud Homerum: θυμὸν ἀμύξειν Iliad. α. Scilicet eo nomine accusatus fuit Menenius, quod in luctu publico nulla luctus signa usurpasset. Idem Valesius in notis suis vult legi ἤμυνε. Sed eadem difficultas ex ea lectione emergit: non potuit enim iis opitulari, cum nondum missus fuisset. Tu lector decerne, nihil enim super eo assevero, dubitationis tantum causas propono.

Pag. 593.

Ὥστε μήτε τὴν ἀρχὴν ῥᾳδίως ἐθελῆσαι * δι' αὐτὴν ἀποστῆναι.

Ut prorogatum sibi in alterum annum imperium vix tulerit.

Notatur asterisco ut dubiæ sanitatis hic locus, & jure : ex iis enim verbis ut edita sunt nullus commodus sensus emergit. Putavit doctissimus Valesius morbum esse in δι' αὐτὴν & in margine adscripsit, *forte* διετῆ, optime, modo mutetur etiam ἀποστῆναι in ἀποφῆναι, minima mutatione, aliter non staret sententia : sed legendo διετῆ ἀποφῆναι sensus erit satis commodus, & historiæ satis accommodatus, quam sic narrat epitome Liviana lib. 18 de Atilio : *& cum aliquot prœliis adversum Carthaginenses pugnasset, successorque à Senatu prospere bellum gerenti non mitteretur, id ipsum per litteras ad Senatum missas conquestus est, in quibus inter causas petendi successoris erat, quod agellus ejus à mercenariis devastaretur.* Dionis igitur talis erit sententia, *adeo ut non facile consenserit imperium illi in biennium prorogatum declarari*, quæ versio cum Livio belle concordat, & gratias Valesio, qui ad eam emendationem nobis prœluxit.

Pag. 609.

Τὴν μὲν γὰρ πρώτην ἀπήντησε.

Primo enim ad causam dicendam affuit.

Hæc sic vertit Valesius, optime. Sed videtur addenda in Græco textu præpositio εἰς vel ἐπὶ vel πρὸς. Nam dicitur ἀπαντᾶν πρὸς τὴν κυρίαν, vel ἐπὶ τὴν κυρίαν, vel εἰς τὸ δικαστήριον, & videtur necesse ita emendare : nam sine præpositione alibi (credo) non legitur, & sic vertendum esset : *Nam ad primam diem dictam affuit*, & sic legendo concordabit lectio cum iis, quæ narrat T. Livius lib. 38 his verbis : *hæc agitata sermonibus, donec dies dicendæ causæ venit, nec alius antea quisquam . . . . . majore frequentia, quam reus illo die in forum est deductus. Jussus dicere causam sine ulla criminum mentione, orationem adeo magnificam de rebus à se gestis est exorsus* &c. Affuit igitur ad primam diem dictam Scipio, quod est, πρὸς τὴν πρώτην ἀπαντᾷν, & postea Liternum secessit.

Pag. 717.

Καὶ αἰτιωμένων τινὰς τῶν ἐπ' αὐτοῦ

Cum quererentur de quibusdam qui ejus principatu dela-

πλεονασάντων καὶ διὰ τοῦτο τιμηθέντων.	*delationes exercuerant, eoque honores erant consecuti.*

Mirum nobis videtur, Valesium virum doctissimum & in Græcis litteris exercitatissimum τὸ πλεονασάντων interpretatum fuisse, *qui delationes exercuerant*: nam id verbum πλεονάζειν nullibi eum sensum recipit. Debebat (ut nobis videtur) interpretari, *qui multum sub eo potuerant*, vel, *qui nimiam sub eo potentiam habuerant*. Nam id est proprie πλεονάζειν, & excessum aliquem ea vox significat: at *delator* dicitur Græcis κατήγορος, vel ἐνδείκτης, aut συκοφάντης, & supra pagina 669 ipse vir doctissimus οἱ κατηγοροῦντες optime verterat *delatores*. Sed rem respexit, non verba, nam & apud Hadrianum etiam multum potuerunt delatores, sed tamen πλεονάσας non debet quis interpretari *delator*.

Pag. 765.

Κορακικὸν ἀνδράποδον.	*Mancipium è Caria.*

Videtur legisse Valesius Καρικὸν, nam vertit *mancipium è Caria*. Nihil tamen mutavit in Græco textu, nec ad eum locum aliquid dixit in notis. Ideo videtur non multum fidere suæ interpretationi, & per eum nobis licere in id inquirere, & aliter interpretari. A Cora quidem urbe Italiæ non fieret Κορακῖνον, sed Κοραῖον. Aliunde ergo fuit. Circa Meroën recenset Strabo Κορακίου χώραν: sed si inde domo fuisset, eum dixisset Æthiopem Dio. Κορακήσιον in Pamphyliæ finibus ponunt Scylax, Strabo, Plinius. Sed inde fieret gentile Κορακήσιος, vel Κορακησιαῖος, non Κορακικός. Fuit mons prope Colophonem in Ionia dictus Κοράκιον ὄρος: sed quoniam urbs in eo non fuit, & mons ille non admodum celebratus, nec magnus, potius audiisset ille Hierocles Colophonius. Ideo non omnino accedo ei sententiæ. Potius crederem eum Ætolum fuisse, ubi mons Κόραξ, magnus & celeber, & qui proculdubio pluribus pagis habitabilis erat, & forte fuit pagus quidam in eo monti cognominis, unde ortus erat ille Hierocles. Sed hæ sunt meræ conjecturæ, quas vel probare vel improbare cuique per me licebit. Si quis meliora dabit, gaudens docebor.



Jacobi Palmerii
A Grentemesnil,
Militis Cadomensis,

EXERCITATIONES
AD
SCYLACEM
CARYANDENSEM.

In Periplo. Pagina 10. cap. Illyrii.

Ἀπὸ δὲ Ἀπολλωνίας εἰς Ἀμαντίαν στάδια τκʹ, καὶ ὁ Αἴας ποταμὸς ἀπὸ τοῦ Πίνδου ὄρους παρὰ τὴν Ἀπολλωνίαν παραρρεῖ. Πρὸς Ὠρικοῦ εἴσω μᾶλλον εἰς τὸν Ἰόνιον τῆς Ὠρικίας, καθήκει εἰς θάλασσαν στάδια πʹ, τῆς δὲ Ἀμαντίας στάδια ξʹ.

Ab Apollonia ad Amantiam sunt stadia CCCXX. *& Æas fluvius à Pindo monte delapsus Apolloniam præterfluit. Ab Orico civitate Oriciæ, quæ intra sinum Ionium sita est, ad mare stadia sunt* LXXX: *ad Amantiam vero stadia* LX.



Hic locus est, si quis alius, salebrosus forte & corruptus, & in quo mentem auctoris investigare est difficile. Ideo excusandi sunt, si qui impegerunt, nec auctoris sententiam assequuti sunt, quam forte ego nec assequi potero, licet id tentare aggrediar. Vir eximius, qui eum auctorem nuper edidit, & latine expressit cum notis eruditissimis,

mis, quem nominare hoc loco non convenit, quando ab eo dissentire cogor, sic transtulit ultima verba: *ab Orico civitate Oricia, qua intra Ionium sita est, ad mare stadia sunt* LXXX. *ad Amantiam vero stadia* LX. Quæ translatio cum rei veritate pugnat: nam certissimum est Oricum civitatem sitam fuisse ad ipsum maris littus, ut patet ex Cæsare civilium 3, ubi de Cn. Pompejo Oricum expugnare tentante, sic ait: *tres cohortes Orici tuendi causa reliquit* (Cæsar,) *iisque custodiam longarum navium tradidit ..... huic officio praerat oppidoque Acilius legatus: is naves nostras in interiorem partem post oppidum reduxit ..... quibus rebus cognitis Cn. Pompeji filius, qui classi Ægyptia praerat, ad Oricum venit, ... & reliquis partibus simul ex terra scalis & classe mœnia oppidi tentans.* Ex his Cæsaris verbis luce clarius est, Oricum non fuisse situm stadiis octuaginta à mari, sed ad ipsissimum litus. Ergo puto sic exprimi debere Scylacis verba: *ab Orico magis intra Ionium sinum, quam est Oricia regio, stadia* 80 *descendit in mare, ab Amantia vero* 60. Sed eos numeros non esse corruptos nollem asseverare, non enim conveniunt iis, quæ supra dixit eodem loco, scilicet ab Apollonia ad Amantiam esse stadia 320. Nam Apollonia à mari distabat stadiis 50, ut ipse Scylax nos docet, ad quod spatium si addas stadia sexaginta, emerget numerus stadiorum 110 ab Amantia ad Apolloniam per circuitum & maris littus, quod suadet falsum esse numerum stadiorum 320 supra positum, vel vice versa, si numerus 320 verus est, falsos esse alios necesse est.

Pag. eadem.

Ἅπασιν ὅμοροι ἐν μεσογαίᾳ Ἀγίντανες ὑπὲρ τῆς Ὠρικίας καὶ Καρίας μέχρι Ἡδωνίας ἐν τῇ Καστίδι χώρᾳ εἶναι λέγεται καὶ Διὸς ὄνομα Ἐρυθεῖα· ἐνταῦθα ὁ Γηρυόνης &c.

Omnibus contermini in locis mediterraneis Atintanes supra Oriciam & Cariam usque Hedoniam in Castidis regione esse dicuntur. Deinceps est campus appellatus Erythia. Istuc Geryon.

Hunc locum misere depravatum emendavit vir eruditissimus Isaacus Vossius in suis ad hunc auctorem notis, & multa & præclara congessit ad hujus loci intelligentiam: non usquequaque tamen mihi litasse videtur [1] τῇ εὐστοχίᾳ, ideo nostram super eo loco sententiam proferre nobis cum sua gratia liceat. Et bene quidem pro Ἀγίντανες, legendum censet Ἀτίντανες. Optime etiam meo judicio τὸ Καρίας

[1] *Fœlici conjectura.*

mutat in Χαονίας. Sed in sequentibus non satis apte videtur legisse Ἀιμονίας ἐν τῇ Ἑςιώτιδι χώρᾳ εἶναι λέγονται. Nam & Scylax postea de Thessalia scribit, quam Ἀιμονίαν non vocat, & nimis recedit ea lectio à vulgata. Igitur ejus emendationem apponam, deinde & meam, ut habeat lector, quod eligat. Sic igitur vult legi doctissimus Vossius: ¹ ἅπασιν ὅμοροι ἐν μεσογείᾳ Ἀτίνταvες ὑπὲρ τῆς Ὠρικίας καὶ Χαονίας μέχρι Ἀιμονίας ἐν τῇ Ἑςιώτιδι χώρᾳ εἶναι λέγονται. ἐκ τούτου πεδίον ὀνομαζόμενον Ἐρυθεία. In qua mutatione illud non videtur convenire, quod Æmoniam partem Estiotidis videtur facere, cum sub nomine Æmoniæ antiquo tota Thessalia comprehendi soleat, & potius dicendum foret Ἑςιῶτις ἐν τῇ Ἀιμονίᾳ: tum addit duas voces, quarum in eo loco nullum est vestigium, nempe ἐκ τούτου. Præterea cum ex loco Arriani probet Ἐρυθείαν fuisse in Epiro circa Ambraciam, tamen per hanc mutationem eam transferre videtur circa Estiotidem Thessaliæ. Hæc me cogunt doctissimi viri, & numquam mihi sine honore nominandi, emendationem in hac parte non admittere, sed minima mutatione sic legere: ὑπὲρ τῆς Ὠρικίας καὶ Χαονίας μέχρι Δωδωνίας. ibi pono punctum: deinde Ἐν τῇ Κας͂ιδι χώρᾳ εἶναι λέγεται πεδίον ὄνομα Ἐρυθεία. Et credo de voce Δωδωνία omnes manus daturas, nam Chaoniam Dodonia sequitur in Molosside, vel etiam Chaoniæ latius sumptæ pars erat, & ut ab Orico Oriciam regionem nominavit Scylax, sic à Dodone celebriore multo Dodoniam fecit. De Castide nihil est, quod dicam: ejus enim seu regiunculæ seu loci alibi quod sciam non fit mentio. Sed ideo non est forte exterminanda ex hoc loco ea vox. Nam quot loca, quot regiunculæ fuerunt, quarum auctores, qui ad nos usque pervenerunt, vel semel vel numquam fecerunt mentionem? Ideo donec aliunde lux affulgeat, nihil mutandum in ea voce putarem, si mei arbitrii res foret: de eo judicabis, erudite lector.

¹ Omnibus collimitanei in mediterraneo Atintanes supra Oriciam & Chaoniam usque ad Hamoniam in Estiotide esse dicuntur. Deinde campus vocatus Erythia.

Pag. 12. cap. de Acarnania.

Καὶ Ὀυερῖτον ἐν τῷ Ἰκονίῳ. | *Et Vritum in Iconio.*

Monstrum est hæc lectio, nec facile est dicere, quid reponendum sit: ex ordine tamen locorum posset quis suspicari legendum esse, ² Καὶ Ἱερὸν ἐν τῷ Ἀκτίῳ.

² Et sacrum in Actio.

Pag. 14. cap. Ætolia.

Στόμα δὲ τοῦ κόλπου τούτου σταδίαι ί, καὶ ἐπ' αὐτοῦ ἱερόν.	*Os hujus sinus stadiorum X, & in eo fanum.*

Forte

Forte legendum, ' καὶ ἐπ' αὐτῷ 'Ρίον, de quo Thucydides, Polybius, Diodorus, Strabo, Plutarchus, Pausanias, & alii. ¹ *Et juxta mons praeruptus.*

Pag. eadem. Locri.

Ἔυανθις. | *Euanthis.*

Lege 'Οιανθίς: est enim urbs Locrorum Ozolarum ad mare sita, de qua Thucydides, Scylax, Plinius, Pausanias, Mela, &c. Ptolemæus quidem & Tabulæ habent 'Ευανθία, sed tota antiquorum turba contra est, & Stephanus ex Hellanico & Hecatæo 'Οιανθείαν & 'Οιάνθην habet. Ideo si postea mutato nomine Ἔυανθις vel 'Ευανθία vocata est, quod ex Ptolemæo & Tabulis conjicere licet, id non obtinebat tempore Scylacis, qui inter antiquos numeratur, & qui proculdubio secundum sui temporis morem 'Οιανθίς vel 'Οιάνθις scripserat. Sed sciolus quidam exscriptor ex posteriorum more corrigere aggressus est.

Pag. eadem. Phocenses.

Κατὰ τὸ Κυραῖον πεδίον. | *Juxta Curaum campum.*

Vel cæco patet rescribendum esse Κιῤῥαῖον. Id neglexit & insuper habuit corrigere doctissimus Vossius, ut obvium: nam eximia viri eruditio non patitur aliter judicare.

Pag. eadem. Megarenses.

Πηγαὶ, τεῖχος, Γεράνεια, Ἄρις. | *Pegæ, munimentum Geraniæ, Aris.*

Laborat hic locus à mala interpunctione, & à mendo etiam. Lege, Πηγαὶ τεῖχος, Γεράνεια ἄκρις, si tamen vox ἄκρις, Homero & Poëtis usurpata, à Geographis, qui soluta metro oratione scripserunt, potuit usurpari: aliter legendum foret ἄκρα. Male τεῖχος Geraniæ junctum est: non enim unquam ibi fuit urbs seu castellum, quod sciam, sed Thucydides eum locum vocat στενὸν, *angustias*: omnes alii montem vocant, nam in montibus sæpe sunt angustiæ. At Πηγαὶ munimentum fuit Megarensium, de quo passim occurrit mentio apud auctores.

Pag. 15. Corinthus.

Ἱερὸν Αἴγυον. | *Fanum Iunonium.*

Emendat Vossius ἱερὸν Ἥραιον, vel ἱερὸν ἅγιον Ἥρας. Ultimum præferrem: nam ἱερὸν Ἥραιον non solet dici, ut nec ἱερὸν Ποσειδώνιον, nec ἱερὸν Ἑρμαῖον, nec ἱερὸν Ἀρτεμίσιον, sed absolute Ἥραιον, Ποσειδώνιον, Ἑρμαῖον, Ἀρτεμίσιον, Δῖον, Ἡράκλειον: non enim sumitur adjective

jective τὸ Ἥραιον, sed mutato ordine dicendum foret Ἥραιον ἱερὸν, utrumque substantive. Tum magis accedit ad vulgatam lectionem ἱερὸν ἅγιον. Suspicari etiam quis posset non insulse legendum esse, ἱερὸν ἄκρον, ubi erat ἱερὸν Ἀκραίας Ἥρας ex Strabone.

Pag. eadem. Achæi.

Αἴγειρα, Αἴγιον, Αἰγαίας, Ῥύπη ἐξωχερίς.	*AEgira, AEgium, AEga, Rhypæ, Rhium promontorium.*

Totum hunc locum fœlicissime restituit doctissimus Vossius, nisi quod pro Ῥυπαὶ mallem scripsisset Ῥύπες, ut apud Stephanum & hoc loco.

Pag. eadem. Elis.

Ἄχρι ἐπὶ τῶν Λεπρεατῶν.	*Usque ad Lepreatas.*

Lege, ἐπὶ τοῦ Λεπρεατῶν.

Pag. 16. Messenia.

Πρώτη Μεσσήνη καὶ λιμὴν Κυπάρισσος.	*Prima Messene & portus Cyparissus.*

Scylacis tempore nulla adhuc urbs fuit Messene, sed nomen erat totius regionis, non urbis, ut optime notavit Pausanias Messeniacorum initio, & tunc demum Messene urbs facta fuit, postquam Thebani duce Epaminonda Messenios exules undequaque revocaverunt pluribus post Scylacis Periplum annis, quippe qui opus illud Dario Ocho dicaverit, quod ait antiqua hypothesis ad Scylacem. Tum Messene urbs non fuit prima secundum ordinem, quem sequitur Scylax, imo fere ultima. Ideo credo excidisse hoc loco nomen Πύλος, de qua meminisse debuit ob loci celebritatem, & quod sequitur, [1] καὶ λιμὴν Κυπάρισσος, id omnino suadet. Fuit enim Cyparissus portus in Pyli Messeniaci vicinia. Itaque puto legendum: πρώτη Μεσσήνης Πύλος καὶ λιμὴν Κυπάρισσος.

[1] *Et portus Cyparissus.*

Ibidem. Lacedæmon.

Ἀσίνη, Μοθώνη, Ἀχίλλειος λιμήν.	*Asine, Methone, Achilleus portus.*

Hæc procedunt ordine turbato; nam Mothone seu Methone fuit adhuc Messenæ, & secundum ordinem, quo procedit, debuit locari ante Asinem, quam facit Laconiæ principium. Tum Coronem non memorat urbem in eo littore satis celebrem. Itaque vel Scylacis codex non est satis integer & valde corruptus, vel ipse Scylax vir ex Asia

Asia longe à Peloponneso, de ejus regionis partitione & urbibus non satis doctus fuit.

Pag. 17.

Μέθανα πόλις καὶ λιμήν. | *Methana urbs cum portu.*

Transposuit situm hujus urbis, si ita scripsit Scylax. Nam Methana fuit inter Trœzenem & Epidaurum Sacram dictam, quod fefellit Scylacem, qui supine & inadvertenter Methanam transtulit ad alterum littus, ubi fuit alia Epidaurus Limera dicta.

Pag. 21. Attica.

Ὁ δὲ Πειραιεὺς λιμένας ἔχει γ'. | *Piraeus vero portus habet tres.*

Ad hæc doctus commentator optime reprehendit eos, qui putarunt Piræeum ideo triplicem dictum, quod tres portus comprehenderet, scilicet ipsum Piræeum, Phalerum, & Munychiam. *Nam* (ait) *quamvis uno murorum claustro septi essent, diversi tamen erant portus, maximoque à se invicem distabant spatio. Sed diserte docet Pausanias, jam antequam Themistocles Phalerum, & Munychiam junxisset, tres habuisse portus.* Certe, si qui fuerunt, qui id putaverunt, jure objurgandi fuerunt. Sed nescio quare vir doctissimus iis concedat, Piræeum & Phalerum eodem muro clausos fuisse à Themistocle, & id dixisse Pausaniam. Nam neque id Themistocles unquam fecit, nec id unquam dixit Pausanias. Optimam sententiam prodit doctissimus vir nimia & falsa concedendo adversariis suæ opinionis.

Pag. 21. Cyclades.

Κέως αὕτη τετράπολις. | *Ceos, hæc quatuor urbibus constat.*

Hunc locum mutilum optime supplevit Vossius. Sed in eo, quod castigandum credit Pintianum, eo quod apud Ptolemæum pro Κία vult legi Κέως, non possum ei consentire: bene enim mihi videtur eam vocem mendosam correxisse. Nam quod ait Ptolemæum loqui Romanorum more, quibus ea insula Cia vocabatur, & Plinium auctorem citat, vadimonium deserit Plinius, cujus plurimæ & antiquæ editiones aliam exhibent lectionem ab ea, quam ex suo codice proponit: *deinde Ceos quam nostri quidam dixere Ceam*, terminatione duntaxat mutata, ut ad sonum linguæ Latinæ accommodaretur. Sed cur Ptolemæus, qui Græce & Græcis scribebat, nomina locorum Græcis barbare scripsisset? certe rationem non video: nam ubique vocabula Græca Græce exhibet, nisi forte in ipsa Italia, cujus pars

Magna Græcia vocabatur. Nec est, quod dicam quis dicat Ovidio, qui Cæam dixit, non pro Cia, sed pro Cea, versus gratia, eo quod ε in Κέως brevis est syllaba natura, cum ι sit anceps. Soli Iones, qui aliquando ε in ι mutant, sua dialecto Κίον vocarunt, non vero Κίαν, ut Herodotus lib. 8: at Ptolemæus communi dialecto utitur, non Ionica.

Ibidem.

Πρὸς Πόντȣ Ἴος | *Ad Notum Ios.*

Hunc locum corruptissimum emendavit doctus commentator, & vult legi πρὸς νότον, multo melius. Sed dum totius capitis seriem considero, mihi venit in mentem legi debere: Σποράδων Ἴος: nam post Cycladum recensionem sequi debet Σποράδων recensio. Nihil igitur mihi videtur convenientius, quam sic legere: [1] αὗται μὲν αἱ Κυκλάδες νῆσοι. Ὑπὸ δὲ ταύτας ἕτεραι νῆσοι αἵδε Σποράδων. Ἴος &c. nihil certius est. Nam cum de aliis omnibus nihil dixerit, an πρὸς νότον vel πρὸς ἄρκτον, πρὸς ἠῶ vel πρὸς δύσιν, cur potius de ea parva & ignobili insula dixisset πρὸς νότον quam de cæteris?

[1] *Hæ quidem sunt Cyclades insulæ, sub eas vero aliæ insulæ sunt hæ Sporadum.*

Pag. 22. Bœotia.

Ἀπὸ Δηλίȣ μέχρι τῶν λευκῶν ὀρίων.	*A Delio usque montes Albos.*

Sic vertit interpres. Properanter & festinante calamo proculdubio hæc scripsit: ὅρια enim non sunt ὄρη *montes*, sed *termini, limites*: aliter proculdubio interpretatus esset, ut debebat, si non alio properasset, & correxisset, ut corrigere necesse est μέχρι τῶν Λοκρῶν ὀρίων, *usque ad Locrorum terminos*; nulli enim sunt ibi montes Albi. Sic etiam infra Scylax pag. 39: [2] Παράπλȣς Κιλικίας ἀπὸ τῶν Παμφυλίων ὀρίων, ubi Vossius optime, *à Pamphyliorum terminis.*

[2] *Paraplus Ciliciæ à Pamphylia finibus.*

Pag. 23. Melienses.

Ἐν τούτῳ τῷ κόλπῳ εἰσὶ οἱ Λιμοδωριεῖς καλούμενοι, οἵ δε, &c.	*Ad hunc sinum sunt, qui dicuntur Limodorienses.*

Non possum mihi persuadere hunc locum esse sanum, sed turbatus mihi videtur totus contextus, & miror à Scylace Dorienses, qui & ultra montes Oetæos in mediterraneo juxta Phocidem habitabant, hic poni tamquam ad sinum Meliensem habitantes, & cum Meliensibus conjungi, de quibus si loqui volebat Scylax, melius eos cum Phocensibus junxisset. Scio equidem κόλπον etiam intelligi posse de quodam recessu inter montes, sed hîc non posse ita sumi manife-

manifestum est, nisi locus sit luxatus vel mutilus. Nam Meliensis sinus non potest extendi ultra Oetam montem & Ænianas usque ad Pindum, ubi siti fuerunt Dores. Quod ad vocem Λιμοδωριεῖς, quæ à solis Grammaticis firmatur, Hesychio & Didymo, nullus Historicus aut Geographus de ea meminere. Ego credo Didymum ex hoc loco accepisse, quæ de ea voce dixit. Aliquis audaculus diceret reponi debere: οἱ ἐπὶ Πίνδῳ Δωριεῖς: ego vero nihil movebo. Id tantum proferre non dubitabo, totum hoc caput non mihi videri sanum, & apud me non multum habere auctoritatis.

Ibidem. Malienses.

Μετὰ δὲ Μαλιεῖς ἔθνος. | *Deinceps sunt Malienses.*

Ex hoc loco concludit summus vir errare eos, qui Malienses & Melienses eosdem esse putant, eo quod Sinus Meliacus & Maliacus idem plane sit, & miratur in hunc errorem impegisse Scaligerum. Ego certe (fateor) in eodem errore versor, nec à sententia Scaligeri hujus loci auctoritate demoveri possum. Nam & hæc duo capita videntur non satis sana, & turbata, ut supra notavi, & in iis doctus commentator quædam optime mutavit: credo etiam male disjuncta esse. Si ipsius Scylacis opus integrum haberemus, videremus forte ita eum non distinxisse, ut male distinxit vel abbreviator vel exscriptor. Nam quavis sponsione deposita contendere paratus sum nullum alium auctorem ita distinxisse, (de antiquis dico) licet omnes fere de iis populis fecerint mentionem. Herodotus lib. 7, ubi Xerxis & ejus exercitus processum & mansiones satis exacte describit, sic ait: [1] Ξέρξης δὲ καὶ ὁ πεζὸς παρελθὼν διὰ Θεσσαλίης καὶ Ἀχαιίης ἐσβεβληκὼς ἦν καὶ δὴ τριταῖος ἐς Μηλιέας. Secundum distinctionem hujus loci Scylacis, per Malienses necessario debebat iter facere, antequam ad Melienses perveniret, quorum ditio secundum hujus loci sententiam angustissima sola Trachine seu Heraclea urbe gloriari poterat. Nam Thermopylæ Scylacis tempore erant angustiæ, non urbs; Oeta mons, Sperchius fluvius. At Malienses Lamiam, Phalara, Anticyram, Pyrasum, Maleam urbes incolebant, quarum pleræque ad littus maris. Sed operæ pretium est audire ipsa Herodoti verba eodem libro paulo post: [2] ταῦτα μὲν τὰ ἐν Θεσσαλίῃ, καὶ τὰ ἐν Ἀχαιΐῃ· ἀπὸ δὲ τουτέων τῶν χώρων ἤϊε ἐς τὴν Μηλίδα παρὰ κόλπον θαλάσσης. Adverte, ex Achaia in Meliden pervenit Xerxes nulla Maliensium facta mentione. Postea vero sinum describit, cui adjacent partim planicies satis patens, partim angustiæ. Planities illa secundum

[1] Xerxes & peditatus cũ transivisset per Thessaliam & Achaiam, tertia die pervenerat ad Melienses.

[2] Hæc quidem Thessalia sunt & Achaia: ab iis vero regionibus ibat in Melidem juxta sinum maris.

Scylacem & ejus distinctionem debuit esse Maliensium, nam, ut vult, Melienses ad Trachinem & Oetam habitabant & ad Thermopylas: Malienses vero Phthiotidi vicini erant. At Herodotus totum sinum Meliensibus tribuit, & cum tam prolixe Persarum facta in iis locis exequatur, mirum foret, cum ne verbum quidem fecisse de Maliensibus, si in eo tractu tot urbes incolebant diversi à Meliensibus. Æschylus etiam Herodoto σύγχρονος in dramate, quod Persæ inscribitur, nuncium inducit de Persarum fuga sic narrantem:

Στρατὸς δὲ λοιπὸς ἔν τε Βοιωτῶν χθονὶ
Διώλλυθ'· οἱ μὲν ἀμφὶ κρηναῖον γάνος
Δίψῃ πονοῦντες, οἱ δ' ὑπ' ἄσθματος κενοὶ
Διεκπερῶμεν ἔς τε Φωκέων χθόνα,
Καὶ Δωρίδ' αἶαν, Μηλιᾶ τε κόλπον, οὗ
Σπερχειὸς ἄρδει πεδίον εὐμενεῖ ποτῷ,
Κἀντεῦθεν ἡμᾶς γῆς Ἀχαιΐδος πέδον,
Καὶ Θεσσαλῶν πόλις &c.

Quæ sic latine redduntur,

Exercitus vero reliquus in Bœotorum terra
Perierunt: alii quidem desiderio fontium
Siti laborantes, alii anhelantes vacui
Transivimus in Phocensium terram
Et Doricum solum, & Meliea sinum, ubi
Sperchius irrigat campum benigno potu
Et inde nos terra Achaidis campus,
Et Thessalica urbs, &c.

Vides lector, Μηλιέα κόλπον campum dicit à Sperchio irrigatum, & eum campum cum Achaia continuat nulla Maliensium facta mentione. Sed audiamus Thucydidem, qui libro 3 de Heracliæ in Trachinia conditu sit ait de Meliensibus: Μηλιεῖς οἱ ξύμπαντες εἰσὶ μὲν τρία μέρη παράλιοι, ἱερῆς, Τραχίνιοι. Si hoc accipias, quasi exceptis Maliensibus, quinam erunt illi παράλιοι, nam totum littus à Sperchio ad Thermopylas & Locros est angustum & abruptum sine oppidis & vicis, de quibus meminerint auctores. Παράλιοι igitur nulli possunt esse Thucydidi, quam ii, qui Phalara, Anticyram, & Echinum habitabant. Rursus idem lib. 5 sic ait: Ἡρακλεώταις τοῖς ἐν Τραχῖνι μάχη ἐγένετο πρὸς Αἰνιᾶνας καὶ Δόλοπας καὶ Μηλιέας καὶ Θεσσαλῶν τινάς. Nisi hoc loco intellexit per Μηλιέας etiam eos, qui Μαλιεῖς dicuntur hoc Scylacis loco, quinam erunt ii, qui cum Trachiniis bellum

lum gerebant. Nam Τραχὶς sola urbs erat τῶν Μηλιέων secundum Scylacis distinctionem, quæ urbs, quoniam regionem incolebat asperam, montosam & sterilem, gravis erat finitimis Paraliis, campos feraciores colentibus. In loco priore citato ex Thucydide difficile est dictu, quinam fuerint ἱερῆς: nemo enim præter eum de iis (quod legerim) loquutus est. Scintillam tamen lucis facit Callimachus in Delum, ubi de Hyperboreorum primitiis, quæ Apollini quotannis mittebantur, & de iis, qui eas excipiebant, sic canit:

[1] — Αἱ Δωδώνηθε Πελασγοὶ
Τηλόθεν ἐκβαίνοντα πολὺ πρώτιστα δέχονται
Γηλεχέες, θεράποντες ἀσιγήτοιο λέβητος·
Δεύτερον ἱερὸν ἄστυ καὶ οὔρεα Μηλίδος αἴης
Ἔρχονται.

Cum Thucydide videtur quandam urbem vel regionem Meliensium Sacram vocare, eo quod eas primitias à Dodonæis, qui etiam sacri erant, recipiebant. Non piget id obiter notasse, ut Thucydidi lux fieret. Sed ad rem. Strabonem etiam testem audiamus, is lib. 9 sic: [2] ἤδη δ' ἐστὶ ταῦτα τοῦ Μαλιακοῦ κόλπου· μετὰ γὰρ τὸν Ὀπούντιον συνεχὴς ἐστιν οὗτος. Hujus Strabonis loci ut vim declinaret vir solers, fatetur Maliacum & Meliacum idem esse. Sed inde sequitur Malienses & Melienses idem esse. Nam ut à regionibus dicuntur sinus, veluti Opuntius ab Opunte urbe, Pagasiticus ab urbe Pagasæ, Toronaicus à Torone, Corinthiacus à Corintho, sic Maliacus, qui & Meliacus, à Maliensibus, qui & Melienses. At si diversi sunt Melienses & Malienses, Maliensium debet esse sinus Maliacus: Meliensium vero sinus Meliacus. At sinum Maliacum tribuit Strabo iis, qui Locros Opuntios attingebant: ii autem fuerunt Μηλιεῖς, Melienses, ubi Trachin. Itaque Melienses illi etiam Malienses vocabantur. Strabo igitur non admittit eam differentiam. Sed & Pausanias, dum omnes populos recenset, qui jus habebant mittendi ad Amphictyonum consessum, Μαλιέας solos nominat nulla distinctione facta τῶν Μηλιέων, in quorum tamen ditione secundum eam distinctionem, quam oppugnamus, fiebat conventus Pylaïcus. Unicum addam locum Diodori, qui si bene consideretur, res plana erit, & illa distinctio evanescet. Loquitur de societate, quæ facta est inter Athenienses, Ætolos, & multos alios Græciæ populos contra Macedonas, ut ab eorum jugo Græcia liberaretur Alexandro mortuo, quod bellum Lamiacum vocatum est gestum duce Leosthene

[1] Quæ Pelasgi in Dodone primum recipiunt longe venientia, Humi cubantes ministri loquacis Lebetis. Secundo sacrum oppidum & ad montes Melidis terræ veniunt.

[2] Jam autem hæc sunt sinus Maliaci: nam post Opuntium ille continuatur.

Atheniensi contra Antipatrum; recensionem igitur facit eorum, qui ob ejus belli societatem cum Atheniensibus fœdus fecerant, & sic ait: τῶν δὲ ἄλλων Ἑλλήνων, οἱ μὲν πρὸς Μακεδόνας ἀπέκλιναν, οἱ δὲ τὴν ἡσυχίαν εἵλοντο. Αἰτωλοὶ μὲν οὖν ἅπαντες πρῶτοι συνέθεντο τὴν συμμαχίαν, καθάπερ προείρηται, μετὰ δὲ τούτους Θετταλοὶ μὲν πάντες πλὴν Πελιναίων. Οἰταῖοι δὲ πλὴν Ἡρακλεωτῶν, Ἀχαιοὶ δὲ Φθιῶται πλὴν Θηβαίων, Ἡλιεῖς δὲ πλὴν Μαλέων· ἑξῆς δὲ Δωριεῖς ἅπαντες. Quæ Latine sic redduntur: *Aliorum autem Græcorum alii ad Macedonas inclinabant, alii quiescebant. Ætoli igitur omnes primi fœdus societatis fecerunt, ut jam dictum est: post eos vero Thessali omnes exceptis Pelinæis, Oetæi exceptis Heracleotis, Achæi Phthiotæ præter Thebanos, Elienses vero exceptis Maleis.* Non dubium est, lector, quin videas ex ordine recensionis excidisse majusculam M in voce ἠλιεῖς: nam ibi fuerunt Μηλιεῖς post Achæos Phthiotas, nulli vero Ἠλιεῖς. Ait igitur Melienses omnes exceptis Maleis in fœdere comprehensos fuisse. Urbs fuit in littore sinus Meliaci seu Maliaci Malea, quam Stephanus terminatione Attica vocat Μαλιεῦς, quam dictam dicit, [a] ἀπὸ Μάλου τοῦ Ἀμφικτύονος: eam urbem, à qua, ut credo, dictus fuit Maliacus sinus & tota regio, excepit expresse à generali Meliensium consensu, ut Pelinæum Thessaliæ ab universorum Thessalorum societate. Dico igitur Diodorum per Μηλιεῖς intellexisse etiam eos, quos Μαλιεῖς vocat Scylacis distinctio, quando Maleam excipit ab eorum universalitate. Ideo & Anticyram & Pirasum & Phalara & Echinum sub nomine τῶν Μηλιέων comprehendit. Iidem igitur οἱ Μαλιεῖς & οἱ Μηλιεῖς, hi Atheniensibus & omnibus Ionici generis, illi Doriensibus sic dicti. Causa diversitatis emersit ex Heracleæ conditu: nam Lacedæmonii, qui Heracleam habitavere, Dorice Μαλιεῖς mutato sono protulerunt, & vocarunt eos, qui antea à seipsis & Æolibus, qui eos undequaque circumdabant, Μηλιεῖς vocabantur. Ab eo tempore auctores diverse pronuntiavere, modo cum Æolibus Μηλιεῖς proferentes, modo cum Heracleensibus Μαλιεῖς, unde κόλπος Μηλιεὺς & Μαλιεὺς, Μηλιακὸς & Μαλιακὸς idem est sinus, qui etiam aliquando Λαμιακὸς ab urbe Lamia dictus. Ideo Herodotus, qui Ionice loquitur, semper Μηλιεῖς habet, ut & Thucydides & Æschylus Athenienses antiqui. Aliud etiam argumentum addam ex Scylace ipso: ait enim, καὶ τῆ Μαλέων (lege Μαλιέων) χώρᾳ ἐποικοῦσιν ἄνωθεν ἀπὸ μεσογαίας Αἰνιᾶνες καὶ δι' αὐτῶν ῥεῖ ὁ Σπερχειὸς ποταμὸς ἔξω τοῦ Μαλιέων κόλπου. Attende lector, Ænianes, qui vicini erant Heracleensibus & Oetæis, habitabant mediter-

[a] *A Malo Amphyctionis.*

ranea

ranea loca supra Malienses. Iidem igitur Malienses & Melienses. Nam supra Malienses, si intelligendi sunt ii, qui in opposito littore incolebant Maleam, Pirasum, Echinum, non accolebant Ænianes, sed Phthiotæ. Ideo Melienses etiam Malienses dicebantur secundum diversam dialectum, & hæc credo sufficiunt ad firmandam Josephi Scaligeri sententiam.

Ibidem. Achæi.

Ἀχαίων πόλεις αἵδε. Ἀλιτρόπης, Λάρισσα, Μελιτάδας.	*Hæ Achæorum civitates: Alitropes, Larissa, Melitæa.*

Lege, si mihi credis, Ἀντρῶνες, Λάρισσα, Μελιτία (vel Μελιταία, ut correxit optime vir summus in suis notis) nam & varie hæc ultima scribitur apud auctores. Thucydides & alii Μελιτίαν, Polybius & alii Μελιταίαν habent. Ἀλόπη vero, quam subjicit vir ille doctissimus, nimis longe abesse videtur à vulgata lectione.

Pag. 24. Magnetes.

Ἴσοι λιμήν. | *Cum portu.*

Forte legendum Ἰπνοὶ λιμήν. Facilis enim lapsus ab isto in illum, de quo loco vide Herodotum lib. 7. Sed tamen nihil affirmo.

Pag. 25. Μακεδονία.

Καὶ κόλπος Συρμονικός. | *Et sinus Syrmonicus.*

Forte Σερμυλικός, à Sermylo urbe in eo tractu. Στρυμονικὸς propius accederet ad vulgatam lectionem, sed nondum videtur locus de eo tractandi, nam post Athon montem tantum incipit. Hæc scripseram, sed postquam commentaria doctissimi Vossii inspexi, vidi eum reposuisse Τορωνικός, meliori certe ratione, etsi non tam accedat ad vulgatam lectionem.

Ibidem.

Ἄλαπτος. | *Alapta.*

Forte legendum Ἀκτος, & ex ordine locorum id sequitur. Sed ἀκτὴ videtur fuisse non urbs quædam, sed spatium & longitudo quædam littoris. Plutarchus lib. de quæstionibus Græcis id littus vocat Ἀραίνου ἀκτήν. An Scylax scripserit Ἀραίνου ἀκτή, judicet lector.

Pag. 26. Thracia.

Καὶ ἄλλα ἐμπόρια Σάγιον. | *Aliaque emporia Sagium.*

Lege meo periculo Σαίων. Nam littus illud tenebant Σαῖοι, gens Thracica,

Thracica, satis ex versu Archilochi nota: [1] Ἀσπίδι μὲν Σαίων τις ἀγάλλεται. Vide Strabonem lib. 12, ubi disces gentem prius Sintias vocatam, postea Σίντυς, deinde Σαιὺς, & suo tempore Σάπας vel Σαπαίους.

[1] Clypeo Saiorum aliquis gloriatur.

Ibidem.

Τείχη Ἄινων ἐν τῇ Θράκῃ. | *Muri AEnon in Thracia.*

Putat vir summus commentator hunc locum esse corruptum, sed deest tantum unum ι iota: nam legendo Ἀινίων optime se habebit. Ænii enim habuerunt quædam castella in eo littore, quæ hoc loco Scylax vocat Ἀινίων τείχη. De iis Demosthenes oratione de falsa legatione, ubi loquitur de iis locis, quæ Philippus occupaverat: [2] ἐν ᾧ τούτῳ Δορίσκον Θρᾴκην, τὰ ἐπὶ τείχων, ubi credo legendum Θρᾴκης τὰ &c. & rursus [3] ἡλίκον ἐστὶν ἀδίκημα, τὸ Θρᾴκην καὶ τὰ τείχη προέσθαι. Aliquod ex iis Castellis videtur Alcibiades sibi munivisse, & id ei à suis adversariis crimini dabatur. Plutarchus in ejus vita: [4] ἐνεκάλουν ἢ αὐτῷ καὶ τὴν τῶν τειχῶν κατασκευὴν ἐν Θρᾴκῃ περὶ Βιζάνθην αὐτῷ καταφυγήν, sed tamen Bizanthe non satis vicina Æno.

[2] In eo autem Doriscum Thraciam & muros.

[3] Quanta est injustitia, Thraciam & muros prodere.

[4] Improperabant etiam ei & munitionem murorum in Thracia circa Byzanthem ad refugium.

Pag. ead. & 27. Cherronesus.

Χεῤῥόνησος μετὰ δὲ τὸ Μέλανα. | *Chersonesus post sinum Melanem.*

Male hoc loco duo capita confunduntur: nam ἐξετέρωθεν est finis præcedentis capituli, Χεῤῥόνησος est titulus sequentis, & debet majusculis scribi, ut aliorum capitum tituli, & initium sequentis est Μετὰ ἢ τὸν Μέλανα κόλπον &c.

Ibidem.

Καρδία, Ἴδη, Παιὼν, Ἀλωπηκόννησος, Ἄραπλος, Ἐλβιοῦς, Ἄβυδος. | *Cardia, Ide, Paon, Alopeconnesus, Araplus, Eleus, Sestus.*

Hic locus ἕλκεσι βρύων, fere desperatus est, & optime quidem ultimam vocem Ἄβυδος expunxit clarissimus Vossius, optime & Ἐλβιοῦς in Ἐλαιοῦς mutavit, cæteris non admovit manum, sed quid erit mali, si aliquid tentemus? ergo sic tot ulceribus mederi tentabam: Καρδία, Χῤῥεία, Πάνορμος, Ἀλοπηκόννησος, Ἀνάπλους, Ἐλαιοῦς &c. Χῤῥεία locus fuit Chersonnesi, Xenophonti memoratus Hellenicorum 2, quo ex clade ad Ægospotamos se receperunt Athenienses. Panormus locus est maritimus Cherronnesi apud Plinium lib. 4, cap. 11. Ἀνάπλους certe eo loci apud alios auctores non extat. Sed quoniam

quoniam video locum in Bosporo ita dictum, eo quod inde ascendebant naves contra Bospori decursum versus Pontum Euxinum tendentes, facile suadeor, etiam in Hellesponti angustiarum initio fuisse quendam locum ab eadem ratione sic vocatum, de quo loquatur hoc loco Scylax. Sed hæc est mera conjectura, si quis meliora docebit, gratias agam.

Ibidem.

Ὀδησσόπολις. | *Odesopolis.*

Male coaluerunt in unam duæ voces. Lege, Ὀδησσὸς πόλις.

Pag. 34. Troas.

Καὶ ἐν τῇ ἠπείρῳ τείχη καὶ Ἀχαλεῖον.	*Oppida in continenti sunt Achaum.*

Lego hunc locum paulo aliter, quam vir summus, qui vult legi τείχη καὶ Ἀχαΐον. Ignoscat, si credo melius convenire legi, Σιγεῖον καὶ Ἀχίλλειον. Loca sunt nota & obvia in libris.

Pag. 35. Lydia.

Ἀπὸ Ἀντάνδρου καὶ τῆς Ἰνδίσης. | *Post Antandrum & Mysiam.*

Lege καὶ τῆς Ἴδης. Nam Antandrus sub Ida monte fuit: cætera per se stare poterunt, si legas τὰ κάτω.

Ibidem.

Ἄσυρα οὗ τὸ ἱερὸν οἱ Ἀδραμυττίοι.	*Astyra ubi est fanum Dianæ, Adramyttium.*

Optime reposuit Vossius Ἄστυρα, & ex loco Strabonis nobis præluxit ad veram lectionem: non dubito igitur quin scripserit Scylax: [1] Ἄστυρα οὗ τὸ ἱερὸν οἱ Ἀδραμύττιοι Ἀδραμύττιον. Putavit exscriptor Ἀδραμύττιοι & Ἀδραμύττιον esse repetitionem mendosam, & alterum sustulit.

[1] *Astyra, ubi sacrum habent Adramyttii.*

Ibidem.

Καὶ Λεῦκαι καὶ λιμένες. | *Et Leucæ cum portubus.*

Lego καὶ Λεῦκαι λιμήν: cæterum ordo, quem sequitur Scylax, est turbatus, & quædam posita sunt ὕστερον πρότερον. Nam Phocæam & Hermum debebat memorare ante Leucas & Smyrnam.

Ibidem.

Ἄγρα πόλις καὶ λιμήν. | *Agra urbs cum portu.*

Non potest esse Αἰγάγεα, quam urbem Ptolemæus Lydiæ adscribit, quæ non attingebat mare (pace commentatoris doctissimi dixerim) sed omnino legendum Ἔραι, quæ urbs erat in eo ordine cum

portu, Teiis vicina, de qua Thucydides lib. 8 & Strabo lib. 14, cujus locum adſcribam, quoniam emendatione opus habet: [1] Πρὶν δ' ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς Ἐρυθρὰς πρῶτον μὲν Γέραι πολίχνιον, εἶτα Τήϊον. Lege ex Thucydide, πρῶτον μὲν γ' Ἔραι, πολίχνιον ἐστὶ Τηΐων. Sed de hoc loco ad Strabonem infra dicendum erit.

[1] *Prius autem, quam veniatur ad Erythras, primum quidem Era opidulum.*

Ibidem.

Κολοφῶν, ἐν μεσογαίᾳ Νότιον καὶ λιμήν.	*Colophon in mediterraneo tractu eſt Notium cum portu.*

Diſtingue aliter: Κολοφῶν ἐν μεσογαίᾳ, Νότιον καὶ λιμήν, ut neceſſe eſt.

Pag. 39. Syria & Phœnice.

Ἐπὶ στενὸν ἔλαττον ἢ ἐπὶ τέτταρας ὄντας σταδίους, ἐνιαχῆ δὲ οὐδὲ ἐπὶ σταδίους ί τὸ πλάτος.	*Ea, qua maxime coarctatur, ne quatuor quidem ſtadiis: aliis vero in locis x ſtadiorum latitudinem non exæquat.*

Puto legendum τετταράκοντα, & ſic intelligo: *in anguſtiis minoribus ſtadiorum quadraginta: alicubi vero neque ſtadiorum decem latitudinem habent.* Nam quæ foret ea phraſis, τέτταρας ὄντας σταδίους, profecto ex τετταράκοντα deleto forte κ, duas voces τέτταρας ὄντας fecerunt exſcriptores.

Pag. 48. Carthago.

Λαμπάς. αὐτὴ πύργους ἔχει.	*Lampas; in hac turres.*

Forte legendum Λαμπαδοῦσα πύργους ἔχει. Ambigo de nomine ejus inſulæ, an, ut hoc loco ſcriptum fuit, Λαμπαδοῦσα vocari debeat, an Λεπαδοῦσα. Si Λαμπαδοῦσα, nomen habuit proculdubio ἀπὸ τῶν λαμπάδων, & tunc legerem πυρσοὺς ἔχει, id eſt, ignes accenſos ad nautas monendos, ne in cautes inciderent. Si Λεπαδοῦσα à rupibus acutis dicta fuit ἀπὸ τῶν λεπάδων, quod accedit ad nomen hodiernum: nam *Lipadoſa* ab Italis vocatur, & eſt admodum aſpera cautibus, vel forte à piſcium abundantia, quæ λεπάδες vocantur.

Pag. 53. Diaphragma.

Ἀπὸ τοῦ Ἄνδρου ἐπὶ τὸν Αὐλῶνα.	*Ab Andro vero Aulonem.*

Lege, ἀπ' αὐτῆς Ἄνδρου, &c. ſic enim ſemper loquitur, infra: αὐτῆς δὲ τῆς νήσου ἐπὶ τὸ ἀκρωτήριον. & rurſus: αὐτῆς δὲ τῆς Ἰκάρου, & ſic in cæteris.

JACOBI



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD ANONYMVM PERIEGETEM.

Editionis Jacob. Gothofredi, Genevæ 1628.

Pag. 2.

Ποταμὸς ἐξερχόμενος ἐξέρχεται. | *Fluvius exiens exit.*

x his verbis elici poteſt argumentum validiſſimum iis conjecturis, quibus uſus eſt vir clarus Jacobus Gothofredus, ut auctorem Syrum fuiſſe probaret: eſt enim hæc locutio Syriaſmus, vel Hebraiſmus putus purus eſt.

Pag. 12.

Τετράφυλον γὰρ ἑαυτῆς ὀνομάζεται πανταχοῦ, ὃ ἕν ἐστι καινόν τε θέαμα.	*Tetraphylon enim ejus nominatur ubique, quod unum eſt novum aliquod ſpectaculum.*

Mutat Gothofredus auctor & publicator doctiſſimus, cui debemus hunc auctorem, & qui in eo tum reſtituendo, edendo, & commentariis doctis mehercules illuſtrando, optimam navavit operam:

τετράπυλον substituit pro τετράφυλον, & quidem ingeniose, & multis probabilibus argumentis suam emendationem confirmat. Sed tamen, quando tetrapylum fuit Bostræ & Niceæ, ut bene notat, quare diceretur hoc loco tetrapylum [1] καινὸν τὸ θέαμα? Id certe me cogit ut ab ea mutatione, quam fecit Gothofredus, omnino discedere velim. Nam & ingenue in fine notæ suæ fatetur se requirere aliquod testimonium hujus celebris tetrapyli. Alio igitur me vertam, & τετράφυλλον lectionem vulgatam duplicato tantum litera λ retinendo, tentabo, an mea conjectura æquo lectori satisfacere poterit. Igitur in Græco codice sic scriptum fuisse suspicor, τετράφυλλον γὰρ ἑαυτῆς ὀνομάζεται πανταχοῦ, ὃ μέν ἐστι καινὸν τὸ θύμημα, id est, *quadrifoliatum enim ejus urbis ubique nominatur, quod quidem est novum aliquod odoramentum.* Unguentum scilicet fuit, è quatuor foliorum speciebus compositum, quod à nomine urbis Cæsariense quadrifoliatum dicebatur. Nam ex foliis unguenta componi solita testis est Athenæus lib. 15, & foliatum etiam dici unguentum testis Plinius lib. 13 cap. 1, & Juvenalis Satyra sexta,

— Mœchis foliata parantur.

Et Martialis lib. XI epigr. 28.

At mea me libram foliati poscat amica.

Et Palæstini liquores inter odoramenta celebrantur à Statio in epicedio Glauciæ. Cæsaream vero Palæstinæ fuisse urbem nemo negabit. Et ad meam sententiam faciunt epitheta, quæ dat ei civitati τρυφερωτέρα, & διαπρέπουσα, quæ magis ad luxum unguentorum conveniunt, quam ad magnificentiam ædificationum. Habes lector, quod eligas.

[1] *Novum quoddam spectaculum.*

Pag. 14.

Τὴν πορφύραν ἀληθινήν. | *Purpuram altinam.*

Vertit Gothofredus *Alitinam*, cum deberet *veram* vertere. Nam passim occurrit purpuræ veræ & purpùræ veri coloris & veri luminis mentio, id est, non adulteratæ, vel cocco, vel buccina, vel hysgino, vel fuco.

Pag. 16.

Καλωπέτας. | *Calopettas.*

Putat eruditissimus Gothofredus idem esse καλωπέτας & καλοβάτας, & Syrum auctorem vel hanc vocem adinvenisse, vel eam in Syria usurpatam fuisse pro καλοβάται. Sed aliud est, nisi fallor, Καλοβάτης,

βάτης, aliud vero καλωπίτης, licet iidem sæpe homines utramque artem exerceant. Καλωβάτης est funambulus, qui super funem extensum ambulat pedibus. Καλωπίτης, qui in fune volat manibus & pedibus expansis, ut alis, fune in pectus & ventrem applicato. Id sæpius in Gallia vidimus.

Pag. 24.

Ἀνδρεῖαι γ' ἂν αἱ προειρημέναι ἐπαρχίαι.	*Virosæ itaque prædictæ provinciæ.*

Interpretatur doctissimus publicator vocem *ἀνδρεῖαι virosæ*, & putat apud Virgilium Georg. 1, *virosaque Pontus Castorea*, sic debere intelligi, & *virosam Pontum* dixisse Virgilium scilicet abundantem viris, non vero *virosa Castorea*, id est, mali odoris & fœtida, ut Servius interpretatus est. At Nigidius apud Gellium lib. 4 cap. 9 censet omnia nomina, quæ inclinamentum habent in *osus*, abundantiam quandam vitiosam significare, ut *verbosus, famosus, mulierosus*, *ominosus*. At secundum mentem Gothofredi *mulierosus* non foret, qui nimis addictus est mulieribus, sed qui abundaret mulieribus. Itaque bene dicitur virosus secundum Nigidium, qui virus nimium & odorem nimium habet, & virus olet. Sed fruatur quisque suo judicio, ego puto *ἀνδρείας ἐπαρχίας* intelligi debere, fortes & bellicosas: nam ἀνδρεῖος est virilis, quæ viros fortes & audaces fert, non quæ plures.

Pag. 26.

Πορφύραν καλὴν ἀλήθινην. | *Purpuram bonam alicem.*

Vel scribendum erat ἀληθινήν, ut supra pag. 14, ut legit Gothofredus, vel legendum ἁλικήν, ut legit vetus interpres, id est, marinam è concha purpura, quæ lectio non mihi videtur rejicienda. Nam marina purpura excellentior ea, cui aliquid terrestre admiscebatur, ut coccum vel fucus, de quibus Plinius abunde. Una voce ἁλιπόρφυρος dicitur Græcis ea, quæ ex sola concha marina tingitur.

Pag. 26. & 27.

Πόλεις δὲ ἔχει παλαιὰς ἐκείνας Τροίαν καὶ Ἴλιον.	*Civitates autem habet antiquas illas Trojam & Ilium.*

Dupliciter errat. Primum enim Ilium in Hellesponto ponit: at antiqui omnes Hellespontum à Troade distinxerunt. Secundo Trojam & Ilium duas urbes facit: at una & eadem fuit Troja antiqua cum Ilio antiquo. Nam Alexandria Troas, non Troja vocabatur. Sed sequitur forte errorem recentiorum, qui Trojam cum

Troade confuderunt: nam de Ilio novo intelligere vetat vox παλαιάς.

Pag. 30.

Πότε ἢ καὶ ξυρὸν καὶ τύρον Δαρδανικὴν.	*Aliquoties enim & lardum & caseum Dardanicum.*

Ξυρὸν *lardum* interpretantur. Vox illa apud antiquos non invenitur in eo significatu. Interpretabar χάλυβα στομῶμα, instrumentum nempe pro materia, eo, quod de re metallica loquebatur; nam ξυρὸν proprie novaculam significat.

Ibidem.

Λακωνικῇ ἢ μόνῳ Κρονικῷ λίθῳ.	*Laconica vero solo Cronico lapide.*

Multa movit doctus commentator, sed nihil certi adfert. Nec mirum, nam de Cronico lapide nullus alius meminit, est quidem Κρόνιος mons in Peloponneso, sed non Laconiæ, verum Pisatidis, quod tamen non vetaret de eo intelligi, si constaret in eo monte marmoraria fuisse. Nam videtur hic auctor per Laconiam intelligere totam fere Peloponnesum in ea divisione, quam fecit initio hujus capituli. Sed nullus unquam, quod sciam, scripsit in eo monte solere excidi marmora. Ideo nihil de eo affirmo, & aliis trado lubens criticam lampadem.

Pag. 40.


Μαζίκων καὶ Αἰθιώπων.	*Mazicum & AEthiopum.*

Legendum Μαζάκων. Lucanus lib. 4.

Tremulum cum torsit missile Μάζαξ.

Iidemne forte forent, qui olim Herodoto Μάξυες libro 4?

JACOBI



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS, EXERCITATIONES AD STRABONEM.

(Editionis Casaubonianæ.

AD LIBRUM I.

Pag. 57.

Θήραν καὶ Θηρασίαν, νήσους ἱδρυμένας ἐν τῷ μεταξὺ πόρῳ Κρήτης καὶ Κυρηναίας (ὧν ἡ Θήρα μητρόπολίς ἐστι Κυρήνης.	*Thera & Therasiæ insulis in freto sitis, quod est inter Cretam & Cyrenem (quarum Thera est mater Cyrenes colonia ex ea deducta.*

Hic locus magnas turbas faceret, si certum foret ita Strabonem scripsisse, & in eo certe culpa non vacaret, & incuriose scripsisse facile argueretur. Nam solus est omnium Geographorum, qui mentionem fecerit duarum insularum Theræ & Therasiæ inter Cretam & Cyrenensem provinciam sitarum: & si quis ex recentioribus id dixit, sequutus est proculdubio errorem hujus loci. Nam Thera

Thera & Therasia secundum eundem Strabonem infra lib. 10 sitæ erant prope Anaphen in mari Ægeo, & Callimachum citat sic canentem:

* 'Αιγλήτην 'Ανάφην τε Λακωνίδι γείτονα Θήρᾳ.

Ægletem & Anaphen vicinam Laconicæ Theræ.

Si fuit Laconiæ vicina Thera, & ei attribuitur, certe non fuit in mari Cyrenensi, nam ultra Cretam non se extendit Laconicum mare, & idem Strabo lib. 17. ἐστὶ δὲ Θηραίων κτίσμα Λακωνικῆς νήσου. Sed quoniam forte aliquis opponere posset Theram Laconicam dictam fuisse, non quod in mari Laconico fuerit sita, sed quoniam condita & exculta fuit à Thera Autesionis filio, qui Spartam linquens eam insulam habitavit, ad id respondeo, Theram illum non fuisse Laconem, sed potius Thebanum ab Oedipo oriundum, & secum Minyas duxisse Laconibus exosos. Ideo Thera eo nomine dici non potest Laconica. Sed potius ratione situs, & ut pressius agam, affero locum Herodoti lib. 4, ubi ait Theræos oraculo jussos Libyam quærere & habitare, quoniam non noverant, ubi terrarum Libya foret, misisse nuncios Cretam ad inquirendum de Libya: * πέμπουσιν εἰς Κρήτην ἀγγέλους διζημένους, εἴ τις Κρητῶν ἢ μετοίκων ἀπιγμένος εἴη εἰς Λιβύην, περιπλανώμενοι δὲ αὐτὴν οὗτοι ἀπίκοντο καὶ ἐς Ἴτανον πόλιν, ἐν ταύτῃ συμμίσγουσι ἀνδρὶ πορφυρεῖ, τῷ οὔνομα ἦν Κορώβιος, ὃς ἔφη ὑπ' ἀνέμων ἀπενεχθεὶς ἀπικέσθαι ἐς Λιβύην. Ex hoc loco infero certissime, Theram non fuisse sitam ἐν τῷ μεταξὺ πόρῳ Κρήτης καὶ Λιβύης, aliter non misissent Cretam suos κατασκόπους, ut inquirerent de Libya, quæ illis multo vicinior fuisset, & ideo notior: nam idem foret ac si quis dixisset, Sardos misisse ad Ligures, ut de Africa inquirerent. Sed bene conveniebat Theræ sitæ in Ægeo ad Septentrionem Cretæ, misisse Cretam Libyæ multo viciniorem, ut de Libya aliquid certi sibi referrent. Ideo cum inter antiquos neminem viderim, qui Theram & Therasiam in mari Africo posuerint, sed omnes concorditer in Ægeo prope Anaphen & Diam, audacter pronuntio hunc Strabonis locum à mendo laborare, & pro ἐν τῷ μεταξὺ πόρῳ Κρήτης καὶ Κυρηναίας, legendum esse Κρήτης καὶ Κυωυρείας. Plinius id omnino confirmat, qui Theram & Therasiam recenset in numero insularum Ægei maris, & definit spatium inter eas & Ion insulam millia passuum 25. Omnes denique, ut uno verbo dicam, antiqui, qui de Theræ & Therasiæ situ dixerunt, eas in Ægeo ponunt in Sporadum numero, vicinas Anaphes & Dias & Ius, quæ ad Septentionem Cretæ jacent. At recentiores quidam, ut Dominicus Niger, & qui eum sequitur

Mittunt Cretam nuncios ad quærendum, si quis Cretensium vel inquilinorũ adierit Libyam; circumvagantes autem illi ad Itanum urbem venerunt, & ibi convenerunt virum purpuræ mercatorem, cui nomen erat Corobius, qui dicebat, se à ventis transportatum Libyam venisse.

quitur ubique Ortelius, ex hoc Strabonis loco alteram Theram ponunt ad meridiem Cretæ, & eam Niger credit esse eam, quæ *Gozi* vocatur, quæ est antiqua Γαῦλος, vicina Melitæ insulæ. Miror doctissimum Casaubonum nihil ad hunc locum Strabonis annotasse. Ego certo certius duco, vocem Κυμωαίας esse mendum putum purum, & legendum Κυνουρίας, quæ fuit Laconiæ regio ex adverso Cretæ, de qua infra dicendum erit in notis ad Lucianum.

Pag. 61.

Καὶ Τεαρκὼ τοῦ 'Αιθίοπος καὶ Κώβου τοῦ Τρωός.	*Tearco Æthiopis, Cobi Trois.*

Hunc Τεαρκὼ non dubito, quin sit idem, qui Hebræis *Tirhaca* dicitur: viris vero septuaginta *Tharaca* Θάρακα vocatur rex Æthiopiæ lib. Regum 4 cap. 19. Quod ad verba, quæ hoc loco sequuntur, Κώρου τοῦ Τρωός, legendum τοῦ Τρῆρος, ut ex sequentibus patet eadem pagina.

Pag. 64.

Ὧν τὴν ἐσχάτην 'Ουξισάμην φησὶ Πυθέας ἀπέχειν ἡμερῶν τριῶν πλοῦν.	*Quarum ultimam Vxisamam Pytheas ait abesse tridui navigatione.*

Hanc insulam omnium ultimam, quæ ab Ostidamniorum promontorio Calbi distat trium dierum navigatione, puto debere intelligi eam, quæ olim *Uxantos*, nunc *Ouessam* dicitur, nec fortasse eam finxit Pytheas, ut putat Strabo.

Ad Lib. 2. pag. 93.

Τῇ δὲ Καρχηδόνι ὁ πορθμός.	*Rursusq; fretum & Carthago.*

Quid intellexerit per ὁ πορθμὸς Strabo, nec Xylander in sua versione, nec Casaubonus in suis notis explicavit. Ego postquam antecedentia, & consequentia accurate consideravi, non dubito, quin de freto Siculo, quod Rhegium & Messanam intercedit, intelligendum sit. Sic autem eum κατ' ἐξοχὴν indigitat, eo quod & ex Homeri versibus, & ex Scyllæ & Charybdis vicinia & ex Italiæ & Siciliæ, quas disterminat, nobilitate, maxime celebratus sit.

Pag. 126.

Εἰ δὲ βούλει πρόσλαβε καὶ τὴν Σιδήνην μέχρι Φαρνακίας.	*Iis si lubet, adjungere licet Sidenam quoque & Pharnaciam.*

Cave putes intelligi debere de regione circa Siden urbem ad mare Cyprium, sed est regio quædam aliis parum memorata, quam Ptolemæus in prima Asiæ tabula Sidonem vocat: ea regio fuit Trapezuntiis vicina, & pars quædam Ponti Cappadocici.

Ad Lib. 3. pag. 139.

Καὶ νόμους ἐμμέτρους ἑξακισχιλίων ἐτῶν.	*Et metris inclusas leges à sex millibus annorum.*

Non male convenit hæc lectio cum eo, quod dixit supra, [1] καὶ τῆς παλαιᾶς μνήμης ἔχουσι τὰ γράμματα. Tamen si quis mavult legere, ἐπῶν, solvitur τὸ ἄτοπον, & puto sic legendum.

[1] *Et antiqua memoria scripta habent.*

Pag. 140.

Καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἰόζαν τὴν πόλιν.	*Vrbique nomen Iuliæ Ioζæ indiderunt.*

Mauri scilicet barbari, Phœnice vel Palæstina oriundi; nam Romani Juliam Transductam nominabant, quod unum & idem esse, & *Transductam* esse interpretamentum τοῦ Ἰόζαν, seu Γίουσαν, docuit nos doctissimus Samuel Bochartus in suo reconditæ eruditionis pleno de Phœnicum coloniis tractatu.

Pag. 141.

Διέχει δὲ Καρτηίας ἡ Μοῦνδα σταδίους χιλίους ἢ πεντακοσίους.	*Munda autem distat stadia circiter* CIↃ CCCC.

Erratum est in numero. Nam hodiernus Mundæ situs parum distans à Malaga versus Occidentem non patitur τὸ χιλίους verum esse. Notat hoc loco Casaubonus in quibusdam exemplaribus legi ἑξακισχιλίους: quod, ut reor, deformatum fuit è vero numero ἑξήκοντα, ut scriptum fuerit, ἑξήκοντα καὶ πεντακοσίους, qui numerus satis quadraret cum hodierno situ.

Pag. 151.

Ἥ τε ἐν τοῖς Κελτικοῖς Πεζαυγοῦστα.	*Peζaugusta in Celtica.*

Optime reposuit ex manuscriptis doctissimus Casaubonus Παξαυγοῦστα, quod nomen nunc deformatum est in *Badajos*: est autem urbs ad Anam fluvium, nunc *Guadiana*, sita.

Pag. 155.

Ἀλλὰ καὶ ἀναλλόμενοι καὶ ὀκλάζοντες· ἐν Βαστητανίᾳ	*Interim exilientes, & poplitibus flexis rectum corpus demitten-*

δὲ καὶ γυναῖκες ἀναμὶξ ἀντιπρὸσωπλαμβανον ὀμλῶαι τῶν χειρῶν.	*mittentes. In Bastetania id etiam mulieres faciunt una alteram manu tenentes.*

Ita Xylander vertit. Quæ interpretatio non convenit voci ἀναμὶξ, quæ refertur ad viros, de quibus loquebatur, neque voci ἀντιπροσωπλαμβανομῦαι. Ego sic puto exprimi Latine debere: *In Bastetania vero etiam mulieres viris admixta*, vel, *una cum viris facie adversa manus invicem tenentes*. Inde manavit hoc genus Satyricæ saltationis, quam Hispanico vocabulo vocant *sarabanda*, & quam ob morem illum antiquum & motus lubricos proavi nostri vocabant *une quaye antiquaille:* in ea enim mulieres cum viris ἀντιπρόσωποι multa manuum & brachiorum gesticulatione moventur, & de hoc more Martialis lib. 5 epigrammate 79, & lib. 6. epigr. 71, & Juvenalis Satyra XI.

Pag. 156.

Ταύτην τινὲς τῇ Μαινάκῃ τὴν αὐτὴν νομίζουσι.	*Sunt qui hanc eandem putant cum Manaca.*

Ad hunc locum sic commentatur doctissimus Casaubonus: *nec confundit has urbes Ptolemaus eas ita recensens*, Μάλακα, Μαινόβα, Σέξ. *Nam* Μαινόβα *Ptolemai dubio procul est* Μαίνακα *Strabonis, sive Strabo ita scripsit, sive quod verius puto, corrupta veteri* τοῦ μ *pro* β *scriptura* κ. Quæ ultima verba, ut sunt excusa multum habent obscuritatis. Sed ex ejus sententia patet legendum esse *corrupta* τοῦ β *per* κ *scriptura.* Ita putat vir summus Strabonem ex Ptolemæo corrigendum esse, eo quod apud Plinium eadem vox *Menoba* invenitur. At pro Strabone facit nomen hodiernum: nam eodem situ, quo Ptolemæus ponit Menobam, & Strabo Mænacam, est adhuc pagus seu oppidulum nomine *Al munecar: al* vero est articulus Arabicus. *Munecar* ad *Manaca* prope accedit.

Pag. 159.

Μέχρι Ἐμπορείου. αὐτὸ δ᾽ ἐστὶ Μασσαλιωτῶν κτίσμα ὅσον τετρακισχιλίους διέχον τῆς Πυρήνης σταδίους.	*Usque ad Emporium. Urbs ea à Massiliensibus condita à Pyrena distat ad stadia* CCCC.

Immane quantum hic numerus distat à vero. Scribe pro τετρακισχιλίους,

κισχιλίους, τετταράκοντα. Nam ex bellis nuperis, quæ in Catalaunia gessimus, hæc loca nobis nunc sunt notissima, & metuo, ne τετταράκοντα nimis sit; non equidem, si ad summum Pirenæum numeres, sed si ad primum ascensum & montis πρόποδας numerandum foret. Forte pro δ legendum foret δ', id est, pro *quatuor mille*, legendum *quatuor*, & error provenit ex litteris numeralibus.

Pag. 160.

Καὶ συνάπτει τῷ Σπαρταρίῳ. | *Et Spartario applicatur.*

Ad hæc summus vir: *Spartarium campum intelligit, qui est circa Carthaginem novam, quæ ideo Spartaria Latinis, Græcis σπαρτοφόρος appellatur.* Timeo, ne abeat à Strabonis mente hæc interpretatio. Nam Carthago nova fuit ad ipsum mare sita: iter vero, quod describit, per mediterraneam regionem procedit: postquam enim per Saguntum & Setabin processit, tunc (ut ait Strabo) discedit à mari & ad Cordubam tendit. Sed ut viro doctissimo patrociner, potuit ille campus, qui est prope Carthaginem, tantum in mediterraneum extendi, ut qui Cordubam tendebant, per illius fines iter facerent. Id examinandum relinquo iis, qui eam regionem lustrarunt, quam non vidi.

Pag. 165.

Ἐκείνους αὐθ' ἑαυτῶν κατακλίνασθαι. | *Suo loco viros decumbere.*

Mirum est, quod Hispani narrant de quibusdam Americanis, qui hunc morem tam à ratione alienum servant, unde conjicio eos olim ab Europæ partibus eo advectos fuisse cum eruditissimo Hugone Grotio.

Pag. 181.

Τὸ Σίγιον ὄρος. | *Mons Sigius.*

Ptolemæus habet Σήπον, quod notat Casaubonus, sed nihil decernit. Proculdubio corrigendus est ex Ptolemæo Strabo, nam etiam hodie nomen durat, & vocatur ille locus ab incolis eorum lingua *lou cap de Sete.*

Pag. 186.

Συμβαίνει δὴ κατ' ἀρχὰς μὲν τοὺς τρεῖς ποταμοὺς φέρεσθαι πρὸς ἄρκτον. | *Id contigit, ut hi tres fluvii ab initio versus Septentrionem ferantur.*

Falleris,

Falleris, ô Geographorum optime: nunquam enim Arar versus Septentrionem fluit, nec, ut supra dixisti, ex Alpibus nascitur, sed ex Vogeso monte, & recta fluit versus meridiem ab ipsa origine, flexus tamen modo versus Orientem, modo ad Occidentem plures faciens, sed nunquam ad Septentriones. Ignoscendum est Græco homini, imo Asiatico de Gallia scribenti, & qui forte Dubim pro Arare, in quem influit, accepit.

Pag. 190.

Οὐελλαῖοι δὲ μετὰ τούτους.	*Et Vellaunii.*

Apud Cæsarem dicuntur Velauni, sed Casaubonus asserit antiquum codicem exhibere *Velaui*. Noster Strabo proxime accedit ad nomen hodiernum, imo ipsissimum est nomen. Nunc enim ea regio dicitur *Vellai*.

Pag. 192.

Μεταξὺ μὲν οὖν τοῦ Δούβιος καὶ τοῦ Ἄραρος οἰκεῖ τὸ τῶν Ἐδούων ἔθνος.	*Inter Dubin & Ararim Hedui incolunt.*

Hic locus errore non vacat; vel scripsit Strabo μεταξὺ τοῦ Λίγηρος καὶ τοῦ Ἄραρος, vel habuit in mente, vel habere debuit. Nam Eduorum situs satis notus est inter Ligerim & Ararim.

Pag. 202.

Στάδιοι δ' εἰσὶν μεταξὺ Γενούας καὶ Σαββάτων σ' πρὸς τοῖς ξ'.	*Inter Sabbata & Genuam stadia sunt* CCLX.

Hoc est iter maritimum brevius. At aliud iter describit Antoninus per montium circuitum & Dertonam multo longius, cujus itineris milliariorum summa CXLI. Ideo putavit doctissimus commentator numeros esse corruptos, eo quod tanta differentia inter duo illa itinera exurgit. Sed non cogitabat vir ille summus, iter illud Antonini non esse justum inter duo illa oppida spatium, sed tanto per Dertonam & aquas Statiellas circuitu, ut numerus ille Antonini videatur potius minor justo quam major.

Pag. eadem.

Ἔχουσι δὲ ὕλην ἐνταῦθα τὰ ὄρη παμπόλλην ναυπηγήσιμον καὶ μεγαλόδενδρον.	*Ibi silvæ frequentes ligna ad naves compingendas suppeditantes; magnarum feraces arborum.*

Immane quantum immutata sit ea regio, si verum dixit noster

Geographus. Nam hodie de Genua proverbialiter dicitur, *montagna senza legno mar senza pesce* &c.

Pag. 217.

Οὗτος δ' ὁ Σκαῦρός ἐστιν ὁ καὶ τὴν Αἰμιλίαν ὁδὸν στρώσας τὴν διὰ Πισῶν καὶ Λούνης μέχρι Σαββάτων.

Is est Scaurus, qui viam Æmiliam stravit, quæ per Pisas & Lunam usque ad Sabbatos ducit.

Metuo, ne falsus sit hoc loco noster Geographus, qui duas Æmilias facit. Cicero certe Philippica 12 maritimam per Hetruriam viam non Æmiliam, sed Aureliam vocat: de eo amplius inquirendum.

Pag. 226.

Φερωνία πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ δαίμονι τιμωμένη σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιΐαν ἔχον· γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιάν.

Urbs est Feronia, cognominis indigenæ cujusdam Deæ, quam vicini studiose venerantur: atque est ibi lucus Feroniæ, in quo sacrificium perpetratur mirabile: nudis enim pedibus perambulant prunarum struem &c.

Hoc miraculum in Apollinis sacris fieri, non autem Feroniæ, contra Strabonem probare satagit Cluverius Italiæ antiquæ lib. 2 cap. 3: ubi & Servium citat, quem ex Varrone quibusdam medicamentis id effici asseruisse dicit: eum vide.

Pag. 237.

Κατὰ Κάσινον πόλιν. | *Ad Cassinum urbem.*

Lege Κασιλῖνον. nam *Casinum* erat in via Latina, ut ait Livius lib. 26. *per Suessanum Venafranumque & Casinatem agrum via Latina ducit.* At via Appia inferius ad mare erat, & per Minturnas & Sinuessam Casilinum ducebat, ubi cum Latina coincidebat: vide tabulas, ubi hæ duæ viæ notantur.

Ibidem.

Καὶ Κόρα καὶ Σύεσσα, Τραπόντιόν τε καὶ Οὐέλιτραι.

Et Cora & Suessa & Trapontium, Velitræ.

Cluverius legit, καὶ Σύεσσα Πωμεντῖνα, multo melius: eum vide.

Pag. 238.

Pag. 238.

Καπίτυλον καὶ Ἀναγνία πόλις. | *Capitulum & Anagnia urbs.*

Ex Antonini itinerario & tabulis palam est debere legi, pro Καπίτυλον, Κώμπτον,

Pag. 239.

Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς τὸ μὲν Λαουίνιον.	*Supra eam sita est Lavinium.*

Lege meo periculo Λανούϊον. Nam Lavinium urbs non fuit in edito, sed ad maris littus: at Lanuvium fuit super Ariciam in edito. Vide Cluverium in sua Italia. Salmasius tamen in suis ad historiam Augustam notis pertendit Lavinium & Lanuvium unum & idem esse, sed non persuadet.

Pag. 240.

Τούτων ἐστὶν ἱερεία καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος.	*Iisque adest sacerdos nomen cum genio quodam habens commune.*

Doctissimus & mihi semper cum honore nominandus Casaubonus pro ἱερεία vult legi ἱέρεια. Si quid post tantum virum mussitare auderem, putarem debere legi ἱερά, minima mutatione. Cluverius demonstravit eum, de quo loquitur hoc loco, fontem non esse Iuturnæ fontem, ut putat. Sed sive fuerit Iuturnæ sive Egeriæ, non dixisset Strabo δαίμονός τινος, si eam divam seu dæmonem proprio nomine jam indigitasset. Igitur mihi videntur melius procedere verba Strabonis, si ἡ ἱερὰ legatur, & sic verto: *earum est una, quæ sacra dicitur, diva cujusdam ferens nomen.* Nam proprio epitheto hic fons, de quo agitur sacer dicebatur. Sic Juvenalis eum vocat Satyra 3.

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Judæis.

Pag. 243.

Καὶ τὸ Φλεγραῖον καλούμενον πεδίον, ἐν ᾧ τὰ περὶ τοὺς γίγαντας μυθεύουσιν οὐκ ἄλλοθεν, ὡς εἰκός, ἀλλ' ἐκ τοῦ περιμάχητον τὴν γῆν εἶναι δι' ἀρετήν.	*Et quæ de Phlegrais campis fabulantur, ac re ibi cum gigantibus gestâ non aliunde videntur orta, quam quod eam regionem ob soli virtutem multi sibi certatim vindicarent.*

Videtur

Videtur aliquid deesse sententiæ, quæ perfecta foret, si adderetur, εἰρηκέναι post ὡς εἰκός; sic, οὐκ ἄλλοθεν, ὡς εἰκός, εἰρηκέναι δοκεῖ.

Ad Lib. 6. Pag. 255.

Ἔυθυμον μυθεύουσι τὸν πύκτην. | *Euthymum ferunt pugilem.*

Hanc sive historiam sive fabulam pluribus exequitur Pausanias lib. 2 Eliacorum.

Pag. 261.

Καὶ ὁ δρυμὸς ὁ φέρων τὴν ἀρίστην πίτταν, ἣν Βρεττιανὸν Σίλαν καλοῦσι.	*Et silva picem ferens optimam. Silvam eam Bruttii Silam vocant.*

Variant in hoc loco exemplaria, ut testatur Casaubonus in margine, & putat debere legi τὴν Βρέττιον καλοῦσι. Sed minima mutatione legi mallem, πίτταν τὴν Βρεττίαν, ὃν Σίλαν, referendo ὃν ad δρυμὸς, ὃν Σίλαν καλοῦσι, quod veritati consentit: nam illa silva Sila vocatur.

Pag. 266.

Ἐκ δὲ Μεσσήνης εἰς Λιλύβαιον τῇ Οὐαλερίᾳ ὁδῷ λε΄.	*A Messana Lilybæum via Valeria* XXV.

Numeri sunt corrupti, & palam justo minores: credo evanuisse notam numeralem α, & sic debere legi ὁδῷ αλε.

Pag. 267.

Αἱ δὲ μεταξὺ Κατάνης καὶ Συρακουσῶν ἐκλελοίπασι Νάξος καὶ Μέγαρα.	*Quæ inter Catanam ac Syracusas fuerunt urbes, perierunt, Naxus, & Megara.*

Si sic scripserat noster Geographus, certe hallucinatus est: nam certo certius est, Naxum, quæ postea Tauromenium dicta est, fuisse sitam inter Catanam & Messanam, ex Thucydide & aliis cum Plinio, quem citat Casaubonus. Sed forte non ita scripserat Strabo, & debet legi Θάψος καὶ Μέγαρα. Nam nec Ptolemæus nec Plinius ullam de Thapso fecerunt mentionem, quod suadet eam urbem ante Strabonis tempora desertam fuisse, & ἐκλελοιπέναι, quod ait Strabo.

Pag. 269.

Καὶ γὰρ οἱ ῥύακες εἰς τὴν Καταναίαν ἔγγιστα καταφέρονται.	*Nam & ignis qui ex Ætna evomitur, fluxu suo proxime in Catanæum agrum devolvitur.*

Putat

Putat doctissimus commentator ῥύακες debere interpretari *favillæ*, eo quod Plinius dixit, *favilla Tauromenium & Catanam usque pervenit fervens.* Sed aliter me docuit Procopius rerum Gothicarum lib.4, quem vide. Usus est etiam Synesius ea voce lib. de regno, ubi de Aristotele & Platone loquutus sic ait: [1] καὶ ὅσοι ἀπὸ τούτων ῥύακες φιλοσοφίας ἐρρύησαν. De favillis, quæ Græce σπινθῆρες dicerentur, minus proprie diceretur ἐρρύησαν: nam ῥέουσι de fluviis & aqua dicitur & de liquidis, quæ pondus habent, ut ad inferiores locos tendant, sed favillæ πέτονται, volant magis quam fluunt. Igitur ῥύακες sunt rivi veluti & fluenta ignitorum lapidum immenso fornacis Ætnææ calore fusorum, & sulphuris, qui rivi ab Ætnæ cratere evomuntur, & inde per subjectos campos fluunt omnia adurentes. Vide Thucydidem in fine libri 3, Fazelum & alios, qui de Ætna monte & ejus incendiis scripserunt.

[1] *Et quanti ab iis Philosophia rivi effluxerunt.*

Pag. 271.

Ἐγγὺς δὲ μηδὲν ἐν τῷ πόρρω τῆς θαλάσσης φαινόμενον στόμα.	*Neque in vicinia & procul à mari ullæ fauces appareant.*

Non tetigit hoc ulcus doctissimus commentator, licet viderit, & morbosum hunc locum jure pronunciaverit. Sed puto una litterula dempta, quæ abundat, eum optime posse sanari. Ergo lege, ἐν τῷ πόρω τῆς θαλάσσης, sensu plano.

Pag. 275.

Καὶ ὁ Νεῖλος ὁ ἐν τῇ Λιβύῃ μικρὸν πρὸ τῶν πηγῶν.	*Et in Africa Nilus non procul à fontibus.*

Lego ἀπὸ τῶν πηγῶν, nam lectio vulgata est absurda: fluvius enim non potest sorberi, antequam oriatur. Cæterum sequitur Jubam, qui teste Plinio lib. 5 cap.9 fontes Nili in Mauritania esse scripserat, & inde per Libyam eum ad Æthiopas & Meroën deducebat, quæ sententia non solum à Plinio & suo imitatore Solino, sed etiam à Dione Nicæo apud Xiphilinum, à Pausania in Atticis, à Duri Samio antiquo auctore, qui de Libycis scripserat, ab Ammiano Marcellino lib. 22, Vitruvio lib. 8 cap. 1, & aliis, approbata est.

Pag. 281.

Καὶ εἰς Σάσωνα τὴν νῆσον, ἥτις μέση πως ἵδρυται τοῦ διάρματος τοῦ ἐκ τῆς ἠπείρου πρὸς τὸ Βρεντήσιον.	*Et ad Sasonem insulam, quæ in medio fere inter Epirum & Brundisium jacet trajectu.*

Hæc ſunt commode intelligenda, non ab Epiri finibus, ad quos jacet Saſon inſula, ſed vel à Buthroto, vel à Caſſiope, vel ab Onchesmo portubus Epiri, ubi appellebant naves, quæ Brunduſio ſolventes in Epirum vela faciebant: aliter non conſtaret huic loco fides, nam Epirus terminatur Acroceraunüs, quæ proxima ſunt Saſoni inſulæ.

Pag. 282.

Καὶ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάσσης Σαλῆπα. | *Ac parvo ſupra mare intervallo Salapia.*

Hunc locum mendoſum eſſe nemo credo ſubodoratus eſt, at non eſt ſanus, & ex fine verbi θαλάσσης repetita finali littera in principio ſequentis vocis (ut ſæpe fit) ex Ἀλῆπα fecerunt Σαλῆπα. Lege ergo meo periculo Ἀλῆπα, urbs fuit in illo tractu, quam Plinius & alii *Aletium* vocarunt.

Ibidem.

Καὶ Νῆπον καὶ Καινύσιον. | *Et Netium & Canuſium.*

Putat Caſaubonus τὸ νῆπον eſſe male repetitum ex Καινύσιον, quod apud Ptolemæum non notatur ea urbs, ſeu locus, ſed cum videam in tabulis Peutingerianis in eo tractu poſt Celiam *Ehetium*, puto non eſſe vocem expungendam hoc loco ex Strabone Νῆπον, ſed vel corruptam eſſe ex *Ehetium* tabularum, vel *Ehetium* corruptum in tabulis ex Νῆπον.

Pag. 283.

Μέχρι Σιλβίου. | *Ad Silvium.*

Puto legendum eſſe ex tabulis Σιλύτου, qui locus mediterraneus notatur inter *Venoſam* & *Egnatiam*, ex nomine ſuſpicor eſſe hodiernum *Leſito*.

Pag. 284.

Ἡ δὲ χώρα εὐδεινὴ διὰ τὴν κοιλότητα τῶν πεδίων. | *Eſt autem regio ob cavitatem camporum tepida.*

Legendum vel εὐδιεινὴ ab εὔδιος vel εὐδειελὴ, quod tamen non memini me legiſſe in fœminina terminatione; ſed ſemper εὐδείελος ὁ καὶ ἡ: ideo εὐδιεινὴ magis placet, & magis accedit ad vulgatam lectionem.

Ad

Ad Lib. 7. pag. 289.

Ῥέων πρὸς νότον κατ' ἀρχάς.	*Fluens ab initio versus meridiem.*

Cave credas: Geographia Strabonis multum aberrat à vero hoc loco. Nam circa initia πρὸς ἕω fluit Danubius, & magis πρὸς ἄρκτον se inclinat, nec ad meridiem flectitur (flexu notabili) priusquam peragrata tota Germania, Hungariam attingat. Sed, ut Straboni faveam, forte fluvii *Briq* vocati defluxum pro Danubii defluxu accepit, qui in Danubium adhuc exiguum non longe à fonte influit, & ita etiam quodammodo fons ille fluvii Brig est etiam Danubii fons, & ejus defluxus Danubii defluxus: fluit autem recta à Septentrione in meridiem.

Pag. 305.

Ὁμόγλωττοι δ' εἰσὶν οἱ Γέται τοῖς Δάκοις.	*Eadem utuntur cum Dacis lingua Getæ.*

Nominum propriorum terminationes id evincunt: nam Dromichetes rex Getarum, supra nominatus pag. 302, ejusdem est soni & terminationis cum rege Dacorum Zarmischete, qui bello victus est à Trajano.

Pag. 313.

Ἀφ' οὗ φησι Πολύβιος ἀμφοτέρας καθορᾶσθαι τὰς θαλάττας οὐκ ἀληθῆ λέγων.	*Ab hoc Polybius utrumque mare cerni falso ait.*

Periit locus Polybii, quo tale ἀπόπτημα posuerat: vellem verba Polybii posuisset Strabo. Si tamen nihil aliud dixit, quam quod scribit Strabo, non sequitur eum intellexisse de mari Pontico & Hadriatico, sed de Ponto & Propontide forte id dixerat, quod non est impossibile.

Pag. 314.

Ἐντεῦθεν δ' ὁ Νόαρος πλῆθος προσλαβὼν τὸν διὰ τῶν Ἰαπόδων ῥέοντα.	*Inde Noarus augetur hausto Calapi amne per Iapodas delabente.*

Sic vertit interpres. Tamquam si Strabo scripsisset, πλῆθος προσλαβὼν τὸν διὰ τῶν &c. quasi *copiam aquarum* dixisset πλῆθος. At si quid in iis rebus video, legendum est non πλῆθος (quod non convenit quantitati continuæ, sed discretæ) sed πλωτός, & verten-

dum: *Inde vero Noarus jam navigabilis*. Forte & idem censebis lector.

Pag. 318.

Ἐμβαλλόντων εἰς τ' Ἴστρον τῶ τε Νοάρου, τῶ παρὰ τὴν Σεγεστικὴν ῥέοντος, καὶ τῶ Μάρτου, τινὲς δὲ Βάργον φασί.	*In Istrum influentes Noarum, qui præter Segesticam fertur, & Martum, sive ut alii vocant, Bargum.*

Ex hoc loco & superiore pagina 314 patet Noarum in Istrum influere, & Savi nomen eo tempore non durasse usque ad Istrum secundum Strabonis mentem: nunc vero Noarus in Savum influit, & Savi nomen prævalet. Fuerit igitur Noarus unus è fluviis, qui Savum influunt, Drinus forte vel alius: Martus vero sive Bargus debet is esse, qui nunc in mappis *Ibar* dicitur à meridie in Istrum influens.

Pag. 319.

Αἶνος Πολτιοβρία ποτὲ ὠνομάζετο.	*AEnus aliquando Poltiobria dicta fuit.*

A Poltye proculdubio conditore, qui teste Plutarcho libro Apophthegmatum fuit Thraciæ rex tempore belli Trojani: ergo scribendum est Πολτυοβρία, per υ, quando ejus conditor fuit Πόλτυς, terminatione Thracica, ut Κότυς.

Pag. 320.

Εἰς δὲ Σινώπην προϊοῦσα ὡραιοτέρα πρός τε τὴν θήραν καὶ τὴν ταριχείαν ἐστίν.	*Ad Synopen usque provectæ, jam & captu meliores sunt, & ad salsamentum commodiores.*

Inde proculdubio salsamenta, quæ Sinope conficiebantur, ὡραῖα appellabantur.

Pag. 321.

Ἔτι δὲ πρότερον οἱ τὴν Τροίαν ἑλόντες ἐξήλασαν τοὺς Λέλεγας ἐκ τῶν περὶ τὴν Σίδην τόπων τ κτ Πήδασον.	*Sed & ante ii, qui Trojam ceperunt, Leleges ejecerant è locis Sidæ vicinis, juxta Pedasum.*

Mutat hanc lectionem Casaubonus, & vult legi τῶν περὶ τὴν Ἴδην τόπων, & quidem non sine magna ratione: eum vide.

Pag. 325.

Pag. 325.

Παραῤῥεῖ δὲ αὐτὴν ὁ Ἄραχθος ποταμός.	*Eam præterlabitur Arachthus fluvius.*

Lycophroni dicitur hic fluvius Ἄραιθος, ut & Callimacho dictus fuerat, si fides Tzetzæ ad Lycophronem pag. 73.

Pag. eadem.

Ἐκ Στύμφης ὄρους.	*E Stympha monte.*

De hoc montis nomine quid censeam, nondum decernere potui, adeo variatur in ejus denominatione apud auctores, quorum alii Στύμφη habent, alii Τύμφη, ut & Strabo inferius. Ego in notis ad Arrianum pag. 8 notaveram in vocibus παρὰ τῆς Στυμφαίας, literam σ à præcedentis dictionis fine male repetitam esse, & volebam legi τῆς Τυμφαίας, sed in hoc Strabonis loco ea nota non convenit: ideo ἐπέχω. Hic mons Thessaliam ab Epiro dividebat, ideo à quibusdam Thessaliæ, ab aliis Epiro tribuitur.

Ibidem.

Τό τε κατασκευασθὲν τέμενος ἐν τῷ προαστείῳ τὸ μὲν εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν πεντετηρικὸν, ἐν ἄλσει ἔχοντι γυμνάσιόν τε καὶ στάδιον, τὸ δὲ ἐν τῷ ὑπερκειμένῳ τοῦ ἄλσους ἱερῷ λόφῳ.	*In suburbio lucus est adornatus ad quinquennale certamen, in quo luco gymnasium est & stadium, in tumulo, qui luco imminet.*

Si quis attente considerabit hunc locum, videbit non esse sanum, claudicat enim historia: cum enim de eo sacro loco dicat, de duobus assumit. Igitur minima mutatione lege: ¹ τὼ δὲ κατασκευασθέντε τεμένω, dualiter, & sic planus erit & plenus sententiæ sensus.

¹ *Duo septa preparata.*

Pag. 328.

Καὶ τὸ ὄρος ὁ Τόμαρος ἢ Τμάρος, ἀμφοτέρως γὰρ λέγεται.	*Itemque mons seu Tomarus seu Tmarus, utrumque enim effertur.*

Eustathius vero ad Odyss. π tertiam lectionem exhibet Τόμουρος.

Pag. 330.

Πιμπλείαν ἔνθα Ὀρφεὺς διέτριβεν.	*Pimpleam, ubi Orpheus moratus est.*

In antiquis exemplaribus Πίπλαν & Πιπλείαν sine littera μ legi notave-

notaverunt eruditi, ut notavit Salmasius ad Solinum pag. 159.

Pag. eadem.

Πόλις Πύδνα, ἡ νυῦ Κίτρον καλεῖται.	*Vrbs Pidna, quæ nunc Citrum vocatur.*

Ex hoc loco, credo, is, qui scripsit additamentum ad Constantini themata, nomina quarundam urbium antiqua per nomina recentiora interpretatus, accepit, quod ait Πύδνα τὸ νυῦ Κίτρον. Sed mihi dubium movet T. Livii auctoritas, qui pluries eam urbem Citium vocat, & sic Κίτιον hoc loco legendum foret. Sed donec aliunde lux affulgeat, dubium erit, an ex Strabone apud Livium sit *Citrum*, an ex Livio apud Strabonem Κίτιον.

Pag. eadem.

Ὅπερ Ὅμηρος Ἀμυδῶνα καλεῖ.	*Quem Homerus Amydona appellat.*

Et adhuc sic legitur apud Homerum duobus locis Iliad. β & π. Stephanus tamen & cum eo Suidas per β Ἀβυδῶνα legunt in hoc Strabonis loco, nec potest dici errorem esse exscriptoris: nam ordo Alphabeticus evincit, eos sic scripsisse, ut editum est: ideo ἐπέχω.

Ibidem.

Εἶτα Δέῤῥις. | *Deinde Derris.*

Herodotus lib. 7. sect. 22 ἄμπελον ἄκραν ponit, ubi Strabo hic Δέῤῥιν ponit.

Pag. 331.

Ἀχρεσθώους. | *Acrestheos.*

Hos Thucydides lib. Ἀκροθώους habet: melius forte utrobique legeretur Ἀκροαθώους, ab ἄκρα & Ἄθως.

Ad Lib. 8. Pag. 334.

Ἀπὸ μυχοῦ τοῦ Κρισαίου κόλπου. | *Ab initio Crissæi sinus.*

Ex sequentibus patet per Crissæum sinum non intelligi debere totum illud mare, quod supra vocavit Corinthiacum sinum, cujus extremum posuit paucis supra lineis ad Pagas Megaricas, & illi est totius sinus Corinthiaci μυχὸς recessus intimus; sed peculiarem sinum minorem, qui pars est totius illius majoris, quem prope Crissam se in Phocidem insinuare conjicio, & quædam neotericæ tabulæ eum ita depingunt.

Pag. 336.

Pag. 336.

Εἶθ' ἑξῆς ἐπὶ τὸ Ἀντίρριον Αἰτωλοὶ, τὸ δὲ λοιπὸν μέχρι Ἰσθμοῦ Φοκέων ἐστὶ καὶ Βοιωτῶν καὶ τῆς Μεγαρείδος.	*Deinde ad Antirrhium Ætoli, reliqua ad Isthmum usque Phocenses habent & Bœoti & Megarenses.*

Hic locus non videtur integer, nullam enim de Locris Ozolis facit mentionem, qui tamen ad eum sinum inter Ætolos & Phocenses erant siti: quæ sequuntur etiam turbata sunt, & mutila, sed quæ sine ope manuscripti integrioris quis supplere auderet, quod doctissimus Casaubonus non tentavit?

Pag. 338.

Ὅ τε Πηνειὸς ἐκδίδωσι ποταμός. | *Penei amnis ostia sunt.*

Ortelius in suo Lexico Geographico videtur legisse in Strabonis quadam epitome, quam citat, Μλώιος, male certe ibi scriptum fuerat, forte pro Μινυήιος.

Ibidem.

Ἐφ' ᾧ Ἔφυρα πόλις ἑτέρα τῆς Θεσπρωτικῆς, καὶ Θετταλικῆς καὶ τῆς Κορίνθου.	*Super hunc sita est urbs Ephyra diversa ab Ephyris Thesprotica, Thessalica & Corintho.*

Ex hoc loco corrigendus Pindari Scholiastes Nem. septimo, ubi recensens quatuor Ephyras, postquam Corinthum & Thessalicam recensuit, hæc ait: [1] τρίτην δὲ περὶ Μῆλιν, ἧς Ἱππίας μνημονεύει, τετάρτην τὴν ἐν Θεσπρωτοῖς. Ex hoc igitur Strabonis loco debet emendari, & pro Μῆλιν legendum τὴν Ἦλιν.

[1] *Tertiam circa Melim, cujus meminit Hippias, quartam in Thesprotibus.*

Pag. 339.

Οὐχ ἡ τοῦ Νέστορος πόλις, ἀλλ' ἑτέρα τις ἡ πρὸς τὸν Ἀλφειὸν, ἧς οὐδέν ἐστι κοινώνημα, οὐδὲ τῇ πρὸς τὸν Παμισὸν εἴτε Ἄμαθον χρὴ καλεῖν.	*Non ea Nestoris urbs, alia enim est Pylus ad Alpheum, cui nihil commune est neque cum Alpheo, neque cum Pamiso flumine, sive is est Amathus.*

Hæc sic vertit Xylander. Difficile est divinare, quomodo Xylander legerit, videtur tamen sic legisse: ἀλλ' ἑτέρα τις, ἧς πρὸς τὸν Ἀλφειὸν οὐδέν ἐστι κοινώνημα οὐδὲ πρὸς τὸν Παμισόν. Sed putemus sic legisse, quid

quid de his verbis faciemus? *Pylus ad Alpheum, cui nihil commune est neque cum Alpheo*. Certe hæc sunt ἀσύστατα, & malo suspicari exscriptores male hunc locum excepisse & corrupisse, quam tale versionis monstrum Xylandro tribuere: miror doctissimum commentatorem id dissimulasse.

Pag. 342.

Ὁμώνυμον τῷ κατὰ τὴν Ἀκαρνανίαν καὶ Πεῖρον. | *Alioque nomine Pyrus dicitur.*

Falsus est Xylander, dum sic vertit, tamquam si legisset, τὸν καὶ Πεῖρον. Sed non recipit eam lectionem Casaubonus, & jure: Pirus enim ad Olenum fluebat, Achelous ad Dymen. Certe mutilus est locus Strabonis, quem sine manuscriptorum auxilio supplere non aggrediar.

Pag. 343.

Εἶτ' ἄλλη ἄκρα ἐπὶ πολὺ προέχουσα. | *Aliud deinde est promontorium longe procurrens.*

Putat doctissimus commentator nomen hujus promontorii non expressum fuisse à Strabone, sed quando in margine textus apponit ex manuscripto ἰθὺς ἐπὶ πολὺ, non est dubium, quin nomen apposuerit Strabo; Ἰχθὺς, quod mala manu mutatum est in ἰθὺς, & eo quod vox ἰθὺς superflua videbatur, ab exscriptoribus expuncta est, & nihil certius est Ἰχθὺς debere legi. Nam & cum Ptolemæo & Plinio & Mela, quos citat Casaubonus, Thucydides lib. 2 & Xenophon lib. 6 Hellenicorum id omnino firmant.

Pag. eadem.

Ὁ δὲ Ἀλφειὸς παραλαβὼν τόν τε Κελάδοντα καὶ τὸν Ἐρύμανθον καὶ ἄλλους ἀσημοτέρους. | *Alpheus autem receptis Celadonte & Erymantho aliisque obscurioribus fluminibus.*

Plura sunt, quæ mihi suadent hunc locum non esse sanum, sed partim mutilum, partim corruptum. Primum enim Strabo enumeratis fluviis, quos nominavit, addens καὶ ἄλλους ἀσημοτέρους palam innuit, se majores & insigniores fluvios enumerasse: at Ladonis nullam fecit mentionem in vulgata lectione omnium, qui in Alpheum influunt, majoris & celebrioris: Celadontem vero nominat, de quo non constat, eum in Alpheum suas aquas deposuisse; nam Κέλαδος quidem

quidem fluvius fuit è Lycæo monte in Alpheum defluens, de quo Pausanias in Arcadicis, sed is fuit parvi nominis. Nam fluvius, quem Homerus Κελάδοντα vocat, fuit prope Phiam & Jardanum, & forte ipse Jardanus intelligitur, quem ob strepitum aquarum Homerus & post eum alii Celadonta vocarunt, (nam & Theocritus Idyll. 7 ea voce utitur pro epitheto, καὶ ποταμοὶ κελάδοντες.) Ille autem fuit alius à Celado Pausaniæ, qui longe à Phia. Postea quare Strabo turbato & perverso ordine eos ita enumerasset, ut Celadontem ultimum omnium, qui in Alpheum influunt, (si tamen in eum influit) quando Phiam admare sitam alluebat, ante Erymanthum locasset, recurrens altius contra Alphei decursum, mutato ordine, quem tenuerat. Profecto non ita scripserat Strabo, sed sequutus erat ordinem, quo in Alpheum influebant fluvii, quos enumeravit. Itaque in voce Κελάδοντα, puto latere Ladonis nomen, & Κελάδοντα factum esse ex καὶ Λάδωνα: excidisse autem nomen unius vel plurium fluviorum ante vocem Κελάδοντα, & si quid meræ conjecturæ valent, putarem Strabonem sic scripsisse: [1] παραλαβὼν τόν τε Ἐλίσσοντα, καὶ Λάδωνα, καὶ Ἐρύμανθον. Nam Elisson fluvius erat magnus & insignis, de quo sic Pausanias in Arcadicis: ποταμὸς δὲ Ἀμίνιος ῥέων παρὰ τὸν λόφον, ἐς τὸν Ἐλισσοῦντα ἐκδίδωσι, καὶ οὐ πολὺ ἄπωθεν ἐς τὸν Ἀλφειὸν ὁ Ἐλισσῶν· οὗτος ἀρχόμενος ἐκ κώμης ὁμωνύμου — τήν τε Διπαιέων καὶ τὴν Λυκαιάτιν χώραν, τρίτα δὲ αὐτὴν διεξελθὼν Μεγάλην πόλιν τριάκοντα σταδίοις ἀποτέρω Μεγαλοπολιτῶν τοῦ ἄστεος κάτεισιν ἐς τὸν Ἀλφειὸν, id est, *fluvius Aminius secundum collem fluens, in Elissontem influit, & non longe post in Alpheum ipse Elisson: qui ortus in pago cognomine, Dipæorum regionem & Lycaatin, tertio vero ipsam Megalopolim pertransiens, triginta stadiis ab oppido Megalopolitarum in Alpheum descendit.* Idem porro Pausanias in primo Eliacorum & in Arcadicis, multos fluvios recenset, qui in Alpheum cadunt, at nullam de Celadonte facit mentionem. Ideo non dubito, quin scripserit Strabo καὶ Λάδωνα, & notandum, Strabonem infra hoc libro dicere, multos esse, qui contendebant apud Homerum Iliad. η debere legi non Κελάδοντα sed Ἀκίδοντα. Quod ad cæteram meam conjecturam de Elissonte, ut verisimilem tantum propono.

[1] Recipiens Elissontem & Ladonem & Erymanthum.

Pag. eadem.

Εἶτα τὸ διεῖργον ὄρος τὴν Τριφυλίας τὴν Μακιστίαν ἀπὸ τῆς Πισάτιδος.

Sequitur mons, qui Macistiæ Triphyliam à Pisatide distinguit.

Dominicus Niger videtur legisse suo tempore, εἶτα Πιτάνης τὸ λιέρχον.

Pag. 344.

Μεταξὺ δὲ τῦ Λεπρέυ καὶ τῦ Ἀννίυ. | *Inter Lepreum & Annium.*

Casaubonus pro Ἀννίυ legit Σαμικῦ, & quidem certo certius est vocem Ἀννίυ esse corruptam, sed non possum assentiri doctissimo viro in voce Σαμικῦ, nam non poterat Posidonium sive Neptuni templum distare à Samico centum stadiis, quando ipse Strabo infra pag. 347 ait Samicum illi templo instare: τύτῳ δὲ κορυφὴ ὑψηλὴ ἐπικεῖσθαι τὸ Σαμικόν, quod non potest dici de loco tam remoto. Itaque non dubito legendum esse pro Ἀννίυ, Ἀνίγρυ. Nam Anigrus erat fluvius per ea loca fluens, de quo postea plura Strabo.

Pag. 345.

Χώραν δὲ εἶχον εὐδαίμονα οἱ Τεγεᾶται. | *Lepreatarum ager felix fuit.*

Ad hunc locum nihil Casaubonus, nisi *sic legit Eustathius*, quod indicat jam tempore Eustathii corruptum fuisse hunc locum: nam sanus esse non potest, qui ponit Tegeatas Cyparensibus vicinos, toto fere Peloponnesi spatio intercedente. At Xylander legit Λεπρεᾶται, non Τεγεᾶται, quæ lectio sine dubio melior, &, ut credo, genuina, ut ex inferioribus patebit, quicunque se attentum præbebit.

Pag. 347.

Ἀπὸ τῶν μετὰ Χλωρίδος τῆς Νέστορος μητρὸς ἐλθόντων ἐξ Ὀρχομενῦ τῦ Μινυείυ ἐλθόντων Μινυῶν, οἳ τῶν Ἀργοναυτῶν ἀπόγονοι ὄντες, ἐκ Λήμνυ μὲν εἰς Λακεδαίμονα ἐξέπεσον, ἐντεῦθεν δ' εἰς Τριφυλίαν, καὶ ᾤκησαν περὶ τὴν Ἀρήνην ἐν τῇ χώρᾳ τῇ νῦν Ὑπαισία καλυμένῃ. | *A Minyis, qui ab Orchomeno Minyeio cum Chloride Nestoris matre venerunt: hi enim cum essent Argonautarum posteri, Lemno expulsi Lacedæmonem, indeque in Triphyliam venerunt, habitaverunt circa Arenam in ea regione, quæ nunc Hypæsia dicitur.*

Hunc locum olim aliter scriptum ait se restituisse doctus Casaubonus, sed in integram sanitatem eum non restituit, adhuc enim male se habet: nam τὸ ἐλθόντων male repetitum est, & impossibile est comites Chloridis fuisse Argonautarum posteros. Error credo non

est

est Casauboni, sed typographicus. Legerem: τῆς Νέστορος μητρὸς ἡ ἐξ Ὀρχομενῦ, sic sensus aliquantum lucidior. Cæterum Herodotus lib. 4 Minyas ait migrasse Lacedæmone εἰς Παρωρεάτας καὶ Καύκωνας, & de Cauconibus quidem nulla est dubitandi ratio, nam in ea regione habitabant, quæ postea dicta est Triphylia, sed de Paroreâtis illis nulla mentio fit apud alios Geographos. Ipse Strabo infra pag. 346 Παρονάτας nominat, quam vocem corrigunt, & mutant in Παρωρεάτας, melius: forte id fuit nomen commune omnibus, qui montium viciniam accolebant, ideo id nomen conveniebat Cauconibus iis, qui Lycæi montis πρόποδας habitabant. Quod autem ad vocem Ὑπαισία, vel hic legendum Αἰπασία, vel infra pag. sequenti legendum erit πεδίον τὸ Ὑπαίσιον.

Pag. 348.

Καὶ τὴν παρακειμένην Σφαγίαν νῆσον.	Et Sphagia adjacens insula.

Cum Thucydides eam insulam toties Σφακτηρίαν nominaverit, mirum est jam Platonis tempore abolitum fuisse id antiquum nomen: nam eam in epitaphio Plato Σφαγίαν vocat & Plinius & multi alii. Si conjecturæ locus est, mutavit nomen ab eo tempore, quo Lacones in ea insula intercepti ab Atheniensibus cæsi sunt, [1] ἀπὸ τῆς σφαγῆς τῶν Λακώνων, & quadam παρονομασίᾳ pro Sphacteria Sphagia dicta est.

[1] A Laconum cæde.

Pag. 350.

Ὄλουρον ἐν τῷ καλουμένῳ Αὐλῶνι τῆς Μεσσηνίας κειμένην Δώριον λέγουσι. αὐτοῦ δέ που καὶ &c.	Oluram sitam in Aulone, quem vocant, Messeniæ, Dorium appellant. circa id loci &c.

Videtur Ortelius aliter distinxisse hunc locum, sic scilicet: τῆς Μεσσηνίας κειμένην. Δώριον λέγουσιν, αὐτοῦ δέ που (καὶ ἡ Οἰχαλία. ε. τ. Ε. η. ν. Α. π. Ἀρκαδικόν) ὁμώνυμον τῷ τε Θρᾳκικῷ καὶ τῷ Εὐβοϊκῷ, & ex ea distinctione fluxit ejus opinio, dum ait in voce Δώριον, *tria hujus nomina sunt apud Strabonem in octavo, in Peloponneso, Eubœa & Thracia.* Refert quippe τὸ ὁμώνυμον ad Δώριον, & non ad πολίχνιον Ἀρκαδικόν, & ea, quæ de Oechalia dicuntur, per parenthesin legit.

Pag. 351.

Εἶτα Κυδωνίαν.	Postea Cydoniam.

Mirum est nec Xylandrum interpretem, nec doctum commentatorem hunc locum habuisse suspectum, qui Cydonem è media Creta in Peloponnesum transfert. Lege meo periculo, εἶτ' Ἀκίδοντα, *postea Acidonem*, fluvium nempe in ea regione ab omnibus memoratum, & ipsi Straboni supra pluries.

Pag. 355.

Καὶ οὔτε μὲν οὐ στεφανίτης, περὶ τρίποδος γὰρ ἔμελλον θεύσεσθαι, ἐκεῖνος δὲ μετὰ τὴν ἕκτην καὶ &c.	*Neque corona victori dabatur: nam tripos erat præmium, de quo erant cursu decertaturi: illud autem post sextam &c.*

Hunc locum aliter distinguendum puto, sic nempe, ut sensus quadret: [1] καὶ οὔτε μὲν οὐ στεφανίτης, περὶ τρίποδος γὰρ ἔμελλον θεύσεσθαι, ἐκεῖνος δέ. Μετὰ οὖν τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα οἱ Πισᾶται. Ut vulgo legitur, videtur asserere hic locus Olympiacum agonem στεφανίτην non fuisse ab initio, sed tantum post Olympiadem vigesimam sextam, quod falsum est: quomodo autem distinguo, omnia plana sunt.

[1] *Et hic quidem non erat de corona (de tripode enim certaturi erant.) sed ille. Itaque post vigesimam sextam Olympiad. &c.*

Pag. 357.

Τὸν γὰρ Ἀμάρυνθον εἶναι τὸν ὁρίζοντα τὴν Ἀρκαδίαν, τῶν εἰς τὸν Ἀλφειὸν ἐμπιπτόντων ποταμῶν.	*Qui Arcadiam Amaryntho amne finiri ajunt, uno ex iis, qui in Alpheum illabuntur.*

Nulli, quod sciam, suspectus fuit hic locus, at mihi mendum olere videtur. Lege meo periculo τὸν γὰρ Ἐρύμανθον. Nam hoc idem ait Pausanias de Erymantho in Arcadicis, eum ultimum omnium ponens eorum, qui in ipsa Arcadia cum Alpheo miscentur. *Amarynthus* vero fluvius nec ibi nec alibi, quod sciam, invenitur.

Ibidem.

Αἰτωλὸν ἐκπεσόντα ὑπὸ Σαλμωνέως.	*Ætolus à Salmoneo ejectus.*

Aliam fugæ Ætoli causam vide apud Pausaniam in Eliacorum 1.

Pag. 358.

Φείδωνα δὲ τὸν Ἀργεῖον δέκατον μὲν ὄντα ἀπὸ Τημένου.	*At vero Pheido Argivus decimus ab Hercule.*

Xylander legit δέκατον ὄντα ἀπὸ Ἡρακλέους, multo melius, sive ita invenerit

invenerit in suo codice, sive sic emendaverit. Nam ex Satyro apud Eusebium numeratur Phidon ab Hercule undecimus & cum eo consentit Chronicum Marmoris Arundeliani linea 46. Forte plures fuerunt Phidones in ea progenie. Sed de primo Phidone famigerato illo loquitur, quem Satyrus undecimum ab Hercule numerat, ipsum nempe Herculem includendo.

Pag. 359.

Προσεκλήσαντο (vel potius προσέκλισαν) δ' αὐτὴν Ἀθηναῖοι τὸ δεύτερον ἐπὶ Σικελίαν πλέοντες μετ' Εὐρυμέδοντος καὶ Στρατοκλέους. | *Occuparunt eam Athenienses secundo in Siciliam navigantes Eurymedonte & Stratocle ducibus.*

Damnat Casaubonus vocem Στρατοκλέους, optime. Sed dum putat Eurymedontem, & Demosthenem solos duces fuisse ejus expeditionis, qua Pylus ab Atheniensibus munita est, lapsus est memoria. Nam Eurymedon & Sophocles (cujus nomen substituendum τῷ Στρατοκλέους) secundum Thucydidem testem idoneum soli fuere duces cum imperio in ea classe: Demosthenes vero tunc comes tantum eorum fuit in ea expeditione. Ideo ex Thucydide lib. 4, ubi pluries nominantur Εὐρυμέδων καὶ Σοφοκλῆς ὁ Σωστρατίδου, corrige hunc locum, & lege Εὐρυμέδοντος καὶ Σοφοκλέους.

Pag. 360.

Ὅμορος Θουρία καὶ Γερηνίοις. | *Thuriæ confines & Gereniis.*

Eustathius ad Iliad. θ legit ὅμοροι Φηρεία καὶ Γερηνία, sed male, ut patet infra ead. pag. ubi ait, ἡ δ' Αἴπεια νῦν Θουρία καλεῖται, ἣν ἔφαμεν ὅμορον Φήραις.

Ibidem.

Ἐν Ποιηέσσῃ. | *In Pœeessa.*

Urbe Ceæ insulæ, ut ait infra pag. 487.

Ibidem.

Τὴν δὲ Ἴρην κατὰ τὸ ὄρος δεικνύουσι τὸ κατὰ τὴν Μεγαλόπολιν τῆς Ἀρκαδίας. | *Hiram ostendunt ad montem, qui situs est in via quæ à Megalopoli Arcadiæ urbe ducit.*

Certe hæc male conveniunt cum verbis Homeri, quæ infra eadem hac pagina citat. [1] Πᾶσαι δ' ἐγγὺς ἁλός. Nam Megalopolis ad Alpheum sita in Arcadia fuit longe à mari. Itaque si non errarunt illi

[1] *Omnes autem prope mare.*

illi monstratores locorum antiquorum, quod sæpe evenit, putarem legi debere κατὰ τὴν Μεγαλοπολίτιν. Nec tamen sic mihi satis placet ea sententia.

Pag. 361.

Ἀφέστηκέ τε τῆς νῦν Μεσσηνίων πόλεως ὁ ποταμὸς σταδίους διακοσίους καὶ πεντήκοντα.	*Abest ab hodierna Messenia stadiis* CCL.

Non concordat Pausanias in Messenicis, qui, ubi de Pamiso & ejus fontibus tractat, ita loquitur: [1] Ἰοῦσι δ' ἀπὸ τῶν πηγῶν ἐν ἀριστερᾷ καὶ προελθόντες ὡς τετταράκοντα στάδια ἐστὶ Μεσσηνίοις ἡ ὑπὸ τῇ Ἰθώμῃ πόλις. Majorem ejusdem fidem meretur Pausanias, αὐτόπτης enim fuit, quod nemo asseverare potest de Strabone, imo contra. Forte ex notis numeralibus provenit ea differentia, & scripserat Strabo σταδίους ν, ex quo fecerunt στάδια σ ν, sed hoc est divinare. Suspicari aliquis posset ex verbis Strabonis duas fuisse Messenas; altera antiquior ad Ithomem, altera recentior, de qua ait: [2] τῆς νῦν Μεσσηνίων πόλεως: nam dici potest, quare addit τῆς νῦν, nisi fuisset alia ἡ πάλαι. Attamen supra pag. 358 [3] τὴν νῦν ὀνομαζομένην πόλιν Μεσσήνην sub Ithome ponit, & opponit non alii urbi, sed toti regioni, quæ Messene dicebatur. Mercator rursus, qui secundum Ptolemæi numeros tabulas concinnavit, Messenem ad ipsum mare ponit, & post eum multi alii, quam bene ipsi viderint: certissimum est antiquam Messenem procul à mari sitam fuisse. Id dubium me semper exercuit, & adhuc exercet, nihil enim invenio apud auctores de illa Messene maritima: numeri vero Ptolemæi ita ubique fere corrupti sunt, ut apud me parum fidei mereantur.

[1] *Euntibus vero à fontibus ad sinistram & procedentes quadraginta circiter stadia est Messeniorum sub Ithome urbs.*
[2] *Ejus quæ nunc extat Messeniorum urbis.*
[3] *Ea quæ nunc vocatur Messene urbs.*

Pag. 361.

Περὶ οὗ κρίσιν ἔσχον Μεσσήνιοι πρὸς Λακεδαιμονίους ἐπὶ Φιλίππου.	*De quo Messenii cum Lacedæmoniis Philippo judice litigaverunt.*

De hoc judicio Tacitus annal. 4, ubi ait Dianæ Λιμνάτιδος fanum Philippum adjudicasse Messeniis, unde concludimus fanum illud fuisse ad Pamisum & paludes adjacentes, unde Λιμνάτις, id est, palustris dicebatur. Sed Pamisum intelligo non illum totius Peloponnesi aquis abundantissimum, sed parvum illud & χαραδρώδη, ut ipse Strabo loquitur, qui fuit limes & communis terminus Messeniæ & Laconiæ.

Pag.

Pag. eadem.

Τὸν δὲ Πάμισον Ἀμαθὸν τινὲς ὠνόμασαν ὡς προείπομεν. | *Supra ostendimus Pamiso quosdam Amathi nomen facere.*

Notanda est hoc loco Strabonis ἀπροσεξία & μνημονικὸν σφάλμα. Nam id equidem supra dixit de Pamiso, qui circa Pylum Triphyliacum fluit, eum etiam Amathum vocatum fuisse, at nunc de altero Pamiso agit, qui fuit limes Messenios inter & Laconas, de quo nullibi dixit, eum Amathum vocatum fuisse. Inde colligitur Strabonem ex proprio nisu hæc non scripsisse, sed ex aliorum Geographorum libris & sua memoria Peloponnesi Geographiam concinnasse.

Pag. 363.

Μεταξὺ Γυθίου καὶ Ἀκραίων. | *Inter Gythium & Acriam.*

Aliter Ἀκρέων: sic eam urbem semper nominat Pausanias, & in Mercatoris tabulis *Acria* notatur.

Ibidem.

Καὶ πεδίον καλούμενον Λεῦκη. | *Et campus, qui Leuce dicitur.*

Notavit Casaubonus Polybium hujus loci nomen pluraliter expressisse; addam & T. Livium lib. 35. *imminet is locus & Leucis & Acris.*

Pag. 366.

Τὴν δὲ Λακωνικὴν καὶ τὴν Μεσσηνίαν ὁρίζειν αὐτὸν φήσαντος Πάμισον εἰς θάλασσαν ἐξορμώμενον οὐ συγχωρητέον. | *Dandum non est, quod Laconicam à Messeniaca distingui ait Tamisi amnis in mare effluxu.*

Et rursus hoc loco fefellit sua memoria Strabonem, & fatum suum erat, ut in hoc Pamisi nomine à vero aberraret. Nam paulo supra pag. 361 notavimus ejus errorem in hoc nomine: hîc vero non meminit se dixisse hoc eodem libro supra pag. 344, duo fluvios fuisse hoc nomine in Messenia: pag. vero 361 expresse: Ἐστι δὲ καὶ ἄλλος Πάμισος χαραδρώδης μικρὸς περὶ Λεῦκτρον ῥέων τὸ Λακωνικὸν, περὶ οὗ κρίσιν ἔσχον Μεσσήνιοι πρὸς Λακεδαιμονίους ἐπὶ Φιλίππου. At debebat concludere, quando Messenii & Lacones de hoc fluvio litigaverant coram Philippo, eum fuisse in utrorumque confinio, & ideo bene Euripidem dixisse eum fluvium esse limitem Messeniæ & Laconiæ, & non debuit intelligere de altero Pamiso, qui per mediam Messeniam fluit abundans.

Est & alius Pamisus torrentis instar parvus circa Leuctrum Laconicum fluens.

Pag. 368.

Pag. 368.

Καὶ ἡ Λιμηρὰ Ἐπίδαυρος, ὡς Ἀρτεμίδωρος φησίν. Ἀπολλόδωρος δὲ πλησίον Κυθήρων ἱστορεῖ ταύτην.

Item Epidaurum cognomento Limera, ſi Artemidorum ſequimur: nam Apollodorus Cytheris vicinam facit.

Et ex hoc loco colligitur Strabonem non fuiſſe αὐτόπτην, ſed ex Artemidori, Apollodori & aliorum ſcriptis ſuam Græciæ vel ſaltem Peloponneſi χωρογραφίαν compoſuiſſe: nihil enim decernit, ſed in dubium linquit lectorem, utrum Artemidoro, vel Apollodoro fides adhibenda ſit, quod non feciſſet, ſi ipſe locos adiiſſet, & oculis ſuis veritatem inquiſiſſet.

Ibidem.

Ἡ δὲ γενεαλογία πρὸς τῷ μυθώδει καὶ τοῖς χρόνοις διημάρτηται, δεδόσθω γὰρ Ποσειδῶνος εἶναι, Ἀμυμώνης δὲ πῶς· τὸν κατὰ τὰ Τρωϊκὰ ἔτι ζῶντα.

Sed & generis origo, præterquam quod fabuloſa eſt, in rationem temporum offendit: ut enim detur Neptuni fuiſſe filium, Amymones quî potuit, vivens adhuc belli Trojani tempore.

Sed dubium illud ſolvit Apollonius Argonaut. 1, ubi Nauplius Argonauta Palamedis pater, dicitur ſextus à Nauplio Neptuni & Amymones filio, & ſic procedit ea genealogia ſecundum Apollonium,

Ποσειδῶν —— Ἀμυμώνη
|
Ναύπλιος
|
Προῖτος
|
Λέρνος
|
Ναύβολος
|
Κλυτονῆος
|
Ναύπλιος, ὁ κατὰ Τρωϊκὰ
Παλαμήδης Οἴαξ.

Mirum eſt Strabonem non vidiſſe hunc Apollonii locum, aut de eo non

non meminisse: Apollonius enim scripserat sub Ptolemæo Euergeta multo ante Strabonem.

Pag. 371.

Ἐς τ̃ κ̃ Βρϋραν αἰγιαλὸν. | *Ad litus Brura vicinum.*

Lege κατὰ Βύραν.

Pag. 373.

Διόπερ οὐκ ἐνλ̃θέασιν ἐνταῦθα τοῖς νεκροῖς ναῦλον. | *Itaque ibi mortuis portorium non imponitur.*

Denarium scilicet in os inserentes, ut vulgo notum est.

Pag. 376.

Οὐδὲ τὸ Λυκύργιον. | *Neque Lycurgium.*

Optime Casaubonus mutavit, & legit Λυρκείαν, & addit ad marginem paulo post legi ὁμωνύμως τῷ ὄρει τῷ...... αἱ ͅ &c. debuit confidenter supplere τῷ Λυρκίῳ, ut sit, ὁμωνύμως τῷ ὄρει τῷ Λυρκίῳ, quando ipse Strabo id docet satis expresse supra pag. 370, ubi de Argis urbe: ῥεῖ δὲ αὐτῆς πλησίον ὁ Ἴναχος χαραδρώδης ποταμὸς ἔχων τὰς πηγὰς ἐκ Λυρκίου τοῦ κατὰ τὴν Κυνουρίαν ὄρους τῆς Ἀρκαδίας.

Pag. 380.

Κοίλη δ' ἐστὶ, καὶ ποιεῖ τὸν δίολκον &c. | *Sed introrsum flectitur, ita ut traduci possint.*

Ita vertit Xylander, forte non male: est tamen dubitandi locus, ne vertendum fuisset *deprimitur autem.* Nam nisi fiat ibi Montium Onæorum magna depressio, difficilis admodum fuisset imo impossibilis ὁ δίολκος.

Pag. 383.

Τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν παίδων παραδοῦναι τὴν ἀρχήν. | *Imperium filiorum natu maximo reliquisse.*

Æolo nempe, qui illic regnavit: reliqui vero Dorus, Xuthus, Amphictyon ætate minores fuerunt, ut ex Conone lib. 27 discimus apud Photium.

Pag. 387.

Ἐκ δὲ τῆς Ῥυπῶν ἦν ὁ Μύσκελλος ὁ Κρότωνος οἰκιστής. | *Rypes fuit Myscelli patria, qui Crotonem condidit.*

Cluverius contendit ex Ovidio & Luciano legendum esse Μίκυλλος: eum vide Italiæ antiquæ lib. 4.

Pag. 389.

Περὶ Φενεὸν μὲν τ * Ἄνιαν καλούμενον ποταμόν.	*Apud Pheneum Aniam flumen.*

Notatur asterisco hic locus, eo quod variant codices in nomine hujus fluvii, & quidam ex Manuscriptis habent Ἀβίαν, quod ipsum argumentum est lectionis non bene constitutę: melior quidem vulgata, nam propius accedit ad veram lectionem, cujus est postrema pars dempto capite, nisi quod α pro ο habeat, & αίαν pro άνιον. Nam vera lectio est Ἀροάνιον, quem pluries nominat Pausanias. Lectio vero manuscripti Ἀβίαν debet mutari in Ὄλβιον. Nam & ita etiam Aroanius ille vocabatur ab aliis, & erat binominis, ut Ister. Id docet etiam Pausanias in Arcadicis.

Ad Lib. 9. Pag. 391.

Καὶ Ἀκτὴν φασὶ λεχθῆναι τὸ παλαιὸν καὶ Ἀκτικὴν τὴν νῦν Ἀττικήν.	*Et ajunt antiquitus Actam & Acticam fuisse appellatam, quæ nunc Attica.*

Sed etiam Ἀκταίαν ab Actæo rege, ut Pausanias lib. 1, de quo rege Actæo infra p. 397.

Ibidem.

Καταιγίζοντα σκαιὸν τὸν Ἀργέστην.	*Oblique flantem, procellasque cientem.*

Xylander vertit *σκαιὸν oblique flantem*, quod ei condonavit Casaubonus. Ego vero credo debere reddi Latine, *Occidentalem* vel *ab Occasu flantem*: nam [1] σκαιὰ & ἀριστερὰ dicebantur [2] τὰ δυτικὰ, & ita est: nam respectu Athenarum occiduus est Ἀργέστης (sic enim lego) à Scironidis petris flans ventus. Sic σκαιαὶ πύλαι apud Homerum portæ Trojæ vocabantur, quæ mare versus & occidentem ducebant, ut optime interpretatur Eustathius.

[1] *Sinistra.*
[2] *Occidentalia.*

Pag. 392.

Φιλόχορος μὲν οὖν ἀπὸ Πυθίου μέχρι Ἰσθμοῦ διήκειν αὐτοῦ φησὶ τὴν ἀρχήν.	*Philochorus ab Isthmo ad Pythium usque ad regnum ejus pertigisse scribit.*

De hoc Pythio nihil habeo, quod dicam certi, nam de Delphis intelligi vetant, quæ sequuntur. Aliquando putavi debere legi Ῥείθου, sed semper plurali numero exprimitur ille locus, & sine aspirata dicitur Ῥεῖτοι. Ideo ipse meam damnavi conjecturam. Demosthenes

nes certe contra Midiam quendam Atheniensem Dioclem Πυθέα vocat, unde conjectura est quendam Atticæ Demum vocatum fuisse Πύθον vel Πυθεὺς, & sic vel hoc loco legendum foret Πύθου, vel Πυθέως, vel apud Demosthenem legendum foret Πυθιέα, nam à Πύθιον fit gentile Atticum Πυθιεὺς, à Πύθον Πυθεὺς vel Πύθιος. Si quis certiora docuerit, mihi gratissimum fecerit: hoc loco enim non erubesco fateri me cæcutire, ut & in aliis sexcentis.

Pag. eadem.

Ὅτι ἦ πατὴρ ὤρελσεν ἐμοί. | *Me genitor jubet.*

Ad hunc locum citat Casaubonus Aristophanis Scholiasten, & super eo multa diximus supra ad Herodotum pag. 22.

Pag. 394.

Βώκαρος δὲ ἐστὶν ἐν Σαλαμῖνι ποταμὸς, ὁ νῦν Βωκαλίας καλούμενος.	*Amnis est insulæ Salaminæ Bocarus, qui nunc Bocalias appellatur.*

Infra Cephisum fluvium in Salamine recenset, hîc de eo nullam facit mentionem, locus tamen id requirebat: forte unus & idem fuit Cephisus ille & hic Bocarus.

Pag. 398.

Περὶ δὲ Ἀνάφλυστον ἐστὶ καὶ τὸ Πανεῖον, καὶ τὸ τῆς Κωλιάδος Ἀφροδίτης ἱερόν.	*Ad Anaphlystum autem est Paneum, & ædes Coliadis Veneris.*

Dubito de fide hujus loci. Nam Pausanias in Atticis Coliadis Veneris ædem distare facit à Phalero stadiis 20 tantum, & Aristophanis Scholiastes eam ponit in Phalerica regione. Ergo, si non fuere duæ ædes ejusdem Coliadis, credendum est Strabonem hallucinatum esse: nam, ut jam dixi, in rebus Græciæ prævalere debet Pausanias.

Pag. 404.

Ἐκ Κνωπίας δὲ τῆς Θηβαϊκῆς μεθιδρύμενον δεῦρο τὸ Ἀμφιάρειον.	*Fanum Amphiarai imitatione ejus, quod est ad Cnopiam Thebaicam, fuit dedicatum.*

Doctissimus Salmasius in suis ad Solinum exercitationibus jure suspicatur legendum esse hoc loco ἐκ Ποτνίας δὲ, ex Pausania in Bœoticis: sed quod ait nullam fuisse Κνωπίαν Thebaïcam, eum ratio fugit. Nam ex Nicandri Scholiaste ad Theriaca pag. 49 id evincitur, &

eo nomine Salmasius ab Isaaco Vossio perpetuo Salmasii obtrectatore, jure reprehenditur, licet non utatur loco Scholiastis Nicandri, qui litem dirimit.

Pag. eadem.

Ἐςὶ ἡ τῷ ἐκ Θηβῶν εἰς Ἄργος ἀπιόντι ἐν ἀριστερᾷ ἡ Τανάγρα, ἐν δεξιᾷ κεῖται καὶ ἡ Ὑρία.	*Caterum à Thebis Argos eunti ad sinistram habetur Tanagra, ad dextram Hyria.*

Locum hunc attigit doctissimus commentator, sed non tam fœliciter, quam sexcenta alia loca, ubi acumen ingenii mirum & stupendam eruditionem demonstravit: nam ulcus est equidem hoc in loco gravissimum, sed non ubi putabat esse. Nam optime se habet textus, si vocem Ἄργος excipias, & bene distinguatur. Tollendum est primo fœdum mendum in voce Ἄργος. Strabo Bœotiam describit, & quid ad Bœotiam Argos? & quare non potius Megara vel Corinthum posuisset, per quas urbes iter est Argos eunti? ea vox est à mala manu exscriptoris, cui eo, quod superiori linea vox Ἀργείων extat, in animo natabat *Argos*, idq; posuit pro Ἅρμα, quod Strabo proculdubio scripserat. Sic igitur meo periculo lege, & distingue: [1] ἐςὶ δὲ τῷ ἐκ Θηβῶν εἰς Ἅρμα ἀπιόντι ἐν ἀριστερᾷ, Τανάγρα ἐν δεξιᾷ. Sic enim se res habet, qui Thebis Harma volebat ire, ad sinistram manum viam accipiebat, relicta ad dextram via, quæ Tanagram ducebat, & ipsa Tanagra. At Hyria, quam vult doctissimus vir ad dextram esse, nec ad dextram fuit, nec ad sinistram, sed multo ulterius, non longe à mari prope Aulidem, ut ait ipse Strabo paulo infra.

[1] *Est autem à Thebis ad Harma eunti ad sinistram, Tanagra ad dextram.*

Pag. 405.

Πολίχναι δύο τ Βοιωτῶν, Λάρυμνά τε, παρ' ἣν ὁ Κηφισσὸς ἐκδίδωσι, καὶ ἔτι ἐπέκεινα Ἄλλαι ὁμώνυμοι τοῖς Ἀττικοῖς δήμοις.	*Oppidula duo Bœotica & Larymna, ad quam sunt ostia Cephissi: aliaque ulterius nominibus cum curiis Atticis convenientia.*

Suspicatur hic summus vir, deesse nomen alterius τῶν δύο πολιχνῶν. Sed abundat potius hic locus, quam deficit: abundat scilicet uno λ, & in voce ἄλλαι latet verum nomen unius Ἅλαι eodem quo duo Atticæ pagi nomine; ibi enim erant Ἅλαι Ἀραφηνίδες, & Ἅλαι Αἰξωνίδες, de illis Bœoticis Halis Pausanias in Bœoticis: [2] Βοιωτῶν ἔχα-

[2] *Bœotorum*

ἔσχατοι ταύτῃ πόλισμα οἰκοῦσι Ἅλας ἐπὶ θαλάσσῃ, ἣ τὴν Λοκρίδα ἤπειρον ἀπὸ τῆς Εὐβοίας διείργει. Loquitur etiam de his Halis Plutarchus, sed in ea voce corrigendus est in Sylla: [1] ἐτύγχανε γὰρ ὅτε τὴν ἐπ' Ὀρχομενῷ μάχην νενικηκὼς ἐδίωκε τοὺς πολεμίους, ἅμα τρεῖς πόλεις τῆς Βοιωτίας Ἀνθηδόνα, Λαρύμναν, Ἁλαιὰς ἀνῃρηκώς, ubi legendum pro Ἁλαιὰς Ἅλας. Id patet ex eo, quod ejus urbis cives antea & post Ἁλαιοὺς vocat, nam Ἁλαῖος formatur ab Ἅλαι: at ab Ἁλαιαὶ formaretur gentile Ἁλαιεύς. Stephanus etiam Ἅλαι πόλισμα Βοιωτίας: nihil est certius, debet hîc Ἅλαι legi.

Ibidem.

Ὥστε οὐκ ἂν εἴη, εἰ μὴ τὴν Νίσαν οὕτως εἴρηκεν. ἦν γὰρ ὁ Ἶσος πόλις ἐν τῇ Μεγαρικῇ, ἐκεῖθεν ἀπῳκισμένη …… δρῶνος.

Itaque locum non habet, nisi Isum fortassis Nisæ nomine expresserit. Fuit enim Nisa Megaridis urbs, & alia in Bœotiam inde ducta colonia ab . . . . drone.

Locum hunc corruptum & mutilum sic restituo: [2] ὥστ' οὐκ ἂν εἴη, εἰ μὴ τὴν Ἶσον οὕτως εἴρηκεν. ἦν γὰρ καὶ Ἶσος πόλις ἐν τῇ Μεγαρικῇ ἐκεῖθεν ἀπῳκισμένη πλησίον Κιθαιρῶνος. Considera attente lector, quæ præcedunt, & proculdubio mecum stabis.

Pag. 406.

Πλαταιὰς γὰρ ἀπὸ τῆς πλάτης τῶν κωπῶν εἰρῆσθαι πιθανόν.

Etenim probabile est dictas fuisse Plataas à remorum palma.

Quid absurdius hoc etymo? urbem in mediterraneo sitam longe à mari, nullum habentem fluvium navigabilem, dictam fuisse à remorum palmulis, quam verisimilius est dictam fuisse ἀπὸ τοῦ πλάτους, appellatas Πλαταιάς, eo quod superato Cithærone prima occurrebat ἐν πλάτει πεδίῳ: melius dixisset Strabo, si sic pronunciasset, ἀπὸ τοῦ πλάτους τῶν τόπων εἰρῆσθαι πιθανόν. Pausanias aliter à quadam muliere Πλαταία dictam fuisse putat: habet lector quod eligat.

Pag. 409.

Ὁ δὲ Ἑλικὼν συνεχής ἐστι τῇ Φωκίδι ἐκ τοῦ πρὸς ἄρκτον αὐτῆς μερῶν.

Helicon autem Phocidis partibus Septentrionem spectantibus est contiguus.

Locum hunc non esse sanum indicat particula τοῦ, quæ solœcisat,

extremi hic oppidum habitant Halas ad mare, quod disterminat continentem Locridis ab Eubœa.

[1] Nam quando post victoriam quam habuit ad Orchomenum, persequebatur hostes, tres urbes Bœotiæ Anthedonem, Larymnam, Halas excidit.

[2] Non potest, quin Isum ita dixerit: erat enim Isus urbs in Megarica, inde habitata prope Cytharonem.

& legendum τῶν. Sed est majus malum. Nam si Strabo sic scripsit, provoco ab ejus Geographia ad veritatem situs. Phocis à Septentrionalibus suis partibus contingit Oetam & Locricos montes, Heliconem potius ad Meridiem habet, quam ad Septentrionem, sed à quadam sui parte, quæ sinum Crissæum attingit, ad Ortum. Puto igitur scripsisse Strabonem: [1] ἐκ τῶν πρὸς ἄρκτον αὐτοῦ μερῶν, καὶ ἐκ τῶν πρὸς ἑσπέραν κατὰ τὸν ὕστατον λιμένα τῆς Φωκίδος. Non enim aliter intelligi potest: Helicon fuit Bœotiæ, verum meridionalior Phocide & quadam sui parte orientalior. Itaque Helicon non potuit esse ad septentrionem vel occasum Phocidis.

[1] *Ex partibus quæ ad Septentrionem spectant, & ex iis, quæ ad vesperum, juxta portum ultimum Phocidis.*

Pag. eadem.

Στάδιοι δ' εἰσὶν ἀπὸ τοῦ μυχοῦ τοῦ λιμένος εἰς Κρέουσαν ἐν .... ἐντεῦθεν δ' ἑκατὸν εἴκοσι, ἕως τῆς ἄκρας ..... καλοῦσι.	*Stadia sunt à Mycho ad Creusam usque .... atque hinc* CXX *usque ad promontorium quod ..... dicitur.*

Doctissimus vir, cui gloriam amplissimam Strabo melior factus dedit, hunc locum optimis conjecturis supplevit. Sed, ut videtur, pejorem meliori præfert, & mavult legi Φαρύγιον, quam Ὁλμίας. At τὰ Ὁλμίας debebat præferre indubitanter. Φαρύγιον enim fuit ad Orientem portus Μυχοῦ, & sic præposterus foret ordo: sed Holmiæ promontorium à Mycho post Creusam eodem ordine sequitur. Ideo non est dubitandum, quin scripserit Strabo, τῆς ἄκρας, ἣν Ὁλμίας καλοῦσι.

Pag. 411.

Καὶ τὸν παραρρέοντα ποταμὸν Κουάριον, Ἀλκαῖος δὲ καλεῖ Κωράλιον.	*Fluviumque Cuarium nominaverunt, Alcæus Coralium vocat.*

Lego cum eodem Strabone infra pag. 438 Κουράλιον, nam ibi Thessalicum fluvium sic nominat, cui cognominem hunc, de quo hîc agitur, facit. Sed & Callimachus Hymno in Palladis Lavacra, de hoc eodem sic ait:

[a] Ἢ 'πὶ Κορωνείας ἵνα οἱ τεθυωμένον ἄλσος,
Καὶ βωμοὶ ποταμῷ κεῖντ' ἐπὶ Κουραλίῳ.

Sed & in Alcæi manuscripto, ut testatur Casaubonus, Κουραλίῳ legitur.

[a] *Vel ad Coroniam, ubi tibi odoribus refertur lucus, Et altaria sunt ad fluvium Curalium.*

Pag. 414.

Pag. 414.

Καὶ Ἐργίνῳ τῷ τυραννοῦν τι αὐτῶν. | *Eorumque tyranno Ergino.*

Lege τυραννοῦντι: error est typographicus.

Pag. 416.

Πρὸς τὸ Ἀκόντιον ὄρος. | *Ad montem Acontium.*

Infra pag. 424 eundem montem, in quo sita fuit Orchomenus, Ὑφάντειον vocat: sed nisi sit pars τοῦ Ἀκοντίου τὸ Ὑφάντειον, in alterutro locorum mendum esse necesse est. Sed potius ex hoc loco corrigendum esse Ὑφάντειον patet ex Plutarcho in Sylla, & ex Plinio etiam lib. 4 cap. 7.

Pag. 420.

Προτέραν δὲ ἄλλην ἐπινοοῦσιν ἀρχαίαν, ἣ τὸν λεγόμενον ὑφ' Ὁμήρου πλοῦτον ἐξεφόρησεν.	*Aliam autem ea priorem sentiunt antiquitus evenisse, quæ divitias ab Homero commemoratas egesserit.*

Ea facta est ab Eurymacho Phlegyarum rege, ut ex Pherecyde ait Didymus, vel quicunque censetur auctor breviorum scholiorum ad Homerum, ad Iliad. γ versu 301.

Pag. 421.

Ἔθηκαν δὲ Δελφοὶ μετὰ τὸν Κρισαῖον πόλεμον.	*Institutum à Delphis post Crissæum bellum.*

Notavit astericis hunc locum doctissimus commentator, & censet esse corruptum. Jure equidem, sed si mutes τὸ Κρισαῖον in Κιῤῥαῖον, constabit narrationi sua veritas, & omnia erunt plana. Nam supra pag. 418 dicit Cirrham subversam fuisse à Crissæis: Crissam vero postea ab Eurylocho. Sed, ne quid dissimulem, miror neminem alium de illo Cirrhæ excidio à Crissæis meminisse, & locus Strabonis non est sine dubio.

Pag. 422.

Κατατοξεύοντα ᾗ ἐπικελεύειν ἰὲ παιάν.	*Quem Apollo sagittis conficiens acclamare jusserit Ie Pæan.*

Forte ἀπὸ τοῦ παιδὸς, quasi ἰὲ, παῖε, vel quod Apollo admodum juvenis erat ἰὲ παῖ.

Pag. 424.

Μεταξὺ δὲ τε Παρνασσοῦ καὶ τοῦ..... ὄρους πεντασταδιον σχεδόν τι ἀπολεῖπον τῶν αν..... ὀρείων.

Inter Parnassum & montem, quinque fere stadiis à limitibus.

Ex sequentibus conjicere licet, in primo hiatu fuisse Δαυλίου. Nam cum ait, τὸ δὲ Δαύλιον παραλείπειν ἔφη, indicat se jam de eo monte mentionem fecisse. In secunda vero lacuna quid scriptum fuerit, ariolari possit aliquis, non vero pro certo affirmare. Tentabam: [1] τῶν ἀνὰ μέσον χωρίων (nam scripti habent χωρίων non ὀρείων) vel [2] τῶν ἀνὰ στενὸν χωρίων, ut sensus fuerit Parapotamios non in ipsis angustiis fuisse, quæ duos montes nominatos intercedunt, sed distare ab illis quinque stadiorum spatio. Sed pro ἀπολεῖπον legendum est vel ἀπολείποντι, ut referatur ad λόφῳ, vel ἀπολείποντος, ut referatur ad τόπου: nam ut legitur, nihil est, ad quod ἀπολεῖπον illud in neutro genere referri possit. Sed hîc etiam notandum est, montem, quem Δαύλιον vocat Strabo, eundem esse videri, quem Plutarchus Ἡδύλιον vocat in Sylla: Plutarchi fides in Bœoticis & sua Chæronia prævaleat.

[1] Locorum, qui sunt in medio.
[2] Locorum, qui sunt ad angustias.

Ibidem.

Ἔστι δὲ Κηφισσὸς ὅ τε Φωκικὸς, καὶ ὁ Ἀθήνησι, καὶ ὁ ἐν Σαλαμῖνι, τέταρτος δὲ καὶ πέμπτος ὁ ἐν Σικυῶνι, καὶ ὁ ἐν Σικύρῳ.

Cephissus præter Phocicum est Athenis, & alius in Salamina, nec non Sicyone & in Scyro.

Cum supra Salaminam insulam descripserit, mirum est de Cephisso fluvio, quem hîc memorat, nullam fecisse mentionem, sed tantum de Bocare vel Bocalia. Sed de eo jam supra dictum est ad eum locum. Nunc de Sicuro quid sit, quæritur, nec invenitur. Nam nec in Σκύρῳ insula, nec in Κιχόρῳ Thesprotiæ, nec in Σικυῶνι insula ullum novi Cephissum. Id ignoramus, ut & multa alia, alius forte nos de eo docebit.

Pag. 425.

Μεταξὺ δὲ Ὀποῦντος καὶ Κύνου πεδίον εὔδαιμον, κεῖται δὲ κατὰ Αἰδηψὸν τῆς Εὐβοίας, ὅπου τὰ θερμὰ τοῦ Ἡρακλέους.

Inter Opuntem & Cynum planicies est felix. Opponitur Ædepso Eubœa, ubi calida sunt Herculis lavacra.

Cave ex hoc loco colligas fuisse balnea illa inter Opuntem & Cynum, quod male putavit Dominicus Niger ex hoc loco male intel-

intellecto: τὸ ὅπυ referri debet ad Αἰδηψὸν, non ad πεδίον.

Pag. eadem.

Λέγεται δ' 'Οπεντίες τινὰς καὶ ἐν τῇ 'Ηλείᾳ φασίν.	*Ajunt in Elea quoque regione quosdam Opuntios referri.*

De illis Opuntiis Pindarus Olymp. 9, Diodorus lib. 14, & Apollonii Scholiastes meminêre.

Pag. 427.

Βασιλεὺς 'Αιπάλιος ἐκπεσὼν τῆς ἀρχῆς.	*Horum rex Æpalius regnò ejectus.*

Omnes alii eum regem Ægimium vocant, non Æpalium. Sic eum vocat Apollodorus lib. 2, sic Diodorus lib. 4, sic Pindari Scholiastes ad Pyth. 1. Fuerat autem à Lapithis & Dryopibus bello petitus, ut Apollodorus dicto loco.

Pag. 430.

Καὶ ἁπλῶς ἡ περὶ Πίνδον, πλὴν τῦ Πηλίυ καὶ τῆς 'Οσσης.	*Denique Pindo quod adjacet, præter Pindum atque Ossam.*

Hic locus pro integro huc usque acceptus est, at mutilus est, aut cæcus sum, & inter voces Πίνδον & πλὴν debet notari hiatus satis magnus, in quo loquebatur, ut conjicio, de Thessaliæ planitie, cujus campi erant depressi: πλὴν τῦ Πηλίυ καὶ τῆς 'Οσσης, ταῦτα δὲ ἐξῆρται μὲν ἱκανῶς, id est, *præter Pelium & Ossam, qui quidem sufficienter exaltantur.* Sic ergo scribatur, ἡ περὶ Πίνδον .... πλὴν τῦ Πηλίυ &c.

Pag. 433.

Ἀρτεμίδωρος δὲ τὴν Ἅλον ἐν τῇ παραλίᾳ τίθησι.	*Artemidorus Alon in ora maritima collocat.*

Hæc, quæ ab Herodoto lib. 7 Ἄλλος vocatur, & in Achaïa ponitur navium & excensionis capax. Duplex igitur *Halus* seu *Hallus*, vel forte una ex his *Halus*, altera *Hallus* per duplex λ ad differentiam scribebatur, unde forte Plinius emendandus lib. 4 cap. 7, qui in Phthiotide sic habet: *oppida celebria Hellas Halos.* At male, jam enim à multo seculorum numero desierat esse Hellas urbs, & Plinius de oppidis, quæ non amplius extant, numquam loquitur in præsenti, sed semper ait, *interiit* vel *fuit*: ergo legatur apud eum loco dicto *oppida celebria Hallos, Halos,* quod quidam non concoquens mutavit in *Hellas.*

Ibidem.

Ἀπέχει δὲ Λαμίας ὁ Σπερχειὸς	*Sperchius* XXX *stadiis abest à Lamia,*

περὶ τριάκοντα σταδίους * ὑπερκειμένοις πεδίου τινός.	*Lamia, sita super planicie quadam.*

Asterico notatur vox ὑπερκειμένοις, & jure. Vult legi doctus commentator ὑπερκείμενος vel ὑπερκειμένου, quæ emendatio non mihi probatur, nam ὑπερκείμενος referretur ad Σπερχειός: at fluvii non dicuntur ὑπερκεῖσθαι τῶν πεδίων, sunt enim suis ripis depressiores in suo fluxu ordinario: ὑπερκειμένου etiam non arridet, nam πεδίον seu planities raro dicitur ὑπερκεῖσθαι. Sed proculdubio legendum ὑπερκειμένης, & ad vocem Λαμίας referri debet, quæ fuit in edito, & supereminebat planitici, quæ ad Maliacum usque sinum pertinebat. Unicus T. Livius sufficiet ad rem demonstrandam, is est libri 36: *eodem tempore quo Romani Heracleam, Philippus Lamiam ex composito oppugnabat * inde diversi ad oppugnandas duas urbes profecti, intersunt septem milia ferme passuum, & quia Lamia cum posita est in tumulo, tum regionem ea maxime despectat oppidum, qua breve intervallum videtur, & omnia in conspectu sunt.* Ex hoc loco patet optime dici de Lamia ὑπερκεῖσθαι πεδίου: error fluxit ex Iotacismo, nam ὑπερκειμένοις & ὑπερκειμένης idem sonat in ore τῶν ἰωτακιζόντων.

Pag. 435.

Παραπλέοντι δὲ ἔξω Πυλῶν τοῦ Σπερχειοῦ ὡς σταδίους δέκα.	*Inde ubi à Pylis navigaveris ad ostia Sperchii, decem sunt stadia.*

Videtur deesse post Σπερχειοῦ vox στόμα, vel tale quid, ni malis legere, [1] μέχρι τοῦ Σπερχειοῦ ὡς σταδίους εἴκοσι, nam ut legitur, sententia claudicat.

[1] *Usque ad Sperchium, circiter stadia viginti.*

Ibidem.

Φαλάρων δὲ ἀπὸ θαλάσσης * ὑπερκεῖται πεντήκοντα στάδια.	*A Phalaris supra mare stadiis L est.*

Non sine causa asterico notatur hic locus: excidit enim nomen urbis, quæ ὑπερκεῖσθαι dicitur Φαλάρων. Ea fuit, ni fallor, Lamia, ut ex Livio lib. 36 conjicio: erat enim Lamiæ veluti ἐπίνειον Φάλαρα, & qui Lamiam ire volebant per mare, Phalaris excensionem faciebant, ut apud Livium dicto loco Nicander Ætolus, qui pecuniam ab Antiocho Lamiam detulit, dum eam Philippus obsidebat, ad Phalara appulerat.

Pag. 436.

Pag. 436.

Βοίβη δὲ χωρίον ἐπὶ τῇ λίμνῃ κείμενον.	*Bœbe oppidulum est paludi imminens.*

Fuit etiam & alia urbs ad Bœbeïdem lacum sita, ut ait Pindarus Pythiorum 3, Laceria nominata,

Πέμψε δὲ κασιγνήταν μένει
Θύοισαν ἀμαιμακέτῳ
Ἐς Λακερείαν. ἐπεὶ
Παρὰ Βοιβιάδος
Κρημνοῖσιν ᾤκει παρθένος
Δαίμων δὲ &c.

Id est, *misit sororem cum impetu ruentem indomito Laceriam, quoniam ad Bœbeïdos crepidines habitabat virgo.* ad quæ sic Scholiastes: ἐπεὶ ἡ παρθένος Κορωνὶς ᾤκει παρὰ τὰς ὄχθας τῆς Βοιβιάδος λίμνης. ἡ δὲ Βοιβιὰς λίμνη παράκειται τῇ Λακερείᾳ, ὅτι δὲ ἡ Κορωνὶς ἐν Λακερείᾳ ᾤκει πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἀμύρου Φερεκύδης ἐν πρώτῃ ἱστορεῖ, id est, *quoniam virgo Coronis habitabat ad ripas Bœbeïdis paludis: est autem Bœbeïs palus apposita Laceria. Quod autem Coronis Laceria habitabat ad fontes Amyri, Pherecides narrat libro* 1. Quando Laceriæ Strabo non meminit, vel desierat tempore Strabonis, vel eadem fuit, quæ postea Larissa dicta est, quod Ovidius suadet, qui Coronidem Larissæam vocat, quam Pindarus habitasse ad oras Bœbeïdis lacus ait, ubi etiam fuit Larissa, non ea quidem celebris ad Peneum sita, sed alia, quæ ad montem Ossam & Bœbeïdem lacum posita erat, de qua Strabo infra pag. 440 & Stephanus.

Pag. 440.

Ἀλλ' ὕστερον παραχώμασιν ἐπηνώρθωσαν Λαρισαῖοι.	*Ei tamen malo Larissæi structis aggeribus remedium fecerunt.*

De hac ἐπανωρθώσει, quæ Larissæis usum olearum abstulit, & aëris temperaturam mutavit, vide Theophrastum de caus. plant. lib. 5 cap. 20.

Ibidem.

Ἡ δὲ Φρικωνὶς ἡ περὶ τὴν Κύμην.	*Phriconis Cumæ vicina.*

Hæc Larissa Phriconis, etiam dicta est Ægyptia, & eam sic Xenophon vocat Cyropædiæ lib. 7, & Hellenicorum lib. 3, causam appellationis disces ab eo.

Ibidem.

Καὶ ἐν τῇ Ἀττικῇ δὲ ἐστὶ Λάρισσα.	*Est etiam Larissa in Attica.*

Cum nulla Græciæ regio ſit tam nota, quam Attica, cujus extant omnia fere pagorum nomina, mirum eſt nullibi (præter in hoc Strabonis loco, & apud Stephanum, qui hæc de verbo ad verbum habet ex Strabone) inveniri nomen hujus loci in Attica, certe hic locus mihi ſuſpectus eſt: nam nec ipſe Strabo in Atticæ deſcriptione Lariſſam ullam nominat, nec alius quiſquam de ea meminit. Si tamen corruptus eſt hic locus, jam à tempore Stephani corruptus fuerat, qui ſic legebat. Tentemus aliquid ex conjectura, quando alia deſunt adminicula. Forte igitur ſcripſerat Strabo pro [1] καὶ ἐν τῇ Ἀττικῇ δ' ἐστὶ Λάρισσα καὶ τῶν Τραλλέων, ſic [2] καὶ ἐν τῇ Καρικῇ δ' ἐστὶ Λάρισσα τῶν Τραλλέων διέχουσα. At ſi quis indicaverit auctoris antiqui locum, ubi de Lariſſa in Attica mentio facta ſit, dabo manus lubens, & gaudebo me doceri.

[1] *Et in Attica eſt Lariſſa, & Trallibus abeſt.*

[2] *Et in Carica eſt Lariſſa diſtans à Trallibus.*

Pag. 441.

Ἐπεὶ οὐδὲ τῆς Νεσωνίδος μέμνηται λίμνης, ἀλλὰ τῆς Βοιβηΐδος μόνον πολὺ ἐλάττονος οὔσης.	*Etenim Neſonidis quoque paludis mentionem Homerus nullam facit, Bœbeidis tantum.*

Pindari Scholiaſtes ad Pythiorum 3 Archinum quendam in Theſſalicis allegat dicentem, Bœbeïdem lacum à quibuſdam Neſonidem vocari: de hoc dubito.

Pag. 443.

Τραχὺς δ' ἐστὶ ὁ παράπλους πᾶς ὁ τοῦ Πηνειοῦ.	*Tota circa Peneum navigatio aſpera eſt.*

Nemo de hoc mendo cogitavit, ego tamen contendo mendoſam eſſe vocem Πηνειοῦ, quid enim foret ὁ Πηνειοῦ παράπλους? os Penei anguſtum fuit inter Oſſam & Olympum; nam, ut ait Herodotus de fluviis Theſſaliæ, [3] δι' ἑνὸς αὐλῶνος καὶ τούτου στεινοῦ ἔκροον ἔχουσι ἐς θάλασσαν. Forte unius ſtadii aut duorum ad plus latitudinem habet, & non poteſt de tam exiguo ſpatio παράπλους dici. Lege audacter meo periculo Πηλίου: nam ſic ſe res habet, & totum montis Pelii latus ad Magneſiacum mare fuit confragoſum & importuoſum: ibi fuerunt ἰπνοὶ illi naufragio Perſarum celebris locus, de quo Herodotus lib. 7. ergo ſine dubio legendum, τραχὺς δ' ἐστὶν ὁ παράπλους πᾶς ὁ τοῦ Πηλίου: *aſper enim totus paraplus Pelii.*

[3] *Per unam vallem eamque anguſtam effluctionem habent in mare.*

Ad Lib. 10. pag. 445.

Οἱ δὲ ἀπὸ Ἥρωος φασί.	*Alii ab Heroe dicunt.*

Scilicet Ἄβαντος. Nam Abas in Eubœa regnavit, cujus filius Χαλκώδων, nepos Ἐλεφήνωρ, qui avum ſuum Abantem occidit, ut docet Tzetzes ad Lycophronem pag. 162.

Ibidem.

Οἱ δὲ Αἴκλου καὶ Κόθου ἀδελφὸν φασίν.	*Sunt qui Æcli & Cothi fratrem faciunt.*

Scymnus Chius vel alio nomine Marcianus Heracleota in ſua περιηγήσει Κοθῶνα, non Κόθον hunc vocat, ſi bene ſe habet is locus.

Pag. 446.

Τάχα καὶ διὰ τὸ τοὺς Ἐλλοπιεῖς ὀρείους εἶναι τοὺς περιοικήσαντας, ἐπέθη τοῦτο τῇ πόλει.	*Fortaſſis Ellopienſes accolæ cum eſſent montani, hoc nomen Oreo fecerunt.*

Manifeſto mutilus locus: ſanus erit, ſi pro τοῦτο legeris τοὔνομα, Ὦρεον ſcilicet.

Ibidem.

Ὑπερκείμενον τοῦ ἐπὶ Καῦνον πορθμοῦ.	*Supra fretum Cenao propinquum.*

Suſpectus locus docto commentatori merito, nihil auſus eſt pronuntiare, & poſt eum certe non auderem, niſi conſtaret mihi deleto uno α locum in priſtinam ſanitatem reſtitui poſſe. Lege igitur ἐπὶ Κῦνον. Locus eſt in Locridis littore Κῦνος ſatis notus, Opuntiorum navale, de quo ſupra diximus ad Diodorum lib. 11 pag. 284, & ipſe Strabo ſupra pag. 425. De eo meminerunt Homerus, Plinius, Livius, Lycophron, Mela, Pauſanias &c.

Ibidem.

Τῆς περὶ Μαραθῶνα καὶ Στυρειαίων.	*Marathonia & Styrienſibus.*

Eo quod ſtatim infra ſubjungit, κατεστράφη δ' ἡ Στύρα, exſcriptores vitiarunt vocem præcedentem & ſcripſerunt Στυρειαίων, cum deberent Στειριέων, vel Στειριαίων; nam fuit Atticæ pagus Στειριεὺς vel Στειρία, unde domo Thraſybulus ille libertatis Athenarum aſſertor, & quidem non procul à Marathone. At nullà fuit urbs aut demus in Attica Στύρα, ſed in Eubœa.

Pag. 449.

Εὐβοίτης ποταμοὶ Κιρεὺς καὶ Νιλεύς.	*Eubœæ flumina sunt Cireus & Neleus.*

Confusio pronunciationis, quam peperit Iotacismus, ambiguum reddit hujus ultimi fluvii nomen. Nam Antigono in Paradoxis dicitur Νηλεὺς histor. 84, quem sequitur Favorinus in suo Lexico. Igitur vel hoc loco legendum Νηλεὺς, vel apud Antigonum & Favorinum Νιλεὺς, ut hoc loco.

Pag. 450.

Ἀρχαίαν μὲν τὴν ἀπὸ τοῦ Ἀχελώου μέχρι Καλυδῶνος παραλίαν.	*Antiqua censetur ora maritima ab Acheloo Calydonem usque.*

Hanc Ætoliæ partem, quam antiquam dictam asserit Strabo, Thucydides olim Æolida vocatam fuisse ait lib. 3.

Pag. 451.

Μακυνία τε καὶ Χαλκίς.	*Macynia & Chalcis.*

Casaubonus vult ex Stephano, ubi legitur Μακρυνεία, corrigi hunc locum. At ego putarem magis ex hoc loco debere corrigi Stephanum. Nam Plinius, qui sic habet lib. 4 cap. 2 in Ætoliæ recensione, *Macynia, Molycria*, firmat lectionem vulgatam.

Pag. 457.

Ἡ Ζάκυνθος μικρῷ πρὸς ἑπέραν μᾶλλον τῆς Κεφαλληνίας κεκλιμένη καὶ τῆς Πελοποννήσου.	*Zacynthus, paulo magis quam Cephallenia ad occasum & Peloponnesum inclinans.*

Lege, πρὸς ἑσπέραν μᾶλλον, ut necesse est legere, si commodum sensum vis astruere Strabonis verbis.

Pag. 460.

Ἔστι δὲ τις καὶ πρὸς τῇ Καλυδῶνι λίμνη μεγάλη.	*Est autem etiam juxta Calydonem palus magna.*

Tacuit ejus lacus nomen, si bene se habet hic locus, Strabo, sed nisi me fallit conjectura, nomen expiscatus sum ex Scholiaste Nicandri ad Theriaca versu 215 & sequentibus: [1] Νίκανδρος περὶ τινῶν εἰς Αἰτωλίαν ἐρχομένων διηγούμενος φησὶν, Αἰπεινήν τε κολώνην, Ὀίωνοῦ τε Ῥυπαῖον, Ὀνθίδα τ' αὖ λίμνην ςείχοντες ἴσαν Ναύπακτον. Cum ex hoc loco pateat Ὀνθίδα λίμνην, *Onthidem paludem* vicinam fuisse Naupacto, non sine verisimilitudine credo de ea loqui hoc loco Strabonem:

[1] *Nicander, de quibusdam qui in Ætoliam venerant, ait, Excelsum collem, & Oeoni Rypeum, & Onthidem lacum euntes Naupactum venerunt.*

nem: nam Naupactus non longe à Calydone, & forte non tacuit nomen Strabo, ſed latet in voce τὶς & ſic ſcripſerat: ἐστὶ δὲ Ὄνθις πρὸς τῇ Καλυδῶνι λίμνη μεγάλη. Si cui tamen diſpliceat noſtra conjectura, de ea non pugnabo, veriſimilis tamen videtur.

Pag. eadem.

Καὶ αὐτὴ κειμένη πρὸς τῇ λίμνῃ τῇ νυνὶ μὲν Λυσιμαχίᾳ, πρότερον δὲ Ὕδρᾳ.	*Sita ad paludem, quæ nunc Lyſimachia, olim Hydra dicebatur.*

Forte legendum Ὑρία. Nam de Hydra lacu hoc loco nullus meminit; at Ovidius Metamorphoſeon 7 bis aut ter Hyrien nominat, quæ verſa fuit in lacum ejuſdem nominis circa hæc loca, & videtur eadem eſſe, quæ pagina ſuperiore Straboni dicitur Ὀυρία: tamen nihil affirmo.

Ibidem.

Μεταξὺ Πλευρῶνος καὶ Ἀρσινόης πόλεως.	*Inter Pleuronem & Arſinoes urbem.*

Vellem aliquis me doceret, quare M. Tullius Cicero in Oratione contra Piſonem eam urbem, de qua hoc loco Strabo, vocaverit *Arſinoen Thracum*. Si ea lectio bene ſe habet, fateor ignorantiam meam. At ſi non eſt mihi lævus Apollo, male ſe habet ea lectio in Cicerone, & legendum eſt disjunctim *Arſinoen, Stratum*; tu judica lector, poſtquam videris totum Ciceronis locum, & attente penſitaveris.

Ibidem.

Rurſus ad eundem locum hæc nota dabitur. Μεταξὺ Πλευρῶνος καὶ Ἀρσινόης πόλεως, ἡ κώμη μὲν ἦν πρότερον καλουμένη Κονώπα, κτίσμα δὲ ὑπῆρξεν Ἀρσινόης. Xylander hunc locum male à ſuperiori diſtinxit, & ideo male interpretatus eſt. *Inter Pleuronem & Arſinoen pagus eſt, qui quondam dicebatur Conopa, conditus ab Arſinoe.* Sic Xylander, tanquam ſi pagus Conopa inter Pleuronem & Arſinoen urbem conditus fuiſſet ab Arſinoe. At ipſa urbs Arſinoe condita fuit ab ipſa Principiſſa, & ſuo nomine nobilitata, quæ antea pagus tantum erat nomine Conopa. Igitur ſine diſtinctione, tollendo punctum inter Ὕδρᾳ & μεταξὺ, ſic lege: [1] πρὸς τῇ λίμνῃ τῇ νυνὶ Λυσιμαχίᾳ, πρότερον δὲ Ὕδρᾳ μεταξὺ Πλευρῶνος καὶ Ἀρσινόης πόλεως ἡ κώμη μὲν ἦν &c. Videtur Xylander ſuſtuliſſe articulum ἡ, & legiſſe ſine articulo κώμη, & ideo non refert κώμη ad Ἀρσινόης.

[1] *Ad lacum, qui nunc Lyſimachia, olim vero Hydra inter Pleuronem & Arſinoem urbem; quæ olim pagus erat.*

Pag. 461.

Pag. 461.

Ἡμεῖς μὲν οὖν ἀπεδείξαμεν ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν νεῶν, καὶ τοὺς Ἀκαρνᾶνας καταλεγομένους, καὶ μετασχόντας τῆς ἐπὶ Ἴλιον στρατείας, ἐν οἷς κατονομάζονται ἅτε τὴν Ἀκτὴν οἰκοῦντες, καὶ ἔτι οἳ Ἤπειρον ἔχον καὶ ἀντιπέραι' ἐνέμοντο.

Enimvero nos demonstravimus in recensione navium Acarnanas quoque inter eos numerari, qui expeditioni ad Ilium interfuerint: cum ibi nominentur, & qui Actam incoluerunt & preterea Epirum, simul oppositas ad litora partes.

Vel Homerus in catalogo olim habuit versum, qui amplius non extat, ut eum citaverat Strabo pag. 453, ubi etiam non amplius extat, vel Strabo lapsus memoria versum Odyss. lib. ultimo putavit esse ex catalogo navium: nam id hemistichium, οἱ δὲ τὴν ἀκτὴν ἔχοντες, non invenitur nunc in catalogo, nec ibi Acta nominatur, sed in Odysseæ ω versu 376 dicit ἀκτὴν ἠπείροιο de Leucade, quæ olim Νηρικόν. Sed Homeri catalogus multas recepit additiones & mutationes per gentium & urbium ambitionem & odium. Id amat fieri: nam & hodie videmus catalogum Nobilium, qui cum Guillelmo Notho Normanniæ duce in Angliam transfretarunt, multas recepisse additiones, & ejus sunt exemplaria ab aliis multum diversa, dum unusquisque affectavit suæ gentis nomen in illum inserere, & audivi plures Anglos viros antiquitatis Anglicanæ curiosos notare nomina male inserta & contra fidem antiquorum & authenticorum exemplarium.

Pag. 462.

Τὸν μὲν γὰρ Ἀδράστου, τὸν δὲ τοῦ πατρὸς εἶναι κληρονόμον.

Cum alter Adrasti, alter Alcmaonis esset hæres.

Hæc sic intelligit Casaubonus, quasi τὸν δὲ ad Adrastum deberet referri, sed puto debere referri ad Alcmæonem, qui patris Amphiaraï hæres debebat esse. Amphiaraus etiam pro sua parte regnaverat Argis. Ergo τὸν μὲν de Diomede, τὸν δὲ de Alcmæone intelligendum est.

Pag. 463.

Τοῦτο μὲν οὖν εὐαπολόγητον.

Itaque his facile responderimus.

Certe

Certe si ea, quæ sequuntur apud Homerum, considerentur, erit δυσκατάλογον, & non potest astrui Homeri sententia ex hoc Homeri loco, qui sic habet:

> Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι
> Ἀμφὶ πόλιν Καλυδῶνα, καὶ ἀλλήλους ἐνάριζον,
> Αἰτωλοὶ μὲν ἀμυνόμενοι Καλυδῶνος ἐραννῆς,
> Κουρῆτες δὲ διαπραθέειν μεμαῶτες Ἄρηϊ.

Ιλ. Ι. *Curetes autem pugnabant, & Ætoli bellicosi*
Circa urbem Calydonem, & se invicem occidebant,
Ætoli quidem defendentes Calydonem amabilem,
Curetes vero eam diripere cupientes bello.

Nihil mihi videtur evidentius, quam Homerum distinxisse hoc loco Curetas ab Ætolis, licet postea facti fuerint unus & idem populus, & Ætolorum appellatio late sumpta in utrosque prævaluerit.

Pag. 472.

Κορύβαντα δὲ τούτων ἕτερον ἱερέα Πύδνης ὄντα κτίστην παρὰ τοῖς Ῥοδίοις παραχεῖν πρόφασιν τοῖς Πρασίοις ὥστε λέγειν &c.	*Eorum socium Corybantem Pydnæ conditorem apud Rhodios Prasiis occasionem dedisse dicendi.*

Recte putavit Casaubonus pro ἱερέα Πύδνης legendum Ἱεραπύδνης, quæ fuit urbs Cretæ insulæ cognominis Hierapydnæ Troadis. Sed quæ sequuntur, non attigit, & quidem prudenter: sunt enim meræ tenebræ. Hunc locum esse mendosum, salebrosum & mutilum etiam non dubito pronunciare, proculdubio post κτίστην interpungendum, & inter eam vocem & παρὰ τοῖς Ῥοδίοις multa desunt; qui fuerunt illi Ῥόδιοι Πράσιοι, fateor me ignorare.

Pag. 473.

Καὶ Κορύβαντας ἀπὸ τοῦ κορύπτοντας βαίνειν ὀρχηστικῶς.	*Dictosque Corybantas, quia cum saltatione incederent.*

Plura & diversa traduntur etyma ejus vocis: addam de meo & unum forte non pejus omnibus aliis. Ait Strabo Corybantas vocari [1] τοὺς μανικῶς κινουμένους, cum autem non sit ulla corporis motio μανικωτέρα, quam quæ ordine naturæ inverso capite incedit & manibus, pedes vero ad cœlum tendentes habet, puto ab eo dictos fuisse κορύβαντας. Nam κόρυ vox antiqua *caput* significabat, unde manarunt κορυφὴ *summa pars, vertex*, κορώνη *lignum capitatum*, κορύπτειν *arietare & capite ferire*, κόρυς *galea* capitis tegmen, κόρυμβος *summitas*, κό-

[1] *Furiose moventes se.*

ρυδὸς galerita & multa alia. Ergo ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τὸ κόρυ βαίνειν dicti κορύβαντες. Vidimus olim in Gallia histrionem celebrem Italum nomine Arlesquinum, eo incessu celeriter satis currentem, & id etiam hodie faciunt circulatores.

Pag. 477.

[illegible] ἐξ ἐπιβουλῆς δολοφονηθέντα [illegible] τὸν Εὐεργέτην ὑπὸ τῶν φίλων ἐν Σινώπῃ, τὴν διαδοχὴν ἢ εἰς γυναῖκας καὶ παιδία ἥκουσεν.	*Cumque paulo post cognovisset, Sinope Euergetem dolo familiarium necatum, eique uxorem & liberos successisse.*

Huic loco concinit Memnon his verbis: [1] Φονικώτατος δὲ ἐκ παίδων ὁ Μιθριδάτης ἦν, τὴν γὰρ ἀρχὴν τρισκαιδεκαέτης ὢν παραλαβὼν μετ' οὐ πολὺ τὴν μητέρα κοινωνὸν αὐτῷ τῆς βασιλείας παρὰ τοῦ πατρὸς παραλειφθεῖσαν δεσμωτηρίῳ κατασχὼν βίᾳ καὶ χρόνῳ ἐξανάλωσεν.

[1] *Ad cædes faciendas promptissimus à pueritia erat Mithridates, cum enim imperium accepisset quarto decimo anno ætatis suæ, paulo post matrem à patre suo imperii sociam declaratam carcere detinens, vi & temporis longi mœrore perire fecit.*

Pag. 481.

Λυκοῦργον δὲ ὁμολογεῖσθαι περὶ πάντων ἕκτον ἀπὸ Προκλέους γεγονέναι.	*Atqui omnes in hoc consentiunt, sextum à Procle fuisse Lycurgum.*

Non certe ab omnibus, Herodotus enim contra sentit, qui Lycurgum Labotæ avunculum & tutorem facit lib. I. Fuit autem Labotas seu Leobotas ex altera Eurysthenidum familia, non è Proclidarum seu Eurypontidarum stirpe, quæ diversitas ut concilietur, dicendum est Lycurgum fuisse avunculum Labotæ maternum: nam τὸ ἀδελφιδέω, quod est apud Herodotum, recipit etiam eam significationem.

Pag. 487.

Ἐξ ἧς Φερεκύδης ὁ Βάβιος ἦν.	*Patria Pherecydis.*

Eustathius ad Odyss. ο versu 402, ad hæc verba, νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, legebat suo tempore Φερεκύδης ὁ Βαβυλώνιος. Sed pessime, & hic etiam apud Strabonem male. Legendum est enim ὁ Βάδυος ex Diogene Laërtio in Pherecyde: Suidas tamen Strabonem sequitur, & Eustathii Βαβυλώνιος ad Βάβυος magis accedit.

Ad Lib. 11. Pag. 496.

Λεπρὰν ἀροῦντες γῆν.	*Parum fertilem arantes tellurem.*

Ferri quidem potest vulgata lectio, quod suadet Λέπρεαν nomen loci,

loci, quod ita dictum videtur, eo quod [1] λεπρὰν γλῶ ᾤκουν: mallem tamen legere λύπραν, quæ vox ſæpiſſime occurrit in hoc ſignificatu, ut denotet terram ſterilem, aſperam, triſtem, minime lætam, λεπραὰν γλῶ alibi non memini me legiſſe.

[1] *Sterilem terram habitabant.*

Pag. 497.

Καὶ Θοαίας.	*Et Thoanes.*

Diverſitas lectionum, quam appoſuit in margine Caſaubonus, indicat nihil eſſe certi in ea voce, & infra (ut idem magnus vir notavit) ſcriptum eſt Σόανες pag. 499. Videntur eſſe iidem, & cum Caſaubono præfero eam lectionem, eo quod magis accedit ad Zanorum nomen, quos in ea regione ponit Procopius lib. 1, Agathias lib. 5, facile C antiqua littera in O mutata, & ſublata poſtea ob ſoni abſurditatem.

Pag. 503.

Τὸν δὲ Ἀρμένιον εἶναι ἐξ Ἀρμενίου πόλεως τῆς περὶ τὴν Βοιβηίδα λίμνην μεταξὺ Φερῶν καὶ Λαρίσσης.	*Armenium porro ferunt oriundum fuiſſe Armenio, urbe juxta Bœbeidem paludem inter Lariſſam & Pheras.*

Euſtathius videtur legiſſe hoc loco Ὀρμενίου πόλεως, non enim dubito, quin à noſtro Geographo acceperit, quæ dixit de ejus urbis ſitu ad Iliad. β verſu 734: οἵ τ' ἔχον Ὀρμένιον, utitur enim ipſis Strabonis verbis: [2] πόλις Θεσσαλικὴ μεταξὺ φασὶ Φερῶν καὶ Λαρίσσης, & eam idem Strabo ſupra pag. 434 & 436 ſepties Ὀρμένιον vocat: tamen ex Armeniæ regionis nomine, quæ numquam Ormenium dicta eſt, videtur hoc loco ſcripſiſſe Ἀρμένιον, ſed non ex ſua mente, nam ait λέγεται γὰρ Ἰάσονα &c. Ex quodam igitur Mythographo accepit Ἀρμένιον urbem & non ex ſua mente aſſerit. Mos fuit Græcorum, ut omnes gentes à ſuis Heroïbus denominatas fingerent. Sic, ſi diis placet, Media à Medeæ & Jaſonis filio Medo. Armeniam fuit cum putabam dictam ab Aram, quaſi Arameniam, nam Padan Aram, id eſt, fluviorum Aram dicebatur, quæ ad Armeniam uſque extenditur, & ideo ſic dictam putabam ad differentiam alterius Aram, Armeniæ nempe. Sed docuit me doctiſſimus Bochartus in ſuo Phaleg, dictam ab *Har Minui*, id eſt, à monte Minui, natione vicinæ Ararat ſic vocata ab Hieremia; eum vide.

[2] *Urbs Theſſalica inter Pheras & Lariſſam, ut ajunt.*

Pag. 515.

πρῶτον μὲν ἡ Βακτριανὴ ἀπέστησαν οἱ πεπιστευμένοι καὶ τὴν ἐγγὺς αὐτῆς πᾶσαν οἱ περὶ Εὐθύδημον.	*Primum Euthydemus & omnem viciniam ad defectionem pertraxit.*

Xylander putavit τὸ οἱ πεπιστευμένοι & τὸ οἱ περὶ Εὐθύδημον idem esse, & ultimum hoc membrum esse explicationem prioris. Sed errat, & eo gravius, quod contra historiam peccat, & falsam sententiam Straboni tribuit. Nam ex Polybii libro undecimo constat & ex Trogo apud Justinum lib. 41. Theodotum priorem rebellasse, & eum fuisse Bactrianæ præfectum Strabo docet pagina sequente, ubi eum Diodotum vocat: ejus vero posteris regnum eripuit Euthydemus, ut ipse gloriatur apud Polybium dicto loco. Igitur verba Strabonis sic Latine reddere debebat Xylander: *primum Bactrianam ad defectionem pertraxerunt ii, quibus ejus custodia demandata fuerat: deinde & vicinas etiam regiones Euthydemus.*

Ibidem.

Ἡ δὲ Ἄρλα καὶ ἡ Μαρδυανὴ ἀκράτιστα χωρία ἐστὶ ταύτῃ, τῇ μὲν ὑπὸ τῶν ὀρῶν ἐγκλειόμενα, τῇ δέ.	*Arla & Martyana validissima istius sunt regionis castella, partim montibus inclusa, partim.*

Fœlicissime emendavit hunc locum doctissimus commentator, nec est de illa emendatione ulla dubitandi causa. Videtur tamen Salmasius aliter sentire: trahit enim hunc locum ad exemplum, quod aliquando χωρίον regionem significat, & videtur legere ἀκράτιστα χωρία ἐστὶ ταῦτα, quasi intellexerit Strabo, non ut Xylander & Casaubonus intelligunt, *Validissima sunt istius regionis castella*, sed ita, *validissima sunt ea regiones.* Eum vide in exercitationibus Plinianis pag. 982. Sed cum hic locus ut corruptus vel mutilus notetur, non debet, ut videtur, adduci in exemplum ejus significatus, qui alibi non invenitur. Tamen utraque sententia magno se judice tuetur, suffragium nostrum non est tanti, ut inclinare faciat lectorem in alterutram lancem.

Ad Lib. 12. pag. 542.

Ἡράκλειαν ἐν τοῖς Μαριανδυνοῖς ἱδρυμένην φασὶ Μιλησίων κτίσμα.	*Heracleam in Mariandynis sitam à Milesiis conditam dicunt.*

Pugnat

Pugnat Xenophon Anabaſ. lib. 6, & Arrianus in Periplo, qui Megarenſium coloniam faciunt, & Pauſanias 1 Heliacorum in fine, & Diodorus lib. 14 ad annum 4 Olymp. 94, Apollonius Argon. 2, & ibi ejus Scholiaſtes, qui Bœotos etiam participes hujus coloniæ deductionis cum Megarenſibus: de Mileſiis vero ἐδὲ γρῦ. Idem firmat & Suidas in Heraclides. In tanto antiquorum conſenſu quis dubitabit debere in hoc Strabonis loco pro Μιλησίων Μεγαρέων legi? Certe ſi Strabo ita ſcripſit, memoria ſua eum fefellit, & in animo cum Heracleam haberet, de Sinope calamo properante ſcripſit, quæ in eodem maris tractu Mileſiorum erat κτίσμα. Sed actum ago, nam poſtquam hæc ſcripſi, adii notas Caſauboni, qui fere hæc omnia notavit, illi reddatur ſua gloria, mihi ſufficiat cum tali viro ſentire.

Pag. 543.

Ἐκ Μόδρων τὰς ἀρχὰς ἔχων. | *Ortus apud Modra.*

Notat in margine Caſaubonus ſcriptos codices habere Μίδρων, ſed melius edita lectio: nam Conſtantinus in themate ſexto Anatolico Bucellariorum in eo tractu facit mentionem Κωμοπόλεως Μοδρήνης, & Leonclavius Modrenem in Bithynia ponit, & poſt eum Ortelius.

Pag. 544.

Ἀπὸ Κυτώρου τοῦ Φρίξου παιδός. | *A Cytoro Phrixi filio.*

Herodotus eam Κυσίσσωρον vocat lib. 7 ſectione 197, ſi bene ſe habet is locus, ubi bis repetitum eſt id nomen.

Pag. 550.

Ποταμὸς ὁ Ῥύμος ῥέων διὰ Μυγδόνης πεδίου. | *Fluvius Rymus, qui per Mygdonium campum labitur.*

Hic fluvius pag. ſequenti vocatur Ὀδρύσσης: non memoratur alibi, quod ſciam, ideo manet in dubio, utra lectio melior.

Pag. 551.

Ὡς Παλαίφατός φησιν ἐξ Ἀμαζόνων τῶν ἐν τῇ Ἀλόπῃ οἰκούντων, νῦν δὲ ἐν Ζηλείᾳ τῶν Ὀδίων. | *Palæphatus ait ex Amazonibus Alopen tunc, nunc Zeleiam habitantibus Odium.*

Ex præcedentibus patet legendum Ἀλαζώνων vel Ἀλιζώνων, ut quadret cum Hecatæo vel Menecrate. Cæterum cum apud Palæphatum habeamus caput de Amazonibus, hæc verba, quæ citantur à Strabone, ibi non inveniuntur.

Pag. 556.

Καὶ ὁ ὑδραλέτης. | *Et mola aquaria.*

Antiquissima mentio machinarum aquatilium, quibus molæ versantur, & moluntur fruges. Ergo Mithridati debetur beneficium inventionis talis machinæ, nec frustra est Salmasius in notis ad Lampridii Heliogabalum, qui ait tempore Ciceronis inventas fuisse eas machinas ex epigrammate Antipatri cujusdam, nam Cicero ea tempestate vivebat.

Pag. 558.

Θυγάτηρ δ' αὐτοῦ κατεῖχε τὴν βασιλείαν, ἀδελφὴ πρεσβυτέρα τῆς Κλεοπάτρας. | *Regnabatque filia soror Cleopatræ natu major.*

Tacuit nomen Strabo, an ignoravit? id certe ita videtur; at habemus ex Dione lib. 39: οἱ Ἀλεξανδρεῖς τέως μὲν ἀγνοήσαντες, ὅτι εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀπηρηκὼς ἦν, ἢ τεθνηκέναι αὐτὸν νομίσαντες, Βερενίκην τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐς τὴν βασιλείαν ἀντικατέστησαν. Et rursus eodem libro: ἦρχε δὲ τότε τῶν Αἰγυπτίων ἡ Βερονίκη. Fuit ergo ea major natu soror Cleopatræ Berenice vel Beronice, quam pater ab exilio reversus & per Gabinium reductus morte mulctavit, ut discimus ex Dione eodem dicto loco.

Pag. 560.

Τὰ δὲ Τεπόργι δυνάστῃ τινὶ τοῦ τετραρχικοῦ γένους τῶν Γαλατῶν. | *Alias Teporgi cuidam regulo tetrarchici generis Galatarum.*

Credo Strabonem scripsisse, vel scribere debuisse, Τεπόριγι. Nam Teporix Gallicum sonat, ut Adiatorix, Toredorix, Vercingetorix, Dumnorix, & alia hujus terminationis nomina Gallica.

Pag. 563.

Καὶ τὸ ἱερὸν τὸ Χαλκηδόνιον. | *Ac fanum Chalcedonensium.*

Mallem τὸ Χαλκηδονίων. Sic enim semper ab auctoribus vocatur. Id videtur Ptolemæus dixisse fuisse Ἀρτεμίδος, ut notavit Casaubonus. Verum cum is sit unicus, qui id dixerit, forte non male putavit Pintianus in retractationibus ad Melam, eam vocem in Ptolemæi codice à quodam correctore ignaro corruptam & debere legi pro Ἀρτεμίδος Οὐρίου Διός. Sed hanc quæstionem tractamus in nostra Græcia antiqua, si Deus dederit nostrum super ea laborem in lucem

¹ Pro *Dianæ, Iovis faventis.*

lucem proferre, quod vix sperare licet ob ingruentem senectutem & morbos.

Ibidem.

Προῦσα ἐστὶν ἡ Κίος πρότερον ὀνομασθεῖσα.

Prusa est, quæ olim Cius dicebatur.

Sic ad hunc locum summus vir commentatur: *quam Cium vocant reliqui fere omnes, Memnon Cierum semper vocat, Plinius duas urbes Prusas refert*, &c. Cum tua pace liceat mihi à te discedere hoc loco, vir summe, cujus manes & memoria mihi multum veneranda: non enim duo illa nomina aut duas urbes confundit Memnon, imo nos docet aliam fuisse Κίερον Heracleotarum ditionis, aliam Κίον dictam non longe à Dascylio à Propontide. Sed & non fuerunt tantum duæ Prusæ, imo tres fuerunt numero, una Heracleotarum ditionis olim Κίερος dicta, altera ad Olympum Mysiæ montem, tertia olim Κίος dicta prope Dascylium non longe ab Hellespontico mari & Propontide. In eodem errore fuit etiam Josephus Scaliger in notis ad Eusebium pag. 84. Sed de his fusius in nostra Græcia.

Pag. 564.

Προῦσα δὲ ἐπὶ τῷ Ὀλύμπῳ ἵδρυται πόλις εὐνομουμένη τοῖς τε Φρυξὶν ὅμορος καὶ τοῖς Μυσοῖς, κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος.

Prusa alia ad Olympum Mysiæ posita est urbs, quæ legibus bonis gubernatur, Phrygibus Mysisque finitima, condita à Prusia, qui bellum contra Cræsum gessit.

Fœdissimum ulcus hunc locum occupavit, quod nemo adhuc viderat, at statim malus ejus odor naribus meis oboluit. Stephanus suo tempore legebat, οὗ πρὸς Κῦρον πολεμήσαντος. Palam enim est eum illa verba ab hoc Strabonis loco accepisse. Mutavit eam lectionem aliquis, qui cum videret vocem Κῦρον non convenire, pro ea Κροῖσον supposuit conjectura (sed fallaci) ducta ab Herodoto, qui libro 1 ait Crœsum omnes populos Asiæ intra Halym sibi subjecisse, inter quos Thraces, Thynos & Bithynos nominat. Imaginatus est igitur fuisse tempore Crœsi Prusiam Bithynorum regem, qui contra Crœsum bellum gesserat, sed nec Crœsi tempore fuerunt Bithyniæ reges in Asia, aliter de iis non tacuisset Herodotus, qui res antiquas narrare maxime gaudet, & de Crœso tam multa narravit. Imo nec Xeno-

Xenophontis tempore fuerunt Bithyniæ reges, nam de iis nec tacuisset Xenophon, qui Pharnabazum & ejus exercitus duces plurimos nomine proprio vocat Spithridatem. Rhatinem, Banchæum, quibuscum ipse & Græcorum exercitus sæpe pugnavit, & de Bithynis prædas egit, & totam regionem à portu Calpes ad Chrysopolin usque cum exercitu peragravit, numquam de eorum rege mentione facta. Sed nec Herodotus in Xerxis transitu de rege Bithyniæ meminit, & Thracum, Thynorum & Bithynorum ductorem fuisse narrat Bagasacem Persam Artabanis filium. Tum ipse Strabo paulo post id satis innuit, cum rationem reddens, cur difficile sit limites definire Bithynorum, Mysorum, Phrygum, Dolionum, ait, [1] *αἴτιον ἦ σφῶν ἐπήλυδας στρατιώτας καὶ βαρβάρους ὄντας, μὴ βεβαίως κατέχειν τὴν κρατηθεῖσαν, ἀλλὰ πλανήτας εἶναι τὸ πλέον ἐκβάλλοντας καὶ ἐκβαλλομένους.* Nimirum piratæ fuerunt initio & latrones, forte & exules, qui eum angulum terræ vastabant potius, quam possidebant, & primum *αὐτόνομοι* vivebant, ut & plurimi Thraces eo tempore *αὐτόνομοι* vocabantur. Sed super eo & de Bithyniæ regum numero, & quandò cœperunt reges habere Bithyni, vide quæ supra notavi ad Appiani Mithridaticum pag. 114, & ex iis, quæ ibi dicta sunt, & hìc, concludes proculdubio, vocem Κροῖσον debere exulare ex hoc Strabonis loco. Nunc de voce Κῦρον, quæ extat apud Stephanum, videndum an inseri debeat in loco vocis Κροῖσον expunctæ. Id districte nego. Nam si de primo & magno Cyro intelligatur, fuit Crœso contemporaneus, & ideo non potuit contra regem Bithyniæ, qui nullus fuit, bellum gerere. Sed de altero Cyro etiam, qui contra fratrem Artaxerxem bellum gessit, à Xenophonte memoriæ mandatum, intelligi non potest. Nam maxime mirum foret Xenophontem, qui tanta cura enumeravit omnes modos, quibus utebatur Cyrus, ut sub prætextu bellorum cum finitimis nationibus adunaret & aleret exercitus, quibus postea contra fratrem uteretur, de bello illo contra Prusiam Bithynorum regem tacuisse. Sed & in Hellenicis lib. 3 Dercyllidæ & Græcorum incursiones & bella narrat in iis partibus gesta, numquam de Bithynorum regibus mentione facta, imo ex eo patet Bithynos illos advenas fuisse sub Pharnabazi imperio, sæpe tamen rebellantes, & ad Appianum loco supra citato probavimus Bithynorum reges Alexandri Magni tempore tantum regnare cœpisse. Ergo nec bene se habet lectio apud Stephanum πρὸς Κῦρον. Quibus positis nunc vera lectio asserenda, & gratias quidem ago Stephano,

[1] *Causa autem est, quod cum essent advenæ milites & barbari, non firmiter retinebant regionem, quam subjecerant, sed errones essent plurimum ejicientes & ejecti.*

Stephano, qui ex ſua lectione Κύρον ad veram inveniendam nobis præluxit. Ego igitur minima mutatione confidenter Κίερον lego, nam inter Κύρον & Κίερον ſecundum Iotaciſmum, qui nunc obtinet, minima eſt ſoni differentia. Cur autem ſic lego, audi. Ex iſto Strabonis loco vides Pruſiam illum, qui vel πρὸς Κροῖσον vel πρὸς Κύρον vel πρὸς Κίερον, ut emendo, bellum geſſit, eundem eſſe, qui Pruſam urbem vel Pruſiada condidit ad Olympum montem. Sed ex Memnone diſcimus Pruſiam primum, qui Claudus dictus eſt, cum Cieranis bellum geſſiſſe; audi ejus verba apud Photium. [1] Διηγεῖται δὲ ὅπως Προυσίας ὁ Βιθυνῶν βασιλεὺς δραστήριος ὢν καὶ πολλὰ πράξας, μετὰ τῶν ἄλλων καὶ Κίερον πόλιν Ἡρακλεωτῶν οὖσαν, ὑφ' ἑαυτὸν ἔθετο τῷ πολέμῳ ἀντὶ Κίερου Προυσιάδα καλέσας. Ecce tibi Pruſiæ nomen τοῦ πρὸς Κίερον πολεμήσαντος, qui Pruſiadem condidit. Sed ne te fallat homonymia, altera fuit Pruſias ea Memnonis, altera vero, de qua hîc Strabo, quæ fuit ad Olympum Myſiæ, & ambas Pruſias iſte condidit ſecundum Memnonem & Strabonem, unam ad Cierum & Hippiam fluvios in Heracleotarum ditione, alteram ad Olympum Myſiæ montem, quod de eo Pruſia, qui fuit δραστήριος & πολλὰ πράξας, facile credi poteſt. Sed notandum eſt, ſimilitudines vocum Κίος & Κίερος, Προῦσα & Προυσίας, multas tenebras affudiſſe Bithynicæ hiſtoriæ. Quod ſi Strabo deceptus nominis ſimilitudine Pruſiadem ad Olympum poſuit pro Pruſiade ad Hippium, quod fieri poteſt, nihilominus manet vera noſtra emendatio. Nam ille, qui Pruſiadem condidit, πρὸς Κίερον ἐπολέμησε, quod probandum erat. Itaque legatur & hoc loco apud Strabonem & apud Stephanum τοῦ πρὸς Κίερον πολεμήσαντος.

[1] *Narrat autem, quomodo Pruſias Bithynorum rex ſtrenuus & qui multa geſſit, cum cæteris etiam Cierum urbem Heracleotarum ſibi ſubjecit bello, eam Pruſiadem pro Ciero nominans.*

Pag. 565.

Τῇ δὲ Ζελεία ὑποπέπτωκε. | *Subjacet autem Zeleia.*

Sententia claudicat, & eſt oratio imperfecta. Lege meo periculo: Ἰδῃ δὲ Ζελεία ὑποπέπτωκε, nec eſt opus pluribus verbis, ut ea lectio aſſeratur, quæ cum re concordat.

Pag. 568.

Τὸ τοῦ Κάστορος βασίλειον τοῦ Σαωκονδαρίου, ἐν ᾧ γαμβρὸν ὄντα τοῦτον ἀπέσφαξε Δηϊόταρος.	*Regia Caſtoris Saocondarii: quem ibi & uxorem ejus filiam ſuam Deiotarus trucidavit.*

Si τοῦτον ad Saocondarium referas (qui melius ad Gallicum ſonum Saocondarus ſine *i* diceretur) Caſtor ille idem erit, qui Deiotarum

accusavit; si ad Castorem, tum habuit ille Castor filium cognominem. De Deiotaro autem & ejus erga liberos crudelitate vide Plutarchum lib. de Stoïcorum repugnantiis.

Pag. 575.

Ἡ δὲ Μιλητοπολῖτις. | *Miletopolitis.*

Hic idem lacus videtur dici Artynia à Plinio lib. 5 cap. 32.

Ibidem.

Πρὸς δὲ τῇ τρίτῃ Ἀπολλωνίᾳ ἐπὶ Ῥυνδάκῳ λεγομένῃ.	*Ad tertiam Apollonia, quæ vocatur ad Rhyndacum.*

Ptolemæus eam urbem etiam Apolloniam vocat: at ex nostro Strabone infra videtur hoc loco scribi debere Ἀπολλωνὶς; eum vide infra lib. 13 pag. 625, & pagina sequenti etiam lacum huic urbi vicinum vocat Ἀπολλωνῖτιν, quod nomen formatur ab Ἀπολλωνίς. Nam ab Ἀπολλωνία formaretur Ἀπολλωνιάτης.

Pag. 576.

Ἄλλους τε καὶ Μάκεστον. | *Cum alios tum Macestum.*

Eum fluvium eundem esse puto, quem Polybius lib. 5 μέγιστον vocat, & cum eo Apollonii Scholiastes pag. 57. Sed eæ voces sunt fere ejusdem significatus.

Ibidem.

Ἐκδίδωσιν εἰς τὴν Προποντίδα κατὰ Βέσβικον νῆσον· Ἐν ταύτῃ δὴ τῇ νήσῳ τῶν Κυζικηνῶν ὄρος Ἀρτάκη.	*In Propontidem exit apud Besbicum insulam: in hac mons est Cyzicenorum, nomine Artace.*

Hunc locum videtur aliter legisse Xylander, & interpunxisse post νήσῳ, & infœliciter interpretatus est, quasi ταύτῃ τῇ νήσῳ deberet referri ad Βέσβικον, sic: *In hac* (Besbico) *mons est Cyzicenorum nomine Artace.* Ita secundum ejus versionem mons Artace fuit in Besbico insula. Sed erravit quam maxime, nam sic debuit vertere: *In hac Cyzicenorum insula mons est Artace*, & sic intelligi debere eum docet idem Strabo infra lib. 13 pag. 625. [1] ἐν δὲ τῇ Κυζικηνῶν νήσῳ Ἀρτάκην, Κύζικον. Cyzicus in insula ex magna parte sita fuit, & in eadem insula fuit Artace, quod debuit discere ex pagina anteriore, [2] ἐστὶ δὲ νῆσος ἐν τῇ Προποντίδι ἡ Κύζικος συναπτομένη γεφύραις δυσὶ πρὸς ἤπειρον, nihil clarius.

[1] *In Cyzicenorum autem insula Artacem, Cyzicum.*

[2] *Est autem insula in Propontide Cyzicus duobus pontibus juncta continenti.*

Pag. 577.

Pag. 577.

Ὁ ποταμὸς τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τῆς πόλεως ἔχων.	*Fluvius ad ipsam ortus urbem.*

Salmasius emendat ἀπὸ τῆς ἀρχαίας πόλεως, fœliciter. Eum vide ad Solinum pag. 826.

Pag. eadem.

Τελευτῶν δὲ κατὰ Καρίαν, αὐτὴν διαιρεῖ τὴν ὑπὸ τῶν Ἰώνων νῦν κατεχομένην.	*Tandem apud ipsam Cariam Ionio, quæ nunc dicitur, separata.*

Gratias quam maximas debent omnes litterati Casaubono, qui hunc locum fœliciter emendavit, dum legi debere suspicatur αὐτὴν διαρρεῖ, quam suspicionem pro certissima emendatione habeo, & eam etiam probat Salmasius, qui paulo aliter: [1] Τελευτῶν δὲ καὶ τὴν Καρίαν αὐτὴν διαρρεῖ, in Solinum pag. 836. nil melius, nam de Mæandro loquitur.

[1] *In fine vero & Cariam ipsam perfluit.*

Pag. 578.

Ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν κοραξὴν χρόαν, ὥσπερ καὶ προσοδεύονται λαμπρῶς ἀπ᾽ αὐτῶν, ὥσπερ καὶ οἱ Κολοσσηνοὶ ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου χρώματος.	*Sed etiam ad corvorum nigredinis æmulum colorem: unde amplos quoque habent reditus: ut & Colosseni ab ejusdem nominis colore.*

Hic locus longe est à sanitate, & maxime ulcerosus: primum enim εἰς τὴν κοραξὴν χρόαν male se habet, & quid velit dicere, magis divinare possumus, quam videre, quid dicat. Secundo ὥσπερ καὶ προσοδεύονται, nihil indicat sani. Tertio Κολοσσηνοὶ ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου χρώματος, ænigma est, quis enim unquam Græce doctus audivit nigrum colorem aut alium habere nomen ad Κολοσσὰς accedentem? Ego si in his rebus aliquid habeo acuminis, putarem hunc locum sic posse constitui: [2] ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν κορακίνον χρόαν, ὥστε καὶ προσοδεύονται λαμπρῶς ἀπ᾽ αὐτῆς, ὥσπερ καὶ οἱ Κελαινεῖς ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου χρώματος πλησίον οἰκοῦντες. Sic videntur omnia satis quadrare: nam & κελαινὸν χρῶμα est ater, niger color, & urbs Celænæ non longe à Laodicea, de qua agit, sive τὴν ἐπὶ Λύκῳ intelligas, sive τὴν τῆς κατακεκαυμένης. Sed de his in nostra Græcia pluribus.

[2] *Sed & in corvino colore, unde multum proficiunt ab eo, ut & Celænenses vicini, ab eo cognomine colore.*

Pag. 579.

Ἐν Χαράκοις τῆς Νησαΐδος.	*A Nysææ regionis Characa.*

Puto legendum Νυσαῗδος, ut infra pag. 629. Hic error manat ab Iotacismo. Nysa fuit urbs, quam alii Phrygiæ, alii Cariæ tribuunt, unde regio dicta Νυσαῒς. De voce Χαράκοις nihil habeo, quod dicam: de ea enim sive urbe sive pago nihil invenitur, quod sciam, in aliis auctoribus.

Pag. 582.

Ὀρέστην μὲν γὰρ ἄρξαι τοῦ στόλου.	*Principem deducendæ coloniæ fuisse Orestam.*

Adde ad pleniorem historiæ notitiam συμπεράξαντος τοῦ Πεισάνδρου ex Pindaro in Nemæorum undecimo.

Ibidem.

Εἶτ' Ἀρχέλαον υἱὸν ἐκείνου περαιῶσαι.	*Deinde Archelaum ejus filium traduxisse.*

Hunc Pausanias Ἐχέλατον, non Ἀρχέλαον nominat; uter melius, alius dicat.

Ibidem.

Γραῦν τὸν υἱόν.	*Graum filium.*

Credo Strabonem scripsisse Γρᾶιν, nam Pausanias eum Γρᾶϊδα vocat à recto Γρᾶϊς, unde Strabo fecerat quarto casu Γρᾶϊν. Sed ii qui υ tamquam ι proferunt, unum pro altero posuerunt, & ex viro fecerunt anum.

Pag. 587.

Ὁ δ' ἐκ Νικομηδείας εἰς Νικαίαν τέτταρας καὶ εἴκοσι.	*Alius à Nicomedia Nicæam fluens* XXIV.

Et propter tantos fluxus & refluxus, vel (ut proprius loquar) inflexiones frequentes & reflexiones is fluvius Δράκων vocatus est: ejus enim nomen extat apud Procopium lib. 5, & apud Annam Porphyrogenetam lib. 3.

Pag. 594.

Οὐ δεχομένων αὐτὸν τῶν Ἰλιέων ὡς λῃστὴν μάντει προσφέρει.	*Iliensibus eum, utpote latronem, non recipientibus, re cum ariolo communicata.*

Notat summus vir, in scriptis codicibus sic legi, μάχην .... προσφέρει. Ex utraque lectione veram licet reponere, scilicet [1] μάχην μηχανάς τε προσφέρει: nam προσφέρειν μηχανὰς pro admovere machinas phrasis est πολιορκητικὴ & maxime usitata.

[1] *Bellum & machinas admovet.*

Pag. 597.

Pag. 597.

Παρ' ὃν Σιμόεις ῥεῖ πεντασταδίον ἔχων.	*Præter quem Simois fluit ambitu stadiorum quinque.*

Lege πεντασταδιον διέχων.

Pag. 600.

Ὑπὸ τῶν Ἰλιέων ἀπειθούντων.	*Ab Iliensibus, cum oppidanis non bene fiderent.*

Sensus est absurdus. Lego ἀπειθοῦν, ut referatur ad Σιγεῖον, & idem est sensus lectionis, quam se reperisse in codice manuscripto notat Casaubonus, διὰ τὴν ἀπείθειαν: id autem erat scriptum in margine, tamquam interpretatio ἀπειθοῦν.

Pag. 614.

Κατὰ τὴν καλουμένην νῆσον ἐχοῦσαν.	*Ad eam quæ vocatur insula sese exserens.*

Jure hunc locum habet suspectum morbi Casaubonus in voce ἐχοῦσαν. Mederi tentabo, credo enim in ea voce latere nomen insulæ, Ἐλεοῦσαν: est enim insula ejus nominis in Æolide, teste Plinio lib. 5 cap. 31, ejus verba sunt: *Iuxta Smyrnam sunt Peristerides, Cateria, Alopea, Eleusa, Bachina, Pistira, Crommyonesos, Megale: ante Troada, Ascania, &c.* vides eum omnes insulas recensere, quæ præjacent littori Æolidis à Smyrna usque ad Troadem. Ergo ex hoc loco habemus situm Eleusæ scilicet è regione Atarnei.

Pag. 619.

Πόρδακον τὸ χωρίον λιμνάζον.	*Pordacum locus stagno insitus.*

Videtur legisse Strabo apud Aristophanem Πόρδακον, ubi nunc legitur Πάρδακον, & ex Aristophane putat doctus commentator debere rescribi hoc loco Πάρδακον. Sed ex præcedentibus patet debere legi Πόρδακον, ut legitur: nam eam vocem citat, ut [1] δυσφημόν τι καὶ κακέμφατον habentem, quod convenit voci Πόρδακον; at si legis Πάρδακον, nihil habet ea vox ad obscœnitatem alludens, τὸ πέρδειν & πορδή. Ideo manere debet hæc lectio, ut puto.

[1] *Mali ominis aliquid & obscæni.*

Pag. 622.

Ἀπὸ Λαρίσσης μὲν διαβαίνοντι τὸν Ἕρμον εἰς Κύμην.	*A Larissa si Hermum transeas usque Cumam.*

Sed si verum est, quod hoc loco ait Strabo, euntibus Larissa Cumen, transeundum esse Hermum, quid faciemus Aristidi, qui in Ser-

monum 4 narrat, quomodo Smyrna Larissam & Larissa Cumen & Myrinam venerit, & Hermum ponit inter Smyrnam & Larissam. Sed ea omnia tam exacte exequitur, ut non sit ratio dubitandi. Certe magis credendum est rhetori: fuit enim proculdubio αὐτόπτης & in ea regione exercitatissimus. Ergo accommodandus est Strabonis sensus ad Aristidis topographiam, & intelligendus quasi dixerit διαβαίνῃ μὲν τὸν Ἕρμον, ἀπὸ Λαρίσσης ἐς Κύμην, *cum Hermum transvadassem*, aut, *postquam Hermum transiveram, à Larissa Cumen veni.*

Pag. 624.

Ἐχειρώσατο δὲ καὶ Διήγυλιν τὸν ἐκείνων βασιλέα στρατεύσας εἰς τὴν Θρᾴκην.	*Et in Thraces expeditione facta regem eorum Diegylin cepit.*

Nullus hunc locum ut male sanum notavit, habet tamen ulcus non contemnendum, sed facile sanabitur. Quid est τῶν ἐκείνων βασιλέα? Supra de Romanis & Pseudophilippo loquutus est, num Diegulin dicit esse eorum regem? absit, ut Straboni tribuamus tam absurdam sententiam: ad quid ergo referemus hanc vocem ἐκείνων? Lege confidenter τὸν Καινῶν βασιλέα. Nam Καινοὶ Thracica gens in litore Ponti opposita Bithyniæ, de qua Stephanus: [1] Καινοὶ ἔθνος Θρᾴκιον Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικῶν τετάρτῳ. Ptolemæus in Thraciæ tabula Καινικὴν gentem ponit. De ea etiam Plinius lib. 4 cap. 11. Ergo Diegulis iste, quem in Thracia vicit & cepit Attalus, fuit Καινῶν βασιλεύς. Dabis credo manus lector, & forte plausum.

[1] Ceni gens Thracica, ut Apollodorus in quarto Chronicorum.

Ibidem.

Καὶ κληθεὶς Φιλομήτωρ. | *Cognomento Philometor.*

Eum Attalum Plutarchus in Tiberii Gracchi vita Φιλοπάτορα vocat. Sed male, nam & ipse in vita Demetrii Philometorem vocat, & in Sylla etiam (si memoria non fallit.)

Pag. 625.

Σκοπὴν ἔχον ἐξέδραν λευκοῦ λίθου.	*In fastigio speculam exedram albi lapidis.*

Legerem libenter ἔξεδρον. Nam Aristophanes in Avibus [2] ἔξεδρον χώραν ἔχων dixit, quod habuit ex Sophocle, ut ait Scholiastes, & erat credo vocabulum augurale apud Sophoclem. Sed in hoc Strabonis loco interpretor *sex sedilia habentem* vel *sex latera*, & *capacem septem virorum sedentium.* De hoc loco sic Eustathius ad Iliad. ζ versu 866. [3] σκοπὴν δὲ λέγει τὴν κοινῶς λεγομένην βίγλαν, quæ vox, ut puto,

[2] Extra situm regionem.
[3] Scopam ait, quæ communiter dicitur vigilia.

to, à Latinis desumpta fuit & corrupta, quasi *vigilum sedes*.

Pag. 629.

Ἡ δὲ μεσόγαιος.	*Mediterranea.*

Legendum est Μέσωγις, ut infra eadem pagina pluries emendavit Casaubonus: hic locus per inadvertentiam evasit ejus manum.

Pag. 633.

Κύδρηλος δὲ νόθος υἱὸς Κόδρου Μυοῦντα κτίζει.	*Cydrelus Codri filius spurius Myuntem condidit.*

Pausanias eum Myuntis conditorem Κυάρητον nominat in Achaïcis.

Ibidem.

Καταλαβόμενος τόπον τινὰ Ἄρτην.	*Occupato loco, cui nomen Artis.*

Scripti Codices habent Ἄρτην, ut testatur Casaubonus, unde auguror legendum Ἀκτὴν, ut legit Dominicus Niger.

Ibidem.

Ὤικει δ᾽ ὄπισθεν τῆς πόλιος ἐν Σμύρνῃ μεταξὺ Τρηχείης τε καὶ Λέπρης ἀκτῆς.	*Habitabat in parte urbis posteriore, in Smyrna, inter Asperam & Lepren actam.*

Hos versus Hipponactæos sic explicat & suo metro reddit Leo Allatius in suis ad Philonis septem miracula notis:

[1] Οἴκει δ᾽ ὄπισθε τῆς πόληος ἐν Σμύρνῃ
Μεταξὺ Τρηχείης τε καὶ Λέπρης Ἀκτῆς.

[1] *Habitat autem pone urbem in Smyrna Inter asperum & sterile litus.*

Salmasius vero ad Solinum sic:

Ὤικει δ᾽ ὄπισθεν τῆς πόληος ἐν Σμύρνῃ
Μεταξὺ Τρηχείης τε καὶ Λεπρῆς Ἀκτῆς.

Pag. 639.

Καὶ πολισμάτιον Οἰνόη, καὶ ἄλλο Δράκανον ὁμώνυμον τῇ ἄκρᾳ ἐφ᾽ ᾗ ἵδρυται.	*Et oppidulum Oenoë, & aliud Draconum, ejusdem cum promontorio nominis, cui incumbit.*

Supra pag. 637 hoc promontorium Δρέπανον vocat, quod videtur melius, communi scilicet dialecto. Sed unum & idem est: nam Dores π in κ mutant, ποτὲ, κοτὲ, πῶς, κῶς; mutant etiam ε in α, ut ἕτερος ἄτερος, Ἄρτεμις Ἄρταμις. Ergo Dorice Δράκανον idem quod Δρέπανον. Sic Theocritus Idyll. 26 Δράκανον νιφόεντα dixit.

Ibidem.

Ibidem.

Εἶτα λιμὴν Πάνορμος καλούμενος ἔχων ἱερὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος.	*Post portus Panormus cum templo Ephesiæ Dianæ.*

Vir summus Salmasius ad Solinum pag. 810 contendit legi debere Σάμορνος, sed ex conjectura ducta à solo Stephano, ubi legitur Σάμορνα καὶ Σάμορνος ἡ Ἔφεσος ἐκαλεῖτο, sine alio adminiculo. Ideo non possum manus dare ejus sententiæ, licet ejus eruditionem maxime semper miratus fuerim. Nam & apud Stephanum pro Σάμορνα forte legendum Σμύρνα: sic enim olim vocabatur Ephesus, ut dixit Strabo supra pag. 633, & citat Callinum sic de Epheso canentem, Σμυρναίους δ' ἐλέησον, ubi ex ratione metri non potest legi Σαμορναίους. Sed dato & non concesso lectionem Stephani esse probam, quid inde? ipsa urbs olim fuit vocata Σαμόρνη & Σάμορνος, sed portum, qui extra urbem ad templum Dianæ erat, non est necesse intelligere habuisse idem nomen. Tum vox Πάνορμος convenit maxime portui, & id nomen sæpissime dabatur portubus: ejus nominis fuit portus Atticæ, ut Ptolemæus, & Achaiæ ut Thucydides. Polybius, Plinius & alii, & Milesiorum etiam secundum Herodotum, Thucydidem, Pausaniam, & Sami insulæ, ut T. Livius, & Epiri, ut Strabo & Ptolemæus, item Cephaleniæ, Peparethi, Cherronnesi, Chalcidicæ. Ideo non est mutanda hoc loco Strabonis lectio, quam firmat Q. Smyrnæus lib. 1, qui post Mycalen & alia loca non longe ab Epheso sita nominat etiam ἠιδεντα Πάνορμον, quod tamen potest etiam intelligi de Milesiorum Panormo. His rationibus ductus cogor discedere à sententia summi viri.

Pag. 640.

Περὶ τὸ Ἀθήναιον καὶ τὸ Ὑπέλαιον.	*Circa Athenæum & Hypelæum.*

Post vocem Ὑπέλαιον vel deest vox κρήνην, vel subintelligenda est, nam Athenæus lib. 8 de eo fonte mentionem facit.

Ibidem.

Τὸν δὲ νεὼν τῆς Ἀρτέμιδος πρῶτος μὲν Χερσίφρων ἠρχιτεκτόνησεν.	*Templum Dianæ primus architectatus est Chersiphron.*

Nomen illius insignis architecti apud alios non ita exprimitur. Vitruvius Χρησίφωνα nominat, sed Strabo, ut credo, melius.

Pag. 643.

Pag. 643.

Μεταξὺ Τέω καὶ Λέσβου.	*Inter Teon & Lebedum.*

Et ex ſequentibus & ejus littoris notitia ductaratione & ex Hecatæo apud Stephanum in Μυόννησος patet legendum eſſe, μεταξὺ Τέω καὶ Λεβέδου.

Pag. 644.

Πρὶν δ᾽ ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς Ἐρυθρὰς, πρῶτον μὲν Γέραι πολίχνιον ἐστι Τήϊον.	*Antequam Erythras veniatur, primum Eræ ſunt Teium oppidum,*

Xylander cum vulgatis codicibus legit, πρῶτον μὲν γ᾽ Ἔραι πολίχνιον ἐστὶ Τηΐων. Mutavit eam lectionem Caſaubonus ex manuſcriptis codicibus, quod non debebat: melior enim vulgata lectio, quam ſequutus eſt Xylander, & ſine mendi ſuſpicione. Primum enim, quod ad Τήϊον, quare rurſus poſuiſſet Teium Strabo, de qua ſupra multis tractaverat? deinde Τήϊον non fuit nomen urbis, ſed Τέως, cujus incolæ Τήϊοι. Quod autem ad vocem Γέραι, nullibi invenitur nomen illud, præterquam in codicibus, quos vidit Caſaubonus, unde Dominicus Niger ſomniavit urbem *Gerræ*. At, ut probetur legendum γ᾽ Ἔραι, ſufficit locus Thucydidis lib. 8. καὶ Διομέδων ἀπελθόντος αὐτοῦ, οὐ πολὺ ὕστερον δέκα ναυσὶν Ἀθηναίων ἀφικόμενος, ἐσπείσατο Τηΐοις, ὥστε δέχεσθαι καὶ σφᾶς· καὶ παραπλεύσας ἐπὶ Ἔρας, καὶ προσβαλὼν, ὡς οὐκ ἐλάμβανε τὴν πόλιν, ἀπέπλευσεν, id eſt, *Et Diomedon, cum ille* (Tiſſaphernes ſcilicet) *abiiſſet, non multo poſt cum decem navibus Athenienſium adveniens fœdus facit cum Teiis, ut ab iis reciperetur: & ultra navigans ad Eras, & impreſſionem faciens, cum eas non caperet, abiit.* Ad hæc verbum non addam.

Ibidem.

Καὶ λιμὴν ἐπ᾽ αὐτῷ Κασύστης, καὶ ἄλλος Ἐρυθρὰς λιμὴν καλούμενος.	*Et ſub eo portus Caſyſtes aliuſque Erythra.*

Non poſſum ſedare pruritum aliquid mutandi in hoc loco. Nam pro Ἐρυθρὰς λιμὴν non dubito Strabonem ſcripſiſſe Ἐρυθραίων λιμὴν, aliter non fuiſſet opus repetere vocem λιμὴν, ſed dixiſſet λιμὴν ἐπ᾽ αὐτῷ Κασύστης καὶ ἄλλος Ἐρυθραὶ καλούμενος. Sed repetit vocem λιμὴν, eo quod nomen loci erat Ἐρυθραίων λιμὴν. Sic plures loci eodem modo vocabantur, ut Ἀθηναίων λιμὴν, de quo Plinius & Ptolemæus in Peloponneſo lib. 3. Sic Ἀχαιῶν λιμὴν in Troade, &

alius ejus nominis in Æolide, tertius in Messenia. Sic Ἐφεσίων λιμὴν in Bosporo, de quo Petrus Gillius ex Stephano Byzantino. Longum foret omnes enumerare. Tum manifesto Ἐρυθρὰς non convenit in quarto casu, & ideo mutanda est.

Pag. 645.

Ἐκ δὲ τοῦ ἀποκρήμνου Χύτριόν ἐστι τόπος.	*Pone præruptum illum locum Chytrium est.*

Aristoteles Politicorum lib. 5 cap. 3 Χύτρον vocat eum locum, sed actum ago: nam id notavit Casaubonus.

Pag. 646.

Λυδῶν δὲ κατασπασάντων τὴν Σμύρνην — εἶτα ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος.	*Cum Lydi Smyrnam diruissent — instauravit deinde urbem Antigonus, ac postea Lysimachus.*

Mirum est Strabonem nihil dixisse de Alexandro, qui post Theseum antiquioris Smyrnæ conditorem celebratur ut conditor vel instaurator celebratissimæ recentioris Smyrnæ, quæ ad Meletem sita fuit, non solum à Pausania, sed & ab Aristide pluries in orationibus, quas super Smyrna fecit. Forte etiam Antigonus eam urbem magis excoluit, & post eum Lysimachus. Itaque nihil muto: nam & non minus mirum est, Arrianum, qui de Alexandri gestis scripsit, nihil de ea Smyrnæ instauratione dixisse: putarem Alexandrum tantum de ejus instauratione decretum proposuisse, sed ob ejus absentiam & alias occupationes intermissam, Antigonum demum ad effectum eam perduxisse.

Ibidem.

Στοαί τε μεγάλαι τετράγωνοι ἐπίπεδοί τε καὶ ὑπερῷοι.	*Porticus magnæ & quadratæ in planis & in editis locis.*

Ita interpretatur Xylander, infœliciter: non est ea Strabonis sententia. Vertendum erat, *cum inferius in solo, tum superius in tabulato ædificata.*

Pag. 647.

Ἐν δὲ τῇ νῦν πόλει τὸ τῆς Λευκοφρυήνης ἱερὸν Ἀρτέμιδος.	*In ea quæ hodie est Smyrna, fanum Dianæ Leucophrynes.*

Ex hoc loco licet suspicari Magnesiam sitam fuisse, ubi fuerat antiqua Λευκόφρυς, vel non longe.

Pag. 650.

Pag. 650.

Ἀπὸ δὲ τριάκοντα σταδίων τῆς Νύσης ὑπερβᾶσι Τμῶλον τὸ ὄρος καὶ τὴν Μεσσωγίδα ἐπὶ τὰ πρὸς τὸν Νότον μέρη.	*A Nysa* XXX *stadiis versus meridiem superato monte Messogide.*

Pugnat hic locus, ut eum edididit eruditissimus Casaubonus, cum [1] τοποθεσία, quam ipse Strabo satis curiose descripsit pag. 648 & sequenti. Nam Messogis ille mons erigitur inter Mæandrum & Caystrum fluvios, & habet Mæandri campum ad Meridiem, & Caystri campum ad Septentrionem, & Λειμὼν ille locus, de quo hîc agit Strabo, ab Homero ponitur ad Caystrum: [2] Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καΰστρου ἀμφὶ ῥέεθρα. Et paulo supra Strabo ponit euntibus Magnesia Tralles, procedendo adversus cursum Mæandri Messogin ad sinistram, Mæandri campum ad dextram. Itaque necesse est voces πρὸς τὸν Νότον mutare, ut omnia quadrent. Et primum quidem volebam reponere πρὸς Ἄρκτον, vel πρὸς Καΰστρον. Sed δεύτεραι φροντίδες meliora suggessit, & veram lectionem docuit multum abhorrentem à literarum ductu vulgatæ lectionis. Ergo lego confidenter πρὸς Ἰτωανάτων μέρη. Nam Itoana non longe à Nysa, ut nos docent Ptolemæi ordines antiqui, in quibus legebat olim Dominicus Niger Ἴτωανα, ubi nunc editur Βιτώανα. Cæterum Xylander usus est codice melioris notæ, qui non agnoscit vocem Τμῶλον, quæ omnino exulare debet, & præceps agi ex hoc loco, & non jure objurgat Xylandrum doctus commentator hoc loco. Nam Tmolus longe à Messogide erigitur, Caystro & Caystrio campo intercedente. Nam & quomodo intelligi posset in triginta stadiorum spatio transiri posse Messogin, Caystri campum & Tmolum? id certe est impossibile. Ergo legatur sic totus hic locus: [3] ἀπὸ δὲ τριάκοντα σταδίων τῆς Νύσης, ὑπερβᾶσι ὅλον τὸ ὄρος τὴν Μεσσωγίδα ἐπὶ τὰ πρὸς Ἰτωανάτων μέρη. Sic omnia erunt plana, & quadrabunt inter se Strabonis loci supra citati.

[1] *Locorum positione.*

[2] *In prato Asio circa Caystri fluenta.*

[3] *Post triginta autem stadia à Nysa superantibus totum montem Messogidem ad Itoanatarum partes.*

Pag. 655.

Σποράδες αἱ ἐπὶ τὴν Χαλκίαν.	*Sporades Chalciam versus.*

Casaubonus ait manuscriptos codices exhibere ἐπὶ τὴν Χαλκίδα, & jure damnat eam lectionem. Nomen ejus insulæ varie ab auctoribus exprimitur: noster Strabo etiam in fine libri 10 Χαλκίαν vocavit, at Thucydides semper Χάλκην nominat, Plinius cum utrisque in uno loco *Chalcen*, in altero *Chalciam* scripsit, Scylax Χαλκείαν, Theo-

phrastus cum Strabone Χαλκίαν, Mela denique cum corruptis codicibus *Chalcidem*. Quid in tanta diversitate statuendum? hodie *Carchi* dicitur.

Pag. 656. & 657.

Ἐξέβαλε δὲ ταύτην Πιξώδαρος ὁ λοιπὸς τῶν Ἑκατόμνου παίδων, Περσίκας δὲ μεταπέμψαι Σατράπην ἐπὶ κοινωνίᾳ τῆς ἀρχῆς.

Eam Pixodarus ejecit, qui de Hecatomni filiis supererat, cumque Persicas res amplecteretur, Satrapam arcessit ad societatem regni.

Quis fuit ille Persicas, de quo nullus alius auctor meminit? num aliquis alius è sanguine Hecatomni? nugæ. Lege meo periculo sine majuscula, περσίσας. Aoristus est à verbo Περσίζω, ut Μηδίζω, id est, *cum Persis sentio, Persis faveo, Persarum partes sequor*. Id de Pixodaro dixit, qui Persam Satrapem advocavit, & suum generum fecit communicato cum eo regni jure. Vocabatur ille Satrapes Orontobates, ut disco ex Arriano lib. I.

Pag. 657.

Ἔστιν ἄκρα Τερμέριον Μυνδίων, καθ' ἣν ἀντίκειται τῆς Κώας ἄκρα Σκανδάρια, διέχουσα τῆς ἠπείρου σταδίους τετταράκοντα, ἔστι δὲ καὶ χωρίον Τέρμερον ὑπὲρ τῆς Κώας.

Est Termerium Myndiorum promontorium, cui opponitur Coæ insulæ promontorium Scandaria à continente distans stadia XL. *Est & locus supra Coam, nomine Termerum.*

Suspectum habet stadiorum numerum Casaubonus, eo quod Plinius dixit, distare Coon ab Halicarnasso millia passuum XV. Sed ideo mutandus non est numerus apud Strabonem, Halicarnassus enim in recessu est, & longius multo distat à Co insula, quam plura promontoria, quæ à continente versus Co extenduntur & prominent. Ea quæ ad Co magis accedit (ut puto) vocatur nunc ab Italis *Capo Cico*, vel *Capo di San Piero*. Sed hic locus mihi suspectus est in voce Κώας ultima. Nam ratio suadet Strabonem scripsisse ὑπὲρ τῆς ἄκρας, scilicet Τερμερίου, de qua est sermo, nam promontorium nomen sumpserat à vicino oppido seu pago, non à Co.

Pag. 663.

Καὶ Χελιδονίων. | *Et Chelidonias.*

Vix

Vix abstineo, quin aliquid audeam in eam vocem, quæ non occurrit apud quemquam alium auctorem in eo tractu. Reponerem Φιλομήλιον, sed infra nominatur, fuit tamen in ea itineris serie, quam describit Strabo.

Pag. eadem.

Τὸ Τυεμαρίον. | *Tyriarium.*

Variant manuscripti. Τυεμίον, Τυεμαῖον. Quid si quis putaret debere legi, Τετεράδιον ex Ptolemæo? est enim in eodem itineris ordine.

Pag. 665.

Τὰ Δαίδαλα. | *Dædala.*

Eustathius videtur legisse τὸν Δαίδαλον.

Ibidem.

Ὃν Σίρβιν ἐκάλουν. | *Sirbes dictus.*

Idem Eustathius ad Iliad. μ. legisse videtur Σίρμιν.

Pag. 666.

Ὧν καὶ μεγίστη νῆσος καὶ πόλις ὁμώνυμος ἡ Κισθήνη.	*Quarum maxima insula Cisthene.*

Videtur jure sollicitare hunc locum Salmasius ad Solinum. Nam si πόλις est ὁμώνυμος insulæ, nomen autem insulæ fuerit Μεγίστη, quomodo potest esse nomen urbis Κισθήνη? reponit igitur καὶ μηκίστη, vel καὶ Δολιχίστη, quod maxime probo. Sed non eget nostra approbatione tanti viri auctoritas.

Pag. 671.

Καὶ τῶν ὑπερκειμένων ἐθνῶν.	*Et populorum supra imminentium.*

Sensus exigit, ut legatur ὑποκειμένων.

Pag. 678.

Ἐφόρου τε καὶ τοῦτο πρῶτον ἀπαιτεῖν ἐχρῆν, τί δὴ παθὼν Χάλυβας τίθησιν ἐντὸς τῆς Χερρονήσου.	*Primum enim id ex Ephoro fuit quærendum, cur intra peninsulam is Chalybes collocaret.*

Sed eodem calculo etiam condemnandus est tibi Herodotus, ὦ Geographe, nam Chalybas etiam recenset in numero populorum intra Halyn, quos Crœsus subegit lib. I. Forte tempore Crœsi in-

tra Halyn habitabant, postea vero mutarunt sedes, & recesserunt Orientem versus.

Pag. 684.

Μάλιστα δὲ αἴτιος τοῦ ὀλέθρου κατέστη τῷ βασιλεῖ Πόπλιος Κλαύδιος Πούλχερ.	*Perniciei causa potissima regi fuit P. Claudius Pulcher.*

De hoc negotio vide Ciceronem in oratione pro P. Sextio.

Ad Lib. 15. Pag. 728.

Καὶ γὰρ εἰ βασιλεύονται μέχρι νῦν ἴδιον βασιλέα ἔχοντες οἱ Πέρσαι, τῇ γε δυνάμει πλεῖστον ἀπολείπονται, καὶ τῷ Παρθυαίων προσέχονται βασιλεῖ.	*Nam etsi adhuc Persæ proprium regem habent, viribus tamen longe sunt inferiores, & Parthorum regis dicto sunt audientes.*

Res non nimis nota Romanis scriptoribus, & iis vel ignorata vel non tradita. En ratio, quare Persæ hodierni non agnoscunt Parthorum regnum, nec de eorum rebus in suis historiis meminere, ut narrat Hispanus auctor Teixera, & alii.

Pag. 729.

Οὗ μετέλαβε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς ἀντὶ Ἀγραδάτου μετωνομασθεὶς Κῦρος.	*Ab rege appellatus pro Agradato Cyrus.*

Mutat doctus auctor notarum; & vult legi μετέβαλε. Sed puto eum primo impetu hæc scripsisse, non satis attente perspectis Strabonis verbis. Putat voluisse dicere Strabonem, regem Cyrum mutasse fluvii nomen, & pro Agradate Cyrum vocavisse: at si hoc voluisset dicere Strabo, sic oportuisset eum loqui: οὗ μετέβαλε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς ἀντὶ Ἀγραδάτου μετονομάζων Κῦρον. Sed ut sunt verba Strabonis, contrarium sensum exhibent, à nomine fluvii scilicet rex denominatus est, & ex Agradato mutato nomine vocatus est Cyrus, nam μετωνομασθεὶς non potest referri quam ad βασιλεύς. Tum Ἀγραδάτης videtur potius fuisse nomen viri in lingua Persica, ut Ἀβραδάτης apud Xenophontem, Ὀροοντοβάτης, Spithridates, alia innumera. Maneat ergo lectio vulgata.

Ad Lib. 16. pag. 744.

Τῇ τε Σουσίδι ἡ Ἐλυμαΐτις.	*Susiæ Elymaitica.*

Non multum abest ea vox à voce *Elam*, quæ Persas in sacris paginis ubique significat.

Pag. 747.

Pag. 747.

Καὶ περὶ τὴν Ἀνθεμουσίαν ἄλλος Ἀβόῤῥας.	*Ac circa Anthemusiam aliud, nomine Aborras.*

Eo quod Ptolemæus hunc fluvium Chaboram vocat, putat doctissimus vir debere ex Strabone & Ammiano corrigi Ptolemæum, nec adduci potest, ut credat Ἀβόῤῥα & Chaborram idem esse. At sola aspiratione differunt ea vocabula; nam multi sunt populi, qui addito *c* aspirationes formant. Sic prisci nostri Franci, quos alii Hildebertum, Hildericum, Hlodonicum, Childebertum, Childericum & Clodovicum vocabant. Est igitur inter Ἀβόῤῥαν & Χαβόῤῥαν sola dialecti in aspiratione differentia. Arabes certe, ut disco ex Geographo Nubiensi in parte 6 climatis 4, eum fluvium vocant *al Chabur*, quod valet ὁ Χαβόῤῥας.

Pag. 759.

Κατεσπασμένη δὲ ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ μένουσα ἔρημος.	*Ab Alexandro autem diruta.*

Hæc ultima verba καὶ μένουσα ἔρημος non agnoscit Xylander: ideo suspicor esse glossema alicujus, qui ex Actis Apostolorum cap. 8 versu 26 id notaverat ad marginem, quod postea in textum additum est. Nam forte ea non fuit, quæ dicta fuit ἔρημος, sed alia, quæ magis ad desertum Ægyptum versus accedebat. Vide quæ notavi supra ad Polybii locum libri 5 pag. 427.

Pag. 766.

Καὶ Νέαρχος καὶ Ὀρθαγόρας νῆσον Τυῤῥίνην κεῖσθαι.	*Nearchus & Orthagoras Tyrinam insulam jacere.*

Hunc locum sic emendat Salmasius: [1] φησὶ Νέαρχος Ὠγυρίδα νῆσον ἐρήμην κεῖσθαι. cum vide ad Solinum pag. 1180.

[1] *Ait Nearchus Ogyrida insulam desertam jacere.*

Pag. 767.

Νῆσον Δόρακτα.	*Doracta.*

Idem Salmasius legit Ὀάρακτα dicto loco.

Pag. eadem.

Ἐξωγύρου.	*Exogyri.*

Salmasius ibidem ἐξ Ὠγύριος legit.

Pag. 776.

Συνεχῆ δὲ τῷ Ποσειδίῳ φοινι-	*Posidio vero continuum esse palme-*

κῶνα εἶναι ἔνυδρον.	*palmetum quoddam aquis abundans.*

Ex situs ordine hic locus debet esse Exodi *Elim*, ubi palmetum erat, & fontes duodecim.

Pag. 781.

Μέχρι πόλεως Ἀγραίων.	*Usque ad urbem Agranorum.*

Casaubonus legit Ἀχαίων, & ad sua commentaria lectorem remittit, ubi debuerat ejus emendationis rationes proferre, sed nihil de eo loco dixit in suis commentariis: id oblitus est præstare, quod promiserat. Si quid mutandum est, forte legendum quis suspicaretur, Ἀτρηνῶν vel Ἀτρηνῶν, quorum urbem Imperator Severus incassum obsedit, de quo vide Herodianum in Severo.

Ad Lib. 17. pag. 795.

Εἶθ' ὁ Φιλοπάτωρ, ὁ τῆς Ἀγαθοκλείας.	*Huic Philopator Agathocliæ.*

Contra communem phrasim & suetum Hellenismum sumitur hoc loco ὁ τῆς Ἀγαθοκλείας, quod moneo, ne aliquis sibi persuadeat hunc Philopatora fuisse Agathocliæ filium. Subintelligi enim debet ἐραστής. Sed id omisit dicere, eo quod non alia magis re notus fuit ille rex, quam ab ejus scorti amore, cui omnino se permisit, & quæ cum fratre Agathocle totam Ægyptum ad nutum gubernavit, donec seditione periit. vide Polybium lib. 15.

Pag. eadem.

Τούτου δὲ Αὐλητὴς ὁ καθ' ἡμᾶς.	*Illi autem ætate nostra Auletes.*

Dubito, num legendum sit τούτων δὲ ὁ Αὐλητὴς, ut ad successionem non ad filiationem referatur, eo quod plures dixerunt eum esse alienum à Ptolemæorum stemmate.

Pag. 801.

Ὁ μὲν Ἐλαΐτης ἐστὶ νόμος.	*Elaïtica præfectura.*

Mirum est nullum vidisse hunc errorem, lege Ὁ Μενελαΐτης ἐστὶ νόμος, quod ex sequentibus manifestum est: nam Ptolemæus Lagi filius fratrem habuit Μενέλαον, quem præfecerat Cypro, testis Plutarchus in Demetrio, ab eo hic nomine appellatus, non ab Atride Menelao, ut Artemidorus volebat. Hæc est sententia Strabonis: nam quod legitur hoc loco Πτολεμαίου καλουμένου, patet ex Xylandri versione esse typographicum errorem pro καλούμενος.

Pag. 804.

Pag. 804.

Ἐτμήθη δὲ ἡ διῶρυξ καταρχὰς μὲν ὑπὸ Σεσώστριος, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν· οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ Ψαμμιτίχου παιδὸς, ἀρξαμένου μόνον, εἶτα ἐκλιπόντος τὸν βίον· ὕστερον δὲ ὑπὸ Δαρείου τοῦ πρώτου, διαδεξαμένου τὸ ἑξῆς ἔργον, καὶ οὗτος δὲ δόξῃ ψευδεῖ πεισθεὶς ἀφῆκε τὸ ἔργον περὶ συντέλειαν ἤδη· ἐπείσθη γὰρ μετεωροτέραν εἶναι τὴν Ἐρυθρὰν θάλατταν τῆς Αἰγύπτου καὶ εἰ διακοπείη πᾶς ὁ μεταξὺ Ἰσθμὸς, ἐπικλυσθήσεσθαι τῇ θαλάττῃ τὴν Αἴγυπτον. οἱ μέντοι Πτολεμαϊκοὶ βασιλεῖς διακόψαντες κλειστὸν ἐποίησαν τὸν Εὔριπον, ὥστε ὅτε βούλοιντο ἐκπλεῖν ἀκωλύτως εἰς τὴν ἔξω θάλατταν, καὶ εἰσπλεῖν πάλιν.


Excisa autem est fossa ab initio per Sesostrin, ante Trojana bella: alii vero dicunt per Psammitichum filium, qui tantum opus incepit solum, & mortuus est: postea vero per Darium primum, qui id opus perficiendum exceperat: & hic autem opinione falsa persuasus, opus dimisit fere perfectum; nam persuasus fuit altius esse mare Erythræum Ægypto, & si perfoderetur totus, qui intercedit, Isthmus, Ægyptum inundatum iri mari immisso. Ptolemaici tamen reges perforantes Euripum fecerunt clausum, ita ut nullo impedimento mare exterum adnavigarent, & rursus è mari renavigarent.

De eo negotio Plinius, paulo aliter lib. 6 cap. 29: *Daneon portus, ex quo navigabilem alveum perducere in Nilum, qua parte ad Delta dictum decurrit 62 mill. pass. intervallo (quod inter flumen & mare rubrum interest) primus omnium Sesostris rex Ægypti cogitavit. Mox Darius Persarum, deinde Ptolemæus sequens, qui & duxit fossam latitudine pedum* C, *altitudine* XXX, *in longitudinem* XXVII *mill.* IↃ *passus usque ad fontes amaros: ultra deterruit inundationis metus, excelsiore tribus cubitis rubro mari comperto quam terra Ægypti. Aliqui non eam afferunt causam, sed ne immisso mari corrumperetur aqua Nili, quæ sola potum præbet.* Hæc Plinius, & hæc ultima eadem est, quam altera. Nam nisi mare excelsius foret repertum,

non fuisset ratio timendi, ne aqua Nili corrumperetur: nam flumina, quæ inferius defluunt, non corrumpuntur, quoniam eorum unda excelsior, unda maris eam impellit & in eam se immittit. At si mare rubrum per canalem illum in Nilum defluxisset, palam est mare excelsius fuisse Nilo. Cæterum Strabonis verba in errorem induxerunt plerosque doctorum, putantes Strabonem intellexisse, falsum fuisse, aquam maris Erythræi fuisse superiorem & Ægyptum depressiorem. Et id quidem prima facie videtur intellexisse. Sed accuratius incumbendo id non videtur sequi ex verbis Strabonis: falsum quidem erat, ut ait, fuisse impossibile Isthmum perfodere sine inundatione Ægypti depressioris, quod Strabo probat, eo quod Ptolemæi reges id obtinuerunt. Sed quo modo? Per Euripum clausum scilicet. At non erat opus Euripo clauso, si mare non fuisset excelsius. Sed Isthmus poterat exscindi sine periculo, & incile illud poterat aquam Nili in mare rubrum inferius immittere. Nec credendum foret Straboni, si aliter intellexisset, ut volunt, qui numquam adiit eum locum, ut patet ex sua peregrinationis in Ægyptum narratione contra eorum sententiam, qui à Dario operi præpositi, & situm Ægypti & maris superficiem ad amussim contemplati & mensurantes ab opere illis fructuoso & gloriæ pleno desistere coacti sunt. Nondum enim notæ erant euriporum clausorum machinæ, per quas facile naves ex inferiori fossa in excelsiorem alveum ascendunt. Id nunc notissimum est, & in Belgio passim videri possunt ejus rei multa exempla.

Fossa

Fossa Trajana, quæ & Ptolemæus olim à Sesostride cœpta, à Dario instaurata, à Ptolemæo perfecta & aperta usque ad mare per Euripum clausum, à Trajano rursus purgata. Postremo restaurata ab Amro filio Alasi Ægypti præfecto sub Omare Calipha circa annum Hegiræ 20, ut narrat historia Sarracenica pag. 32.



 Pag. 807.

Pag. 807.

Μέχρι τῆς κεφαλῆς ἑωρῶντο ὑφ' ἡμῶν καταχεχωσμέναι.	*Ibi vidimus Sphinges usque ad capita obrutas.*

Pro ὑφ' ἡμῶν lego ὑπ' ἀνέμων, nec indiget probationibus ea emendatio, satis per se stabit nullo adminiculo.

Pag. 809.

Ἄκανθος πόλις ὁμοίως ὡς ἐν τῇ Λιβύῃ.	*Acanthus civitas Libycæ persimilis.*

Delendum τὸ ὡς, & legendum ὁμοίως ἐν τῇ Λιβύῃ, ut censet Salmasius ad Solinum pag. 532.

Pag. 822.

Τρίχινα πλέγματα εὐυφῆ.	*Tegmina è pilis bene contexta.*

Intelligit & vertit Xylander *bene contexta*, quod est spissa & minime rara. Secus vero intelligo rara, levia, & quæ nulla cum difficultate & parvo labore texuntur, facilia textu.

Pag. 831.

Καὶ δένδρον ὃ ἐστὶ μελίλωτον καλούμενον.	*Est & arbor apud eos nomine melilotus.*

Τὸ μέλι est prothesis addita ob fructus dulcedinem, si bene se habet ea vox, de quo dubito. Nam Polybius, qui eam arborem describit, eam simpliciter λωτὸν vocavit, ut videre est apud Athenæum lib. 9: at μελίλωτον herba est coronaria, quam Sertulam Campanam vocant, de qua Plinius, Ovidius, & alii. Ideo credo notum vocabulum pro ignoto posuit exscriptor.



JACOBI



Jacobi Palmerii
a Grentemesnil,
Militis Cadomensis,

EXERCITATIONES
AD
PAVSANIÆ
ATTICA.

Editionis Sylburgii 1613.

Pag. 1.

Ἃς Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Λάγου τιμωρεῖν ἔστειλεν Ἀθηναίοις. | *Quas Ptolemaeus Lagi filius Atheniensibus auxilio misit.*

Videtur ſtatim initio impegiſſe Pauſanias, & in Chronologiam peccaſſe, ſi ita ſcripſit. Nam fato functus eſt Ptolemæus Lagi Olympiade 124 auctore Polybio lib. 2. Athenarum autem obſidio vel potius Atticæ vaſtatio facta eſt ab Antigono Gonata poſt victos Gallos, multis poſtea annis, vide Juſtinum libro 26. Ergo male irrepſit in textum è margine ſcioli cujuſdam commentatio, vel per τοῦ Λάγου intellexit Pauſanias Lagidis, vel Lagi filii. Nam Ptolemæus primus ſemper cognominatur ὁ Λάγου ſine articulo: hoc vero loco, ſi ita ſcripſit, videtur intellexiſſe ὁ τοῦ Λάγου λεγομένου, ſcilicet filius

 ejus,

ejus, qui Lagi dictus est, nam de Philadelpho intellexisse Pausaniam patet ex eo ipso infra pag. 7.

Ibidem. Sylb. 2.

Ἐς Λαμίαν κατέκλεισε τὴν κατ' ἀντικρὺ τῆς Οἴτης.	*Ad Lamian ex adverso Oetæ situm oppidum obsedit.*

Addidit hæc ultima verba ad differentiam alterius Lamiæ in Bœotia sitæ, de qua Plinius lib. 4 cap. 7.

Ibidem.

Βωμοὶ δὲ θεῶν ὀνομαζομένων ἀγνώστων.	*Aræ præterea & Deorum, qui ignoti vocantur.*

Quorum Paulus Apostolus exprobravit superstitionem Areopagitis, ut videre est in Actis Apostolorum cap. 17.

Pag. 2. Sylb. 3.

Τὰς μὲν ἀνὰ πᾶν ἔτος, τὰς δὲ χρόνου διαλείποντος.	*Alias statis diebus quotannis, alias vero incertis temporum intervallis transmittunt.*

Magna enim mysteria, quæ ἐποπτικὰ dicebantur, quinto quoque anno recurrebant: parva vero tertio quoque anno. Vide Scaligerum de emendatione temporum lib. 1.

Ibidem. Sylb. 4.

Καθ' ἣν παρὰ τὴν ἐν Ἐλευσῖνι δρᾶσαι τελετὴν Ἀθηναίους φασὶν οὐ τῶν ἀφανεστάτους.	*In qua ad Eleusiniorum prope ritum initia ab hominibus inter cæteros Athenienses minime obscuris agitari solita traditum est.*

Hi viri non obscuri fuerunt Alcibiades, Polytion, Theodorus, ut ait Plutarchus in Alcibiade. Cæterum notandum hoc loco genus loquendi familiare Pausaniæ per διάζευξιν, scilicet, παρὰ τὴν ἐν Ἐλευσῖνι δρᾶσαι τελετὴν, pro, παραδρᾶσαι τὴν ἐν Ἐλευσῖνι τελετήν. sic supra pag. 1, καὶ νεὼς καὶ ἐς ἐμὲ ἦσαν οἶκοι, pro νεωσοίκοι ἐς ἐμὲ ἦσαν. Amasæus interpres male expressit hunc locum, verto: *in qua Eleusiniaca sacra perperam & irrisorie agitasse dicuntur Atheniensium viri non ignobiles.*

Ibidem.

Ἄκταιον δὲ λέγουσιν ἐν τῇ	*Actæum, quo in loco nunc Attica*

νῦν Ἀττικῆ βασιλεῦσαι πρῶτον. | tica est, memorant primum regnasse.

Ipse Pausanias infra pag. 14 & pag. 30 ab hujus loci sententia discedit, ait enim Porphyrionem & Colænum regnasse ante Actæum.

Pag. 3.

Τὸ δὲ χωρίον ὁ Κεραμεικὸς, τὸ μὲν ὄνομα ἔχει ἀπὸ ἥρωος Κεράμου.	*At Ceramicus urbis via, à Ceramo heroe nomen accepit.*

Talis est mos Græcorum, ut nomina Heroum in omnibus urbium & locorum fundationibus fingant: at quanto verisimilius est etymon ab aliis prolatum, vel à fictilibus statuis, quibus celebris erat ille locus, vel à figulorum in eo mansione antiqua. Sic hodie Lutetiæ hortus regius pulcherrimus vocatur *les tuileries*, eo quod olim ibi tegulæ coquebantur.

Ibid. Sylb. 6.

Ὀλβιάδης Καλλίππου ὢν ὃς Ἀθηναίους ἐς Θερμοπύλας ἤγαγεν.	*Olbiades Callippi filius, qui ducem se Atheniensium præsidio ad Thermopylarum ingressum præbuit.*

Supine nimis hæc scripsit Pausanias; nam ὃς non bene refertur ad Καλλίππου, sed ad Ὀλβιάδης. Fuit tamen Callippus Mœroclis filius, qui duxit Athenienses contra Gallos ad Thermopylas, ut ipse infra accuratius narrat pag. sequenti & pag. 336. Sic igitur debebat scribere [1] Καλλίππου δ' Ἀθηναίους ἐς Θερμοπύλας ἡγησαμένου.

[1] *Callippi, qui Athenienses ad Thermopylas duxerat.*

Pag. 4. Sylb. 8.

Οἱ Πέργαμον ἔχοντες πάλαι δὲ Τευθρανίαν καλουμένην, ἐς τούτην Γαλάτας ἐλαύνουσιν ἀπὸ θαλάσσης.	*Pergameni, qui eam, quæ olim Teuthrania appellata est, regionem tenent, eos longe à mari fugatos in finitimam partem compulerunt.*

Vel deest aliquid inter τούτην & Γαλάτας, veluti ὁρμῶντας, vel quid simile: vel potius tollendæ sunt duæ voces ἐς τούτην, quæ sententiam turbant, & videntur insertæ. Cæterum per οἱ Πέργαμον ἔχοντες intellige Attalum primum, regem Pergami tertium, qui ea victoria maxime gloriabatur.

Pag. 5.

Pag. 5. Sylb. 8. & 9.

Ἐκ δὲ Ἀθηναίων Λέων, δοῦναι δὲ ἐπὶ σωτηρίᾳ λέγεται κοινῇ τὰς θυγατέρας.	*Ex Athenienſibus Leo, quem filias ex oraculo pro ſalute publica devoviſſe ferunt.*

Melius Suidæ ille vir Λεὼς dicitur, Orphei filius, nam nomen Λεωκόραι, quo filias ejus nominant, arguit Λέως melius ſcribi: aliter ſi Λέων vocatus fuiſſet, Λεοντοκόραι eæ virgines, non Λεωκόραι vocatæ fuiſſent: earum autem nomina apud eundem Suidam Pſarithea, Enope, Eubule inveniuntur in Λεωκόρειον.

Ibidem. Sylb. 9.

Καὶ ὕστερον ἄλλος ὃς μετῴκησεν ἐς Εὔβοιαν, Ἐρεχθέως υἱὸς τοῦ Πανδίονος.	*Et minor Erechthei filius Pandionis nepos, à quo eſt in Eubœam colonia deducta.*

Euſebius in Chronico Cecropem illum ſecundum facit Erechthei fratrem, non filium, quod veriſimilius eſt. Nam quare Metion & Orneus de regno cum eo diſceptaſſent, ſi frater major natu eorum fuiſſet? Sed eum male regnum poſt fratris mortem affectantem filii fratris expulerunt, & Eubœam ſeceſſit, Pandionem etiam ejus filium Megara ſecedere coëgerunt, ſed auxilio ſoceri ſui Megarenſium regis prævaluerunt Pandionis filii, & Metionidas regno privaverunt: talis autem controverſia ſæpiſſime agitata fuit inter patruos & fratris filios majoris natu de regni ſucceſſione.

Ibidem.

Καὶ οἱ φυγόντι ἐς Μέγαρα.	*Cum Megara confugiſſet.*

At ſi fides Straboni, nondum condita erant Megara, ſed poſt reditum Heraclidarum demum. Sed id commode intelligendum eſt. Scilicet ante Heraclidas forte κωμηδὸν, id eſt, per pagos habitabatur: ii vero in unum locum habitatores congregaverunt, aut forte muro cinxerunt, cum antea ſine muro habitaretur, ut Sparta; nomen certe Μέγαρα τὰ indicat initio in antris delituiſſe habitatores ut plurimum, ſed procedente tempore domibus & muris ornatam fuiſſe eam urbem.

Pag. 5.

Οὐδὲ οἱ τιμωροὶ παῖδες ἀπ' αὐτοῦ ἐλείφθησαν.	*Neque filios, qui ſuas perſequerentur injurias, ullos reliquit.*

Melius, ſi ἀπ' αὐτῶν legeretur.

Pag. 5.

Pag. 5. Sylb. ibid.

Ἑβραίους δὲ, τοὺς ὑπὲρ Σύρων, ἐχειρώσατο ἀποστάντας.	*Hebræorum duntaxat, qui supra Syros sunt, defectionem ultus est.*

Duce nempe Barcocheba quodam rebellionis auctore, ut narrat Justinus Martyr in apologia.

Ibidem. Sylb. 10.

Αἰγύπτου καὶ ἡ Μυσῶν καὶ ἡ τῶν περιοίκων ἀρχή.	*Ægyptiorum & Mysorum finitimarumque gentium imperium.*

Fuit, quando putabam pro Μυσῶν debere reponi Σύρων. Sed errabam, nam τὸ Αἰγύπτου ad Ptolemæum, τὸ Μυσῶν ad Attalum referri debet, qui Pergami in Mysia regnabat.

Ibidem.

Τὸν Ἀλέξανδρον νεκρὸν εἰς Αἰγὰς κομίζειν.	*Vt Alexandri cadaver Ægas reportarent.*

Lege τὸν Ἀλεξάνδρου νεκρὸν, sic enim loquuntur Græci & ipse etiam infra pag. 5.

Pag. 6. Sylb. 11.

Τῆς δυνάμεως ἀπώλεσε τὸ πολὺ, καὶ αὐτὸς ἀπέθανε.	*Magnam exercitus partem amisit & è vita decessit.*

Scilicet in pugna ad Ipsum Phrygiæ oppidulum, ut ex Plutarcho discimus in Pyrrho.

Ibidem. Sylb. 12.

Ἀπέκτεινε δὲ καὶ ἄλλον ἀδελφόν.	*Alterum quoque fratrem de medio sustulit.*

Nomen ejus fuit Leontiscus, ut ait Justinus lib. 15.

Ibidem. Sylb. 12. & 13.

Καὶ οἱ μὲν ἐνταῦθα ἀπώλοντο ὑπό τε ἀλλήλων καὶ τοῦ λίμου.	*Quo in loco ad unum omnes cum mutuis confecti vulneribus, tum fame enecti, perierunt.*

Callimachi Scholiastes aliam interitus speciem iis assignavit, nempe submersi fuerunt omnes, & aquis Nili absorpti prope Sebenniticum ostium.

Pag. 7. Sylb. 13.

Ἀδελφῷ δὲ Φιλαιτήρῳ τὴν ἀρχὴν Εὐμένης παραδόντος ἔσχεν ἀνεψιῷ.	*Regno vero, quod Eumenes frater Philetaro concesserat, sui patruelis potitus est.*

Hæc confusa sunt & subobscura, quæ melius cum historica veritate quadrarent, si ita legerentur: ἀδελφῷ δὲ Φιλαιτήρῳ, καὶ τὴν ἀρχὴν Εὐμένης &c. Attalus fuit Attali filius, Attalus autem iste pater Attali fuit frater Philæteri & Eumenis, Eumenes vero, qui Philætero fratri successit, dominatum suum reliquit Attalo huic Attali filio, fratri Eumenis.

Ibidem. Sylb. 14.

Τούτους ἦγεν Ἀρχίας Ἀντιπάτρῳ δώσοντας δίκην.	*Captos ad Antipatrum pœnas daturos trahebat.*

Et ideo Archias iste Φυγαδοθήρας dicebatur, id est, *exulum venator*, ut docet Plutarchus in Demosthene.

Ibidem.

Καλάδης.	*Calades.*

Forte legendum Καλλιάδης, quod magis Atticum sonat, & Herodotus in Urania ait Calliadem fuisse Archontem eo anno, quo Xerxes invasit Atticam.

Ibidem.

Ὁ δὲ Φιλομήτωρ καλούμενος ὄγδοος μέν ἐστιν ἀπόγονος Πτολεμαίου τοῦ Λάγου.	*At qui Philometor est dictus, octavus est à Ptolemao Lagi filio.*

Videtur Pausanias abuti voce ἀπόγονος, & eam referre ad gradus successionis, non vero generationis: aut mendum est in numero ὄγδοος, quod non puto, sed potius mendosam credo vocem ἀπόγονος, & duas ultimas syllabas γόνος esse additamentum à mala manu. Nam quod de secundo Philometore Lathyro agatur, patet ex odio materno & fratre Alexandro, de quibus statim loquitur, & fuit ille Ptolemæus Lathyrus Philometor secundus septimus tantum à Ptolemæo Lagi, si ipsum numeres; octavus vero illius successor: sic enim procedit Ptolemæorum stemma non quidem secundum Epiphanium, sed secundum plures,

Ptolemæus

Ptolemæus Lagi ———	Berenice uxor
Ptolemæus Philadelphus	Arſinoe
Ptolemæus Euergetes	Berenice magna
Ptolemæus Philopator	Eurydice
Ptolemæus Epiphanes	Cleopatra Syra
Ptolemæus primus Philometor	Cleopatra
Ptolemæus Phyſcon	Cleopatra

Alexander Ptolemæus Philometor
ſecundus Lathyrus.

Pag. 8. Sylb. 16.

Συνῴκισε δὲ Ἐφεσίων ἄχρι θαλάσσης τὴν νῦν πόλιν, ἐπαγόμενος ἐπ' αὐτὴν Λεβαδίους τε οἰκήτορας καὶ Κολοφωνίους.

Eam quam nunc quoque Epheſii mari proximam incolunt urbem, condidit, in quam Lebedios & Colophonios deduxit.

Legendum eſt proculdubio Λεβεδίους. Lebadia enim fuit urbs Bœotiæ longe à Lyſimachi ditione; at Lebedus prope Colophonem non longe ab Epheſo.

Pag. 9. Sylb. 18.

Εἶναι δὲ οὐδὲν ἔτι οἱ πλέον, ἠρημένῳ φίλον ἐς τὸ ἔσχατον.

Quod nihil tamen vehementius optaſſet, ſupra quam dici poſſit gaviſum.

Si ita ſcripſit Pauſanias, duro nimis ſtylo ſcripſit; eſt enim hæc phraſis dura admodum & obſcura, quid enim ſignificet ἠρημένῳ, difficile eſt dicere. Intelligo tamen *deprenſo, convicto*, id eſt, cum intellectum fuit eum tale facinus non ignorare, & non vindicare. Non mihi ſatisfacit tamen ea interpretatio, cui ſpiritus aſper repugnat, tum οὐδὲν οἱ εἶναι πλέον, quod referri debet ad φίλον, non eſt elegans locutio. Xylander ut ſe extricaret ex hoc vepreto, mutavit, & legit ἠρημωμένῳ φίλων ἐς τὸ ἔσχατον, bene quod ad ultimum hoc membrum. Sed quid faciemus de prima parte εἶναι δ' οὐδὲν ἔτι οἱ πλέον. Sylburgius videtur probare hanc emendationem. Sed ſi quid mutandum eſt, ego mallem legere: εἶναι δ' οὐδὲν ἔτι οἱ πλημμελουμένῳ φίλον ἐς τὸ ἔσχατον, id eſt, *nihil autem illi, qui negligebatur, gratum poſtea fuiſſe uſque ad extremum vitæ*, ſenſu ſatis commodo. Poſtquam reſcivit Lyſimachus dolum uxoris, quæ eum adeo negligebat, ut non dubitaſſet filium

Agathoclem necare, nihil deinde illi gratum fuit usque ad vitæ finem, quippe qui se neglectum & ab uxore & ab aliis etiam videbat.

Pag. 10. Sylb. 20.

Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Νεοπτολέμου ἀποθανὼν ἐν Λευκανοῖς ἔφθη πρὶν ἐς χεῖρας ἐλθεῖν Ῥωμαίοις.	*Alexander vero Neoptolemi filius in Lucanis ante è vita excessit, quam potuerit cum Romanis signa conferre.*

Periit ad Pandosiam castellum in finibus Bruttiorum & Lucanorum, transfixus veruto ab exule Lucano: vide T. Livium lib. 8, & Strabonem lib. 6.

Pag. 13. Sylb. 25.

Πηγὴ δὲ αὐτὴ μόνη.	*Hic autem unicus est fons.*

Si is fons fuit solus Athenis, quomodo infra videtur alios fontes nominare ad Panis sacellum & ad Apollinis? Ut solvatur dubium, intelligendum est, fontem, quæ ἐννεάκρουνος dicebatur, unicum quidem fuisse, & ex eadem una origine vel scaturigine manasse, sed adeo abundantem aquis, ut per novem tubos in diversis locis urbis exiliret, quod & verum est.

Ibidem.

φυγόντα ἐξ Ἄργους κατ' ἔχθος Ἀγήνορος.	*Ab Agenore Argis pulsum.*

Dubitabam, quis fuisset ille Agenor, cujus ob odium fugerat Hierophantes, nullum enim inveniebam ejus nominis in tota regum Argivorum serie: dominantem tamen fuisse oportet, qui cives in exilium pellebat. Et Agenor quidem fuit ex Inachidis Triopæ filius, Crotopi pater, sed non ponitur in ordine regum, quamvis filius regnaverit. Ideo putabam reponi debere Γελάνορος: at sententiam mutavi, postquam incidi in Homeri Scholiasten ad Iliad. γ, ad hæc verba: Ἄργος ἐς ἱππόβοτον, ubi narrat, quomodo Agenor Triopæ filius cum multo equitatu Argos invaserit. Ergo nihil mutandum & addendus Agenor in serie eorum, qui Argis dominatum obtinuere.

Pag. 15. Sylb. 28.

Διαρπάσαι δὲ ἐπιτρέψας τὰ χρήματα τοῖς βασιλεῦσι.	*Omnem vero ejus pecuniam cum regibus diripiendam tradidisset.*

Sic

Sic legit Amasæus interpres & vertit. Sed quale monstrum! qui fuerunt illi reges, quibus id permisit Seleucus tamquam vili plebeculæ? nugæ. Certe ita non scripserat Pausanias, viderat absurdum Hœschelius (ut ait Sylburgius) & volebat legi στρατιώτης, optimo quidem sensu, sed nimis recedit ea lectio à vulgata lectione. Forte scripserat τῶν βασιλείων, id est, domus regiæ, vel tentorii regii: nam τὰ βασίλεια pro mansione regum semper sumitur.

Pag. 17. Sylb. 33.

Τὸν ὄροφον ἀνέρριψεν ἐς ὑψηλότερον.	*Culmen templi altius projecisse.*

Si bene se habet hic locus, en tibi vocabuli ὄροφος significationem, quam alibi non invenies, necesse enim est intelligere vel *jugum* vel *temonem* vel aliam quandam partem carri vel aratri. Sed magis credo aliquid deesse: nam Julius Pollux, qui partes omnes τῆς ἁμάξης enumeravit, nullam de oropho facit mentionem.

Ibidem. Sylb. 34.

Χωρίον Ἄγραι καλούμενον καὶ ναὸς Ἀγροτέρας ἐστὶν Ἀρτέμιδος.	*Locum qui Agræ dicitur & Venatricis Dianæ ædem.*

Sæpe quidem Artemis Ἀγροτέρα nuncupatur, & ex tam nota appellatione fluxit credo hujus loci mendum. Nam ex Platone in Phædro disco debere legi Ἀραίας, quod omnino convenit nomini loci.

Pag. 19. Sylb. 37.

Τοῖς δόρασιν αἰχμὰς οἰσυΐνας ἀντὶ σιδήρου φοροῦσι — καὶ οἰσυΐνας ἀκίδας ἐπὶ τοῖς οἰστοῖς.	*Vimineis hastarum cuspidibus uti pro ferreis — Et sagittarum item vimineas cuspides.*

Sic legit Amasæus & utrobique vertit *vimineas cuspides*. Sed aut nihil video, aut legendum est in duobus his locis ὀστεΐνας, id est, *osseas* vel *ex osse*, nam quomodo posset ex vimine molli & lento fieri cuspis, quæ ferri suppleret usum?

Pag. 23. Sylb. 44.

Ἀλλὰ τούτους μὲν ἐξέωσε βίαιος ἐμπεσὼν ἄνεμος.	*Nam vehemens aliquando procella eos ejecit.*

Hos πάρνοπας vertit Amasæus *bruchos*, quos ajunt esse locustas sine alis, quæ vineas rodunt. Sed ex hoc loco constat Parnopas alatos

 fuisse,

fuiſſe, quando eos ventus à Sipylo monte in mare non adeo proximum aſportavit.

Pag. 25. Sylb. 48.

Ἑρμῆς ξύλου, Κέκροπος εἶναι λεγόμενον ἀνάθημα, ὑπὸ κλάδων μυρσίνης δυσωπτον.	*Mercurius ligneus (fuiſſe ajunt Cecropis donum) inter myrti ramos valde conſpicuus.*

Ultima verba ſic Amaſæus vertit. Sed hoc videtur abſurdum. Nam ſi fuit inter myrti ramos, non fuit tam conſpicuus, quam ſi nullis ramis ſeptus aut obumbratus fuiſſet: nam rami ad eum occultandum utiles fuiſſent, ad conſpicuum faciendum nequaquam. Itaque ut ſenſus conſtet, minima mutatione εὐσυμπακτον lego, id eſt, *bene compactum*, nam σύμπακτος eſt compactus, continuus, συμπηγνύμενος. Tale ego olim opus vidi Bruxellis in Iſabellæ Claræ Eugeniæ palatio: duo leones erant mordicus adhærentes collo & gutturi draconis, qui tamquam ab illorum morſibus fere præfocatus vomebat abundantes fontis aquas limpidiſſimas. Compoſitæ erant eæ imagines ex roboreis ſtipitibus, magnis ſatis, rudibus & minime dedolatis, clavis ferreis ingentibus compactæ firmiter; id opus magis mirum erat, quod prope ſtantibus rude & informe videbatur, at procul contemplantibus eximium & abſolutum. Non ita rude forte ſimulachrum illud Mercurii ex myrti ſtipitibus exilioribus compactum (myrtus enim non poteſt tam magnos ſtipites exhibere, quam robur) ſed eadem, ut credo, arte fabricatum & εὐσυμπακτον.

Pag. 26. Sylb. 51.

Ὡς πεμφθείη Φιλιππίδης ἐς Λακεδαίμονα ἄγγελος.	*Nuncium ad Lacedæmonios Philippidem miſſum.*

Plures hunc eximium curſorem hoc nomine vocant, ſed, ut reor, corrupta eſt in pluribus ea vox, quæ exſcriptoribus melius ſonare videbatur ob nomen Philippi notiſſimum. At Herodotus antiquior eum proprio nomine Φειδιππίδην nominat ἡμεροδρόμον. Id nomen illi procul dubio impoſitum fuit ab officio & pedum pernicitate, qua adeo valebat, ut propter eum ἐφείδοντο τῶν ἵππων, *opus non habebant equis.*

Pag. 27. Sylb. 53.

Καθῆκον ἐς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων.	*E foris ejus novenis eminent remigibus transtra.*

His verbis non accommodavit suam versionem Amasæus, sed suæ opinioni, cum sic interpretatur. Sed quis unquam præter eum καθήκειν interpretatus est *eminere?* certe contrarium prorsus significat ex etymo, nam à κάτω & ἥκειν formatur, quod est *descendere*, vel *infra venire*. Vertendum fuerat igitur: *à tabulato navis descendens usque ad novem remigum ordines*. Sed de iis fusius supra egimus ad Memnonem.

Pag. 28. Sylb. 54.

Μέχρι Βραβίσκου τῆς χώρας.	*Ad Brabiscum usque.*

Lego Δραβήσκου cum Thucydide, Strabone, & aliis, sed eum errorem pridem vidit Ortelius.

Pag. 35. Sylb. 68.

Φίλιππος δὲ οὗτος ἦν ὁ Δημητρίου, πρῶτος γὰρ ταύτης τῆς οἰκίας ἔσχε Δημήτριος τὴν Μακεδόνων ἀρχήν.	*Fuit Philippus Demetrii filius, qui Demetrius primus ex hac familia Macedoniæ regnum obtinuit.*

Cave credas de eodem Demetrio loqui auctorem in primo & secundo membro hujus sermonis. Nam Demetrius pater Philippi Ætolicus dictus, de quo loquitur in primo clausulæ hujus membro, fuit Antigoni filius, & Demetrii Poliorcetæ nepos, de quo Poliorceta loquitur in secundo loco, qui quidem fuit primus ex ea domo rex Macedoniæ, licet non longo tempore.

Pag. 36. Sylb. 71.

Ῥεῖ δὲ Κηφισσὸς πρὸς Ἐλευσῖνι.	*Cephissus vero amnis per Eleusinium agrum defertur.*

Non equidem ad ipsam urbem, intercedit enim mons Pœcilus. Sed sæpe Ἔλευσις sumitur pro regione & ditione Eleusiniorum, quorum urbs sita erat prope mare.

Pag. 39. Sylb. 76.

Αὕτη καλοῖτο ἂν ὀρθῶς στρατεία τῶν Ἡρακλειδῶν ἐς Πελοπόννησον Ὀρέστου βασιλεύοντος.	*Vt recte quidem hæc Heraclidarum expeditio appellari possit, in Peloponnesum suscepta, Oreste regnante.*

Absur-

Abſurditas Chronologica mihi perſuadebat hunc locum male ſe habere, ſed patet ex iis, quæ dicit infra pag. 239, Pauſaniam ſic ſcripſiſſe. Nam ibi talis narrationis fidem damnat, & ait eam non eſſe veriſimilem.

Pag. 42. Sylb. 82.

Ὄρσιππος, ὃς περιεζωσμένος ἐν τοῖς ἀγῶσι κατὰ δὴ παλαιὸν ἔθος τῶν ἀθλητῶν, Ὀλύμπια ἐνίκα στάδιον δραμὼν γυμνός.	*Orſippus, is qui cum veteri athletarum more cum ſubligaculo gymnicos ludos obire conſueſſet, in Olympico tamen cuniculo nudus vicit.*

Pugnat Pauſanias cum auctore brevium ſcholiorum ad Homerum Iliad. ψ, qui Orſippum excidiſſe victoria ait, eo quod currendo ſuum περίζωμα ei excidiſſet. Cæterum videtur etiam legendum περιεζωσμένων, ut referatur ad ἀθλητῶν, aliter ſecum pugnaret etiam Pauſanias: nam ſi περιεζωσμένος, quomodo γυμνός?

Ad Lib. 2. Corinthiaca. pag. 45. Sylb. 88.

Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἐν Θεσσαλίᾳ Λαΐδος φάμενον μνῆμα, παρεγένετο γὰρ εἰς Θεσσαλίαν ἐρασθεῖσα Ἱπποστράτου.	*Oſtenditur etiam in Theſſalia Laidis monimentum: veniſſe enim & in Theſſaliam dicitur Hippoſtratum amatorem ſuum ſecuta.*

Videtur ignoraſſe Pauſanias duas fuiſſe Laidas matrem & filiam ſive naturalem ſive adoptivam, ob pulchritudinem & meretricias artes celebratas. Nihil tamen eſt certius. Prima Laïs è Sicilia advecta eſt ſeptennis à Nicia, Chabria Archonte, ut teſtatur Ariſtophanis Scholiaſtes ad Plutum. Hoc fuit anno ſecundo Olympiadis 91. Anno igitur 4 Olympiadis 98 Dexitheo Archonte, quo anno natus eſt Demoſthenes, nata erat illa Laïs annos 37. At Gellius lib. 1 cap. 8 ex Stocione Peripatetico narrat Demoſthenem adiiſſe clam Laïdem, & ab ea noctem popoſciſſe, quæ cum illum drachmas decem mille poſtulaſſet, eum deterritum magnitudine ſummæ abiiſſe & dixiſſe, non emo drachmis decem mille pœnitentiam: unde colligitur Demoſthenem à ſecunda Laïde noctem popoſciſſe, nam prima illa Laïs ſexagenaria erat eo tempore, quæ ætas non amplius eſt apta meretriciis artibus, & pretium tam immenſum innuit Laïdem

Laidem illam fuiſſe in flore juventæ. Id etiam firmatur ex hoc loco Pauſaniæ, ubi duo ſepulchra Laïdis duas fuiſſe Laïdas arguit. Sed apertius ex Athenæo lib. 13, ubi ait amicam Alcibiadis Damuſandram, quam Plutarchus Timandram, Scholiaſtes Ariſtophanis Epimandram vocat, fuiſſe matrem junioris Laïdis: [1] Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα, quæ verba ſupponunt alteram Laïdem antiquiorem. Cæterum Hippoſtratus ille, quem ivit quæſitum Laïs Theſſaliam uſque, à Plutarcho in Amatorio *Hippolochus* dicitur, Timæo vero in 13 hiſtoriarum *Pauſanias* dictus eſt teſte Athenæo lib. 13. At Ariſtophanis Scholiaſtæ ad Plutum *Eurylochum* vel *Ariſtonicum* vocant. Elige lector, certe πολυώνυμος erat ille vir, & obtinuerat votum Dianæ, quæ πολυωνυμίαν petit à Jove apud Callimachum Hymno in Dianam.

[1] *Damaſandram Laïdis junioris matrem.*

Pag. 47. Sylb. 91.

Εὔμηλος δὲ Ἥλιον ἔφη δοῦναι τὴν χώραν Ἀλωεῖ.	*At Eumelus Solem dicit Aloëo tradidiſſe.*

Si vis ipſos Eumeli de hac re verſus videre, curioſe lector, adi Iſaacium Tzetzem in commentariis ad Lycophronem pag. 35.

Ibidem.

Κορίνθου δὲ ὕστερον τοῦ Μαραθῶνος οὐδένα ὑπολειπομένου παῖδα.	*Deinde v: cum Corinthus Marathonis F. nullos reliquiſſet liberos.*

Apollodorus illi filiam tribuit Syleam, Polypemonis uxorem, Sinnidis matrem.

Ibidem.

Τούτων δὲ ἕνεκα ἀπελθεῖν καὶ Μήδειαν παραδοῦσαν Σισύφῳ τὴν ἀρχήν.	*Et ipſam Corintho profectam Siſypho imperium tradidiſſe.*

Si Eumelus ita ſcripſit, vel quicunque alius, certe nullam habuit temporum rationem. Nam Siſyphus Æoli, qui Corinthi regnavit, vixit ante tempora Jaſonis, quippe Crethei avi Jaſonis frater & contemporaneus: vixit tamen uſque ad ſenectutem extraordinariam Siſyphus, & ideo dictus eſt habuiſſe mortem in vinculis. Sed ex Euripide evincitur, Siſyphum non amplius vixiſſe, quando Jaſon Corinthum ſeceſſit, quando eo tempore regnabat Creon, & ita intellexit Seneca in Medea, quæ apud eum ait:

—— Lubricus
Per saxa retro Sisyphum volvat lapis.

Quod autem Euripides in Medea Jasonis & Creusæ, vel Glaucæ nuptias vocat Σισυφείους γάμους, id ait, quoniam Creusa è Sisyphi stirpe nata erat, unde mihi in mentem venit Creontem Creusæ patrem regem Corinthi socerum Jasonis, cujus nomen in serie regum Corinthi apud Historicos non invenitur, sed apud Euripidem, & eos, qui eum sequuti sunt, eum, inquam, Creontem eundem fuisse, qui etiam Glaucus dictus fuit, cujus filia Glauca, quæ Sisyphi sic neptis fuerit, (Glaucus enim fuit Sisyphi filius) & binominis, ut pater, qui proprio nomine Glaucus dictus, à dignitate regia dato cognomine ab Euripide Κρέων dictus est, id est, *regnans, imperans, dominus.*

Ibidem. Sylb. 92.

Ο᾽ρνυτίων. | *Ornytio.*

Quem Ὄρνυθον vocant Scymnus Chius versu 486, & Euripidis Scholiastes ad Orestem.

Pag. 48. Sylb. 92.

Α᾽πόγονος δὲ ἦν ὁ Κύψελος Μέλανος τοῦ Ἀντάσου. | *Nepos Cypselus fuit Melanis Antasi filii.*

Illustriorem originem Cypselo tribuit Herodotus in Therpsichore, ubi eum à Cæneo & Lapithis oriundum dicit, nulla facta mentione Melanis aut Antasi, qui tamen forte ab iisdem Lapithis originem habuerunt.

Pag. 49. Sylb. 94.

Τελχῖνος δὲ Ἄπιν. | *Telchino filium Apin fuisse.*

Pugnat Æschylus in Supplicibus, qui Apin advenam & Ætolum facit:

Ἆπις γὰρ ἐλθὼν ἐκ πέρας Ναυπακτίας
Ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος, χθόνα
Τήνδ᾽ ἐκκαθαίρει &c.

Pausanias vero Peloponnesium Sicyone oriundum facit, certe in rebus tam antiquis nihil est certi.

Pag. 50. Sylb. 98.

Ο῞τι Ἀριστόμαχος ὁ Κλεοδάμου. | *Quo Aristomachus Cleodami filius.*

Eundem Cleodemum postea per ε vocat pag. 97, Scholiastæ Pindari ad Isthmiorum 7 Cleadas dicitur: at verum nomen Κλεοδαῖος,

δαῖος, & sic ab Herodoto pluries nominatur, quem plures jure sequuti sunt; est enim antiquior, & ejus historia ad nos usque purior & emendatior pervenit.

Pag. 51. Sylb. ibid.

Ἐπὶ τὸν Σύθαν ποταμόν.	*Ad Sythan amnem.*

Idem est ille fluvius, qui apud Ptolemæum dicitur Σῦς.

Ibidem.

Κλεισθένης μὲν γὰρ ὁ Ἀριστωνύμου τοῦ Πύῤῥωνος.	*Nam Clisthenes Aristonymi filius Pyrrhonis nepos.*

Lege τοῦ Μύρωνος ex Herodoto in Erato & ex ipso Pausania infra Eliacorum 2.

Ibidem.

Ὡς καὶ ἄνδρας δύο Εὐθύδημον καὶ Τιμοκλείδαν τυραννῆσαι.	*Et eorum duo eodem tempore tyrannidem invaserint Euthydemus & Timoclidas.*

Multo aliter hanc rem narrat Plutarchus in Arato, nam Timoclidam cum Clinia electum à populo pulso Cleone Tyranno narrat.

Ibidem.

Ἀβαντίδαν μὲν κτείνουσιν ἄνδρες τῶν ἐπιχωρίων.	*Ipsum certe Abantidam cives trucidarunt.*

Nomina virorum Dinias & Aristoteles, ut Plutarchus in Arato. Sed & alterum Sicyoniorum tyrannum Hieronymum memorat Athenæus lib. 6, de quo nihil Pausanias.

Pag. 52. Sylb. 101.

Λακεδαιμόνιοι δὲ ἄσμενοι Κλεομένους ἀπαλλαγέντες βασιλεύεσθαι μὲν οὐκ ἔτι ἠξίωσαν.	*Lacedamonii autem libenter à Cleomene liberati, regnari amplius nolebant.*

Polybius lib. 4 contraria narrat: ait enim Agesipolin Agesipolidis Cleombroti filii filium adhuc puerum regem constitutum fuisse, & post eum etiam Lycurgum quendam alienum ab Heraclidarum stemmate, cujus & bellica facta narrat. Potior multo est fides Polybii.

Ibidem. Sylb. 101.

Τὸν γὰρ οἱ παῖδα Δημήτριον ὁ νεώτερος τῶν Φιλίππου παί-	*Nam cum alterum ex ejus filiis Demetrium natu mi-*

 nor

δων Περσεὺς φαρμάκῳ διέφθειρε. | nor Perseus veneno peremisset.

T. Livius lib: 39 hanc historiam fuse narrat. Sed Demetrium natu juniorem facit, quod non dubito eum à Polybio accepisse, & ex ipsa historia id videtur colligi posse. Ergo legendum hoc loco: Δημήτριον νεώτερον τῶ Φιλίππε &c.

Pag. 55. Sylb. 107.

Ε'ν χωρίῳ Κελαιναῖς. | In vico qua Celana nominantur.

Lege Κελέαις, ut infra pag. 57, ubi à Celeo videtur denominatus ille locus.

Ibidem.

Κάσε μὲν παῖδα εἶναι τῆ Τημένε. | Caso Temeni filio natum.

Lege Κείσε μὲν, nam infra pluries filium Temeni Κεῖσον nominat.

Pag. 58. Sylb. 112.

Οὕτως φασὶν (sic lego non φησὶν) ἀφανίσαι τὸ ὕδωρ Ποσειδῶνα. | Iratum Neptunum aquam illis omnem ademisse.

Hujus fabulæ mythologiam divinare non est difficile. Neptuno tribuuntur terræ motus, qui ideo Σείσιχθων vocatur, at terræ motus sæpe fluvios avertunt, sæpe sorbent, & ἀφανίζεσι, ideo dixerunt, Neptunum perdidisse Inachum, qui terræ motu perdiderat cursum suum.

Pag. 60. Sylb. 116.

Γλαύκε τῆ 'Επικύδες Σπαρτιάταις βασιλεύοντι ἐπίορκα ὀμόσοντι. | Glauco Epicydis filio Spartanorum regi, cum ille pejerasset.

Locus morbosus, si quis alius, in quem nihil notasse Sylburgium miror. Amasæus vertit *Spartanorum regi*, mendum sequutus. At neque unquam ille Glaucus Spartæ regnavit, neque in pedestri sermone verbum βασιλεύειν jungitur cum dativo, sed semper cum secundo casu: ipse Pausanias in Laconicis exacte seriem regum Spartæ recenset, ideo non ignoravit eorum nomina, nec ita scripsit, ut exhibet hæc editio. Lege audacter: Γλαύκε τῆ 'Επικύδες Σπαρτιάτε βελεύοντι ἐπίορκα ὀμόσαι, id est, *de perjurio deliberante*, vel *super perjurio consulente*, oraculum nempe Delphicum. Historia nota est ex Herodoto lib. 6.

Ibidem.

Ibidem.

Ἀναξαγόρου τοῦ Ἀργείου τοῦ Μεγαπένθους.	*Anaxagoras Argei filius, Megapenthis nepos.*

Cave putes ex hoc loco Anaxagoram fuisse Argei cujusdam filium & Megapenthis nepotem, quod verba Pausaniæ prima facie significare videntur. Nam à Diodoro & aliis etiam disces melius opinari. Τοῦ Ἀργείου, id est, *Argivi*, patriam significat primo loco, sed τοῦ Μεγαπένθους filiationem denotat; fuit enim filius Megapenthis Anaxagoras.

Ibidem.

Ὄντες Νηλεῖδαι τὰ πρὸς μητρός.	*A Neleo genere materno originem ducentes.*

Ex Pero scilicet Nelei filia, quam priorem uxorem duxit Bias, secundis vero nuptiis duxit Lysippen Prœti filiam, ut ex Apollodoro discimus.

Ibidem.

Ἶφις μὲν γὰρ — Σθενέλῳ τῷ Καπανέως ἀδελφοῦ παιδὶ ἀπέλιπε τὴν ἀρχήν.	*Iphis enim — Sthenelo Capanei fratris filio imperium reliquit.*

Intellige ὁμομητρίου ἀδελφοῦ, *fratri ex matre*, nam Capaneus fuit Hipponoi, non Iphidis, ut ait ipse Pausanias in Bœoticis & Phocicis.

Ibidem.

Κυανίππου ἄπαιδος τελευτήσαντος.	*Cyanippus sine liberis obiisset.*

Et morte omnino extraordinaria, ut videtur colligi posse ex Ovidio in Ibin, qui à serpentibus devoratum ait, nam de eo hoc distychum videtur composuisse:

Aut velut Euryali qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus esca tui.

Nam Euryali sceptrum, qui Argis regnabat, & Argivos duxit ad Trojam, accepit ab illo Cyanippus Ægialei filius, cujus tutor erat Euryalus, ut ex ipso Pausania patet.

Pag. 61. Sylb. 117.

Οἱ δὲ Νηλεῖδαι πλὴν Πεισιστράτου (τοῦτον γὰρ οὐκ οἶδα,	*Nelei posteri præter Pisistratum (hic enim ad quos se*

παρ' οὓς τινὰς ἀπεχώρησεν) εἰς Ἀθήνας ἀφίκοντο.	*contulerit, compertum non habeo) reliqui omnes Athenas venere.*

Ex Herodoto tamen libro 5 non videtur excipiendus Piſiſtratus è numero eorum, qui Athenas migrarunt, nam Piſiſtratidas Athenienſes ex eo Piſiſtrato deducit.

Pag. 63. Sylb. 122.

Ὑπερμνήστρας μνῆμα, Ἀμφιαράου μητρός.	*Hypermneſtræ monimentum, Amphiarai matris.*

Hanc Hypermneſtram fuiſſe Theſtii vel Oebali filiam ſequitur ex eo, quod ait infra Tyndarei filios & Amphiaraum fuiſſe conſobrinos, ἀνεψιούς: non enim aliunde potuerunt eſſe conſobrini. Hæc ſcripſeram, cum incidi in Hyginum, qui cap. 250 expreſſe dicit Amphiarai matrem fuiſſe Theſtii filiam, ſed eam Clytæmneſtram vocat.

Pag. 65. Sylb. 126.

Ὁδὸν καλουμένην * ναός ἐστιν ἐν δεξιᾷ.	*Ea via, cui nomen * oſtendit ſe ad dextram ædes.*

Excidit nomen proprium viæ, & inter καλουμένην & ναὸς reponendum eſt id nomen. Lege igitur, ut ex inferioribus docemur καλουμένην κοίλην, ναός ἐστιν &c.

Pag. 66. Sylb. 128.

Ἀπὸ ταύτης καὶ δύο τῶν ἐν Θεσσαλίᾳ πόλεων ἥ τε ἐπὶ θαλάσσῃ καὶ ἡ παρὰ τὸν Πηνειὸν ὠνομάσθησαν.	*A qua duæ etiam eodem nomine nuncupatæ ſunt urbes in Theſſalia, quarum altera eſt ad mare, altera vero ad amnem Peneum.*

Hæc habuit ex Hellanico, quem citat Apollonii Scholiaſtes ad Argonaut. 1.

Pag. 69. Sylb. 133.

Μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ τόδε, ἐν Ἐπιδαύρῳ τὸν θεὸν γενέσθαι.	*Teſtimonio vero multa mihi ſunt, Epidauri genitum Æſculapium.*

Plures populi ad ſe traxerunt hujus dei natalitia, nam & Theſſali eum ſibi vindicabant. Vide Ariſtidem in oratione de Aſclepiade.

Ibidem.

Ibidem. Sylb. 134.

Ἀργείων ἐστὶν ἔργα Βελλεροφόντου τὸ εἰς τὴν Χίμαιραν.	*Argivorum heroum opera cælata sunt. Bellerophontes Chimaram conficit.*

Alicui forte mirum videbitur, quod Bellerophôntem Argivis accenseat: erat enim Corinthius, filius Glauci, nepos Sisyphi, Corinthi dynastæ. Sed desinet mirari, si recoluerit, quæ dixit supra pag. 47: [1] Βελλεροφόντην δὲ οὐκ αὐτοκράτορα ὄντα βασιλεύειν, εἶναι δὲ ἐπὶ Προίτῳ καὶ Ἀργείοις, vide locum.

[1] *Bellerophontem non regnasse independentem, sed fuisse subjectum Præto, & Argivis.*

Ibidem. Sylb. 135.

Ἵππους δὲ Ἱππόλυτον ἀναθεῖναι τῷ θεῷ φασὶν εἴκοσιν.	*Dicasse Æsculapio Hippolytum equos* XX.

Suspecta est valde mihi hæc lectio, quam sequitur Amasæus, & ad eum locum nihil notat Sylburgius, sed considera lector. Donaria & ἀναθήματα recenset, quæ suo tempore restabant, inter alia recenset antiquam quandam columnam, cujus postea inscriptionem describit, & interponit de viginti equis mentionem. Sed si dicaverat Hippolytus viginti equos Æsculapio, certe tempore Pausaniæ non vivebant, nec fuissent proprie ἀνάθημα. Igitur non ita scripsit proculdubio Pausanias, sed levi mutatione sanari potest hoc ulcus. Lego igitur: [2] Ἵππου δὲ Ἱππόλυτον ἀναθεῖναι τῷ θεῷ φασὶν εἰκόνα. Scilicet super illa columna equus olim fuerat impositus ex ære vel lapide. Inscriptio vero columnæ testabatur ab Hippolyto dicatum fuisse Deo illud ἀνάθημα. Sic legendo omnia plana sunt.

[2] *Equi simulachrum ajunt Hippolytum dedicasse Deo.*

Pag. 70. Sylb. 135.

Καὶ στάδιον οἱ Ἕλλησι τὰ πολλὰ γῆς χῶμα.	*Curriculum præterea magna ex parte agger.*

Sylburgius ait hunc locum videri Xylandro mancum, quod verum est: tentat tamen Sylburgius nobis suadere, at non persuadet, quod à me: desunt tantum duæ litterulæ, quibus additis nihil erit, quo offendatur lector. Lego: καὶ στάδιον οἷον Ἕλλησι τὰ πολλὰ γῆς χῶμα, hoc est, *Et stadium, ut sunt pleraque apud Græcos, terra aggestio.* Dabis credo lector assensum.

Ibidem. Sylb. 136.

Ἐς δὲ τοῦ ὄρους ἀνιοῦσι τὴν κορυφήν.	*Qua ad montis verticem ascenditur.*

Stepha-

Stephanus in voce κορυφαῖον legit hoc loco τὸ κορυφαῖον, & pro nomine proprio accipit.

Pag. 71. Sylb. 137.

Πατροκλέους πατρὸς τῆς Μελίσσης. | *Patroclis Melissa patris.*

Hunc non Patroclem, sed Proclem semper vocat Herodotus lib. 3, sic etiam Diogenes Laërtius in Periandro. Error manavit ex eo, quod putavit exscriptor τὸ Προκλέους esse abbreviationem τοῦ Πατροκλέους, quod evenit etiam in nomine Proclis Spartanorum regis, quem multi Patroclem nominant, cum Proclem deberent vocare.

Ibidem. Sylb. 138.

Αἴαντος μὲν ἐστὶν ἀφανέστερον γένος ἅτε ἰδιωτεύσαντος ἀνθρώπου.	*Minus fuit ab Ajace, cum privatam ille semper vitam egisset, illustre genus.*

Pugnat secum Pausanias, qui supra in Atticis pag. 40: [1] Τελάμων ὁ Αἰακοῦ θυγατρὶ Ἀλκάθου Περιβοίᾳ συνῴκησεν. Αἴαντα οὖν τὴν ἀρχὴν τὴν Ἀλκάθου διαδεξάμενον ποιῆσαι τὸ ἄγαλμα ἡγοῦμαι τῆς Ἀθηνᾶς. Impossibile est eum in utroque loco veritati litasse. Nam si Ajax successit Alcatho Megararum regi in ejus dominatu, certe privatus non mansit.

[1] *Telamon Æacides filiam Alcathi Peribœam habuit uxorem. Ajax igitur, cum accepisset Alcathi ditionis imperium, fecit (ut puto) Minervæ simulachrum.*

Pag. 72. Sylb. 140.

Αὐτοὶ γὰρ ἐγεγόνεσαν ἐκ τῆς Σκίρωνος θυγατρός.	*Ipsi enim è Scironis filia natus fuerat.*

Sic legit Amasæus, Sylburgius nihil mutat, sed tantum notat Apollodorum habere Χείρωνος. Ego audacior ero, & confidenter reponam Χείρωνος: nam præter Apollodorum auctorem habeo auctorem breviorum Scholiorum ad Homerum ad Iliad. π statim initio, qui Endeïda matrem Telamonis & Pelei Chironis filiam dicit; & Pindari Scholiasten, qui nullam dubitandi ansam de eo nomine nobis relinquit, dum sic ait ad Nemeor. 5 statim initio: [2] Αἴακος γὰρ Διός, Αἰακοῦ δὲ καὶ Ἐνδηΐδος τῆς Χείρωνος Τελάμων καὶ Πηλεύς, ὁ δὲ Χείρων Κρόνου. Nam Sciron non fuit Saturni, sed Pylæ: tum fuga Pelei ad Chironem & Pelium montem, ubi habitabat Chiron, probat eum sanguine contigisse Chironem, non Scironem. Ergo legendum hoc loco, ἐκ τῆς Χείρωνος θυγατρὸς, *ex Chironis filia.*

[2] *Æacus enim Jovis filius, Æaci vero & Endeïdis Chironis filiæ Telamon & Peleus, Chiron vero Saturni.*

Ibidem.

Πυλάδης δέ μοι καὶ διὰ ταῦτα φαίνεται, καὶ οὐκ Ὀρέστου φιλίᾳ μόνον βουλεῦσαι Νεοπτολέμῳ τὸν φόνον.	*Quare non solum ob Orestis amicitiam, sed ut proavum ulcisceretur, videtur mihi Pylades ejus cædis qua Neoptolemus occisus est, particeps fuisse.*

Nempe, quia Pylades per Strophium patrem & Crisum avum Phoci erat pronepos, cujus mortem in Neoptolemo Pelei occisoris nepote vindicabat.

Pag. 73. Sylb. 142.

Τοὺς δὲ ὕστερον βασιλεύσαντας οὐκ ἴσασιν.	*Posteriorum vero regum neminem norunt.*

Callimachus tamen Hymno in Delum Trœzenem vocat Ξάνθου πολίχνιον, *Xanthi urbeculam*, tamquam à Xantho quodam, qui Trœzene regnaverat, satis cognito, quod & ait ad eum locum ejus Scholiastes.

Ibidem.

Μύνδον ἀπῴκισαν οἱ γεγονότες ἀπ' Ἀετίου τοῦ Ἄνθα.	*Qui ab Aetio Anthæ F. originem ducebant, Myndum in Caria deduxerunt.*

Eorum qui Myndum condiderunt, nomina habemus apud Vitruvium: ibi enim vocantur Melas & Areñanias, qui ex Argis & Trœzene coloniam eo deduxerunt.

Pag. 75. Sylb. 146.

Καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Πυθίων Διομήδη πρῶτον θεῖναι τῷ Ἀπόλλωνι.	*Quin & Pythicos ludos in Apollinis honorem Diomedem primum omnium instituisse.*

Adde ad ampliorem hujus historiæ notitiam ex Eustathio ad Iliad. ψ: [1] καὶ Πυθίῳ Ἀπόλλωνι τὸν χαλκοῦν τρίποδα ἀνέθηκεν, ὃν ἐν τῷ ἐπὶ Πατρόκλῳ ἀγῶνι ἆθλον ἔδωκεν Ἀχιλλεύς, quod testabatur inscriptio ejus donarii, quam ponit Eustathius dicto loco, sic autem habet:

Χάλκεος εἰμι τρίπους, Πυθοῖ δ' ἀνακείμαι ἄγαλμα
Καί μ' ἐπὶ Πατρόκλῳ θῆκεν πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

[1] *Et Pythio Apollini æreum tripodem dicavit, quem ei dederat Achilles in agone ad Patrocli tumulum.*

Τυδείδης

Τυδείδης δ' ἀνέθηκε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης
Νικήσας ἵπποισι παρὰ πλατὺν Ἑλλήσποντον.

Sed ut verum dicam, ii versus ad Homerica prorsus alludentes mihi fidem non faciunt ejus antiquitatis esse illud epigramma, quam ei asserere volebant Delphi, imo maxime derogant. Nam illud πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς, & βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης, & πλατὺν Ἑλλήσποντον manifeste arguunt, eam inscriptionem fuisse recentiorem Homero; quis credat ipsum Diomedem se ipsum vocasse βοὴν ἀγαθόν. Ecce tibi Latine redditum epigramma:

Æreus sum tripus, donarium autem Apollini hic situs sum,
Et me ad Patrocli funus posuit Achilles pedibus celer:
Tydides vero me dicavit vociferator bonus Diomedes,
Cum vicisset equis prope latum Hellespontum.

Ibidem. Sylb. 147.

Πηγή τε ἐστὶ τοῦ Ὑλυκοῦ ποταμοῦ, Ταυρίου δὲ τὸ ἐξ ἀρχῆς καλουμένου.	*Fons se ostendit Hylyci amnis, cui Taurio ante nomen fuit.*

Athenæus lib. 3 Ταῦρον, non Ταύριον vocat, cujus fons dicta fuit Ὑδεασα, ubi forte legendum Ἰδεασα.

Ibidem.

Ἐπὶ θάλασσαν δὲ τὴν Ψιφαίαν. | *Ad Psiphaeum mare.*

Hæc vox alibi, credo, non occurrit, ideo ad eam non habeo, quod dicam. Si quis me doceat, quare illud mare tale nomen sortitum sit, gratiam habebo & agam.

Pag. 77. Sylb. 150.

Ἔχει δὲ καὶ λιμένας ἐν αὐτῇ. | *In ea portus aliquot.*

Apud Hesychium legitur, ἄγριοι λιμένες τόπος ἐν Ἑρμῶνι, ubi puto legendum ἐν Ἑρμιόνῃ, & forte illi ἄγριοι λιμένες ii fuerunt, de quibus hoc loco fit mentio, & ἄγριοι dicebantur, vel quod in agro urbi vicino, non in ipsa urbe erant, vel quod erant in littore abrupto & salebroso, qualem hanc ἀκτὴν describit Pausanias, quæ alicubi tria stadia latitudinis habebat, quod intelligo à mari ad terram planam & arabilem intus. Cæterum cum plures numero fuerint hi portus, ut ex appellatione constat, miror, quare numerum non addiderit Pausanias. Suspicor eum non insuper habuisse eorum numerum nos docere, sed scripsisse: ἔχει δὲ λιμένας δʹ ἐν αὐτῇ, at exscriptor putavit litteram numeralem δʹ esse insulsam repetitionem vocis δὲ, quæ sequente

quente vocali sine s scribitur δ'. Id propono, tu super eo cogita.

Pag. 78. Sylb. 153.

Καὶ Ἀλικὸς λόγος ἐν στήλαις ἐστί.	*Halicensis certe oratio est in Epidauriorum pilis.*

Hoc modo Amasæus vertit, in quo miror hominis acumen, qui putavit integram orationem inscriptam fuisse pilæ seu cippo. Lege, Ἀλίκης λόγος, & verte, *& Halices mentio fit in pilis.*

Ad Lib. 3. Laconica. Pag. 81. Sylb. 158.

Ὑάκινθον μὲν νεώτατον ὄντα καὶ τὸ εἶδος κάλλιστον.	*Hyacintho natu minimo, egregia forma puero.*

Non eadem de Hyacintho sentit Ovidius, qui Oebali filium facit, & eum sæpius Oebalidem vocat lib. 10 Metamorph. & lib. in Ibin. At secundum Pausaniam Oebalus fuit duabus generationibus inferior Hyacintho: quis eorum melius, alius dixerit.

Ibidem.

Εἰς Ἄργαλον.	*Argalus.*

Hunc Argalum à Laconibus Ἀγγαῖον vocari notat Hesychius in Ἀγγαῖος.

Ibidem. Sylb. 159.

Ἀριστοδήμῳ δὲ αὐτῷ πρότερον τὴν πεπρωμένην συμβῆναι ἐν Δελφοῖς, πρὶν ἢ Δωριέας κατελθεῖν ἐς Πελοπόννησον.	*Aristodemus autem ipse è vita excesserat Delphis, priusquam Dorienses in Peloponnesum redirent.*

Aliter putabat Oenomaus, qui teste Eusebio Præpar. Euangel. lib. 5 scripserat Aristodemum morbo periisse in Peloponneso.

Pag. 82. Sylb. ibid.

Θήρα τῷ ἀπὸ Ἴωνος.	*Theran ab Ione oriundum.*

Sic legit Amasæus, & vertit, & nihil monet Sylburgius. At palam est locum hunc esse mendosum, & legendum esse τῷ Αὐτεσίωνος. Theras ille Autesionis filius centies apud auctores dicitur, & ab Autesione ad Cadmum genus referebat, non ad Jovem, maternum genus nullibi notatur. Sed ponamus eum per matrem fuisse ab Ione oriundum, nulla ratio est, cur Pausanias, qui eum semper ab Autesione patre distinguit, & notat, aliter hoc loco eum ab origine materna notaverit tam longinqua: nam Ion pluribus seculis ante Theram vixit. Ergo sine dubio legendum est Αὐτεσίωνος, ut infra

pag. 97 bis & pag. 113 & 206, & apud Herodotum lib. 4 & alios.

Ibidem. Sylb. 160.

Γραΐδι τῷ Ἐχελάτου τοῦ Πενθίλου τοῦ Ὀρέστου.	*Graide Echelati filio, Penthili nepote, Orestis pronepote.*

Nomen hujus viri apud alios auctores est Γρᾶς, non Γραΐς, & illud Γρᾶς præfert Casaubonus in suis auro contra caris in Athenæum commentariis lib. xi cap. 3, ubi ita vocatur. Unum locum addam ad firmandam ejus sententiam ex Isaacio Tzetze ad Lycophronis hæc verba: ὁ δ᾽ὕστερος δὲ τοῦ πτερφασμένου κέλωρ, ubi Orestis progeniem enumerans sic ait: ἀπόγονος δὲ τούτου καλούμενος Γρᾶς, quæ non dubito Tzetzem accepisse à Theone antiquo Lycophronis Scholiaste. Ideo legendum Γρᾷ τῷ Ἐχελάτου.

Ibidem. Sylb. 161.

Ἔθηκε δὲ καὶ Λυκοῦργος Λακεδαιμονίοις τοὺς νόμους ἐπὶ τῆς Ἀγησιλάου βασιλείας.	*Agesilao tamen regnante Lycurgus Lacedæmoniis leges tulit.*

Nihil est forte in tota antiquitatis Græcanicæ historia magis controversum, quam ea, quæ de isto famigerato legislatore traduntur; exemplum adest ex hoc loco, nam quod ait hoc loco Pausanias, videtur esse ἀσύστατον, si Herodotum consulas. Is lib. 1 ait Lycurgum fuisse tutorem Labotæ seu Leobotæ regis Spartæ. Agesilaus vero, de de quo hîc Pausanias, fuit filius Doryssi & Labotæ nepos, quomodo igitur potuisset Lycurgus florere regnante Agesilao, si avi Agesilài fuisset tutor? nam tutores pupillis constituuntur non juvenes, sed maturi ætate viri. Rursus Labotas fuit Prytanis regis ex altera Proclidarum familia contemporaneus, ut colligitur ex bello inter Argivos & Lacedæmonios cœpto utroque regnante, ut testatur infra Pausanias pag. 82 & 87. Prytanis fuit quartus à Procle, nonus ab Hercule. At Strabo ait Lycurgum fuisse sextum à Procle, undecimum ab Hercule, quomodo igitur potuit Lycurgus fuisse tutor Labotæ, duabus generationibus eo inferior? Certe nihil est certi in tota Lycurgi historia, quod etiam Plutarchus in ejus vita fatetur. Liceat & nobis ignorare in antiqua Græcorum historia, quod Plutarchus ignoravit.

Pag. 83. Sylb. ibid.

Ἐξεῖλον Ἀμύκλας καὶ Φάριν καὶ Γεράνθρας.	*Amyclas, Pharin, Geranthras exciderunt.*

Adde

Adde ad historiæ complementum συμπολεμήσαντος αὐτοῖς Τιμομάχου Θηβαίου σὺν τοῖς Αἰγείδαις, ut nos docet Pindari Scholiast. ad Isthm. 7.

Ibidem.

Τὸ δ' ἱερὸν τοῦτο ἐν μεθορίῳ τῆς τε Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας, ἐπεποίητο ἐν χωρίῳ καλουμένῳ Λίμναις.	*Templum id in vico fuit, quæ Limnæ appellata sunt, inter Laconici & Messeniaci agri fines.*

Fuit admodum ἐν μεθορίῳ illud templum & inter eos populos controversi juris: nam de eo bis litem habuerunt Lacones & Messenii, primum coram Philippo Demetrii filio, & deinde in Senatu Romano Tiberio imperante. Narrat Cornelius Tacitus annal. 4.

Pag. 84. Sylb. 164.

Διδόασιν ἐκ τῶν νόμων πρεσβεία τὴν ἀρχήν.	*Quod natu esset maximus, regnum inviti sane detulerunt.*

Si sic legendum est, vertendum foret: *detulerunt illi per legatos principatum.* Sed melius, ut nobis videtur, Amasæus & Sylburgius, qui πρεσβεῖα legunt & interpretantur, id est, *honorem primogeniti.*

Pag. 86. Sylb. 167. & 168.

Καὶ τὸ ἐν Κορίνθῳ Λακεδαιμονίων κατόρθωμα Ἀριστοδήμου σφίσιν ἐγένετο ἡγουμένου.	*Hujus Aristodemi ductu Lacedæmonii ad Corinthum prospere pugnarunt.*

De pugna intelligit, quæ μεγάλη μάχη *magna pugna* dicta est κατ' ἐξοχὴν, de qua videsis Xenophontem Hellenicorum lib. 4, & Demosthenem in oratione de corona, & ad Leptinem, & ibi Scholiastas.

Pag. 87. Sylb. 170.

Εὐρυπῶντος δὲ τὸν Σόου. | *Soo Eurypon genitus.*

Ex hoc quarto casu fit manifeste rectus Εὐρυπῶν, nullum tamen est nomen in tota antiquitate Græcanica, de quo minus certitudinis habeatur, nec potest dici, utrum Εὐρυπῶν aut Εὐρυτίων scribere & legere debeamus, adeo variant in eo auctores: certe vel ex Εὐρυπῶν factum divisione τοῦ π in τι Εὐρυτίων, vel contra ex Εὐρυτίων coagulatione literarum π factum est Εὐρυπῶν. Super eo consulendi tripodes.

Pag. 89. Sylb. 173.

Θρασύδρος προεστηκὼς τότε τοῦ Ἠλείων δήμου.	*Thrasydrus, cui rerum summa à populo commissa fuerat.*

Lege Θρασύδαιος ut pluries eum vocat Xenophon, Plutarchus, & Photius in Lysia.

Pag. 90. Sylb. 176.

Καὶ Ἐπικράτης. | *Et Epicrates.*

Hic, ut credo, est, qui ob amplitudinem barbæ & prolixitatem, quæ instar scuti totum pectus inumbrabat, σακέσφορος dictus est, de quo Aristophanes in Concionantibus & Harpocration in Ἐπικράτης.

Ibidem.

Ἰσμηνίαν. | *Ismeniam.*

De hoc viro tamquam divite loquitur Plato in Menone his verbis: [1] ὥσπερ ὁ νῦν νεωστὶ εἰληφὼς τὰ Πολυκράτους χρήματα Ἰσμηνίας ὁ Θηβαῖος.

[1] *Velut is, qui nuper accepit Polycratis divitias Ismenias Thebanus.*

Pag. 91. Sylb. 177.

Ἔπλευσε καὶ ἐς Αἴγυπτον ἀφεστηκότων ἀπὸ βασιλέως τῶν Αἰγυπτίων βοηθήσων.	*In AEgyptum navigavit, ut eos armis persequeretur, qui à rege defecerant.*

Male interpretatus est hunc locum Amasæus & contra historiæ fidem sic vertens. Per βασιλέως Nectanabin forte intellexit, sed quando ponitur absolute βασιλεὺς, nulla apposita differentiæ nota, semper intelligunt Græci magnum regem, Persarum scilicet, & certe sic erat. Tachos quidam à rege defecerat, in cujus auxilium profectus est Agesilaus, licet postea ab eo ad Nectanabin, rebellionis etiam contra regem Persarum participem, defecerit. Ergo vertendum est: *ut iis auxiliaretur, qui à rege defecerant.* Sed nota τὸ βοηθήσων poni hîc absolute nulla connexione cum ἀφεστηκότων τῶν Αἰγυπτίων, quæ per parenthesin posita intelligi debent, nam βοηθεῖν numquam cum genitivo copulatur.

Ibidem. Sylb. 178.

Τὰ δὲ ἐς Ἆγιν τὸν Εὐδαμίδου, καὶ ἐς Εὐρυδαμίδαν τὸν Ἄγιδος &c.	*Agidis vero Eudamidæ & Eurydamidæ Agis filiorum res gestas.*

De iis supra in Corinthiacis pag. 52, sed neque ibi neque hoc loco

co de Archidamo Eudamidæ filio rege Spartæ mentionem fecit, qui teste Polybio lib. 5 à Cleomene fuit occisus: ergo imperfecta est Pausaniæ recensio.

Pag. 92. Sylb. 180.

Πρὸς τῷ ἐξ Ἰσθμῷ Ἰθώμην ἀποστήσαντας ἀπὸ τῶν Εἱλώτων.	*Contra Isthmi manum eam, quæ Hilotis Ithomen ademerat.*

Huic loco ἕλκεσι βρύοντι jam supra medicinam fecimus in exercitationibus ad Herodotum lib. 8, & indicavimus causam morbi, & docuimus pro τῷ ἐξ Ἰσθμῷ legendum esse τῷ ἐξ Αἰθέων, satis fuse ibi de hoc loco disseruimus, illuc te remittimus lector, ne repetita crambe tibi nauseam pariat. Locum tamen Thucydidis, quem ibi non apposui, hîc apponam, is sic habet lib. primo, ubi de hoc negotio loquitur: [1] ἐν ῳ καὶ οἱ Εἵλωτες αὐτοὶ καὶ τῶν περιοίκων Θουριᾶταί τε καὶ Αἰθεεῖς ἐς Ἰθώμην ἀπέστησαν. Qui locus omnino firmat nostram emendationem, & arguit mendum vocis Ἰσθμῷ, & legendum cogit Αἰθέων.

[1] *Eo tempore, quo Helotes ipsi & ex vicinis Thuriatæ & Æthæenses, deficientes, Ithomen occupaverunt.*

Pag. 93.

Τυνδάρεω παῖδας νομίζουσιν ἀπ' ἀνεψιῶ τῷ Ἀμφιαράῳ ποιῆσαι.	*Tyndari filios ei velut patrueli fecisse existimant.*

Quare ἀνεψιῷ? quia Amphiaraus fuit Oïclis filius, & Hypermnestræ Thestii filiæ, (ut supra notavimus ad Argolica p. 63.) Tyndaridæ vero Leda nati etiam Thestii filia: communem igitur avum Thestium habebant & erant ἀνεψιοί.

Pag. 94. Sylb. 184.

Τὸν Κάρνον ἀποκτείναντος Ἱππότου τῷ Φύλαντος.	*Carnum cum interfecisset Hippotes Phylantis filius.*

Alii non Hippotem, sed ejus filium Aletem cædem fecisse dixerunt, ex quibus est Callimachi vetus Scholiastes ad Hymnum in Apollinem, diversæ vero recensentur à Theocriti Scholiaste causæ ejus Carni cædis, scilicet secundum quosdam, quod ἄσημα ἐμαντεύετο *obscura & ambigua vaticinabatur*, secundum alios vero, quod suspicio erat, eum venisse ad castra Heraclidarum, ut specularetur, & ad hostes referret.

Pag. 95. Sylb. 185.

Θέστιον δὲ τὸν Λήδας πατέρα Ἀρεὺς φησὶν ἐν ἔπεσιν Α-	*Thestium enim Leda patrem Areus carminibus prodidit Agenore*

γλωόρος παῖδα εἶναι τοῦ Πλευρῶνος.	*Agenore Pleuronis F. genitum.*

Apollodorus aliter, qui Thestium non Agenoris, sed Martis ex Demonia Agenoris filia, filium facit. Cæterum pro Ἄρειος repone confidenter Ἄσιος, semper enim sic citatur Ἄσιος ἐν ἔπεσι, & genealogias scripsit Asius, ut ex ipso Pausania patet infra pag. 112 & 208.

Pag. 96. Sylb. 188.

Ὁποτέρῳ δ᾽ αὖ ὁ κάπρος τέχνῃ νικῶν ἐστὶν ἐν τῷ πλαταιιστᾷ.	*Vtrius aper victor discesserit in plataneto.*

Quare τέχνῃ νικῶν de animali, qui puris viribus sine arte utitur maxime? Itaque puto τύχῃ debere scribi.

Ibidem.

Ἀλκίμου-Δορκέως-Σεβροῦ.	*Alcimi-Dorcei-Sebri.*

Hæc omnia nomina mutata sunt apud Apollodorum, sic, Ἀρχίνου, Δορυκλέου, Τέβρου.

Pag. 101. Sylb. 197.

Ἄδραστος δὲ καὶ Τυδεὺς Ἀμφιάραον καὶ Λύκουργον τὸν Πρώνακτος μάχης καταπαύουσιν.	*Ad hæc Adrastus & Tydeus pugnam dirimunt, in quam descenderunt Amphiaraus & Lycurgus Pronactis filius.*

Melius & magis congruenter Papinius Statius, quam ille pictor. Amphiaraum enim cum Adrasto pugnam inter Tydeum & Lycurgum diremisse ait, nam & Tydeus pugnax & ferox, Amphiaraus vero augur & consanguineus, & ideo ad conciliandam pacem magis idoneus. Sed si Apollodoro credimus, alius fuit Lycurgus Archemori pater, cum enim non Pronactis, sed Pheretis filium facit.

Pag. 103. Sylb. 202.

Καὶ Κρανίου τέμενος.	*Cranii lucus.*

Credo legendum Καρνείου. Nam dixit supra pag. 94, [1] Κάρνειον δὲ Ἀπόλλωνα Δωριεῦσιν τοῖς πᾶσι σέβεσθαι καθεστήκει &c.

[1] *Carnium autem Apollinem colere Doriensium omnium mos est.*

Pag. 107. Sylb. 209.

Ἐπεὶ καὶ Κλεώνυμος τοῦ Κλεομένους τοῦ Ἀγησιπόλιδος.	*Nam & Cleonymus Cleomenis filius Agesipolidis nepos.*

Ex ipso Pausania supra pag. 86, & Plutarcho in Agide, & in dictis Laconum dele Ἀγησιπόλιδος, & rescribe Κλεομβρότου. Successit equidem

equidem Cleomenes Agesipolidi, sed ejus frater fuit, non filius.

Ibidem. Sylb. 210.

Καὶ Ἀμαῖ καὶ Κνακαδίου. | *Amæ & Cnacadii.*

Credibile est & verisimile pro Ἀμαῖ debere legi Ἀσίας, ut infra sequente versu, quod præfero, eo quod versu ultimo ait in ruinis fuisse templum [a] Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν Ἀσίας, & Suidæ quidem Ἄσια & Ἀσίων nomina sunt montium, sed ex neutro bene formatur Ἀσίας. nam ex Ἄσια formaretur Ἀσιάς, ex Ἀσίων vero diceretur Ἀσιωνίας, ideo ἐπέχω.

[a] *Minervæ cognomine Asiæ.*

Pag. 109. Sylb. 213.

Θυρίδες ἄκρα Ταινάρου. | *Tænari vertex Thyrides.*

· Vel delendum est Ταινάρου, vel, quod melius, puto legendum Ταϋγέτου ex Strabone lib. 8.

Pag. 110. Sylb. 215.

Καὶ ἐς Σύρον τῆς Καρικῆς ἠπείρου φασὶν ἀποσωθέντα οἰκῆσαι.	*Syron, quæ in continenti Cariæ urbs est, incolumem delatum ibi consedisse tradunt.*

At Stephanus Σύρναν & Σύρνον vocat eam urbem à filia Damæthi Syrna denominatam, quam Podalirius uxorem duxit.

Ad Lib. 4. Messenica. Pag. 112. Sylb. 218.

Τοῦτο τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ μὲν ὡς παρὰ τὴν Μεσσήνην ἀφίκοιτο ὁ Καύκων.	*Indicat inscriptio ad Messenen venisse Cauconem.*

Non video, quomodo ex hoc epigrammate id concludi possit, ut nunc legitur

[a] — ὅθι φασὶν
Μεσσήνην θεῖναι μεγάλαισι θεαῖσιν ἀγῶνα
Φλυάδεω κλεινοῖο γόνου Καυκωνιάδαο.

Certe Cauconiades non potest intelligi ipse Caucon, sed aliquis ex ejus progenie: tum ad quod referri possunt quatuor illi genitivi in unico versu? certe non dubito vel mendum esse in epigrammate, vel forte id mutilum; nam ut legitur, meræ sunt tenebræ, quas sine ope manuscripti melioris dissipare non aggrediar.

[a] *— quod ajunt Messenem posuisse magnis deabus agonem Phlyadei, inclyti generis, Cauconiadis.*

Ibidem.

Χρόνῳ δὲ ὕστερον, ὡς ἦν τῶν | *Iam vero ætatibus ferme*

Πολυκάονος οὐδεὶς ἐπ᾽ ἀπογόνων ἐς γενεὰς πέντε (ἐμοὶ δοκεῖν) περιλθέντων, καὶ οὐ πλέονας, Περιήρη τὸν Αἰόλου βασιλέα ἐπάγονται.

quinque, non amplius (ut mea fert opinio) exactis, cum nullus jam omnino de Polycaonis posteris esset superstes, arcessitum ajunt in regnum Messenii Prierem Æoli filium.

Ex hoc loco disce vanitatem fabularum Græcanicarum: ecce enim regem Laconiæ Iapeto Titane antiquiorem vel coævum. Perieres fuit Æoli, Æolus Hellenis, Hellen Deucalionis, Deucalion Promethei, Prometheus Iapeti, in totum sunt sex personæ; at si quinque generationes à tempore Perieris ad Polycaonem Lelegis intercesserunt, Lelex fuit septimus ascendendo à Periere, & sic Iapeto una generatione antiquior.

Ibidem.

Καὶ ἐκαλεῖτο Οἰχαλία, τῷ δὲ Εὐβοέων λόγῳ Κρεώφυλος &c.

Et vocabatur Oechalia. Ab iis quæ hac de re sunt Eubœnsium sermonibus prodita, Creophylus.

Si attente legeris hunc locum integrum, ex præcedentibus & consequentibus deprehendes, cum non esse integrum, sed inter Οἰχαλία & τῷ δὲ debere notari hiatum: deest enim totus Eubœorum sermo.

Ibidem. Sylb. 219.

Καὶ Νηλέα τὸν Κρηθέως τοῦ Αἰόλου, Ποσειδῶνος δὲ ἐπίκλησιν, ἀνεψιὸν ὄντα αὐτοῦ, φεύγοντα ἐξ Ἰωλκοῦ Πελίαν ἐδέξατο οἴκῳ.

Et Neleum Crethei F. Æoli, qui cognomento appellatus est Neptunus, nepotem, patruelem suum, Pelia ex Iolco minas fugientem, domo recepit sua.

Et, ut conjicio, idem Aphareus etiam Amythaonem, Nelei fratrem. Nam Melampus & Bias, antequam Argos venirent, Pyli habitabant, ut nos docet Herodotus lib. 9.

Pag. 112. & 113. Sylb. ibid.

Ἐπεὶ δὲ τοῖς Ἀφαρέως παισὶ

At enim postquam Apharei liberi

πρὸς τοὺς Διοσκούρους ἀνεψιοὺς ὄντας μάχη ἐγένετο περὶ τῶν βοῶν.	*beri cum Gemellis patruelibus ſuis de pecore dimicarunt.*

De hac pugna extat Theocriti Idyllium integrum, ubi certantes inducit Dioſcuros cum liberis Apharei, non propter boves, ſed propter ſponſas, Leucippi filias, quas rapuerant Dioſcuri, & eorum etiam agnationem memorat, cujus agnationis (ut tuo labori parcam lector) ſtemma huc apponam.

Perieres Æoli filius —		Gorgophone Perſei filia bis nupta & quidem prima quæ bis nupſit.		— Oebalus Cynortæ filius.	
Philodice Inachi filia.	Leucippus.	Aphareus cui nupſit ſoror uterina.	—Arene quam Pindarus Laocoſſam vocat, & Theocritus Id. 22.	Tyndareus	— Leda Theſtii filia.
Ilaïra Phœbe		Idas	Lynceus	Pollux Caſtor	

Duplici, ut vides, ratione cognati erant Apharei liberi & Tyndaridæ ſeu Dioſcuri Pollux & Caſtor: nam & patrueles erant propter Aphareum & Tyndareum uterinos ex Gorgophone fratres, & conſobrini per Arenem & Tyndarei ſororem ex utroque parente. Eodem modo Leucippi filiæ Ilaira & Phœbe utrorumque conſobrinæ erant, propter quas ſecundum Theocritum pugna inter eos commiſſa fuit. Sed notandum eſt Apollodorum aliter deducere hoc ſtemma ex Steſichoro, quem ſequitur, ut ait, & Perierem non Æoli ſed Cynortæ filium facere, qui ex Gorgophone habuerat Tyndareum, Aphareum, Leucippum & Icarium. Didymus in Scholiis ad Homerum Theocritum ſequitur, & cauſam pugnæ fuiſſe ait raptum Phœbes & Ilairæ à Dioſcuris, quos ut conſanguineos ad nuptias invitaverant Idas & Lynceus. Tzetzes vero ad Lycophronem Pauſaniæ conſentit, & ait ſe ſequi Staſinum Cypriorum auctorem, quem tamen non viderat, ſed forte quoddam ejus fragmentum, vel locum à quodam citatum, non enim extabant verſus illi Cyprii ætate Tzetzis.

Pag. 113. Sylb. 221.

Οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες &c. | *Potentiores.*

Adde ad historiæ ampliorem cognitionem, quorum præcipuus fuit Polyphontes Heraclides, ut ex Apollodoro discimus & ex Gellio lib. 7 cap. 3.

Pag. 114. Sylb. 222.

Τοῦ φόνου σφαγῆς τοῦ Τηλέκλου δίκας οὐκ ἀπαιτῆσαι.	*Neque regis sui cædem ut ulciscerentur, in animum induxisse.*

Heraclides seu Heron ejus abbreviator in libello de Politiis videtur contrariam sententiam sequi, & firmare Lacedæmoniorum sermonem; de Chalcidensibus enim, qui Rhegium condiderunt, sic ait: [1] παρέλαβον δὲ καὶ τοὺς ἐκ Πελοποννήσου Μεσσηνίους, τοὺς ἐν Μακίστῳ τυχόντας διὰ τὴν ὕβριν τῶν Σπαρτιατῶν παρθένων (ubi pro τυχόντας vellem legi φυγόντας.) Inde sequitur quosdam Messeniorum in exilium pulsos ob id factum Macistum in Elide secessisse.

[1] *Acceperunt etiam Messenios, ex Peloponneso, qui erant Macisti exules ob vim illatam virginibus Spartiatis.*

Pag. 125. Sylb. 243.

Καὶ Ἀθηναίοις Τλησίας ἦρχεν.	*Ac tunc quidem Tlesias Athenis prætor erat.*

In Chronico marmoreo duobus post institutos annuos Archontes annis ponitur Lysias Archon, num sit error quadratarii, vel hoc loco error exscriptoris, dubium est. Eusebius tamen, qui Tlesiam etiam habet, aliquem inclinare potest, ut id nomen præferat marmoris auctoritati, sed tamen nihil in eo certi, nam forte diversi fuerunt Archontes Tlesias & Lysias.

Pag. 131. Sylb. 256.

Σμυρναίων τὰ τολμήματα ἀναμιμνήσκοντες, ὡς Ἰώνων μοῖρα ὄντες Γύγην τὸν Δασκύλου &c.	*Et inprimis commemorantes insigne illud Smyrnæorum facinus, qui cum partem Ioniæ obtinerent, Gygen Dascyli F.*

Ex hoc Smyrnæorum præclaro facinore, desperatus impetus [2] Σμυρναῖος τρόπος proverbialiter dictus est, ut ait Aristides in oratione de Smyrna. Cæterum ex hoc loco concludere licet Gygen Lydum regnasse circa Aristomenis tempora & Olympiadem 28. Nam verisimile est Aristomenem hanc Smyrnæorum virtutem propo-

[2] *Smyrnæus modus.*

proposuisse in exemplum ut recentem, & cujus memoria erat celebris, & in sermonibus hominum versabatur. Sed & idem patet infra pag. 134, ubi ait Aristomenem Sardes venisse, ut conveniret Ardyn Gygis filium.

Pag. 133. Sylb. 260.

Ὁ δὲ Ἀναξίλας — τέταρτος ἀπόγονος ἦν Ἀλκιδαμίδου· μετῴκησε δὲ Ἀλκιδαμίδας ἐκ Μεσσήνης ἐς Ῥήγιον μετὰ τὴν Ἀριστοδήμου τοῦ βασιλέως τελευτὴν καὶ Ἰθώμης τὴν ἅλωσιν.

Sed Anaxilas — quartus ab Alcidamida. Commigrarat vero à Messene Alcidamidas Rhegium, post Aristodemi regis mortem Ithome expugnata.

Suspicio est anachronismi hoc loco vel mendi in voce τέταρτος, nam cum intersint tantum anni 55 inter Ithomæ excidium & Iræ expugnationem, difficile est credere intercessisse in tam brevi spatio quatuor generationes. Sed observavi Pausaniam per τετάρτην γενεὰν & τέταρτον ἀπόγονον intelligere semper quatuor personas numerando utrosque terminos primum scilicet & ultimum, & sic non est omnino impossibile, quod ait hic idem auctor. Nam Alcidamidas forte jam senex secessit, liberos habens natu grandiores, uxoratos & jam patres, & Anaxilas potuit esse juvenis & florens, quando Messenios arcessivit. Ideo manus abstineo ab hoc loco.

Pag. 134. Sylb. ibid.

Κρατᾳμένης Σάμιος. | *Cratæmenes Samius.*

Ex Thucydide lib. 6 lege Κραταιμένης Κυμαῖος. Fuit enim è Cumis Italicis ille Cratæmenes, ut expresse refert Thucydides, & apud eum nulla mendi suspicio.

Ibid. Sylb. 261.

Γεγονότας ἀπὸ Διαγόρου τοῦ Δαμαγήτου τε καὶ τῆς Ἀριστομένους θυγατρός.

Oriundis à Diagora, quem ex Aristomenis filia Damagetus suscepit.

Γεγονότας intelligo ἀπογόνους, vel desunt quædam personæ in genealogia. Nam inter illum Damagetum Aristomenis generum & Diagoridas illos celebres ex Olympicis victoriis intersunt anni circiter 240.

Ibidem. Sylb. 262.

Κατὰ τὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα καὶ εἰκοστήν.	*Undetricesima ferme Olympiade.*

Vidit hoc ulcus Sylburgius, ſed non ſanavit, at facilis erat medicina. Reponendum eſt: ἐννάτην Ὀλυμπ. καὶ ἑβδομηκοστὴν ex Diodoro, Euſebio, Pindari Scholiaſte, & aliis. Eadem linea pro Ἀρχεμήδους repone Ἀρχεδημίδου ex aliorum auctorum conſenſu.

Ibidem.

Λακεδαιμονίων ἄνδρες ἀποθανεῖν — καταγνωσθέντες ἱκέται καταφεύγουσιν εἰς Ταίναρον.	*Lacedamoniorum nonnulli capitis damnati, ſupplices ad Tænarum confugerunt.*

Miror, quare à Thucydide recedit, qui expreſſe Helotas fuiſſe dicit eos ſupplices. Nam licet Helotæ illi Laconiam habitarent, nunquam Lacedæmonii vocabantur.

Pag. 138. Sylb. 268.

Ἑπτὰ καὶ ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις ἔτεσιν ὕστερον μετ' Εἴρας ἅλωσιν.	*Ducentis ipſis & octoginta ſeptem annis poſt Ira expugnationem.*

Falſus eſt Pauſaniæ calculus, nec id animadverſum eſt ab interprete aut commentatore. Undecim annis hic numerus minor eſt juſto; nam ab Epocha Iræ expugnationis, quæ cadit in annum 1 Olymp. 28, ut ipſe dixit expreſſe ſupra pag. 133, uſque ad annum 3 Olymp. 102, quam Epocham hoc loco convenienter notat cum Archontis nomine, interſunt anni 98. Sed cum anni affecti ſæpe pro abſolutis ponantur, ſufficiet forte, ſi mutetur τὸ ὀγδοήκοντα in ἐνενήκοντα, & puto Pauſaniam ſic ſcripſiſſe, & ipſe infra paucis lineis nobis præit ad eam emendationem, dum ait: [1] Μεσσήνιοι δὲ ἐκτὸς Πελοποννήσου τριακόσια ἔτη μάλιστα ἠλῶντο.

[1] *Meſſenii extra Peloponneſum errantes fuerunt annos ter centum circiter.*

Pag. 140. Sylb. 273.

Γλωῦς δὲ καὶ Δωριέως μάχῃ κρατηθέντων ὑπ' Ἀχαιῶν.	*Gleno autem & Dorieo ab Achais bello ſuperatis.*

Repone confidenter Ὕλλου δὲ καὶ Δωριέων. Hiſtoria nota eſt de Hyllo, qui cum Dorienſes vellet in Peloponneſum deducere, ab Achæis victus eſt ad Iſthmum Corinthiorum, & ab Echemo Arcade occiſus. Nam licet ex Diodoro diſcamus Herculem habuiſſe ex Deïanira Γήνεα filium, cujus nomen non multum recedit à Γλωῦς, de eo nihil memorabile traditur.

Pag. 141. Sylb. 280.

Ἐπεὶ καὶ Ἀώῳ τῷ διὰ τῆς Θεσπρωτίδος ῥέοντι ἠπείρου.

Nam qui in Aoo, qui per Thesprotidem labitur.

Nomen hujus fluvii fere ubique male exprimitur. Amasæus maluit legere Ἀχελώῳ, & eum jure eo nomine objurgat Sylburgius. At ipse Sylburgius etiam objurgandus, qui alio modo errat, dum ob similitudinem litterarum Α & Λ putat Λώῳ debere legi. Verum nomen est, ut hoc loco exprimitur Ἄῳος, Latine *Aous*, quod deprehenditur ex Poëtis tam Græcis quam Latinis, qui in metro trissyllabum faciunt Ἄωον *Aoum*. Ergo scribe hic καὶ Ἀώῳ τῷ. Quod autem Pausanias ait fluere per Thesprotidem continentem, extendit latius Thesprotiæ nomen usque ad montem Pindum, ubi Aous nascitur in ejus parte, quæ Lacmon dicebatur, ut ait Stephanus in Λάκμων.

Pag. 145. Sylb. 282.

Καὶ νῆσος κατ᾽ αὐτὴν Οἰνοῦσσαι.

Et ipsi proxima insula Oenussæ.

Ex Plinio lib. 4 cap. 12 patet legendum esse νῆσοι. Hodie *Isolé di san Venetico* Italis dicuntur.

Ibidem. Sylb. 283.

Θυγάτηρ δὲ ἦν Πύρρου τοῦ Πτολεμαίου τοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ Πύρρου.

Pater ei Pyrrhus fuerat Ptolemai filius, Alexandri nepos, majoris Pyrrhi pronepos.

Inseruit Pausanias Ptolemæum in hac genealogia contra rationem temporis, & Trogi narrationem apud Justinum lib. 28. Nam secundum illum Deïdamia (quæ male ibi scribitur *Laodamia*) non potest esse Ptolemæi neptis, quippe Ptolemæus post fratrem Pyrrhum juvenis mortuus est, quo mortuo superfuerunt duæ regiæ virgines Nereis & Deidamia. Ergo secundum Trogum legendum est θυγάτηρ ἦν Πύρρου τοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ Πύρρου. Deïdamiæ vero nomen apud Trogum legendum existimo, eo quod fuit nomen frequentatum in Æacidarum gente.

Pag. 146. Sylb. 285.

Τὸ μὲν τῆς Καρδίας ἐν πεδίῳ καλουμένῳ Λευκῷ.

In Cardia campis, qui Albi nominantur.

Sic Amasæus legit. Sed quænam illa est regio Καρδία? ne eam quæras:

quæras: nullibi enim fuit Καρδία urbs nisi in Cherronneso, longe sita ab eo tractu, de quo nunc sermo. Lege Καρίας ex Stephano, quem vide in Δασκύλιον. Ex hoc errore Ortelius nullis sumptibus, sed & nullis auctoribus adjutus, urbem fundavit Cardiam in Bithynia prope Dascylium: [a] ἐγὼ δὲ οὐκ εὐ ταχυπειθής.

[a] *At ego non credulus.*

Ibidem.

Πύλος ὁ Κλήσωνος.	*Clesonis filius Pylus.*

Lege Πύλας. Sic enim scribitur ubique nomen illius Heroïs, & apud Apollodorum, & apud ipsum Pausaniam supra & infra pluribus locis.

Ad Lib. 5 Heliaca 1. Pag. 147. Sylb. 287.

Ἐνδυμίωνι λαβόντι Ἀστροδίαν γυναῖκα.	*Endymionem ex Asterodia uxore.*

Ad numerum uxorum Endymionis, vel ad nominum unius varietatem adde ex Apollodoro Scïdem vel Neïdem, vel Iphianassam.

Pag. 148. Sylb. 288.

Ἀλλὰ Ἠλεῖοι μὲν ἀποφαίνουσιν Ἐνδυμίωνος μνῆμα. Ἡρακλεῶται δὲ ἐς Λάτμον τὸ ὄρος ἀποχωρῆσαι φασὶν αὐτὸν.	*Elei enim Endymionis monumentum ostendunt. Heracleotæ illum dicunt in Latmum montem secessisse.*

Ut ea lis finiatur, dicendum est, &, ut puto, cum veritate, alium fuisse Endymionem regem Elidis, alium vero pastorem illum celebratum in Latmo monte.

Ibidem.

Ἐπειῷ δὲ γήμαντι Ἀναξιρόην — ἄρσεν δὲ οὐκ ἐγένετο αὐτῷ γένος.	*Epeus ex Anaxiroë — marem omnino habuit nullum.*

At Eustathius contrarium affirmat ad Iliad. ϐ versu 613, & Alectora filium facit hujus Epei.

Ibidem.

Αἰτωλῷ δὲ — συνέπεσεν ἐκ Πελοποννήσου φυγεῖν ὅτι αὐτὸν οἱ Ἄπιδος παῖδες ἐφ' αἵματι ἀκουσίῳ δίκῃ εἷλον.	*Ætolum — ex Peloponneso fugere oportuit, quod eum ob admissam imprudenter cædem Apidis filii ad pœnam vocabant.*

Aliam exilii Ætoli causam refert Strabo ex Ephoro, nimirum eum à Salmoneo expulsum fuisse.

Ibidem.

Ibidem.

Ε'κτρέψας ꝟ Μινυήϊς τὸ ῥεῦμα ἐς τὴν κόπρον.	*Immisso in stercora Minyeio flumine.*

Diodorus eum fluvium, quo usus est Hercules ad purgandum Augiæ stabulum, Πλωσὸν vocat, forte & is Peneus Μινυήϊος etiam dictus est, ut & Anigrus. Nam si Strabo audiendus est, id nomen deducitur ἀπὸ ꝟ μύζειν ob fluviorum stagnationem & lentum decursum, & sic omnibus fluviis lente decurrentibus id nomen applicari potest.

Ibidem.

Ε'κτρέπεθ' ὑπ' αὐτῶν ἀεὶ τὸ συμμαχικὸν ꝟ Ἡρακλέυς.	*Ejus auxilia facile rejiciebantur ab illis.*

Adde ex Æliano ad historiæ notitiam, καὶ τελανέσιοι καὶ ἑξήκοντα Κλεωναῖοι σύμμαχοι Ἡρακλέυς ἔπεσον ἐν τῇ μάχῃ.

Pag. 153. Sylb. 297

Ε'ξεικάσασα αὐτὴν τὰ πάντα ἀνδρὶ γυμναςῇ ἤγαγεν ἐς Ὀλυμπίαν μαχούμενον.	*Cum virili ornatu exercitationum se magistrum simulans, Pisidorum filium in certamen deduxit.*

Vel usus est integriore codice Amasæus, vel ex historia supplevit nomen inter γυμναςῇ, & ἤγαγεν, scilicet Πείσιδωρον ὑὸν, optime. Nam sine eo pendet sententia. Aliter rem narrat Ælianus var. hist. lib. 10 cap. 1. Binominis autem fuit ea mulier, nam alii Callipatiram, alii Pherenicen vocant.

Ibidem. Sylb. 298.

Ε'κ Μελαινέων Πυφαγος τῆς Μεγαλοπολίτιδος.	*Ex Melanensibus Buphagus Megalopolitanæ.*

Infra melius Βύφαγος vocatur, nam ab Heroe Buphago denominatum dicit. Hunc locum videtur aliter legisse Ortelius, & ex eo Phagum fluvium imaginatus est, scilicet legebat ἐκ Μελαινέων πυ φάγος.

Pag. 154. Sylb. 299.

Ἡρακλέα καὶ Παιωναῖον, καὶ Ἐπιμήδην.	*Herculem, Paoneum, Epimedem.*

Alia nomina Idæorum Dactylorum extant apud Clementem & apud

apud Eusebium præp. Euangel. lib. 1: [1] Τέλμις καὶ Δαμναμενεὺς τῶν Ἰδαίων Δακτύλων πρῶτοι ἐν Κύπρῳ σίδηρον ηὗρον. Δέλας δὲ ἄλλος Ἰδαῖος εὗρε χαλκοῦ κρᾶσιν. At marmor pro Τέλμις habet Κέλμις.

[1] *Telmis & Damnaneus primi inter Idæos Dactylos ferrum invenerunt in Cypro. Delas vero alius Idæus æris mixtionem.*

Ibidem. Sylb. 300.

Ἀμυθάων ὁ Κρηθέως Ἐνδυμίωνι ἀνεψιὸς πρὸς πατρὸς (εἶναι γὰρ φασιν Ἄεθλιον Αἰόλου, Διὸς δὲ ἐπίκλησιν.)

Amythaon Crethei filius Endymionis patruelis (fuisse enim Aethlium quoque Æoli, cui Iovi cognomen, filium dicunt.)

Metuo, ne falsus sit Pausanias in hoc stemmate deceptus, nempe similitudine nominis Æoli. Nam Æolum Aethlii patrem Jovem dictum alterum fuisse ab Æolo Neptuno dicto Crethei patre, præter cognominis differentiam multa suadent. Nam Hercules Cteatum & Eurytum Actoris filios Molionidas à matre dictos occidit, sextos ab Æolo Jove dicto nepotes. At idem Hercules contemporaneus erat Jasonis, qui tertius tantum ab Æolo Neptuni nepos. Rursus Ancæus Lycurgi Argonauta contemporaneus Jasoni, & contemporaneus etiam Meleagro, nam in venatione apri Calydonii interiit. Itaque & Meleager contemporaneus Jasonis: at Meleager ab Æolo Jove octavus fuit. Itaque Æolum Jovem dictum duabus aut tribus ætatibus antiquiorem Æolo Neptuno credere consentaneum est. Forte fuit ille Æolus Jupiter avus Æoli Neptuni, vel proavus. Sed credo tantum ut verisimile, non assero ut verum, nec probare contendo, nam de ea re testimonia desunt, & in rebus tantæ antiquitatis nihil asserere prudentia est.

Pag. 159. Sylb. 308.

Ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἐλέφαντες πεπόνθασι.

Et item elephantis accidit.

Unde hauserit hanc opinionem, scilicet Elephantos deponere quotannis cornua seu dentes, nescio, ex Plinio certe non habet, qui melius eum docuisset, sic enim ait lib. 8 cap. 3: *prædam ipsi ex se expetendam sciunt solam esse in armis suis, quæ Iuba cornua appellat. Herodotus tanto antiquior & consuetudo melius dentes, quamobrem deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt.* Super ea quæstione videndus Joannes Gerardus Vossius Idololatriæ lib. 3 cap. 51 in fine, ubi fluctuat & multos auctores citat in utramque partem: videtur tamen inclinare ad Jubæ & Oppia-

Oppiani ſententiam, ut cornua putet eſſe, quod à temporibus naſcantur, & quod ebur ab artificibus poliatur, & ex eo multa affabre conficiant. Sed leviſſima mihi videntur ea argumenta. Nam multo melior ratio ſumi videtur ex loco, unde exeunt & prominent: cornua exterius per frontem exeunt, & in ea protuberant: at dentes & ebur per os exeunt, in gingivis radices habentes. Quod ſi quis pertendat, etiam cornua in gingivis poſſe creſcere, eadem ratione pertendere poſſem, & in fronte dentes poſſe naſci: utrumque abſurdum eſt. Cornu ut plurimum tranſlucet, ſi per laminas tenues ſecetur & levigetur, ebur non tranſlucet. Homerus, qui duas ſomniorum portas commentatus eſt, alteram corneam, alteram eburneam, illam tranſlucentem, hanc nequaquam, cornu ab ebore diſtinguit. Cornu per ebullitionem in aqua fervente molleſcit, & fit ductile: ebur minime. Quando autem Oppianus negabat ex dentibus nihil affabre fieri poſſe, loquebatur pro ſeculi ſui ignorantia: at nunc ex piſcium dentibus multa affabre fiunt, etiam & dentes fictitii, quæ in os hominis inſeruntur ad ornatum & uſum; ex hippopotami etiam dentibus olim annulos faciebant ad quorundam morborum ſanationem. Idcirco à Jubæ, Oppiani & Gerardi Voſſii partibus abeo citus, & cum Homero, Plinio, & aliis dentes eſſe contendo, & mecum Ovidius 4 de Ponto: *Et totum Numidæ ſculptile dentis opus.*

Ibidem.

Κέρατα δὲ καὶ βοῶν καὶ ἐλεφάντων ἐς ὁμαλές τε καὶ ἐκ περιφερῦς, καὶ ἐς ἄλλα ὑπὸ πυρὸς ἄγεται σχήματα.	*At boum & elephantorum cornua ſic igni emolliuntur ut vel ex tereti planam vel aliam quamvis accipiant figuram.*

De boum cornibus verum eſt: de elephantorum vero dentibus falſum, nec ego unquam audivi id factum eſſe, nec Plinius id noverat, nec hodie fit. At ſi arte quadam Chimica id fieri poteſt, & in dentibus cæterorum animalium fiet.

Ibidem. Sylb. 309.

Ποταμίοις γε μὴν ἵπποις καὶ ὑσὶν ἡ κάτωθεν γένυς τοὺς χαυλιόδοντας φέρει.	*Quid quod ex inferiore mandibula fluviales equi & apriſannas exerunt?*

De fluviatilibus equis, quos numquam vidi, neſcio, ſed nec credo:

do: nam quod ſequitur, omnem fidem derogat auctori. Nam de porcis id affirmare, quod facit, non ſolum abſurdum eſt, ſed ridiculum. Notiſſimum enim eſt animal & τῶν χαυλιόδοντος, id eſt, dentes illos falcatos & exertos, quibus apri & verres in pugna utuntur, ex ſuperiore maxilla exire tam notum eſt, quam ſolem lucere. Licet enim ex inferiore maxilla emineant etiam apris & ſuum generi dentes duo ſatis exerti, tamen maximi illi & inflexi, & ut novaculæ ſecantes, quibus exenterant canes apri, ex maxilla ſuperiore naſcuntur. Id venatores in apris norunt, macellarii in porcis.

Pag. 160. Sylb. 311.

Α'πόλλυται περὶ Εὔβοιαν καὶ ἡ ναῦς ἀπὸ τοῦ χειμῶνος ἡ τὸ ὀςοῦν φέρουσα τὸ Πέλοπος.	*Ad Eubœam navim eam, in quam Pelopis illud os fuerat impoſitum, naufragio periiſſe.*

Et jam ab antiquo & ad noſtra uſque tempora invaluit ea opinio, naves ſcilicet cadavera ferentes naufragium facere ſolere.. Ideo qui cadavera Ægypto Europam afferunt, quæ Mumias vocant, diligenter cavent, ne nautæ ſciant ea eſſe inter ſarcinas vectorum, numquam enim id paterentur.

Ibidem.

Πέλοπος δὲ καὶ Ταντάλου τῆς παρ' ἡμῖν ἐνοικήσεως σημεῖα.	*Et in Græciam quidem Tantalum & Pelopem coloniam deduxiſſe indicia.*

Quid per τῆς παρ' ἡμῖν ἐνοικήσεως intelligat Pauſanias, non liquet, num fuit Lydus aut Φρὺξ Pauſanias, vel forte intellexit de Peloponneſo, ubi Pelops regnavit. Sed mons Sipylus, de quo loquitur, id non ſuadet, vel ſi forte intelligendum eſt παρὰ θνητοῖς, παρ' ἀνθρώποις *inter homines?* ἐπέχω. Nam & Pauſanias ſolus de illo Tantali portu verba fecit, & unde domo fuerit Pauſanias, nullibi invenio.

Pag. 161. Sylb. 313.

Α'πομυίῳ θῦσαι Διΐ.	*Abactori muſcarum hoſtiam mactaſſe.*

Ab impuro illo inſecto, tam importuno gaudet diabolus cognominari. Sic Beelzebub fuit idolum, quem Judæi principem diabolorum vocabant, muſcarum autem Dominum ſignificat, ut audio.

..... Sylb.

..... Sylb. 320.

Πῖσος ὁ Περιήρους. | *Pisus Perieris.*

Apollodorus & cum eo Theocriti Scholiastes Pisum non Perieris filium, sed ejus ex Aphareo patre nepotem dicunt.

Pag. 166. Sylb. 323.

Κυψέλῳ καὶ τοῖς προγόνοις ἕκτον ἦν γένος ἐξαρχῆς Γονούσης τοῦ Σικυῶνος.	*Cypselo ejusque majoribus sexto posteritatis (ut longissime) gradu origo fuerit à Gonussa Sicyonis filia.*

Confer hunc locum (ut puto male sanum) cum pagina 48 supra, & puto censebis mecum sic esse legendum: [1] Κυψέλῳ δὲ ἐκ τῶν προγόνων ἕκτον ἦν γένος ἐκ τῆς Γονούσης τῆς ὑπὲρ Σικυῶνος.

[1] *Cypselo autem ex antecessoribus sexta generatio erat orta ex Gonussa, quæ est supra Sicyonem.*

Pag. 169. Sylb. 329.

Τούτῳ τῷ λόγῳ διάφορα ὄντα εὕρισκον τὰ Ἠλείων εἰς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα.	*Sed in publicis Eleorum monimentis, quibus eorum qui Olympia vicerunt, memoria commendata est, diversa propemodum comperi.*

Si bene consideres lector, nullam ἀσυστασίαν invenies inter enarratorum sermonem & Olympionicarum scriptam recensionem. Nam quando deprensus fuit Philostratus corrupisse pecunia antagonistas, rejectus fuit ab Hellanodicis, & non fuit admissus inter Olympionicas, ideo nec nomen ejus insertum fuit recensioni: Strato vero Alexandrinus legitime fuit renunciatus, & inscriptum ejus nomen recensioni rejectis corruptore & corruptis.

Pag. 170. Sylb. ibid.

Στράτωνος δὲ τούτου τρεῖς μὲν ἡλικίᾳ πρότερον, τοσοῦτοι δὲ ἄλλοι μετ᾽ αὐτὸν εἰσὶ δῆλοι τὸν κότινον παγκρατίου τε ἆθλα εἰληφότες καὶ πάλης· καὶ πρῶτος μὲν ἐξ αὐτῆς Ἤλιδος, Ἑλλήνων τῶν πέραν Αἴνου, Ῥόδιος	*Ante Stratonem hunc oleastri coronam de pancratio unam, de lucta vero tres viri cepisse perhibentur totidem post eum. De superioribus primus Eleus fuit, ex ea Græcia quæ trans AEnum est; Rhodius Aristo-*

 menes

δὲ Ἀριστομένης, καὶ Μαγνήτων τ̃ ἐπὶ Ληθαίῳ Πρωτοφάνης.	*menes alter: è Magnetibus qui sunt ad Lethaeum Protophanes tertius.*

Hunc locum male affectum, mancum & ab interpunctione laborantem misere reddidit Amasæus. Piget hîc adscribere ejus errata, tu videsis lector. Nihil notavit Sylburgius, credo, quod desperatæ salutis eum credidit. Ego tamen spero me tibi satisfacturum, lector, in eo emendando, & una vocula addita & mutatis distinctionibus & paucis litteris, me pristinæ sanitati eum restituturum confido. Sic igitur lego duas ultimas lineas, nam in duobus primis nihil deest, & eos addidi, ut sensus integer melius appareat, & veram interpretationem proferam: καὶ πρῶτος μὲν ἐξ αὐτῆς Ἠλιδος Κάπρος. Ἑλλήνων δὲ τῶν πέραν Αἰγαίου Ῥόδιος Ἀριστομένης καὶ Μαγνήτων τῶν ἐπὶ Ληθαίῳ Πρωτοφάνης. Totum vero locum sic interpretor: *Hujus vero Stratonis tempore priores tres, totidem vero posteriores oleastrum pancratii simul & luctæ præmium accepisse in confesso est: & primus quidem ex ipsa Elide Caprus, Græcorum vero qui ultra Ægeum mare sunt Rhodius Aristomenes, & Magnetum, qui ad Lethæum habitant, Protophanes.* Nunc ratio reddenda est emendationis nostræ. Vides manifeste in textu Pausaniæ deesse nomen primi victoris, id addidi ex historia. Nam idem Pausanias infra pag. 193 Caprum Pythagoræ filium Elæum primum reportasse pancratii & luctæ præmium dicit eadem die. Eusebius idem notat, & secundum ab Hercule, cui id accidit, facit, id est, primum ab Iphito, quod intelligit hoc loco Pausanias. Ergo non sine auctoribus id, quod deerat, supplevi. Mutavi etiam vocem Αἴνου in Αἰγαίου, optima, ut mihi videtur, ratione. Primum enim vocabulum πέραν proprie de iis dicitur, qui ultra mare vel fluvios vel montes positi sunt. Secundo Rhodus, unde Aristomenes, non potest dici πέραν Αἴνου. Nam Ænus urbs fuit in littore Thraciæ longe sita, per quam è Græcia Pontum itur ad Septentriones: at Rhodus ad orientem hybernum Peloponnesi jacet ultra Ægeum mare, unde patet Pausaniam scripsisse πέραν Αἰγαίου, & sic sæpe ab auctoribus distinguuntur Ἕλληνες οἱ πέραν Αἰγαίου οἰκοῦντες, id est, *Græci, qui ultra Ægeum habitant.*

Ibidem.

Ἕβδομος δὲ Νικόστρατος. | *Postremus Nicostratus.*

Sylburgius in notis mutat, & vult legi ἕκτος, & ex eo deprehenditur numquam cepisse hujus loci verum sensum. Tres fuerunt ante Strato-

Stratonem, ait Pausanias, qui luctæ & pancratii simul victoriam reportarunt, totidem post eum, tum ipse Straton. Septem sunt numero, quorum Nicostratus est septimus. Numeremus enim: Primus Caprus Elæus, secundus Aristomenes Rhodius, tertius Protophanes Magnesius, quartus Straton Alexandrinus, quintus Marion ex eadem Alexandria, sextus Aristeas Stratonicensis, septimus igitur est Nicostratus Cilix vel Phryx.

Pag. 171. Sylb. 332.

Ἐπίκειται δὲ αὐτῷ καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ στέφανος ἄνθη τὰ ἠρινά.	*Imposita est corona capiti è vernis floribus.*

Valde suspicor Pausaniam scripsisse [1] τὰ κρινά. Nam nisi voluisset [1] *Lilia.* speciatim declarare, ex quibus floribus conserta erat ea corona, dixisset simpliciter ἐξ ἀνθῶν. Ἠρινὰ autem nihil speciatim significat, & facilis mutatio fuit litteræ κ in litteram η. Itaque ex liliis composita fuit ea corona.

Pag. 172. Sylb. 333.

Ἀμβρακιώτας δὲ ἀποίκους Κορινθίων ὄντας.	*Ambraciotas Corinthiorum coloniam.*

Tolgo scilicet Cypseli filio conditore Ambraciæ, qui eo colonos duxit, ut Strabo lib. 7.

Pag. 174. Sylb. 337.

Ἔστι δὲ κατὰ τὴν ἄκραν ἐν Σικελίᾳ τὴν τετραμμένην ἐπὶ Λιβύης καὶ νότου, καλουμένην δὲ Πάχυνον, Μοτύη πόλις.	*Est ad Pachynum Siciliæ promontorium quod in Africam & ad Austros conversum est, Motye urbs.*

Pausaniam hoc loco memoria fefellit, vel calamo properante aliud scripsit, quam quod in mente habebat. Nam Lilybæum debebat dicere, non Pachynum, quod orientem spectat. At Lilybæum Africam & meridiem respicit, & prope id promontorium sita erat Motye. Poteram multas afferre probationes, sed quoniam id jam fecit Cluverius, ad eum lectorem remitto.

Pag. 175. Sylb. 339.

Οἱ δὲ ἁλτῆρες οὗτοι παρέχονται σχῆμα τοιόνδε κύκλου.	*Halteres isti speciem præferunt circuli.*

Ex

Ex Pausaniæ descriptione tales debuerunt esse halteres, quales hîc tibi repræsentari curavimus.



Pag. 177. Sylb. 343.

Οἰκοῦσι δὲ ἀπὸ θαλάσσης τῆς πρὸς Αἴνῳ πόλ.	*Incolunt maritimam Thraciæ oram ad AEnum urbem.*

Falsa topothesia: nulla enim unquam fuit Menda urbs prope Ænum urbem sita, nec unquam mare ad Pallenem potuit dici ad Ænum fuisse. Tentavit commode explicare hunc locum Sylburgius, sed sine successu. At minima mutatione locus sanari potest. Lege confidenter: τῆς πρὸς Σαίνῃ πόλ. Sane urbs fuit sita ad mare prope Athon montem, cujus vicina fuit Menda. De iis Herodotus lib. 7, Thucydides lib. 4, Strabo lib. 7, Aristoteles Oeconom. 2, Plutarchus in quæstionibus Græcis, Scylax, Plinius, Mela, alii innumeri.

Ad Lib. 6. Heliaca 2. Pag. 178. Sylb. 345.

Καὶ ὁ ἐξ αὐτῆς στράτου πρῶτος.	*Primus ille quidem ex Acarnania.*

Lege Στράτου cum majuscula. Amasæus non expressit eam vocem in sua versione, putavit forte στρατὸν Ἀκαρνάνων pro multitudine Acarnanum sumi, & ita vertit simpliciter *ex Acarnania*. At Stratus fuit urbs totius Acarnaniæ metropolis, de qua Thucydides, Xenophon, Polybius, Strabo &c.

Pag. 179. Sylb. 347.

Ἐκ Λεπρέου τῶν Ἠλείων. | *E Lepreo Eleorum.*

Illud τῶν Ἠλείων innuit fuisse plures ejus nominis urbes, & id etiam videtur firmare Plinius lib. 4 cap. 5 & 6, dum ponit in Arcadia Lepræum & in Elide Leprium. Valde tamen vereor, ne falsus sit Plinius, eo quod videret Lepreum modo Arcadiæ, modo Elidi accenseri, & vox τῶν Ἠλείων ex Heliorum voluntate addebatur inscriptionibus, firmandi juris gratia, quod in ea civitate sibi tribuebant, & inde eam accepit Pausanias. Alioqui Arcades consentientibus sæpe ipsis

ipsis Lepreatibus eam ad se trahebant, ut supra videre est pag. 151. inhibet tamen, ne sic omnino decernam, quod infra pag. 192 Λέπρεον ἐν τῇ Τελφυλίᾳ dicit. Expectanda est aliunde lux.

Pag. 182. Sylb. 352.

Νεωτάτη τῶν ἐν Μακεδονίᾳ πόλεων, καλουμένη δὲ ὑπὸ τοῦ οἰκιστοῦ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου.	*Macedoniæ civitatum novissima, cui à Philippo Amyntæ filio nomen.*

Urbem ipsam non expressit nominatim, sed intellige Philippos, quæ antea Crenides dicebatur. Philippóπολιν etiam condidit, sed in Thracia, ideo de illa non est hic sermo, Macedoniæ enim adscribitur, cujus limes constitutus est à Philippo Nessus fluvius Thraciam versus teste Strabone lib. 7.

Ibidem. Sylb. 353.

Ἰσόγαιον καταπαύσας παῖδα Ἀρταξέρξου γνήσιον.	*Isogæum legitimum Artaxerxis filium expulit.*

Sic legit Amasæus, & *Isogæum* vertit. At nullus unquam sic dictus apud Persas regnavit, à Ctesia vocatur *Secundianus*, à Diodoro *Ogdianus*. Ex utrisque illis nominibus forte formatum est Σογδίανος, & ita videtur Pausanias scripsisse hoc loco, & quoniam præcedit vox δήμων, jota adscripto forte, non subscripto, id elementum ι sequenti voci additum est, inde ισογδίανος, & inde, ut magis ad Græcum accederet, Ἰσόγαιος emersit.

Pag. 183. Sylb. 355.

Ἅτε προκατεργασθεὶς τῇ μάχῃ πρὸς τὸν Εὔθυμον.	*Quod fraude adversarium circumvenisse judicatus pugna superiore.*

Pessime sic hunc locum interpretatur Amasæus. Videtur legisse προκατεργασθεὶς τῇ μάχῃ τὸν Εὔθυμον, & intellexisse προκατεργασθεὶς *cum fraude circumvenisset*. Sed legendum, ut editum est, πρὸς τὸν Εὔθυμον, & interpretandum est, *quippe qui labore prius confectus fuerat in pugna contra Euthymum*, plano, ut mihi videtur, & commodo sensu. Theagenes Euthymum pugilem superavit, sed non sine maximo labore: pugil enim erat celebris ille Euthymus, & qui multas victorias pugilatus reportaverat. Idcirco confectus labore & plagis Theagenes non potuit pancratii præmium reportare, ut sibi promiserat.

Ibidem.

Καὶ ἀμφισβόμβυος αὐτὸν οὐκ ἐπῆλθεν ἐπὶ τὴν πυγμήν. | *Reliquum mulcta recusans in pugillatum non descendit.*

Hæc sic vertit Amasæus. At debebat interpretari, *& ut eum ob injuriam factam beneficio compensaret, in pugillatum non descendit.* Sed postquam notas Sylburgii accessi, vidi eum ita interpretatum esse, & errorem Amasæi correxisse. Ergo actum ago.

Pag. 186. Sylb. 360.

Τὰ δὲ εἰς τὸ ἅρμα τοῦ Γέλωνος οὐ κατὰ ταῦτα δοξάζειν ἐμοί τε παρίσταται, καὶ τοῖς πρότερον ἢ ἐγὼ τὰ εἰς αὐτὸν εἰρηκόσιν· οἱ Γέλωνος τοῦ ἐν Σικελίᾳ τυραννήσαντος φασὶν ἀνάθημα εἶναι τὸ ἅρμα, ἐπίγραμμα μὲν δή ἐστιν αὐτῷ, Γέλωνα Δεινομένους ἀναθῆναι Γελῶον, καὶ ὁ χρόνος τούτῳ τῷ Γέλωνί ἐστι τῆς νίκης τρίτη πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα Ὀλυμπιάδι· Γέλων δὲ ὁ Σικελίας τυραννήσας Συρακούσας ἔσχεν, Ὑβριλίδου μὲν Ἀθήνησιν Ἄρχοντος, δευτέρῳ δὲ ἔτει τῆς δευτέρας καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἣν Τισικράτης ἐνίκα Κροτωνιάτης στάδιον. Δῆλα οὖν ὡς Συρακούσιον ἤδη, καὶ οὐ Γελῷον ἀναγορεύειν αὑτὸν ἔμελλεν, ἀλλὰ καὶ ἰδιώτης εἶναι τις ὁ Γέλων οὗτος, πατρὸς δὲ ὁμωνύμου τῷ τυράννῳ καὶ αὐτὸς ὁμώνυμος.

Quod vero ad Gelonis currum attinet, mea opinio diffidet ab iis, quæ alii ante me prodidère: ajunt enim currum illum Gelonis Siciliæ Tyranni donum fuisse, at testatur inscriptio Gelonem Dinomenis filium Geloum dedicasse, & vicit hic Gelon Olympiade 73. Cum Gelon tyrannus Syracusis rerum potitus fuerit Olympiadis 72 anno secundo, quo anno summa præfuit (debebat vertere *Archon fuit*) *apud Athenienses Hybrilides, Olympiade autem illa victor discessit è stadio Tisicrates Crotoniata, Syracusanum se certe Gelon renunciandum, non Geloum, curasset: credi igitur facile potest, privatum hominem hunc Gelonem fuisse, cujus pater Tyranno, ipse patri cognominis fuerit.*

Hæc

Hæc male verſa ultima verba: vertendum erat: *cujus pater cognominis fuit patri Tyranni, & ipſe Tyranno cognominis*. Hunc Pauſaniæ locum notavit in ſuis ad Euſebium commentariis Joſephus Scaliger ad numerum MDXXX pag. 100 his verbis: *Pauſanias refert tripodem quendam dicatum eſſe à Gelone filio Dinomenis victore Olympiadis 73, & quamvis idem nomen patris Gelonis fuerit, tamen negat Gelonem filium Dinomenis, qui viceris Olympiade 73, eundem eſſe cum filio Dinomenis, qui Tyrannus Syracuſarum fuit, hoc argumento fultus, quod Gelo invaſerit tyrannidem Olympiadis 72 anno 2, iſte vero vicerit Olympiadem 73, quo quid futilius potuit dici? quaſi & tyranni & reges non vicerint Olympia, ut frater illius Tyranni Hiero, quem Olympionicem & Pythionicem celebrat Pindarus, quare nugatoria ſunt hæc, & præterea confutantur epigrammatio Simonidis, quod tripodis illius meminit.* Jure equidem objurgat Pauſaniam vir ſummus. Sed in his verbis notandum eſt, eum nimis ſuæ memoriæ confidiſſe, & non habuiſſe ante oculos Pauſaniæ codicem. Nam de tripode loquitur, Pauſanias vero de curru, & ſententiam tribuit Pauſaniæ, quam ex ejus verbis nemo aſtruere poteſt. Non enim negat Pauſanias reges aut tyrannos Olympia vincere potuiſſe aut etiam viciſſe, nec eo argumento utitur, ut probet eum Gelonem victorem in Olympiade 73 non fuiſſe eundem cum Gelone Syracuſarum tyranno, ſed alio non meliore, nempe eo, quod cum jam Syracuſarum tyrannidem obtinuiſſet biennio antea Gelon, inſcriptio currus Geloum eum Gelonem, qui donarium poſuit, dicit fuiſſe: at ſi Gelonis tyranni id donarium fuiſſet, Syracuſanum eum inſcriptio debebat dicere: quo argumento, ut verbis Scaligeri utar, nihil poteſt dici futilius. Nam tyrannis non mutat patriam, & Gelo, qui in omnibus ſe civilem & moderatiſſimum tyrannum exhibuit, non debuit in eo donario de Tyrannide acquiſita gloriari, nec patriam ſuam Gelam honore debito fraudare: quod qui faciebant pecunia corrupti, graviſſime mulctati ſunt ab Hellanodicis, ut falſarii, & odium propriorum civium & conſanguineorum incurrebant. Fuit autem Gelous ille Gelo, ut notum eſt, & nos docet Herodotus lib. 7. Male igitur argutatur Pauſanias, & Gelo donarii illius auctor fuit ille celebratus Syracuſarum optimus tyrannus & mitiſſimus, Gelous patria, Dinomenis filius, quod optimo jure cenſet Scaliger, licet non ſatis accurate Pauſaniæ verba & ſententiam penſitaverit.

Ibidem.

Κλεομήδη φασὶν Ἀςυπαλαιέα, | *Cleomedem Aſtypalaenſem*

ὡς Ἴκκω πυκ]δων ἀιδεῖ Ἐπιδαυρίῳ, τὸν Ἴκκον ἀποκ]είνειν ἐν τῇ μάχῃ.	*moriæ proditum, in pugilatu Iccum Epidaurium interemisse.*

Ad hunc locum illustrandum & genus pugnæ rarum & extraordinarium discendum facit locus Oenomai apud Eusebium Euangel. præpar. lib. 5: [1] πληγῇ μιᾷ πατάξας τὸν ἀνταγωνιστὴν ἀνέωξεν τὴν πλευρὰν αὐτῷ καὶ ἐμβαλὼν τὴν χεῖρα ἐλάβετο τοῦ πνεύμονος, &c. vide locum. Sed infra id facinus tribuit Damoxeno Syracusio pag. 270.

[1] *Vno solo ictu cum antagonistam feriisset, aperuit ejus latus, & manu immissa pulmonem arripuit.*

Pag. 187. Sylb. 361.

Αὐτίκα εἶχε τὴν νίκην.	*Mox victorem judicatum.*

Tempus ejus victoriæ etiam Suidas notavit, Olympiade nempe vigesima quinta. Sed cum dicatur hoc loco idem pugil vicisse Pythia, Nemea, & Isthmia, non potest constare numerus Suidæ cum Pausania collatus. Nam prima Pythias post Olympiadem 48 demum instituta est. Isthmia vero à Cypseli tempore neglecta Olympiade tandem 49 instaurata sunt. quomodo potuit Glaucus vicisse Olympiadem vigesimam & annis postea 96 Pythia & Isthmia vicisse. Id est omnino ἀσύστατον. Puto numerum apud Suidam esse corruptum & pro μ' ε' irrepsisse κ' ε' facili lapsu.

Pag. 188. Sylb. 364.

Ἐν Φθίᾳ ἢ τῇ Θεσσαλῶν.	*Phthiæ vero in Thessalis.*

Bene distinguit. Duæ enim antiquitus Phthiæ, una Thessaliæ, quæ sub Protesilao, cujus habitatores Φθῖοι; altera vero in Achaia Phthiotidi dicta, cujus cives Φθιῶται dicebantur, quæ Achilli parebat, ut nos docet auctor breviorum Scholiorum ad Homerum ad Iliad. γ.

Pag. 189. Sylb. ibid.

Θεαγένω δ' ἀμνηστὸν ἀφήκατε τὸν μέγαν ὑμέων.	*Theagenis vestri at nullam rationem habuistis.*

Aliter oraculum hoc recitat Oenomaus apud Eusebium præpar. Euangel. lib. 5. sic scilicet:

Εἰς πάτρην φυγάδας κατάγων Δήμητραν ἀμνήστε.

Uter verius, consulendus iterum Pythius.

Ibidem. Sylb. 365.

Ὁ Ἱέρων οὗτος, τὴν δὲ ἀρχὴν εἶχεν ἔτει δευτέρῳ τῆς Ὀλυμ-	*Is Hiero, dominatu potitus centesima vicesima tertia Olym-*

πιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, ἣν Κυρηναῖος Ἰδαῖος στάδιον ἐνίκησεν.	*Olympiadis anno secundo: ea vero Olympiade victor è stadio decessit Idæus patria Cyrenæus.*

Non potest hic Olympiadum numerus cum historia congruere. Nam Hieron ille mortuus est Livio teste, paulo ante, quam Consules fierent Q. Fabius quartum & Claudius Marcellus tertium, anno urbis conditæ 539, qui annus secundus est Olympiadis 141, unde si Pausaniæ numerus bene se haberet, absurdum sequeretur Hieronem scilicet regnavisse annos 84, sed eodem Livio teste vixit tantum 90 annos. Lucianus in Macrobiis duos annos addit, & ait eum vixisse annos 92. Nihil igitur certius est Pausaniam falsum fuisse, si ita scripsit, ut est editum, sed proculdubio aliter scripserat. Nam hæc phrasis est ei insolita & omnibus Græcis τῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν. Primus certe numerus deest, sine quo non dixisset ἐπὶ, sed εἰκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς. Sed hujus corruptelæ causam mihi videor divinare. Scriptum fuerat: [1] ἔτει δευτέρῳ τῆς ἕκτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, optime. Exscriptor putavit τῆς ἕκτης repetitionem esse vitiosam, & forte τὸ ἕκτης scriptum inveniebat non satis conjunctim, & ideo putavit τὸ ἕκ της esse delendum, cum debebat conjunctim legere ἕκτης, & si recensio Olympiadum aliquid fidei meretur (& meretur quidem, sive ejus compilator fuerit Scaliger, sive ex quadam antiqua scheda eam publicaverit) nostra conjectura veritate nititur. Nam Olympiade 126 ponitur Idæus Cyrenæus stadium vicisse. Ergo audacter legendum apud Pausaniam loco hoc: [2] ἔτει δευτέρῳ τῆς ἕκτης Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν. Sed nisi ponamus Hieronymum Hieronis hujus nepotem fuisse binominem, & etiam Hieronem vocatum fuisse, numquam à lata culpa liberabimus hoc loco Pausaniam, nec ita etiam omnino à culpa liberabitur, qui hunc Hieronem, de quo loquutus est, à quodam Dinomene cæsum fuisse ait: est ejus proculdubio παρόραμα, vel [3] μνημονικὸν σφάλμα. Nam ex T. Livio lib. 24 discimus, Hieronymum Siciliæ tyrannum vel regem ab illo Dinomene cæsum fuisse, non vero, ut hic dicitur, ejus avum Hieronem.

[1] *Anno 2 Olympiadis centesima vigesima sexta.*

[2] *Secundo anno Olympiadis centesima vigesima sexta.*

[3] *Hallucinatio, vel memoria defectus.*

Pag. 190. Sylb. 367.

Ἐν τῇ Θρακίᾳ Καρίᾳ. | *Thraciæ Caria.*

Hic mendum jacet, sed antiquissimum, & quod jam tempore

Suidæ hunc locum occupaverat: hunc enim locum transscripsit ille Lexicographus in voce Ἱππόμαχος, non ut hîc legitur, sed cum eodem errore, etiam pejore facto, nam pro Θρᾳκίᾳ Καρίᾳ, quod non placebat ob genus loquendi insolitum, posuit τῆς ἐν Θρᾴκῃ Καρίας, phrasi quidem elegantiore, sed quæ magis abit à vera & genuina lectione. Vellem aliquis mihi diceret, ubi locorum erat illa Thraciæ Caria, in qua erat urbs Ceramus. Fuit certe urbs vel portus Καρῶν λιμὴν dictus in Ponti Euxini litore, quem Cariam vocat Mela. Sed nec ab eo portu regio Καρία dicta, nec ibi urbs Ceramus, ne eam ibi quæras, nulla fuit. Rescribe, & lege confidenter meo periculo: ἐν τῇ τραχείᾳ Καρίᾳ, *in aspera Caria*. Ceramus enim urbs Cariæ fuit in eadem Cherronneso sita, ubi erat & Gnidus & Loryma, quæ regio attollebatur monte Phœnice dicto, qui eam peninsulam asperam & montosam faciebat: ideo cum de Lorymis loquitur Strabo lib. 14, hæc ait: [1] εἶτα Λώρυμα, παραλία τραχεῖα, καὶ ὄρος ὑψηλότατον τῶν ταύτῃ. Ex hoc loco videmus non sine ratione Pausaniam assignasse Ceramum Cariæ asperæ, & probam esse nostram emendationem. Ex hoc tamen loco mendoso & male intellecto finxit vir doctissimus (quem nominare hoc loco non convenit eo, quod ab eo dissentio) in Ponti Euxini litore Cariam provinciam, & urbem in ea Ceramum, & apud Melam, ubi legitur *portus Caria*, vult intelligi non portum ipsum, sed provinciam circumjacentem, & ibi fuisse Ceramum urbem contendit ex unico hoc Pausaniæ loco, ubi vult legi ex Suida τῆς ἐν Θρᾴκῃ Καρίας, & ut suam sententiam firmet, locum Anonymi auctoris in Periplo mutat, & pro καταπλύζεται, quæ vox optimum sensum exhibet, vult legi, ut apud Arrianum in Periplo male legitur, Καρία κλήζεται. At illa vox κλήζεται poëtica est, & aliud significat, quam καλεῖται: non enim deducitur à καλέω, sed à κλέος, & significat *celebratur*, & alibi in suo Periplo non utitur Arrianus vocibus à solis Poëtis usurpatis. Ideo non dubito, quin ex illo Anonymo corrigendus sit Arriani locus, non contra: nam & Geographi omnes de ea urbe Ceramo in Ponti littore Thracico tacent, & Καρῶν λιμὴν *Carum portus* non magis dedit nomen provinciæ, quam Ἐφεσίων λιμὴν in Bosporo, & Ἀχαιῶν λιμὴν in litore Trojæ provinciis adjacentibus, & fuit ille Carum portus seu Caria oppidulum tam parvi momenti, ut id Ptolemæus, qui id littus persequutus est in suis tabulis, ne nominarit quidem, ut nec Strabo, qui pari diligentia totum eum litoralem tractum descripsit, & cum urbes in eo litore omnes

[1] *Deinde Loryma, litus asperum, & mons excelsissimus omnium qui ibi sunt.*

omnes alias uterque notaverit, nullam nec de Caria nec de Ceramo urbibus fecerunt mentionem. Tum ea urbecula, quæ Καρῶν λιμὴν vel Καρία dicta fuit, non erat in Thraciæ littore (nisi quis latissime Thraciæ nomen accipiat) sed in Getica provincia seu Scythia, ut loquitur Arrianus, qui Thraciam non extendit ultra Apolloniam, & cum omnes auctores de illa Ceramo sileant, emendationem nostram approbatum iri confido. Germana huic mendo menda in pluribus auctoribus excussis inveniri notavit Scaliger ad Eusebium pag. 200 ad numerum 2089, ubi de Cilicia fit mentio, sæpissime legi Κιλικία Θρᾳκία pro τραχεῖα, cum vide.

Ibidem.

Πολίτης μὲν δὴ ἐπὶ τὸ δεύτερας καὶ τέσσαρας, ὡς ἕκαστοι συντυχθῶσι.	*Neque enim universos, sed quatuor, ut quibusque obtigerit.*

Amasæus videtur usus codice, ubi aliter scriptum est: nam exprimit sensum equidem satis commodum, sed quem ex his verbis non potuit astruere. Sylburgius nihil juvat. Videtur innuere Pausanias, hunc Politem consilium dedisse, ut non omnes simul cursores emitterentur, sed per classes divisi, ut in unaquaque classe victor cum cæteris victoribus committeretur. Hiulcus est hic locus, ubi forte pro καὶ τέσσαρας scriptum erat κατὰ τέσσαρες. Sed sine ope melioris codicis nihil affirmabo.

Pag. 191. Sylb. 369.

Οὐκ ἐγένετο οἷός τε εἶναι καταπαλαῖσαι Τιμασίθεον πολίτην τε ὄντα αὐτοῦ καὶ ἡλικίᾳ νέον πρὸς ἐγγύτερον οὐκ ἐθέλοντα ἱστασθαι.	*Cum Timasitheo ille quidem quod civis erat, & peradolescens, ac certamen recusabat, non est congressus.*

Hæc aliter expressit Amasæus, quam mihi sonare videntur. Non videtur intellexisse, quid significaret οὐκ ἐγένετο οἷός τε εἶναι. Sic ego aliter interpretor: *Non potuit autem superare Timasitheum concivem suum, juvenem & propius accedere caventem.* Sic intelligenda sunt, ni fallor, verba Pausaniæ. Timasitheus ille nempe juvenis, & alacer, cum gigante illo Milone luctans, cavebat, ne illa mole corporis premeretur, & ideo sola arte, & brachiorum nexibus, & agilitate corporis utebatur, nec patiebatur corpus suum corpori Milonis applicari.

Pag. 192.

Pag. 192. Sylb. 371.

Ἐν Ἰσθμῷ παλαιστὰς κατεπάλαισεν ἄνδρας, καὶ ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς, τούς τε τὴν πυγμὴν καὶ τοὺς ἐς τὸ παγκράτιον εἰσελθόντας ἐκράτει τῇ μάχῃ.

Ad Isthmum viros palæstritas perculit, eodemque die de pugilatu palmam tulit, & eos, qui in pancratium descenderant, luctando vicit.

De hoc insigni athleta, qui solus omnium pugilatus, luctæ & pancratii eadem die victoriam reportavit, extat epigramma in anthologiæ quarto:

Οἷον ὁρῇς, ὦ ξεῖνε, τὸ χάλκεον εἰκόνι λῆμα
Κλειτομάχου, τοίαν Ἑλλὰς ἐσεῖδε βίαν.
Ἄρτι γὰρ αἱματόεντα χερῶν ἀπελύετο πυγμῆς
Ἔντεα, καὶ γοργῷ μάρνατο παγκρατίῳ.
Τὸ τρίτον οὐκ ἐκόνισεν ἐπωμίδας, ἀλλὰ παλαίσας
Ἄπτως τοὺς τρισσοὺς Ἰσθμόθεν εἷλε πόνους.
Μοῦνος δ' Ἑλλάνων τόδ' ἔχει γέρας· ἑπτάπυλοι δὲ
Θῆβαι καὶ γενέτωρ ἐστέφεθ' Ἑρμοκράτης.

[1] Qualem vides, ô hospes, in area imagine fortitudinem Clitomachi, talem Græcia vidit ejus vim. Nam simul ac solvit ex manibus sanguinea pugillatus Arma, etiam agili pugnavit Pancratio. Tertio humeros pulvere non inspersit sed luctans. Non cecidit & ternos labores cepit in Isthmo. Solus vero Græcorum talem honorem habet: Heptapyle autem Thebæ & pater Hermocrates eum coronarunt.

Sed ordo Pausaniæ est magis rationi consentaneus, qui pancratium ultimum ponit: at qui metro scribunt, sæpe cogente syllabarum quantitate coguntur ὕστερον πρότερον res narrare.

Pag. 194. Sylb. 373.

Ἐς Νεμείων ἀγῶνα τὸν χειμερινῶν.

Hibernis Nemeorum ludis.

Ergo fuit duplex Nemeorum certamen, unum æstivum, alterum hyemale, de hoc vix apud alios auctores mentionem factam invenies: quotannis, ut credo, celebrabatur ille ἀγὼν, sicut Athenis Panathenæa parva, æstivum vero erat trietericum. Vide quæ supra notavi ad Diodorum pag. 705.

Pag. 195. Sylb. 376.

Μελάμποδος γὰρ ἦν τοῦ Ἀμυθάονος Μάντιος, τοῦ δὲ Ἰοκλῆς.

Melampus enim Amythaonem patrem habuit: filium ipse Mantium genuit, Mantius Oiclem.

In rebus tantæ antiquitatis, videtur piaculum esse ab Homero antiquitatis patre recedere. Ideo vix credo Pausaniam scripsisse, ut hic legitur:

legitur: aliud enim est stemma, quod Homerus recenset Odyss. ο, ubi de Melampode loquitur sic:

> Γείνατο δ' Ἀντιφάτην καὶ Μάντιον υἷε κραταιώ.
> Ἀντιφάτης μὲν ἔτικτεν Ὀϊκλῆα μεγάθυμον
> Αὐτὰρ Ὀϊκλείης λαοσσόον Ἀμφιάραον.

Genuit autem Antiphatem & Mantium duos filios fortes, Antiphates quidem genuit Oïclem magnanimum. Rursus Oïcles populo salutarem Amphiaraum.

Igitur emendandus est juxta Homerum textus Pausaniæ, qui forte sic scripserat: Μελάμποδος γὰρ ἦσαν ὁ Ἀμυθάονος Μάντιος καὶ Ἀντιφάτης, ὁ δὲ Ὀϊκλῆς. Illud καὶ Ἀντιφάτης omissum fuit ab exscriptore.

Pag. 196. Sylb. 379.

Μιλτιάδου τοῦ Κίμωνος, ὃς ἀρχὴν ἔσχεν ἐν Χερρονήσῳ τῇ Θρακίᾳ πρῶτος τῆς οἰκίας ταύτης.	*Miltiadæ Cimonis F. qui primus ex ea domo in Thraciæ Cherroneso imperium obtinuit.*

Et rursus hîc memoria sua fefellit Pausaniam. Nam Miltiades ille, qui primus principatum adeptus est in Cherroneso, non erat Cimonis sed Cypseli filius teste Herodoto, cui in iis rebus adhiberi debet fides. Miltiades vero Cimonis erat prioris illius Miltiadis ex Cimone uterino fratre nepos.

Pag. 199. Sylb. 383.

Καὶ ὄνομα Ὠλένιον αὐτῷ τίθενται. | *Olenium nomen produnt.*

Repone ex Stephano Ὤλενον, quod magis convenit, quem quidem fuisse dicit Jovis & Anaxitheæ unius ex Danaidibus.

Pag. 200. Sylb. 385.

Ὄνομα δὲ οἱ Διάγων. | *Nomen amni Diagon.*

Sagaci conjectura suspicatur Sylburgius in notis ad hunc locum debere legi Ἰάων, & ea conjectura mihi vehementer arridet: non enim alibi invenitur iste Diagon.

Ibidem. Sylb. 386.

Αἰόλιόν τε καὶ Κρόνιον. | *Æolium & Cronium.*

Dubito an sit idem, qui Pindari Scholiastæ dicitur Κραίνων Θεσσαλὸς, ad Pythiorum I. Si non fuerit unus & idem, addendus est hoc loco Κραίνων catalogo procorum Hippodamiæ, à Pausania hoc loco recensito.

Ibidem.

Καὶ Ἠίονες Μάγνητες ὁ Αἰόλου. | *Et Eiones Magnetes Æoli.*

Vidit hunc locum male sanum esse Sylburgius, & mederi tentavit,

vit, sed pejus affecit, dum vult legi καὶ Αἰολεὺς Μάγνητες ἀπὸ τοῦ Αἰόλου. Non enim agitur hic, unde sint denominati Æoles Magnetes, sed de nominibus procorum Hippodamiæ. At tu lector audacter & meo periculo lege: καὶ Ἠϊονεὺς Μάγνητος τοῦ Αἰόλου. Magnes à quo denominata est Magnesia, fuit unus è filiis Æoli, illius Magnetis filius fuit Eïoneus, qui fuit unus è procis Hippodamiæ. Si fidejussores à me petis, dabo Apollodorum, Apollonii Rhodii Scholiasten, Euripidis Scholiasten, & Eustathium ad Homerum.

Pag. 201. Sylb. 388.

Ἐν κοινῷ δέ σφισιν ἐπίκλησιν Ἰωνίδες.	*Communi quidem vocabulo Ionides nuncupantur.*

Dominicus Niger videtur legisse Γωνιάδες, sed (ut puto) male.

Ibidem. Sylb. 391.

Πύῤῥωνος τοῦ Πιστοκράτους.	*Pyrrhonis Pistocratis filii.*

Nomen paternum hujus Philosophi aliter profertur à Diogene Laërtio, eum vocat Πλειστάρχου υἱὸν.

Ad Lib. 7. Achaica. Pag. 206. Sylb. 397.

Ἄρχανδρος Ἀχαιοῦ.	*Archander Achæi.*

Herodotus Archandrum non filium Achæi, sed ejus ex filio Phthio nepotem facit.

Ibid. Sylb. 398.

Τοὺς ἐκβληθέντας ὑπὸ Πελασγοῦ ἐκ Λήμνου.	*E Lemno à Pelasgo ejectos.*

Lege ὑπὸ Πελασγῶν, licet interpres errorem scripturæ sequatur.

Ibidem.

Καὶ Ὀρχομένιοι Μίνυαι τῇ συγγενείᾳ τῶν Κόδρου παίδων.	*Ex Orchomeniis Minyæ ob Codri liberum cognationem.*

Utrique enim Æolidæ Orchomenii à Sisypho, Codridæ vero à Cretheo.

Pag. 207. Sylb. 400.

Οἰκισμοὶ δὲ Μυοῦντος μὲν Κυάρητος ἐγένετο ὁ Κόδρου.	*Et Myus quidem Cyareto Codri filio provincia obtigit.*

Straboni hic Cyaretus dicitur Cydrelus filius Codri nothus. Sed in nominibus propriis sæpe talis diversitas notari potest. Sic quem infra Ægyptum vocat Pausanias, Strabo melius, ut puto, Æpytum vocat.

vocat. Sic pagina sequenti, quem Pausanias Andræmonem Codri filium vocat, Strabo Andropompum nominat.

Pag. 208. Sylb. 401.

Διαβάντι τὸν Καλάοντα ποταμόν.	*In ulteriore Calaontis amnis ripa.*

Nullibi invenitur hujus fluvii mentio facta præter in hoc textu; at mendum est, & legendum est, τὸν Ἄλεντα: errorem tamen sequuntur & Amasæus in sua versione, & Ortelius in suo lexico. At non ego credulus illis. Ipse Pausanias paulo infra pag. 210 de Alente fluvio Ioniæ mentionem fecit, ut de totius Ioniæ frigidissimo, item Lycophron, Theocritus, Plinius, & alii.

Ibidem.

Λέγεται δὲ ὁ Ἀθάμας οὗτος ἀπόγονος εἶναι Ἀθάμαντος τοῦ Αἰόλου.	*Fuisse hic Athamas dicitur Athamantis ejus nepos, quem Æolus genuit.*

Male igitur Palæphatus, qui Athamantem Æoli filium putavit in Phrygia regnasse: [1] Ἀθάμας ὁ Αἰόλου τοῦ Ἕλληνος ἐβασίλευσε τῆς Φρυγίας. Nam Athamas Æoli in Bœotia ad lacum Copaïdem habitavit, ut ait ipse Pausanias infra pag. 299. Igitur vel deceptus homonymia Palæphatus utriusque Athamantis gesta confundit, vel fuit Phrygia alia, oppidulum forte ad Copaïdem lacum, de quo videndum.

[1] *Athamas Æoli filius, Hellenis nepos, regnavit in Phrygia.*

Pag. 210. Sylb. 404.

Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Φιλίππου τῆς ἐφ' ἡμῶν πόλεως ἐγένετο οἰκιστής.	*Hujus vero quæ nunc exstat, urbis conditor Alexander Philippi F.*

Jam notavi differentiam, quæ est inter Pausaniam & Strabonem, in notis ad Strabonem supra pag. 646. illuc te remitto.

Ibidem. Sylb. 406.

Καὶ πηγὴν τὴν Ἀλιταίαν.	*Et fontem Halitæam.*

Plinius eum fontem **Callippian** vocat, ut est in impressis editionibus: at Ortelius testatur in manuscripto codice legi *Alipiam*, quæ lectio (credo) melior est ab epitatico α & λίπος. Sunt enim quædam aquæ, quibus velut pinguedo quædam supernatat.

Pag. 215. Sylb. 415.

Φίλαγρος Κυνέου. | *Philagrus Cynei F.*

Herodotus eum patriæ proditorem Φίλαγρον nominat, ut in editis nunc legitur. Sic & duabus infra lineis, quem Pausanias Ἀσταγῖλον vocat, Herodotus Ἀσταγῖνον nominat.

Ibidem. Sylb. 416

Καὶ ἐπί τε Σαπέων τὸν βασιλέα, Ἄβρου πόλεως.	*Regemque Sapæorum Abro urbe expugnata.*

Suspecta mihi est hæc lectio, nam de ea urbe Ἄβρος nullus unquam meminit. Nomen proculdubio fuit regis, & scripserat Pausanias Ἀβρύπολιν. Nam Thraciæ regum nomina sic sæpe terminabantur, ut apud Tacitum *Rascupolis*, quod non intelligens exscriptor mutavit in nomen urbis, & casum etiam ad suum sensum accommodavit. Hæc fuit nostra conjectura. At jam conjectura esse desinit, ecce enim incidi in locum T. Livii lib. 42, ubi pluries Abrypolis nominatur rex socius Romanorum à Perseo Macedone regno pulsus. Igitur lege, ut sanetur hic locus, καὶ ἐπί τε Σαπαίων (nam sic legendum) τὸν βασιλέα Ἀβρύπολιν. Sed manum de tabula, nam idem vidit Sylburgius, quem non consulueram.

Pag. 219. Sylb. 423.

Καὶ οὕτω κουρᾶς ἢ ὑποδημάτων εἵνεκα.	*Quos vel ex tonsura vel ex calceatu.*

Quare ex tonsura & calceis Lacedæmonios cognoscebant Achæi? quod Lacones comas & mystacia prolixa gerebant. Aristoteles rhetoricorum primo : [1] ἐν Λακεδαίμονι κομᾶν καλόν. Aristophanes de eo, qui Laconismi insimulabatur : [2] καὶ τὴν ὑπήνην ἄκουρον τρέφων. Genus etiam calceamenti peculiare gerebant Lacones, & ideo vocabantur eorum more facti calcei λακωνικαί.

[1] *Lacedæmone comam alere pulchrum est.*

[2] *Et mystacem intonsam nutriens.*

Pag. 222. Sylb. 429.

Καὶ Ἀχαιῶν πόλις Δύμη σταδίους ὅσον τετρακοσίους ἀπέχει τοῦ Λαρίσου.	*Abest à Larisso Achæorum urbs Dyme stadia ferme quadringenta.*

Numerus stadiorum justo major, non congruit neotericis tabulis, nec solet Pausanias tantum littoris spatium sine accuratiori explicatione præterire.

Ibidem.

Ibidem.

Οὐλυμπικὸς ἡγεμὼν καὶ αὐτὸς Ῥωμαίων.	*Vlympicus & ipse Romanus dux.*

Suspectum id nomen proprium, & alienum à Romano charactere. Vidit hoc Sylburgius, sed nihil tentavit: audacior ero, & assero reponendum Σουλπίκιος. Nam P. Sulpicius prætor, in iis partibus cum rege Philippo bellum gessit.

Pag. 223. Sylb. 430.

Καί τι ἐπόμενον τούτοις Γαλατῶν δρῶσιν οἱ Πεσινοῦντα ἔχοντες.	*Fidem rei faciunt Gallograci Pesinuntis incolæ.*

Hinc conjicere licet, non omnes Galatas Paulo Apostolo per epistolam eos objurgante resipuisse, & Judaicos ritus reliquisse, sed adhuc plures tempore Hadriani & Antonini Judaicos ritus retinuisse.

Ibidem. Sylb. 431.

Τίς ὁ δεξάμενος ἐν Ὠλένῳ βασιλεύς.	*A quo Oleni rege fuerit exceptus.*

Fefellit Amasæum littera minuscula in capite vocis δεξάμενος, & ideo sic vertit. Belle sane, at tu rescribe cum majuscula Δεξαμενός. Fuit enim proprium nomen illius regis, qui Herculem hospitio excepit. Vide supra pag. 149, inde Hyginum cap. 31, Apollodorum lib. 2, & alios.

Ibidem.

Ἐλεγεῖον εἰς Εὐρυτίωνα κένταυρον ὑπὸ Ἑρμησιάνακτος πεποιημένον.	*Elegi, quos in Eurytionem Centaurum fecit. Hermesianax.*

Super eodem argumento Bacchylides etiam poëma quoddam exaraverat: docet Eustathius ad Odyss. φ, vel forte idem poema diversis auctoribus tribuebatur.

Pag. 230. Sylb. 443.

Στοὰ δὲ τῆς πόλεως πλησίον ἐποιήθη Στράτωνι ἀθλητῇ, Ὀλυμπιάσιν ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς παγκρατίου καὶ πάλης ἀνελομένῳ νίκας.	*Porticus suburbana Stratoni athletæ erecta, qui Olympiæ eodem die pancratii & luctæ coronas cepit.*

Fateor hunc locum me torquere. Straton ille, qui eadem die

 pancra-

pancratii & luctæ palmam tulit, fuit Ægyptius ex Alexandria urbe, ut nos docuit supra in Heliacis pag. 170, quomodo igitur Ægii in Achaia fuit illi ædificata porticus, vel ab illo? Nam Ægiensi civi hoc convenit, sive ejus honori id ædificium publicis sumptibus factum fuerit, sive ipse sumptibus suis ædificaverit. Quis enim credat Alexandrinum civem Ægii ædificavisse, aut Ægienses cives in honorem alieni hominis hos sumptus fecisse? Quod si quis dicat duos fuisse Stratones, unum Alexandrinum, alterum Ægiensem, & utrosque reportasse luctæ & pancratii victoriam eadem die, hoc non patitur id, quod supra de Alexandrino Stratone scripsit, scilicet tres ante illum & tres post illum tantum eo honore potitos, quos omnes nominibus propriis indigitavit, inter quos nullus est alius Strato. Quid igitur dicendum est? Stratonem illum forte fuisse patria Ægiensem, sed μετοικήσαντα Alexandriæ vixisse, & ideo, ut gratificaretur Alexandrinis, quibuscum habitabat, & forte pecunia ab Alexandrinis data corruptum (quod aliquando fiebat) in præconio victoriæ suæ Alexandriam sibi patriam fuisse dixisse, & ita statuæ ejus inscriptum fuisse, unde id Pausanias acceperit? id certe non placet: nam si suos cives Ægienses eo honore fraudasset, numquam in ejus honorem porticum illam ædificassent, imo eum odio habuissent, ut falsarium & patriæ honoris proditorem. Alio igitur me verto, & postquam omnia pensitavi, credo magis in recensione, quam fecit supra, pag. 170 eorum septem, qui pancratii & luctæ victoriam eadem die reportaverant, erratum fuisse ab exscriptore, & cum Pausanias scripsisset, *Straton Ægeus, Marion Alexandrinus*, hæc duo nomina uno tenore legisse exscriptorem, & in scribendo voce *Alexandrinus* ultima, in memoria natante, eam male conjunxisse cum nomine *Straton*: nisi id ita sit, non video, quomodo aliquis se extricare possit ex hoc vepreto. Causa erroris forte fuit similitudo literarum in principio vocum Αἰγιεὺς & Αἰγύπτιος.

Pag. 234. Sylb. 452.

Δουνοῦσα καλουμένη — οἱ δ' Ὑπερησίην τε καὶ αἰπεινὴν Δονόεσσαν.	*Cui Donussa nomen .... Quique Hyperasiam atque altam coluere Donussam.*

Sylburgius mutat, & legit Γονοῦσα, & Γονόεσσα, & sic etiam mutari debere putabam. Sed postquam verba, quæ sequuntur apud Pausaniam accuratius pensitavi, mutavi sententiam, & licet apud Homerum

rum & ejus Scholiasten & Eustathium etiam constanter scribatur Γονόεσσα & Γονοῦσα, non est dubium, Pausaniam scripsisse Δονοῦσα & Δονόεσσα: ait enim Πεισίστρατον ἤ τινα τῶν ἑταίρων μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα ὑπ᾽ ἀγνοίας. Scilicet vult Pausanias scripsisse Homerum Δονόεσσαν, sed Pisistratum, qui Homericos versus compilavit, male legisse, & per ignorantiam scripsisse Γονόεσσαν, unde in posteros error emanavit, ut apud Homerum Γονόεσσα pro Δονόεσσα legeretur. Hæc est manifesta Pausaniæ sententia. Ideo hoc loco maneat Δονόεσσα.

Pag. 235. Sylb. 454.

Πελληνεῖς δ᾽ οὖν Πρόμαχον τὰ μάλιστα ἄγουσιν ἐν τιμῇ, ἐν Χαιρωνείᾳ δύο ἀνελόμενον πάλης νίκας.	*Pellenenses utique magno Promachum honore prosequuntur, duasque ejus de lucta ad Chæroneam palmas.*

Non sine labore emersi ex hoc gurgite, & primo putabam hiatum debere notari inter τιμῇ & ἐν Χαιρωνείᾳ, & deesse nomen alterius athletæ. Sic enim mecum. Non potuit Promachus ab Alexandro Macedone tyrannus Pellenensium constitui, qui tempore Alexandri non vivebat: erat enim coætaneus Polydamanti Scotussæo & Dario Notho, qui mortuus est statim post longorum murorum eversionem, Alexio Archonte anno 4 Olymp. 93 annis circiter 70 ante Alexandri regnum. Sed dedit manum Demosthenes, quo adjuvante facile emersi, & emendavi hunc locum certissima emendatione. Sic igitur meo periculo lege: Πελληνεῖς δ᾽ οὖν Πρόμαχον τὰ μάλιστα ἄγουσιν ἐν τιμῇ, τὸν δὲ Χαίρωνα δύο ἀνελόμενον πάλης νίκας &c. Locus est insignis Demosthenis ad hunc locum emendandum & illustrandum, ideo eum apponam: is est in oratione de fœderibus cum Alexandro: [1] σκέψασθαι δὲ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅτι Ἀχαιοὶ μὲν οἱ ἐν τῇ Πελοποννήσῳ ἐδημοκρατοῦντο, τούτων δὲ ἐν Πελλήνῃ νῦν καταλέλυκε τὴν πόλιν ὁ Μακεδὼν ἐκβαλὼν τῶν πολιτῶν τοὺς πλείστους, τὰ δ᾽ ἐκείνων τοῖς οἰκέταις δέδωκε, Χαίρωνα δὲ τὸν παλαιστὴν τύραννον ἐγκατέστησεν. Accipe & auctarium ex Athenæo lib. 11 ad calcem: [2] ὥσπερ καὶ Χαίρων ὁ Πελληνεὺς ὃς οὐ μόνον Πλάτωνι ἐσχόλασεν, ἀλλὰ καὶ Ξενοκράτει, καὶ οὗτος οὖν τῆς πατρίδος πικρῶς τυραννήσας &c. Si post hæc emendationem nostram respuis, tibi erit ferrea fibra, non cornea.

Pag. 236. Sylb. ibid.

Ἔχει δὲ αὐτὸ τὸ ὄνομα ἀπὸ Τιτᾶνος Κρίου, καὶ Ἄλσος:	*A Crio Titane nomen inditum putant. At Alsus nominatur,*

[1] *Considerate (viri Athenienses) quod Achæi in Peloponneso democratia utebantur: at nunc in Pellene eorum urbe solvit eum statum Macedo, qui pepulit cives plerosque, & eorum bona servis ipsorũ dedit, Chæronem vero luctatorem tyrannum constituit eorum.*

[2] *Ut Chæron Pelleneus, qui non solum Platonis, sed etiam Xenocratis auditor fuit, qui quidem patriæ tyrannus crudelis factus est.*

ὠνόμασται ποταμὸς ὃς ἐρχόμενος ἐκ Σιπύλου τοῦ ὄρους ἐς τὸν Ἕρμον κάτεισι.	*minatur, qui è Sipylo descendens in Hermum influit.*

Fœdissimo errore deturpatus est hic locus, quem sic, ut est editus, vertit Amasæus, ad quem nihil Sylburgius, & qui in errorem gravissimum Ortelium deduxit, qui sic in suo lexico: *Alsus in Peloponneso Achaiæ fluvius, qui è Sipylo monte in Hermum fluit.* Ecce Atlanticas vires hominis, qui totum Sipylum montem una cum Hermo fluvio ex media Lydia & Phrygia in Peloponnesum transportavit. Attentius & cum majore cura agendum est iis, qui antiquos auctores tractant. Si Plinium consuluisset, melius opinari coactus fuisset. Is enim lib. 5 cap. 29 Crium fluvium Lydiæ nominat in Hermum influentem, unde colligo sic emendari debere hunc Pausaniæ locum: [1] ἔχει δὲ τὸ ὄνομα ἀπὸ Τιτᾶνος Κρίου, ὡς καὶ ἄλλος ὠνόμασται ποταμὸς &c. Ait Crium fluvium Achaiæ nomen accepisse à Titane Crio, ut & alium eo nomine fluvium, qui è Sipylo monte in Hermum influit. Dabis, ut credo, assensum tuum lector huic emendationi.

[1] *Habet autem nomen à Titane Crio, ut & alius vocatur fluvius.*

Ibidem.

Κατὰ τοῦτο ποταμός ἐστι ὕστατος ποταμῶν τῶν Ἀχαϊκῶν ἐς τὴν Σικυωνίαν ἐκδιδοὺς θάλασσαν.	*Amnis quidam Achaicorum postremus in Sicyonium mare decurrit.*

Vel nomen ejus fluvii est Τὶς, vel excidit nomen illius. Non est Κρᾶθις, nam de eo supra tractavit, & non est in interstitio Sicyoniæ & Achaiæ, ἐπέχω.

Ad Lib. 8. Arcadica. Pag. 238. Sylb. 459.

Φωκεῦσιν ἤμυνεν ὑπὸ Φλεγύων πολέμῳ πιεζομένοις.	*Phocenses cum Phlegyis minus æquo certamine bellantes armis juvisset.*

Adde ex Ovidio Metam. XI Phorbante Phlegyarum rege vel duce.

Pag. 239. Sylb. 460.

Παῖδα δὲ Περεῖ ἄρρενα μὲν φασιν οὐδένα, Νέαιραν δὲ γενέσθαι θυγατέρα, ταύτην γυναῖκα ἔσχεν Αὐτόλυκος.	*At Pereo nullam fuisse virilem prolem ajunt: filiam habuisse Nearam, quam Autolycus uxorem duxerit.*

At Ovidius aliter Metam. 8, qu Autolyci uxorem facit Erisichtonis

thonis filiam, aliter & Apollodorus, qui Neæram Perei filiam ait nupsisse Aleo, ex qua nata est Auge mater Telephi, quod ut cum Pausania concordet, potest dici & Autolycum duas habuisse uxores, & Neæram duobus nupsisse viris.

Ibidem.

Ἀλεῷ δὲ ἄρσενες μὲν παῖδες Λυκοῦργος, καὶ Ἀμφιδάμας.	*Mares habuit liberos Aleus Lycurgum, & Amphidamantem.*

Rursus in diversum trahit Apollodorus, qui Amphidamantem Lycurgi filium facit, non fratrem, nisi duo fuerint Amphidamantes.

Pag. 242. Sylb. 468.

Βοῇ πολιορκοῦντι ἄνδρα Μῆδον.	*Boën obsidenti Medum hominem.*

De hujus viri nomine jam supra diximus ad Herodotum & Plutarchum.

Pag. 243. Sylb. ibid.

Καὶ ᾀδόμενον ὑπὸ Πελληνέων ἐμιμήσατο.	*Cum ex Pellenensibus audisset, imitatus est.*

Videtur proverbialiter dictum, ᾀδόμενον ὑπὸ Πελληνέων, pro re decantata, quam nullus ignorat.

Ibidem.

Κατὰ κώμας τοὺς ἀνθρώπους διώκισε.	*Multitudinem in proximos vicos divisit.*

Ideo hæc dispersio dicta est διοικισμὸς, ut ait Suidas in Μαντινέων.

Pag. 248. Sylb. 478.

Γενέσθαι γὰρ Ἀμφιτρύωνα ἐκ Λαονόμης Ἀλκαίῳ τῆς Γουνέως, γυναικὸς Φενεάτιδος, καὶ οὐκ ἐκ τῆς Πέλοπος Λυσιδίκης.	*Amphitryonem enim Alcæo ex Gunei filia Laonome, fœmina Pheneatide, non autem ex Lysidice Pelopis genitum ferunt.*

At hæc Lysidice nupserat Electryoni secundum Euripidem, Heraclidem, Plutarchum in Theseo, & Pindari Scholiasten ad Olymp. 7.

Ibidem.

Τῷ Ὀλβίῳ, ὃν ἵνα Ἀροάνιον καλοῦσιν ἕτεροι.	*Olbius, quem alii Aroanium appellant.*

Dominicus Niger videtur hunc fluvium Naniam vocare ex Eratosthene, ut ait; unde acceperit, nescio.

Ibidem. Sylb. 479.

Ἰφικλῆς δὲ ὁ Ἰολάου πατήρ. | *Iolai pater Iphicles.*

Diodorus Siculus Ἴφικλον vocat à recto Ἴφικλος, & eum cecidisse dicit in pugna contra Hippocoontis filios, non vero in pugna contra Augeam & Molionidas.

Pag. 249. Sylb. 480.

Ἀπὸ γυναικὸς Μυρτοῦς τῷ πελάγει γεγονέναι τὸ ὄνομα.	*A Myrtone puella nomen ei pelago inditum.*

Plinius lib. 4 cap. XI aliter sentit: ait enim à quadam parva insula nomen accepisse hoc mare, quæ videtur à Geræsto Macedoniam petentibus.

Pag. 254. Sylb. 490.

Ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ ὄρος Κνάκαλος.	*Est etiam apud illos mons Cnacalus.*

Hunc Cnacalum montem Ortelius putat eundem esse cum Cnacadio, de quo Pausanias supra paginis 107 & 108. Sed maximo errore, cum hic sit prope Carphyas in Arcadia Septentrionali, Cnacadius vero prope Gythium ad mare Laconicum Meridionale.

Pag. 255. Sylb. 491.

Ἔρυκος τοῦ ἐν Σικανίᾳ δυναστεύσαντος παῖδα εἶναι τὴν Ψωφῖδα, ἣν ἐς τὸν οἶκον οὐκ ἠξίου ἄγειν .... καταλείπει δὲ ἔχουσαν ἐν τῇ γαστρί.	*Erycis principis in Sicania viri filium fuisse Psophidem: patrem, cum gravidam domo sua non dignaretur.*

Hic notavi hiatum, quem Amasæus vidit, & male supplevit; ex sequentibus enim manifestum est debere legi, οὐκ ἠξίου ἄγειν Ἡρακλῆς. Non opus est probationibus, lege lector.

Ibidem.

Ἐν πόλει Φηγίᾳ, πρὸ δὲ τοῦ Φηγέως τῆς βασιλείας Ἐρυμάνθῳ καλουμένῃ — μετέθεντο τῇ ὄνομα Ψωφῖδα ἀπὸ τῆς μητρός.	*Phegia, quæ urbs ante Phegei regnum Erymanthus dicebatur — de matris nomine Phegiam Psophidem nuncupasse.*

Ex

Ex hoc loco emendandus est Ovidii locus Metam. 2.

Et celer Ismenos cum Phocaico Erymantho.

Qui versus & in sententia & in quantitate peccat. In sententia, nam Erymanthus in Peloponneso mons & fluvius longe à Phocide Bœotiæ vicina, longissime à Phocæa in Asia sita. Phocis per ο μικρὸν scribitur, ideo si de ea intellexit, prima syllaba in *Phocaico* foret brevis. At ita non scripserat Ovidius, & ut ex hoc loco colligitur, scripserat:

Et celer Ismenos cum Psophæo Erymantho,

Et sic legendo constat sententiæ sua veritas, & metro sua mensura.

Pag. 256. Sylb. 494.

Ἐπὶ ἐρείπια Καλοῦντος κώμης, ὃ καὶ ἱερὸν Ἀσκληπιοῦ καλοῦσι πεποιημένον.	*Ad vicum cui Calunti nomen, quem vicum etiam AEsculapii fanum appellant, erectum.*

Stephanus suo tempore legebat aliter hunc locum, quem citat, & pro Καλοῦντος habet Καοῦντος & pro καλοῦσι Καούσιον, nec dubium est τὸ καλοῦσι esse à mala manu corruptum pro Καούσιον: utrum vero apud Stephanum an in hoc loco mendum sit, dubium est. Sed & pro ὃ καὶ ἱερὸν, si mihi credis, leges ᾗ, vel οὗ καὶ ἱερὸν, id est, *ubi sacellum.*

Ibidem.

Ὁ μὲν δὴ οἶκος Ἀπόλλωνος ἐστὶ κατὰ τὴν φήμην.	*Hanc quidem ædem Apollinis fuisse fama proditum.*

Sic vertit Amasæus. Sed οἶκος improprie diceretur de Dei æde; vitiosa est hæc scriptura. Lege confidenter: ὁ μὲν δὴ Ὄγκος Ἀπόλλωνος ἐστὶ κατὰ τὴν φήμην, id est, *at certe Oncus Apollinis est filius, ut fama est.* nam sic legendum esse evincit, quod sequitur: [1] καὶ ἐν τῇ Θελπουσίᾳ περὶ τὸ χωρίον ἐδυνάστευε τὸ Ὄγκιον. Nam Ὄγκιον locus à domino & conditore Ὄγκῳ denominatus fuit.

[1] *Et in Thelpusia circa locum Oncium dominabatur.*

Pag. 257. Sylb. 495.

Τὰ δὲ ἀγάλματά ἐστι τὰ ναοῦ ξύλου, πρόσωπα δέ σφισι καὶ χεῖρες ἄκραι καὶ πόδες εἰσὶ Παρίου λίθου.	*Signa ejus templi, os, summas manus, & imos pedes è Pario marmore habent; reliqua lignea.*

Lego, τὰ δὲ ἀγάλματα ἐστὶ τὰ ἐν ναῷ ξύλου, πρόσωπα δὲ καὶ χεῖρες ἄκραι Παρίου λίθου, id est, *simulachra vero, quæ sunt in templo, ex ligno facta sunt:*

ſunt: ſed facies & manus extremæ & pedes ſunt ex marmore Pario. Scilicet facies & manus & pedes cutem nudam repræſentabant, ideo ex marmore candicante fiebant, cætera velabantur. Talia ſimulachra ob eam cauſam Vitruvius vocat ἀκρόλιθα, lib. 2 cap. 8.

Pag. 258. Sylb. 498.

Τῆς πόλεως δὲ οἰκιστὴς Ἐπαμινώνδας σὺν τῷ δικαίῳ καλοῖτ' ἄν.	*Coloniæ vero auctor Epaminondas jure optimo vocetur.*

Bene eſt, quod ait tantum, *jure vocari poteſt Epaminondas urbis illius conditor*, nam ſi dixiſſet *fuit*, non vacaſſet culpa: ex Diodoro enim diſcimus, eam urbem fundatam fuiſſe ab aliis, abſente Epaminonda, vide quæ notavi ſupra ad Diodorum pag. 50.

Ibidem.

Παρὰ δὲ Αἰγυπτίων καὶ Σκιρτώνιον.	*Ab AEgienſibus Scirtonium.*

Hunc locum, ubi recenſio fit urbium, quæ colonos dederunt Megalopoli, erroribus ſcatentem correxerunt partim Amaſæus in ſua verſione, Sylburgius melius in ſuis notis. Sed ambo in *correctione* vocis Αἰγυπτίων impegerunt. Amaſæus legit Αἰγιέων, ſed toto cœlo errat, nec opus eſt verba perdere in eo refellendo. Plus coloris habet Αἰπυτίων, quod præfert Sylburgius, nam Αἰπὺ vel Αἴπυον urbs equidem fuit, ſed Triphyliæ proprie, non Arcadiæ, & ſatis longe à Megalopoli. Itaque mallem legi Αἰγυτίων minima mutatione: nam Αἶγυς regiuncula fuit vicina Megalopolitidi. At opponetur, eam Laconiæ accenſeri, non Arcadiæ: ita quidem erat ante Leuctricam pugnam, ſed poſt eam & Laconiæ vaſtationem ab Epaminonda factam, multi ad Bœotos & Arcadas defecerunt, ut nos docet Plutarchus in Ageſilao: πολλοὶ τῶν τεταγμένων ἐς τὰ ὅπλα περιοίκων καὶ Εἱλώτων ἀπεδιδράσκον ἐκ τῆς πόλεως πρὸς τοὺς πολεμίους, id eſt, *multi eorum, qui in armis erant, cum ex circumvicinis tum ex Helotis ex urbe ad hoſtes aufugerunt*. Itaque ſi ab ipſa urbe deficiebant, multo magis credere eſt defeciſſe eos, qui vicini Arcadiæ & Megalopoli recenter conditæ hoſtilia ab illis quotidie patiebantur, & paſſuri fuiſſent. Tum Αἰγυτίων magis accedit ad editam lectionem, ideo eam prætuli. Sed de hoc infra rurſus agendum erit ad pag. 265.

Pag. 259. Sylb. 500.

Καὶ τοῦ βασιλέως Κλεομένους ὁ πρεσβύτατος τῶν παίδων Ἀκρότατος.

Acrotato Cleomenis filiorum natu maximo.

Peccat in Chronologiam Pauſanias hoc loco. Melius Plutarchus, qui Acrotato Arei filio, Acrotati nepoti, Cleomenis pronepoti id factum tribuit in vita Agidis & Cleomenis. Nam Ariſtodemus erat tempore Antigoni Tutoris & Philopœmenis, quo prætore occiſus eſt Ariſtodemus: Acrotatus vero Cleomenis multo auſterior, utpote cujus Cleonymus frater junior Pyrrhum regem in Peloponneſum accerſivit, ut ait ſupra Pauſanias ipſe in Laconicis. Iterum in eundem ſcopulum impegit infra p. 262.

Pag. 265. Sylb. 510.

Ἐκ Μαντινέων δὲ ὁδὸς ἐπὶ τὸν Ἀλφειὸν ὁπόσον πέντε σταδίων καὶ δέκα.

A Mantineatibus ad Alpheüm via XV. *ferme ſtadium ducit.*

Fœdiſſimum meo judicio mendum hunc locum occupavit, qui & turbat totam Peloponneſi χωρογραφίαν. & Sophianum in errorem forte impulit, ut Mantineam in ſua mappa (ſi tamen eam exaravit) peſſime locaret. Lege ἐκ Μανίων δὲ ὁδὸς, ſic legendum ex ſuperioribus patet, ubi noviſſime dixit: [1] καὶ τὴν χώραν τὴν περὶ τὸ ἱερὸν Μανίας καλοῦσι. Tum quæ ad Mantineam pertinent, pridem abſoluta fuerunt ſupra, nec cauſa eſt, ut iterum de ea agat, nec unquam nomen Mantineæ in plurali uſurpatum.

[1] *Et regionem, quæ eſt circa templum, vocant Manias.*

Ibidem.

Τούτῳ μὲν δὴ αἱ πηγαὶ γῆς εἰσὶ τῆς Αἰγυπτίδος.

Et hujus quidem fontes in AEpytide terra ſunt.

Amaſæus & Sylburgius rurſus hoc loco legunt Αἰπυτίδος, ideo rurſus de emendatione quam paulo ſupra pag. 258 protuli, dicendum eſt. Nam rurſus & hoc loco cenſeo legendum Αἰγυτίδος. Αἰγὺς regio fuit Laconiæ quidem, ſed in Arcadiæ limite, ut ait Strabo lib. 10. Κάρυστος δ' ἐστὶ καὶ ἐν τῇ Λακωνικῇ τόπος τῆς Αἰγύος πρὸς Ἀρκαδίαν, id eſt, *Caryſtus autem etiam eſt locus Ægyi in Laconica Arcadiam verſus.* Megalopolis vero fuit urbs Arcadiæ verſus Laconiam, ut ex Plutarcho in Cleomene liquet. Ergo nihil eſt incommodi in eorum ſententia, qui putant Carnionem fluvium (qui non longe à Megalo-

poli in Alpheum influit) ab Ægytide fluere regione vicina. At si Αἰπυτίδ@ recipias, hæc incommoda occurrunt. Αἰπὺ vel Αἴπυον, à quo regio Αἰπύτις dicta foret, urbs fuit in Triphylia longissime à Megalopoli sita, & Lycæo monte intercedento, unde non potest concipi fluvium Carnionem manantem retro Megalopolin versus in Alpheum influere contra decursum fluminis: nam Alpheus à Megalopoli per Arcadiam means & Elidem in mare exit non longe à Triphylia, maritima regione, & per consequens Arcadia depressiore, quæ mare non attingebat, & in qua erant Alphei fontes. His rationibus ductus censeo legendum Αἰγυτίδ@. Nam quod ad Αἰπύτε τάφον attinet, regiones non denominantur à sepulchro quodam, sed potius ab urbe vel à situs natura. Ortelius vult ubique retineri Αἰγυπτίων, & Αἰγυπτίδ@, eo quod apud Stephanum legitur: Ἦλις πόλις πρὸς τῇ Αἰγυπτίᾳ Ὀλυμπία. Sed quoniam ipse Stephanus in Ὀλυμπία nequaquam eam Ægyptiam vocat, credendum est mendosam esse vocem, & male repetitam ex superiore capite, ubi Ἦλις πόλις Αἰγύπτε legitur. Sed satis superque est de ea voce.

Ibidem. Sylb. 511.

Σκία τε καλέμενον χωρίον. | *Ad Scian.*

Legendum Σκίας, ut vult Sylburgius. Sed non ex solo Stephano id asseritur; ecce enim antiquum epigramma extat in Anthologia lib. 1 cap. εἰς θάνατον, cujus Lemma: εἰς Τέρπλω τὸν κιθαρῳδὸν ἐν Σκιάδι τῇ Λακωνικῇ σύκῳ βληθέντα, id est, *In Terpem Citharœdum, qui in Sciade Laconica ictus est ficu*, & in ipso epigrammate,

[1] Τέρπης δὲ φόρμιγγα κρέκων Σκιαδηνὸν ἀοιδός.

[1] *Terpes optime pulsans phormingem Sciadiorum cantor*

Pag. 266. Sylb. 512.

Ἑξῆς ἢ (ἐμοὶ δοκεῖ) καλέμενον. | *Dehinc (uti mea fert opinio.)*

Corruptus locus, quem Amasæus mutavit, & pro καλέμενον legit καὶ ἄλλαι πόλεις. Sed quid esset ἐμοὶ δοκεῖ? ego puto in ἐμοὶ δοκεῖ καλέμενον latere nomen proprium cujusdam loci, quod divinare non potui.

Ibidem. Sylb. 513.

Τὸν ποταμὸν τὸν Μολοττόν. | *Molossum amnem.*

Lege, ut paulo supra, Μαλοιτᾶν.

Ibidem.

Ἑξῆς ἢ Οἰκλέυς τε Ἀμφιαρέω πατρὸς μνῆμα ἐςίν.	*Proximo loco est Oiclei Amphiarai patris sepulcrum.*

Credo

Credo ex homonymia deceptos enarratores causam fuisse dubitationis Pausaniæ. Nam fuit etiam Ὀικλῆς quidam Areas, de quo Apollodorus lib. 3, cujus, ut credo, fuit monumentum, de quo hîc sermo.

Pag. 268. Sylb. 517.

Ἀνακινηθέντος δὲ τοῦ ὕδατος ἄνεισιν ἀχλὺς ἐοικυῖα ὁμίχλῃ· διαλιποῦσα δὲ ὀλίγον γίνεται νέφος ἡ ἀχλὺς &c.

Existit repente commotâ aquâ ater halitus nebulæ persimilis; neque ita multo post nubes inde attollitur.

Ne quis pro fabula ducat hanc narrationem. Nam & in Pyrenæis montibus in quodam lacu non magno idem fit & hodie, quod Pausanias asserit fieri in Agno fonte.

Pag. 270. Sylb. 520.

Ὡς γὰρ δὴ πρὸς τὸν καταλειπόμενον ἔτι τῶν ἀνταγωνιστῶν ἐμάχετο ὑπὲρ τοῦ κοτίνου, ὁ μὲν προέλαβεν ὅστις δὴ ὁ ἀνταγωνιζόμενος, καὶ τοῖς ποσὶ τὸν Ἀῤῥαχίονα εἶχεν ἐζωκώς, καὶ τὸν τράχηλον ἐπίεζεν ἅμα αὐτοῦ ταῖς χερσίν, ὁ δὲ Ἀῤῥαχίων ἐκκλᾷ τῶν ἐν τῷ ποδὶ τοῦ ἀνταγωνιζομένου δάκτυλον, καὶ Ἀῤῥαχίων τε τὴν ψυχὴν ἀφίησιν ἀγχόμενος, καὶ ὁ ἄγχων τὸν Ἀῤῥαχίονα ὑπὸ τοῦ δακτύλου τῆς ὀδύνης, κατὰ τὸν καιρὸν ἀπαγορεύει τὸν αὐτόν. Ἠλεῖοι δὲ ἐστεφάνωσάν τε καὶ ἀνηγόρευσαν νικῶντα τοῦ Ἀῤῥαχίονος τὸν νεκρόν.

Cum enim victis aliis adversariis, unus quocum de oleastro certaret relictus esset, ille eodem impetu, & pedibus preventum Arrachionem incinxit, & manibus collum obstrinxit. Ejus digitum Arrachion pedis infregit, & dum strangulatus jam animam ageret, præ digiti dolore adversarius eodem temporis momento corruit. Elei itaque Arrachionis cadaveri victoriam & coronam præconis voce adjudicarunt.

Sic Amasæus, sed pessime ἀπαγορεύει vertit *corruit*, tamquam si ἔπεσε scripsisset Pausanias. Hæc eadem historia narratur ab Eusebio in Chronico primo, qui locus quoniam emendatione eget, & facit ad

ad hunc Pausaniæ locum illustrandum, hic apponetur. Sic igitur habent Græca Eusebii pag. 150 editionis Scaligerianæ secundæ. Ἀῤῥιχίων Φιγαλεὺς τὸ τρίτον νικῶν παγκράτιον, πνιγεὶς ἀπέθανεν, νεκρός τε ἐστέφθη, φθάσαντος ἀπειπάσθαι τοῦ ἀνταγωνιστοῦ Κλεομένους * τοῦ ποδὸς αὐτοῦ, id est, *Arrichion Phigaleus cum tertium vinceret paucratium, suffocatus interiit, & mortuus coronatus est, cum adversarius paulo ante animum despondisset * pede ipsius* &c. Asterisco jure notatus est hic locus post vocem Κλεομένους, & Josephus Scaliger eum locum mutilum putavit, & supplet δακτύλου κατακλασθέντος. At minima mutatione locum illum non mutilum, sed mendosum restituo, & lego: κλωμένου τοῦ ποδὸς αὐτοῦ, id est, *fracto pede suo.* Nam nisi ita legatur, ea ultima verba τοῦ ποδὸς αὐτοῦ nullum exhibent sensum: at ita legendo omnino quadrant, & si Cleomenes vocatus fuisset ille adversarius Arrichionis, Pausaniæ curiositatem non effugisset. Sed nomen ejus ignorabatur tempore Pausaniæ, & ideo utitur his vocibus, ὅστις δὴ ὁ ἀνταγωνιζόμενος, id est, *quicumque ille erat adversarius.* Nec inter celebres athletas ab ullo memoratus est Cleomenes ille, & Arrichionis statuæ noluerunt inscribere illius antagonistæ nomen Phigalenses, ne illi, qui cive tam celebri eos privaverat, gloriam conciliarent. Cæterum non opus erat conjecturis aut probationibus. Nam ecce apud Syncellum legitur, ut conjiciebam: κλωμένου τοῦ ποδὸς, quæ verba ut & cætera, quæ de eo hoc loco dicuntur, accepit proculdubio ab hoc Pausaniæ loco. Sed cum superiora annotabam, nondum editus erat Syncellus. Cæterum ad illum Eusebii locum sic commentatur Scaliger, & locum hunc Pausaniæ, de quo agitur, laudat & interpretatur sic: *Arrichion Philostrato, Arrachion Pausaniæ dicitur in Arcadicis, qui mirabilem ejus Pancratiastæ exitum refert. Quum de palmario cum antagonista suo certaret, ab eo comprehensus, & humi allisus pedibus per mutua nexis, brachio in guttur Arrichionis immisso, jam agens animam, adversarii prius pollice pedis confracto, ab eo suffocatus animam edidit. Adversarius mox impatientia doloris ex digito pedis confracto & ipse expiravit.* In qua interpretatione id mihi mirum videtur, quod τὸ ἀπαγορεῦσαι Pausaniæ & τὸ ἀπείπασθαι Eusebii de morte intelligit, & vertit *expiravit.* At aliud mihi significare videtur ἀπαγορεύειν & ἀπείπασθαι, quæ duæ voces idem significant, nempe *animum despondere*, *contentioni renunciare*, & *cedere adversario*, non vero *mori.* Id autem significabant athletæ exerto digito. Tum impossibile est virum bene se habentem ob digitum fractum statim interiisse, & cum locus Eusebii habeat φθάσαντος, qui aoristus significat

ficat adversarium Arrichionis prius animum despondisse, & cessisse victoriam, quam de morte adversarii constitisset, non videtur Scaliger bene hoc loco usus voce *mox*, cum vertere debuisset *paulo ante*. Nam licet Pausanias dixerit κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, necessario intelligi debet, ut Eusebius dixit. Nam si mortuus fuisset Arrichion, non potuisset tanto dolore afficere antagonistam, ut ab eo victi confessionem extorsisset. Igitur ea de causa coronatum est Arrichionis cadaver, quod ab adversario victoriæ cessionem extorserat, non quod expiraverat, & si morte amborum finitum fuisset certamen, nulla fuisset causa, cur potius Arrichioni quam adversario corona & bravium adjudicatum fuisset. Cæterum notanda est in loco Eusebii vox ψιλιωθεὶς, quæ raro occurrit: in aliis ejusdem Eusebii fragmentis legitur ψιλωθεὶς, sed sensu incommodo: nam quis crederet in pancratio, ubi de vita & morte agebatur, quendam athletam ita stolidum fuisse, ut in capillis adversarii vellendis tempus tam præceps & periculosæ aleæ plenum impendere voluisset, at illud significat ψιλωθεὶς, id est, *depilatus*. Apud Hesychium certe legitur ψιλίοις, πλαγίοις, ὑπτίοις, an ex hoc ultimo significatu factum fuerit ψιλίζομαι pro ὑπτιάζομαι, *supinor*, cogitandum. Id videtur putasse Scaliger, qui vertit *humi allisus*: ea significatio non male conveniret, si auctoritas accederet. Id ergo propono, nihil decerno.

Ibidem. Sylb. 521.

Ἀναχόντος δὲ ποιεῖ τοῖς δακτύλοις ὑπὸ τὴν πλευράν.	*Cum manum immotam sustineret, infestis digitis partem eam alvi petiit, quæ infra costas est.*

Hoc factum Cleomedi Astypalæo tribuit Oenomaus apud Eusebium præpar. Euang. lib. 5, qui eodem modo Iccum Epidaurium dicitur occidisse, ut jam supra notavi ad Heliaca, pag. 186.

Pag. 271. Sylb. 522.

Τῶν Φιγαλέων δὲ ἤκουσα ὡς χρυσαῖς τε τὸ ξόανον ἁλύσεις καὶ εἰκὼν γυναικός.	*Audivi de Phigalensibus aureis catenis revinctum esse fœminea facie.*

Inter ἁλύσεις & γυναικὸς deest, ut reor, κατέχουσι, aut tale quid.

Ibidem.

Προβεβλημένον ἐστὶν ὄρος αὐτῆς τὸ Ἔλαιον.	*Mons imminet, qui Elaius vocatur.*

Gyraldus in tertio Deorum legit τὸ Ἔλγον, ut ait Ortelius in Ἔλαιον.

Pag. 273. Sylb. 525.

Εὔανδρον παῖδα δὲ αὐτὸν Νύμφης εἶναι θυγατρὸς τοῦ Λάδωνος.	*Evandrum narrant Nymphæ Ladonis filia genitum.*

Alii vero Euandrum Echini Arcadis & Timandræ Thestii filiæ filium fuisse dicunt, ut Servius ad Æneid. 8 versu 130.

Pag. 275. Sylb. 530.

Τοῦ δὲ ὑὸς τῶν ὀδόντων κατέχεσθαι μὲν τὸν ἕτερον, οἱ ἐπὶ τοῖς θαύμασιν.	*Ex apri dentibus alterum effractum dicunt ii, quorum curæ sunt ejusmodi miracula.*

Hæc ita Latine Amasæus vertit. Legit nimirum καταγῆναι pro κατέχεσθαι, & id vehementer probo. Sed in reliquis puto unius litterulæ defectu, & aspirationis abundantia, locum male affectum non intellexisse Amasæum. Lego: καταγῆναι τὸν ἕτερον οἱ ἐπὶ τοῖς τραύμασι, id est, alterum ei effractum fuisse in vulneribus, nempe in venatione, dum ille violenter impingit vulnera venatoribus & canibus, ut Ancæo, fregit unum è dentibus.

Pag. 276. Sylb. 532.

Γυναικόθοιαν.	*Gynæcothæan.*

Sylburgius legit γυναικοθοίναν. Idem sentit & Henricus Stephanus in appendice ad Dicæarchum.

Pag. 277. Sylb. 533.

Ὁ πατὴρ οἱ Κραῦγις, &c.	*Pater ei Craugis.*

Mira in nominibus diversitas in tota hac historia. Qui Pausaniæ hîc Craugis ter repetito nomine, Plutarcho est Crausis: & qui paulo infra apud Pausaniam Κλέανδρος, Plutarcho est Κάσσανδρος: ii, qui paulo inferius Μεγαλοφάνης & Ἔχδηλος, Plutarcho sunt Δημοφάνης & Ἔχδημος. Suidas modo cum Pausania, modo cum Plutarcho, ut qui ab ambobus accepit, quæ scripsit.

Pag. 278. Sylb. 536.

Μετὰ δὲ ταῦτα Νάβις — τελευτᾷ — ὑπὸ ἀνδρὸς Καλυδωνίου.	*His ita gestis Nabis -- à Calydonio homine — est interemptus.*

Viri nomen fuit Alexamenes, qui Nabin occidit, ut Tit. Livius Decad. 4 lib. 5.

Pag. 281. Sylb. 542.

Δήμητρος ἐν τῷ ἄλσει τῶν δρυῶν ναὸς ἐκ Κορυθέων καλουμένης.	*In eo querceto templum est Cereris cognomine Corythensis.*

Τὸ ἐκ Κορυθέων mihi omnino ignotum est. Sylburgius & Amasæus tentarunt aliquid dicere, sed sine auctoritate. At ego malo silere & ignorantiam fateri.

Ad Lib. 9. Bœotica. Pag. 282. Sylb. 543.

Ὄνομα δὲ φασὶν ἀπὸ Πλαταιᾶς, ἣν θυγατέρα εἶναι τοῦ ποταμοῦ νομίζουσι.	*Nomen illis inditum putant à Platæa amnis filia.*

En tibi alteram etymologiam nominis ejus urbis solito Græcis more, qui Heroas aut Heroïnas fingunt identidem, quando eo opus est. Non repetam quæ super eo dixi supra ad Strabonem pag. 406. videsis eum locum.

Ibidem. Sylb. 544.

Ἠλπίσαντο γὰρ τοὺς Θηβαίους πανδημεὶ καὶ ἅμα ἐπὶ πλεῖστον εἰώθεσαν βουλεύεσθαι.	*Conciones illi & alias frequentes ex omni populi parte celebrari soliti erant.*

Hujus loci Amasæus non versionem fecit, sed paraphrasin, de qua non mihi constat omnino cum sententia auctoris eam concordare. Sylburgius mutat ἅμα in καθ' ἃ, non incommode. Sed puto excidisse particulam ὡς, & lego per parenthesin (ὡς ἐπὶ πλεῖστον εἰώθεσαν) ut sit sensus: *sperabant in Thebanos cum omni populo & simul (ut sæpius solebant facere) consultaturos.*

Pag. 283. Sylb. 545.

Διός ἐστιν Ἐλευθερίου βωμός. τούτων μὲν δὴ χαλκοῦ, τοῦ	*Ara dicata fuit Iovi Eleutherio. Sepulcrum quidem ex*

Διὸς δὲ τὸν τε βωμὸν καὶ τὸ ἄγαλμα Παρίου λίθου. | are factum, Iovis ara & signum è candido lapide.

Desunt, ut mihi videtur, nomina quorundam Deorum inter βωμοὺς & τούτων.

Pag. 285. Sylb. 549.

Οὕτω τὴν Καδμείαν ἀκρόπολιν συνέβη τῶν κάτω γενέσθαι Θηβῶν. | Sed aucta postea urbe inferioribus mœnibus pro arce Cadmea fuit.

Bene meo judicio vertit Amasæus. Suggillat tamen eam interpretationem Henricus Stephanus in notis ad Dicæarchum, & τῶν κάτω Θηβῶν vult intelligi non de inferiore loco, sed de tempore, in quo mihi videtur non suo more agere, certe Amasæum hoc loco sequi malo.

Pag. 286. Sylb. 552.

Τοῦ δὲ Ξάνθου, ὃν Ἀνδρόπομπος μονομαχήσαντα οὐ δόλῳ καὶ οὐ σὺν δικαίῳ κτείνει. | Xanthus, quem Andropompus in singulari certamine non virtute sed dolo perculit.

Sylburgius vidit hunc historicum errorem, & vult scribi ἐν Μελάνθος ὁ Ἀνδροπόμπου. Sed minima mutatione credo legendum esse ὁ Ἀνδροπόμπου. Sic enim amat fieri in elegantiore Hellenismo in re omnibus nota: ὁ Σωφρονίσκου pro Socrate, ὁ Ἀρίστωνος pro Platone, ὁ Νεοκλέους pro Themistocle, ὁ Κλεινίου pro Alcibiade.

Pag. 287. Sylb. 553.

Καὶ τοὺς παῖδας Ἀλεξάνδρου τόν τε ἐκ Βαρσίνης Ἡρακλέα — ἀπέκτεινεν. | Et Alexandri filios Herculem ex Barsine — peremit.

Adde ad ampliorem historiæ notitiam, [1] ὑπηρετήσαντος αὐτῷ τοῦ Πολυσπέρχοντος, ὃς τὸν Ἡρακλέα ἀνεῖλεν ἐν Τραμπύῃ τῆς Ἠπείρου πρὸς δεῖπνον καλέσας, Lycophron pag. 126, & ibi Tzetzes.

[1] *Ministro cædis Polysperchonte, qui Herculem sustulit è medio Trampya Epiri urbe, cum eum ad cœnam invitasset.*

Pag. 289. Sylb. 557.

Εἰκόνας Ἡνιόχης εἶναι, τὴν δὲ Πύῤῥας λέγουσι, θυγατέρας δὲ αὐτὰς εἶναι Κρέοντος. | Effigies esse dicunt Heniochæ & Pyrrhæ filiarum Creontis.

Hesiodus

Hesiodus in scuto Herculis Heniochen Creontis uxorem facit, ut & auctor brevium Schol. ad Iliad. ξ, sed potuit & in filia matris nomen repetitum fuisse.

Pag. 290. Sylb. 559.

Ἀποπνιγῦντα δὲ ἐξένεγκεν ὁ κλύδων ἐς τὴν Περγάμου νῆσον ἔτι οὖσαν ἀνώνυμον.	*Sub undis enectum maris æstu delatum in insulam juxta Pergamum.*

Ita vertit Amasæus, & mirum est siluisse ad tale ἀτόπημα Sylburgium talem virum. At in proclivi erat emendare & legere: τὴν πρὸ Σάμου νῆσον. Lippis & tonsoribus notum est Icariam esse Samo insulæ vicinam, & Pergamum urbem esse Mysiæ mediterraneam longe à mari sitam, & longissime ab Icaria. Ideo de ea emendatione, quin sit vera lectio, non est dubitandi ratio.

Pag. 300. Sylb. 577.

Ὄλμον τὸν Σισύφου.	*Holmo Sisyphi filio.*

Lege Ἅλμον, nam sic supra pag. 47, & infra etiam pag. 310, & ideo etiam superius in primo versu, ubi legitur Ὀλμῶνες, legendum est cum Ortelio Ἁλμῶνες, ut infra pag. 309.

Ibidem.

Πόλισμα ἐστὶ Κορσεία.	*Est oppidum Corsea.*

Stephanus legebat suo tempore Κορσία, sed verum nomen fuit in plurali Κορσεῖαι, ut Demosthenes & Scylax & Diodorus.

Pag. 301. Sylb. 580.

Τὸ ὄρος ἐστὶν, ὅθεν τὴν Σφίγγα λέγουσιν ὁρμᾶσθαι.	*Est mons, unde Sphingem fama fuit erumpere solitam.*

Verum nomen montis Φίκιον vel Φίκειον, licet alii aliter scribant. Vide Hesiodum in scuto Herculis, Aristidem in Ægyptiaca, Apollodorum lib. 3, Lycophronis Scholiasten, & alios.

Pag. 302. Sylb. 581.

ἵνα ἐπὶ τοῖς δρωμένοις Λυκομήδαις ταῦτα ᾄδωσιν.	*Quæ Lycomedi initiis celebrandis cantarentur.*

Legendum Λυκομίδαι, ut supra Messeniacorum initio pag. 111, ubi Sylburgius vult legi Λυκοδρομίδαι, sine auctore, sed sola fultus conjectura, quod [1] ἀπὸ τοῦ Λύκου δρυμοῦ dicti fuerint; quam bene, ipse viderit: melius fecisset, si nos docuisset, qui fuerint illi Lycomidæ, & quale illorum fuit munus aut officium in republica, nam de iis

[1] *A Lyci luco.*

apud alios auctores, magnum ſilentium excepto Heſychio, apud quem legitur Λυκομίδαι γένος ἰθαγενῶν. Ex quo colligitur primo debere legi hoc loco Λυκομίδαι non Λυκοδρυμίδαι, ut cenſet Sylburgius. Secundo Lycomidas illos fuiſſe Athenis: nam vox ἰθαγενεῖς maxime de Athenienſibus frequentatur, ut & ea terminatio. Sic Βρυτίδαι ὄνομα γένους Ἀττικοῦ. Suidas, Ἡσυχίδαι γένος Ἀθήνησιν ἰθαγενῶν. Ζευξαντίδαι γένος ἰθαγενῶν παρ' Ἀθηναίοις. Διογενίδαι γένος Ἀθήνησιν ἰθαγενῶν. Κεφαλίδαι γένος Ἀθήνησιν. Κήρυκες γένος ἰθαγενῶν. Κηφισιεῖς γένος ἰθαγενῶν. Κολλίδαι γένος ἰθαγενῶν. Κωνίδαι γένος Ἀθήνησι. Μεδοντάδαι (qui aliis Μεδοντίδαι) οἱ ἀπὸ Μέδοντος Ἀθήνησι. Φυταλίδαι γένος τι Ἀθήνησι. Χιμαρίδαι γένος τι Ἀθήνησιν. Εὐνεῖδαι γένος Ἀθήνησι κιθαρισῶν. Hæc omnia Heſychius habet, & hoc ultimum Etymologicum habet etiam ſic: Εὐνεῖδαι γένος Ἀθήνησι μουσικόν. Ex aliis auctoribus plura poſſent coacervari, ſed hæc, ut credo, ſufficiunt. Unde vero dicti fuerint iſti Lycomidæ, id me latet. Plures fuerunt Heroës, qui nomen habebant Λύκος, & inter Athenienſes heroas celebratur Λύκος ὁ Πανδίονος, à quo celebre illud & decantatum Lyceum in agro Athenienſi nomen habuiſſe ſcribit Pauſanias in Atticis. Sed ab eo Λυκίδαι, non Λυκομίδαι, formaretur. Fuerunt & quidam nomine Λυκομήδης inſigniti, ut Lycomedes Creontis, de quo Homerus Iliad. ι, & Iliad. τ, ſine notatione patriæ: & Lycomedes Scyri inſulæ rex, apud quem delituit Achilles. Sed ab iis formaretur Λυκομηδίδαι. Ideo non videntur ab iis heroibus denominatos fuiſſe eos Lycomidas. De Lycomo vero, à quo formaretur ſecundum analogiam *Lycomidæ*, nullibi, quod ſciam, facta eſt mentio. Itaque lucem aliunde afferre huic Pauſaniæ loco fateor me non poſſe, & aliis libenter lampadem criticam trado. Tantum ex hoc loco conjicio, fuiſſe Lycomidas quandam gentem Athenis, quæ præſidebat quibuſdam ſacris, quæ in honorem Cupidinis τοῦ Ἔρωτος fiebant, & poſt ſacra celebrata hymnos & cantilenas in ejus honorem à Pampho & Orpheo compoſitas canebant. Si tamen aliquis pertendat, id Theſpiis debere fieri, non multum repugnabo.

Pag. 307. Sylb. 592.

Κέκροπος τοῦ Πανδίονός ἐστιν ἡρῷον. | *Cecropis Pandionis F. heroica cella.*

Pauſanias à ſeipſo diſſentit: ſupra enim pag. 5 illum Cecropem non Pandionis filium facit, ſed Erechthei, & melius (credo) hoc

loco sentit ob rationes loco citato supra allegatas, & consentit Eusebius in Chronico, & Syncellus etiam.

Pag. 310. Sylb. 597.

Τέλος δὲ καὶ ἐπὶ τὸ ἱερὸν συλήσοντες στρατεύουσι τὸ ἐν Δελφοῖς.	*Postremo arma converterunt sua ad Apollinis Delphici fanum diripiendum.*

Adde [1] Εὐρυμάχου ἡγουμένου τοῦ Φλεγυῶν βασιλέως, ut docet Pherecydes apud Didymum ad Iliad. ν.

Ibidem.

Τούτῳ δὲ υἱὸς γίνεται Χρύσῃ Μινύας, καὶ ἀπ' αὐτοῦ Μινύαι καὶ νῦν ἔτι, ὧν ἦρχεν, ὀνομάζονται.	*Hujus Chrysæ filius fuit Minyas, à quo ii, quibus imperavit populi hac etiam ætate Minyæ nominantur.*

Apollonii Scholiastes aliter hoc stemma deducit ad 1 Argonaut. [2] Ὀρχομενοῦ δὲ καὶ Ἑρμίππης τῆς Βοιωτοῦ γίνεται Μινύας ἐπίκλησιν, φύσει δὲ Ποσειδῶνος, ὃς ᾤκει ἐν Ὀρχομενῷ, ἀφ' οὗ ὁ λαὸς Μινύαι ἐκλήθησαν. Eum vide, ubi fuse totam genealogiam recenset. Sed nota in eo loco Apollonii Scholiastæ unius vocis transpositionem, & lege: γίνεται Μινύας φύσει, ἐπίκλησιν δὲ Ποσειδῶνος. Nam sic rationi consentaneum est, & sic semper apud auctores legitur, sic Pausanias ipse supra in Messeniacis: [3] Νηλέα τὸν Κρηθέως, Ποσειδῶνος δὲ ἐπίκλησιν. Et Heliacorum I: [4] εἶναι γὰρ φασὶν καὶ Ἀέθλιον Αἰόλου, Διὸς δὲ ἐπίκλησιν.

Ibidem Sylb. 598.

Τὸ δὲ ἀξίωμα τῶν Μινυῶν ἐπὶ τοσοῦτον ἤδη προήκετο, ὥστε καὶ Νηλεὺς ὁ Κρηθέως βασιλεύων Πύλου γυναῖκα ἔσχεν ἐξ Ὀρχομενοῦ Ἄωριν Ἀμφίονος τοῦ Ἰλασίου.	*Eo jam Minyarum nomen dignitatis profectum fuerat, ut & Neleus Crethei filius Pyli rex, ex Orchomeno uxorem Aorin Amphionis ex Hilasio geniti filiam duxerit.*

Recte Sylburgius cum Hartungo pro Ἄωριν legit Χλῶριν, sed & pro Ἰλασίου legere debebat Ἰασίου ex Homero Odyss. λ. Cæterum & intactam reliquerunt difficultatem, quæ ex hoc loco emergit. Nam quomodo quadrat, Neleum Crethei filium, Æoli nepotem, duxisse uxorem è Minyæ posteris? quippe numeremus, Cretheus & Sisyphus

[1] Eurymacho duce Phlegyarum rege.

[2] Orchomeni & Hermippes Bœoti filia genitus est Minyas cognomento: natura vero Neptuni filius, qui Orchomeni habitabat, à quo Minyæ natio vocata est.

[3] Nelea Crethei.... cognomento Neptuni.

[4] Esse enim dicunt Aëthlium Æoli, qui Iupiter cognominabatur.

phus fratres fuerunt, Æoli filii: ex Cretheo majore natu Neleus qui Chlorin duxit: ex Sisypho juniore Almus; ex Almo Chrysogenia, ex qua & Neptuno Chryses: ex Chryse Minyas. Tribus igitur generationibus junior fuit Minyas Neleo, & non potuit Neleus ex Minyæ posteris ducere uxorem. Vel igitur fuit Minyas aliquis antiquior, quem cum juniore confundit Pausanias, vel per ἀξίωμα τῶν Μινυῶν intelligendum est de Orchomeniis, qui Minyæ postea dicti sunt, & est πρόληψις quædam temporis, sed dura admodum & male conveniens huic loco, & quæ repugnaret vocibus ἤδη προῆκτο.

Pag. 314. Sylb. 605.

Δαιδάλου τῶν ἔργων δύο μὲν ταῦτα ἐστὶν ἐν Βοιωτοῖς, Ἡρακλῆς τε ἐν Θήβαις καὶ παρὰ Λεβαδεῦσιν ὁ Τροφώνιος.	*Ex omnibus Dædali operibus apud Bæotos duo extant, Hercules Thebis; apud Lebadenses Trophonius.*

Non dubito, quin ab enarratoribus rerum antiquarum id didicerit Pausanias, qui semper ut augustiores res suas sacras faciant, multam antiquitatem illis tribuunt. At non debuit eos sequi sine examine, & nobis tradere in suis scriptis ea, quæ consistere cum veritate non possunt. Dædalus ille statuarius decantatus (de quo procul dubio intelligit Pausanias, quando aliud cognomen non addit) vivebat tempore Ægei Athenarum regis & Minois Cretensis. Erginus Argonauta una generatione inferior tempore Herculis & Thesei, ex Ergino natus est Trophonius, & quidem jam sene admodum, ut dixit supra Pausanias pag. 311 ex oraculo, quod citat. Quod si statuam Trophonii fecit Dædalus, oportet eum id fecisse Trophonio jam viro, & famam adepto, talibus enim statuæ dicantur. Ergo non potuit Dædalus ille antiquus fecisse Trophonii statuam, nisi eum faciamus Nestore Homerico longæviorem. At non convenit decrepito seni, cujus manus tremulæ & vires imbecilles, & oculi hebetes scalprum tractare statuariorum. Sed fuerunt forte eæ statuæ Dædali Sicyonii opus, de quo supra pag. 179, & infra pag. 324. Sed enarratores eas Dædalo illi antiquo male tribuebant σεμνύνοντες τὰ ἑαυτῶν.

Ibidem. Sylb. 606.

. . . . . δὲ οἱ υἱὸν ἐνὶ μεγάροισιν ἔτικτεν.	*Hac illi natus præcelsa est editus aula.*

[1] *Hippotem filium ei educavit domi.*

Forte sic supplendus est hic versus: [1] Ἱππότην ἣ οἱ υἱὸν ἐνὶ μεγάροισιν

ϛιν ἐπιλεν. Nam Hippotes fuit Phylantis, Phylas Antiochi, Antiochus Herculis. Quod autem Phylas Antiochi fuit idem, qui duxit Lipephilem Polai, consentaneum est temporis rationi, tum ambo Heraclidæ fuerunt.

Ad Lib. 10. Phocica. Pag. 317. Sylb. 611.

Μάντις ἦν ὁ Ἠλεῖος. | *Vates erat Eleus.*

Quando nondum de eo fecit antea mentionem, ratio requirit, ut legatur, [1] *μάντις ἦν* Τελλίας ὁ Ἠλεῖος, ut ex sequentibus patet.

[1] *Augur erat Tellias ex Elide.*

Pag. 318. Sylb. 612.

Ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν κατηκοντίσθη τῶν οἰκείων.	*A suis militibus est jaculis confixus.*

Lege confidenter: καταποντίσθη. Nam Diodorus, qui accuratius eam pugnam narravit, ait Onomarchum cum suis enatare conatum fuisse ad triremes Athenienses, his verbis: οἱ δὲ φεύγοντες ῥίψαντες τὰς πανοπλίας, διενήχοντο πρὸς τὰς τριήρεις, ἐν οἷς ἦν καὶ αὐτὸς Ὀνόμαρχος. Unde concludo, non fuisse jaculis confixum à suis, qui projectis armis natabant, sed depressum & in aquis suffocatum à suis, vel iratis, ut vult noster Pausanias, vel turbatis, & seipsos sine delectu impellentibus & deprimentibus, quod magis credo.

Ibidem.

Μίμημα ἦν χαλκοῦ χρονιωτέρου, καπερρυηκότος ἤδη τὰς σάρκας.	*Pervetus effigies quadam fuit ex ære, hominis, cui diuturniore morbo carne consumta.*

Manifestum est vel mutandum esse aliquid, vel addendum. Nam quid est æs, cujus jam carnes defluunt. Itaque vel legendum est pro χαλκοῦ νεκροῦ, vel addendum post χαλκοῦ νεκροῦ, ut sit lectio, [2] μίμημα ἦν χαλκοῦ, νεκροῦ χρονιωτέρου.

[2] *Simulachrum erat æreum mortuum jam à longo tempore.*

Ibidem. Sylb. 613.

Θρακίς τε καὶ Φωκικὴ καὶ Μεδεὼν ἡ Φωκικὸς.	*Thracis scilicet, Phocica, Medeon, Phocicus.*

Non est dubium, quin sit legendum Θρακίς τε ἡ Φωκική, & id satis probavit Sylburgius. Sed quod putat Φωκικὸς dici pro Φωκικῷ συλλόγῳ, non bene putavit: nam est recensio urbium hoc loco, non vero convocationum populi. Itaque lege confidenter: καὶ Μεδεὼν ὁ Φω-

ὁ Φωκικός, quod addidit auctor ad differentiam Medeonis Bœotici, de quo Homerus, Dicæarchus, Strabo, Plinius, & alii.

Pag. 321. Sylb. 619.

Ὑάμῳ τῷ Λυκώρου. | *Hyamo Lycori filio.*

Ex hoc loco credo corrigendus Euripidis Scholiastes in Oreste, ubi legitur Ὕαατος ὁ Λυκώρεως.

Pag. 322. Sylb. 621.

Δευτέρᾳ δὲ Πυθιάδι οὐκ ἐπὶ ἄθλοις, ἐκάλεσαν ἔτι ἀγωνίζεσθαι.	*Altera jam Pythiade submoverunt præmia de certamine.*

Et ideo eam secundam Pythiadem pro prima accipiunt Chronologi, ut Eusebius, & Pindari Scholiastes, & ipse Pausanias infra pagina sequente sic videtur numerare.

Pag. 323. Sylb. 622.

Ὡς τὸ ἐξ ἀρχῆς ἀφίκοντο ἐς Δελφοὺς — καὶ ὀνομασθῆναι μὲν Ἀμφικτύονας συνελθόντας, ἐκνικῆσαι δὲ ἀνὰ χρόνον τὸ νῦν σφισιν ὄνομα.	*Iam tum ab initio Delphos convenisse — & ex eo Amphictyonum nomen exstitisse : invaluisse deinde temporis intervallo ut Amphictyones dicerentur.*

Mirum est neminem huc usque vidisse, non bene legi hoc loco Ἀμφικτύονας, sed debere legi Ἀφικτύονας. Nam ea fuit sententia Androtionis, eo quod legati civitatum, qui consessum debebant formare, ibant Delphos, ἀφίκοντο ἐς Δελφοὺς, vocatos fuisse Ἀφικτύονας, scilicet ab ἀφικέσθαι: postea vero temporis lapsu obtinuisse nomen, quo postea vocati sunt, nimirum Ἀμφικτύονας. Sic proculdubio Pausanias scripsit ex Androtionis sententia, non tamen forte vera. Nam ea mihi videtur frigida prorsus etymologia, quanto melius Hesychius, qui sic: [1] Ἀμφικτύονες περίοικοι Δελφῶν συναγόμενοι ἐπὶ Πυλαίαν Πυλαγόραι καὶ ἱερομνήμονες. Ex his verbis clare innuit, eos dictos fuisse minima mutatione quasi Ἀμφικτίονες, qui iidem sunt, qui περικτίονες & περίοικοι, ut nos docet Thucydidis Scholiastes, id est, *circum habitantes populi, Delphorum vicini*, πέριξ οἰκοῦντες, ἀμφὶ οἰκοῦντες.

[1] *Amphictyones Delphos circum habitantes, congregati ad Pylæam Pylagoræ & sacrorum memores.*

Ibidem.

Ἴωνας, Δόλοπας, Θεσσαλοὺς. &c. | *Ionas, Dolopas, Thessalos.*

Recensionem hanc paulo aliter facit Æschines in oratione de falsa legatione.

Pag.

Pag. 324. Sylb. 625.

Ἐπὶ ᾖ αὐτοῖς Τρίφυλος. | *Cumque his Triphylus.*

Hunc Τρύφαλον vocat Polybius histor. lib. 4.

Pag. 325. Sylb. ibid.

Ὁ ᾖ Ἐρ(ι)άνθης Βοιώτιος ὑπὲρ ἦ Μίμαντος.	*Erianthes Bœotius è Mimante.*

Vidit Sylburgius hujus loci defectum, & ut medeatur, sic legit: ἐκ ᾖ τ̃ ὑπὲρ ἦ Μίμαντος, quod probarem, si antea de quodam loco circa Mimantem in Asia loquutus fuisset. Sed cum de viro Bœoto proxime egerit, statim addere ἐκ δὲ τῶν ὑπὲρ ἦ Μίμαντος, non videtur convenire. Mimas enim non erat limes gentium citra Ægæum mare habitantium, ut Bœotorum: nam optime diceretur [1] ἐκ ᾖ τ̃ πέραν Αἰγαίου, quoniam Ægæum mare limes est inter Græcos Europæos & Asiaticos. Sed Mimas mons prominens in mare undequaque fere mari circumluitur, & extra peninsulam Erythræorum in terras non se insinuat, & sic non potest limes esse populorum, qui extra hanc peninsulam habitant. Ideo mutilus est hic locus, & desunt quædam nomina virorum, qui eam peninsulam habitabant, unde domo fuit iste Astycrates, cujus nomen sequitur, sive Erythræus fuerit, sive Clazomenius, sive Sidussites, sive Cybellites. Aliquid super eo non potest affirmari, nisi manuscriptus Codex aliquid afferat auxilii.

[1] *Ex iis qui sunt ultra Ægæum.*

Ibidem. Sylb. 626.

Καὶ Πανδίων καὶ Κέλεος. | *Pandion, Celeus etiam.*

Suspicor legendum Πανδίων καὶ Λέων. Non enim censetur Celeus inter Heroas eponymos, nihil certius est: omnia enim alia nomina sunt Eponymorum, qui nomina tribubus Atheniensium dederunt.

Pag. 326. Sylb. 627.

Καὶ οἱ ἀπόγονοι Προίτου, καὶ Καπανεὺς Ἱππόνου, καὶ Ἐτεοκλος ὁ Ἴφιος.	*Prœti etiam nepotes, Capaneusque Hipponoi & Eteoclus Iphis F.*

Legendum ἀπόγονοι Προίτου Καπανεὺς, &c. Nam Capaneus & Eteoclus fuerunt ex Prœti progenie, ideo τὸ καὶ abundat.

Ibidem.

Ἱππομέδων ἀδελφῆς Ἀδράστου παῖς.	*Hippomedon ex Adrasti sorore genitus.*

Aliter deducit Apollodorus, qui non ἀδελφῆς, sed ἀδελφοῦ Adra-

sti filium facit Hippomedonta, nimirum Ἀριστομάχου τοῦ Ταλάου: fuit autem Talaus Adrasti pater. Aliter rursus Sophocles in Oedipo ad Colonum:

> Τέταρτον Ἱππομέδοντ' ἀπέστελλεν πατὴρ
> Ταλαός.

Ecce filium Talai Hippomedonta facit & ipsius Adrasti fratrem, nisi abusus fuerit voce πατὴρ, latius sumpta pro avo, quod fit aliquando. Sic majores nostros, avos & proavos, patres sæpe vocamus.

Pag. 327. Sylb. 629.

Ἐπὶ τῷ ὀνομαζομένῳ Ὠρίῳ. | *In loco, cui cognomen Orio.*

Sic legit Amasæus. Sylburgius vero vidit Ὠρίῳ, vocem esse nihili, & mutat in Ὠρέῳ, & refert ad Philistidis mortem & Orei liberationem à tyrannide, & minima quidem est mutatio in litteris, sed maxima in historia. Nam ex recensione urbium, ex quarum spoliis ædificata fuit ea porticus, nulla de Oreo nec de ulla urbe citra Peloponnesum fit mentio, sed omnes illæ urbes fuerunt vel in Peloponneso vel ultra in Ionici maris litore, & Phormio, cui tribuuntur eæ victoriæ, semper in iis partibus bellum gessit, ut patet ex Thucydide. Tum vixit Phormio & floruit initio belli Peloponnesiaci circa Olymp. 87, Philippus vero vigebat & post bellum sacrum circa Olymp. 107 & 108. Octuaginta igitur aut circiter annos prius spolia ea à Phormione Athenas relata, antequam Philistides à Philippo Tyrannus Orei constitueretur. Sed ecce, dum super eo Thucydidem reviso, ne forte memoria me falleret, vidi non amplius esse opus tantis conjecturis. Nam ipse Thucydides l. 2 nominatim locum, ubi facta sunt illa sacra Neptuno, expressit. Lege ex eo confidenter: ἐπὶ τῷ ὀνομαζομένῳ Ῥίῳ. Scilicet male repetitum fuerat ω ex præcedente voce. Ῥίον fuit Ætoliæ promontorium inter Molycrium & Naupactum è terra versus meridiem & Peloponnesum prominens, & quod cum promontorio Achaiæ opposito angustias facit, & ingressum in mare Corinthiacum parum patentem reddit: nunc tibi locum Thucydidis apponam, qui litem decidit lib. 2, ubi de Phormione loquitur, & de iis, quæ gessit post insignem victoriam, quam in mari Ionico de Corinthiis reportavit: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καταδιώξαντες καὶ ναῦς δώδεκα λαβόντες, τούς τε ἄνδρας ἐξ αὐτῶν τοὺς πλείστους ἀνελόμενοι, ἐς Μολύκρειον ἀπέπλεον καὶ τροπαῖον στήσαντες ἐπὶ τῷ Ῥίῳ, καὶ ναῦν ἀναθέντες τῷ Ποσειδῶνι ἀνεχώρησαν. Hæc Latine sic redduntur: *Athenienses autem cum hostes persequuti*

persequuti essent, & duodecim naves accepissent, & plerosque virorum, qui in iis erant, occidissent, Molycrium adnavigarunt, & tropæum statuentes in Rio, & navem Neptuno dedicantes, recesserunt. His verbum non addam.

Ibidem. Sylb. 630.

Πατρὶς δέ μοί ἐστιν Ἐρύθρη Μάρπησσος.	*Patria autem mihi est rubra Marpessus.*

Suidas in Sibylla habet Μάρμισσος, Stephanus Μέρμησσος. Præferrem Μάρπησσος, ut noster habet, unde dicta *Marpessia cautes* apud Virgilium, & in M. Varronis fragmentis extat illud nomen, ut & apud Lactantium lib. 1. Ortelius tamen in Tiberii nummo ait inscriptum esse Μέρμησσος, & eandem esse, de qua hic agitur, putat.

Ibidem.

Καὶ τῷ Λάδωνι ποταμῷ. | *Ladon amnis.*

Optime emendat Sylburgius Ἀιδωνεῖ ex superioribus.

Pag. 328. Sylb. 632.

Τῶν μὲν ἤδη τοῦ θυμοῦ τὸ πολὺ ὁ λιμὸς ἀφαιρεῖ καὶ ἡ ταλαιπωρία.	*Tum lassitudine & fame debilitati cadentibus jam animis facile conficiuntur.*

Hæc sic vertit Amasæus. Male. sic vertendum erat: *eorum jam plurimam ferociæ partem fames & fatigatio abstulit.*

Pag. 232. Sylb. 639.

Καταστῆναι δὲ ἐς μάχην τῷ Ἑλληνικῷ καὶ τοῖς Τρωσὶν, ἐκώλυσε τοὺς βαρβάρους παρασκευή τε γὰρ ἴση τῇ ἀπάσῃ τὰ ἐς πόλεμον ἦσαν.	*Quo minus vero cum Græcis & Trojanis Barbari bello confligerent, id primum vetuit, quod belli apparatu neutra pars alteri cedebat.*

Videtur deesse aliquid ad complementum sententiæ post vocem βαρβάρους. Forte ἀντίπαλον δέος, id est, *mutua formido, æqualis metus,* vel tale quid.

Pag. 333. Sylb. 641.

Καλλίας Λυσιμαχίδου. | *Callias Lysimachidæ F.*

Mirum est de hoc viro non meminisse alios, nec Herodotum, Thucydides quidem de quodam Callia Hyperchidæ mentionem fecit lib. 6, cujus gener ex filia Myrrhina fuit Hippias, sed non videtur esse idem.

Pag. 336. Sylb. 646.

Δωύαμις δὲ τελήρεις τε πλώϊμοι πᾶσαι. | *Copiæ ipsorum fuere triremes omnes quæ deduci potuerunt.*

Non video, quare Pausanias cum tanta cura enumeraverit cæterorum Græcorum copias & numerum tum peditum tum equitum, & de numero navium Atheniensium siluerit. At non silet, si aliquid acuminis habeo, sed numerum etiam triremium expressit. Nam lego: τελήρεις τ' έ' πλώϊμοι πᾶσαι, id est, *triremes ter centum & quinque, omnes ad navigandum instructæ*. Nec miretur quis numerum ut justo majorem; nam olim cum haberent bellum contra Æginetas, ducentas triremes novas fabricavere, ut ait Herodotus lib. 7, & illo tempore non erant tam potentes, ut postea fuere: tum in bello contra Gallos non levius imminebat periculum universæ Græciæ, quam tempore Xerxis & belli Medici. Ideo nihil reliqui sibi fecerunt ad propulsandam vim tam ferocium barbarorum.

Pag. 340. Sylb. 655.

Ως μηδένα οἴκαδε ἀποσωθῆναι. | *Ut ne unus quidem salvus domum redierit.*

Hæc vera sunt, si bene intelligantur: nemo enim eorum in suam domum reversus est, non enim eo consilio Galliam patriam suam reliquerant, ut eo reverterentur. Sed non ita intelligit Græca vanitas non ferenda hoc loco, quippe Pausanias ipse ait, reliquias hujus cladis transfretasse in Asiam, ubi nota sunt bella, quæ gesserunt, & terræ, quarum domini facti sunt. Sed nihil de Gallorum expeditionibus discimus præter ea, quæ ab eorum hostibus accepimus, Galli enim nihil scripto memoriæ mandabant.

Ibidem.

Α'κατηλόχηλον Χλωέα. | *Chenensem Mysonem.*

Hartungus, Camerarius, Sylburgius, Amasæus, omnes emendarunt hunc locum, & addunt Μύσωνα, quod rectum est, sed non addito nomine Mysonis satis intelligitur, qui fuerit, per τ̃ Χλωέα. Idcirco lego: κατείλοχε τ̃ Χλωέα. Sic sæpe τὸν Σταγιρείτην pro Aristotele, τὸν Κιτιέα pro Zenone simpliciter ponebant antiqui.

Pag. 346. Sylb. 665.

Γήμασθαι δὲ αὐτὴν Κεφάλῳ | *Ac Cephalo Deionis filio nuptam,*

τῷ Δηΐονος, καὶ γενέσθαι σφίσιν Ἴφικλον. | *ptam, è qua ille Iphiclum genuerit.*

Si hæc tantum ſcripſiſſet Pauſanias, à culpa facillime liberaretur. Nam pro Κεφάλῳ legendo Φυλάκῳ omnia plana forent. Sed quæ ſequuntur, τὰ ἐς τὴν Πρόκριν καὶ οἱ πάντες ᾄδουσιν ὡς πρότερον Κεφάλῳ ἡ Κλυμένη συνῴκησε, non patiuntur, ut putemus aliter Pauſaniam ſcripſiſſe, quam ut editum eſt. Non eſt igitur emendandus, ſed caſtigandus, qui contra Homeri auctoritatem & Apollonii Scholiaſten & Heſiodi etiam, quem Didymus citat, Iphiclum facit Cephali filium. Homerus namque Iliad. β verſu 704.

[1] Ἀλλὰ σφέας κόσμησε Ποδάρκης ὄζος Ἄρηος
Ἰφίκλου υἱὸς πολυμήλου Φυλακίδαο,
Αὐτοκασίγνητος μεγαθύμου Πρωτεσιλάου.

Et Iliad. ν. [2] αὐτὰρ ὁ Ἰφίκλοιο πάϊς τοῦ Φυλακίδαο. Et Scholiaſtes ad Odyſſ. λ verſu 325 de Clymene hæc ait: [3] Κλυμένη Μινύου τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Εὐρυανάσσης τῆς Ὑπερφάντος γαμηθεῖσα Φυλάκῳ τῷ Δηΐονος Ἴφικλον τίκτει, & Apollonii Scholiaſtes ad hunc verſum lib. 1.

— ἐπεὶ Μινύαο θυγατρῶν
Ἀλκιμέδη Κλυμένης Μινυΐδος ἐκγεγαυῖα.

Sic commentatur: ὁ γὰρ Μινύας πολλὰς εἶχεν θυγατέρας, καὶ γὰρ ὁ Ἰάσων Ἀλκιμέδης ἐστὶ τῆς Κλυμένης τῆς Μινύου θυγατρός· Στησίχορος Ἐτεοκλυμένης φησὶν, Φερεκύδης δὲ Ἀλκιμέδης τῆς Φυλάκου, id eſt, *Minyas enim multas habuit filias, nam & Jaſon eſt filius Alcimedes filiæ Clymenes, filiæ Minyæ: Steſichorus dicit filium fuiſſe Eteoclymenes, Pherecydes vero Alcimedis filiæ Phylaci.* Ex his auctoribus patet Clymenem fuiſſe Phylaci uxorem. Sed forte incuria lapſus Pauſanias eo, quod Phylacus fuit Deïonis filius, & Cephalus etiam ejuſdem Deïonis filius & Phylaci frater unum pro altero tranſpoſitis litteris poſuit, & errorem ſequutus, Cephali narrat hiſtoriam. Eſt igitur hoc Pauſaniæ non μνημονικὸν σφάλμα ſed παρόραμα.

[1] Sed eos ornavit Podarces Martis ramus, Iphicli filius ovibus abundans Phylacidæ, Conſanguineus magnanimi Proteſilai.

[2] Rurſus Iphicli filius Phylacidæ.

[3] Clymene Minyæ filia Neptuni & Euryanaſſæ, Hyperphantis filiæ, filii, nupta Phylaco Deïonis filio Iphiclum peperit.

Pag. 352. Sylb 677.

Τὴν πυρὰν τῷ δράκοντι καὶ τῷ παιδὶ ἐποίησεν ἐν κοινῷ — καὶ ἀπὸ τοῦ δράκοντος ἐκείνου τὴν πόλιν Ὀφιτείαν ὀνομασθῆναι | *Communi Draconem & filium rogo cremaſſe — urbem certe de ſerpentis nomine Ophitean nuncupatam.*

Suſpicor vel aliquid deeſſe, vel magis aliquem ſciolum mutaſſe Ἀμφίκαιαν in Ὀφιτείαν, ut Draconi conveniret nomen. Nam & Herodo-

Herodotus 'Αμφικαίαν exhibet, & nomen ἀμφικαία multo melius reſpondet hiſtoriæ, quam narrat Pauſanias, ἀπὸ δὲ ἄμφω καίεσθαι, quam ὀφίτεια, & ſic etiam Sylburgius cenſet, quem nondum conſulueram, cum hæc ſcripſi.

Ibidem.

Ἀπέχει δὲ 'Αμφικλείας ἡ Δρυμαία σταδίους ὀγδοήκοντα.	*Ab Amphiclea ſtadia ferme* LXXX *abeſt Drymæa.*

Vel hic numerus falſus eſt & juſto major, vel numeri, quos poſuit paulo ſupra, falſi & multo minores. Ait enim ab Amphicleia, Tithronium uſque eſſe quindecim ſtadia: à Tithronio vero ad Drymæam viginti. Igitur ab Amphicleia ad Drymæam non poſſunt numerari plus quam ſtadia viginti quinque ſecundum præmiſſa.

Pag. 354. Sylb. 681.

Τὴν δὲ θάμνον ταύτην Ἴωνες μὲν καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν Κόκκον, Γαλάται δὲ οἱ ὑπὲρ Φρυγίας φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ σφίσιν ὀνομάζουσιν ὗς.	*Fruticem illum Iones & reliqui Græci coccum, Galli, qui ſupra Phrygiam ſunt, patria voce hys nominant.*

Quædam exemplaria habent ὕσγη. Scilicet ii, cui non intelligibilis videbatur ea vox ὗς, eam in ὕσγη mutarunt, & ſic legit Turnebus Adverſ. lib.19 cap.25, & ei eam emendationem tribuit Sylburgius, & maxime probat. Contra tanti viri ſententiam ego homuncio nihil muſſitare auderem, ſi aliquid mutandum cenſerem. At quando vulgatam lectionem bene ſe habere puto, eam tueri non dubitabo, in quam conſentiunt quatuor, quos vidi, manuſcripti, & optimus inter eos codex bibliothecæ Regiæ, quem mihi pridem communicaverat vir clariſſimus Petrus Puteanus ὁ μακαρίτης. Dicam igitur audacter, quod ſentio. Quando Pauſanias expreſſe ait eam vocem eſſe Gallis propriam, [1] φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ σφίσιν, in caſſum laborarunt Turnebus & alii, qui ejus vocabuli loco Græcam vocem ſubſtituunt: ὕσγη autem vocabulum eſſe Græcum patet ex eo, quod Nicander antiquus auctor ea uſus eſt, & de Ariſtolochia cum tractabat. Hæc verba ex eo afferuntur: ἄνθεα δ' ὑσγίνῳ ἐνερεύθεται, id eſt, *flores autem rubent hysgino.* Ergo cum ὕσγη ſit Græca vox, ὗς vero Gallica debet eſſe, male mutaverunt ὗς in ὕσγη. Puto igitur & Galatas vocaviſſe eam arbuſculam, quæ coccum fert, ὗς, & ſic Pauſaniam ſcripſiſſe: ὗς vero fuiſſe antiquam vocem Gallicam eorum Galatarum, qui

[1] *Voce ex eorum patria dialecto.*

qui arbuſculam eam cum acuifolio confundebant: nihil enim ſimilius frutici, quem Arabes, ut audio, *Kermes*, Græci κόκκον vocabant, quam ea arbuſcula, quæ noſtratibus etiam hodie vocatur *Hous*. Eſt enim Kermes ſpecies ilicis exilioris, quem etiam Dioſcorides πρῖνον aliquando nominat, id eſt, *Ilicem*. Nempe barbari illi Galli, qui Kermes fruticem non noverant (nam in tota Gallia præterquam in Provincia Romanorum & in Volſcis Arecomicis Provinciæ vicinis non naſcitur) cum in regione Aſiæ ab iis occupata eam abundare viderent, putarunt eſſe acuifolium, & eam vocabulo ſuo Gallico, φωνῇ τῇ ἐπιχωρείῳ ὓς vel ὗς vocarunt. Nam & acuifolium frutex, ultra quod habet folia ilici foliis omnino ſimilia, grana etiam eximie rubentia fert, licet alio modo. Certe Ilices ſeptem è glande natas domi habui, quas hiemis inclementia mihi abſtulit, jam proceras & ad altitudinem novem pedum ſe erigentes: eas nullo modo perſuadere potui noſtris ruſticis aliud eſſe, quam eum fruticem, quem *hous* vocant, & ex eorum incredulitate me in ea ſententia confirmavi, quam de hoc Pauſaniæ loco habeo, *Hous* ſcilicet eſſe antiquam vocem Gallicam, quam Galatæ tribuerunt cocciferæ arbori vel frutici *Kermes*. Cæterum de ſimilitudine inter ilicem & acuifolium hæc ait doctiſſimus Salmaſius ad Solinum pag. 961. *haud multum hæc arbor Ilici acuifolia diſſimilis, ideo ſemper eas jungit Plinius. Vtraque certe folia aculeata præfert, & ſemper viridia. Hinc quidam è noſtris herbariæ rei peritis, Houx interpretantur Ilicem. Nec diffiteor vocem hanc Gallicam ex Ilice factam eſſe, quæ Italis Elce, unde illud Houx.* In eo tantum diſſentio ab illo ſummo viro, quod ab ilice Latina voce & Itala *elce* natum eſſe vocabulum *hous* putat. Ego vero eſſe antiquam vocem Gallicæ originis: nam vocem Gallicam habemus à Latino ilice enatam, ſcilicet Yenſe, quam Volſci Arecomici ſua dialecto Eouſe dicunt. At noſtrum Hous monoſſyllabum cum aſpiratione aſpera nec Latinum nec Italicum redolet, & in ea ſententia me confirmat hic Pauſaniæ locus.

Ibidem.

Φύλλα ἢ μελάντερα καὶ μαλακώτερα ἢ ἡ σχοῖνος τὰ μὲν τοι ἄλλα ἐοικότα ἔχει τῇ σχοίνῳ.	*Folia nigriora & molliora quam lentiſci: nam cætera lentiſco perſimilis.*

Amaſæus legit σχῖνος & σχίνῳ. Sed cum jam olim in margine mei exemplaris adnotaſſem legendum eſſe πρῖνος & πρίνῳ, gaviſus ſum admodum, quando vidi in præclaro Salmaſii opere ad Solinum pag.

1342 eum aſſerere quædam antiqua exemplaria habere πρείνῳ, quod amplectendum eſt iis, qui volent veritati litare.

Pag. 355.

Τῇ δὲ γῇ τῇ Φωκίδι ἐστὶν ὅμορος, ἣ ὀνομάζεται μὲν ἀπὸ Βύλωνος.	*Finitima eſt Phocidi urbs Bulis, nomen ei à Bulone.*

Mutilus eſt hic locus, & ut ſit integer, neceſſe eſt interſerere poſt vocem ὅμορος, Βοῦλις, ἣ ὀνομάζεται &c. de ea urbe meminerunt plures & ipſe Pauſanias eadem hac pagina.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
DIOGENEM LAERTIVM.

Editionis Henrici Stephani 1570. & Londinensis Ægidii Menagii 1664.

IN THALETE.

Pag. 8. Men. p. 6.

Ὅτε ἦλθε σὺν Νηλέῳ ἐκπεσόντι Φοινίκης.

Quo tempore una cum Neleo ex Phœnice ejecto eò profectus est.

Hem! quid hoc est? Neleus conditor Mileti pulsus fuit Phœnice? væ omnibus, quotquot fuerunt historiæ scriptoribus antiquis, qui hoc nos latere passi sunt! At nequaquam ita scripsit Diogenes Laërtius contra aliorum omnium consensum, qui Neleum Codri filium ex Attica migrasse cum Ionum classe dixerunt. Ergo non dubito de hoc loco pronuntiare mendosum esse, & legendum: ἐκπεσόντι Ἀττικῆς. Nam ex Attica secessit non quidem vi pulsus, sed vo-

luntarius exul, eo quod regno exciderat. De eo ſic Ælianus variæ hiſtor. lib. 8 cap. 5. [1] ὅτι Νηλεὺς ὁ Κόδρου τῆς βασιλείας ἀμοιρήσας ἀπέλιπε τὰς Ἀθήνας, διὰ τὸ τὴν Πυθίαν Μέδοντι τὴν ἀρχὴν περιάψαι, εἰς ἀποικίαν στελλόμενος (ſic legendum, non στελλομένῳ.) Sed teſtis multo antiquior Callimachus hymno in Dianam.

> Πότνια, πουλυμέλαθρε, πολύπτολι, χαῖρε Χιτώνη
> Μιλήτῳ ἐπίδημε· σὲ γὰρ ποιήσατο Νηλεὺς
> Ἡγεμόνην, ὅτε νηυσὶν ἀνήγετο Κεκροπίηθεν.

Id eſt, *Veneranda, quæ multas domos & multas urbes poßides, ſalve Chitone, quæ Miletum habitas: nam te Neleus ducem fecit, quando navibus advectus eſt è Cecropia.* Nullus eſt credo, qui ignoret Cecropiam eſſe Atticam. Addo auctarium ex Pauſania in Achaïcis: ἔτεσι δὲ οὐ πολλοῖς ὕστερον Μέδων καὶ Νείλευς πρεσβύτατοι τῶν Κόδρου παίδων, ἐστασίασαν ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς, καὶ οὐκ ἔφασκεν ὁ Νείλευς ἀνέξεσθαι βασιλευόμενος ὑπὸ τοῦ Μέδοντος, ὅτι ὁ Μέδων τὸν ἕτερον ἦν τῶν ποδῶν χωλὸς, δόξαν δὲ σφίσιν ἀνενεγκεῖν ἐς τὸ χρηστήριον τὸ ἐν Δελφοῖς, δίδωσιν ἡ Πυθία Μέδοντι βασιλείαν τὴν Ἀθηναίων, οὕτω δὴ ὁ Νείλευς καὶ οἱ λοιποὶ τῶν Κόδρου παίδων ἐς ἀποικίαν ἀπεστάλησαν. Quæ ſic Latine redduntur: *annis vero paucis poſtea Medon & Neileus majores natu filiorum Codri de principatu certavêre, & ajebat Neileus, ſe non paſſurum eſſe ſub imperio Medontis, eo quod Medon erat ex altero pede claudus: cum vero iis viſum fuiſſet litem deferre ad Delphicum oraculum, Pythia regnum dedit Athenarum Medonti, & ſic Neileus & cæteri filii Codri miſſi ſunt in novam coloniam.* Si quis de Nelei in Phœniciam excenſu aut habitatione aliquid docuerit, magnas illi gratias agam. Interim legam, ut dixi, Ἀττικῆς, vel, ſi quis id malit, τῆς ἀρχῆς. Error manavit ex eo, quod ſupra paucis lineis dixerat ἐκ τῶν Θηλιδῶν οἵ εἰσι Φοίνικες. Caſaubonus legit ἐκπεσὼν τῆς Φοινίκης, & refert ad Thaletem, quaſi fuerit natalibus Pœnus Thales. Sed quoniam Græcis ſapientibus accenſetur, & Græca fuerunt nomina patris & matris (fuit enim Ἐξαμίου καὶ Κλεοβουλίνης) & fuerit teſte Herodoto ex Cadmi progenie, quæ in Græcia à pluribus retro ſeculis manebat, fuit Græcus. Tum vox ἐκπεσὼν non dicitur de eo, qui originem traxit à quadam regione, ſed de eo, qui mutavit Lares, & exul factus eſt. Itaque non poteſt ferri doctiſſimi viri emendatio. Tum ea, quæ ſequuntur, omnino reſpuunt ejus viri opinionem, ait enim, ὡς δὲ οἱ πλείους φασὶν, ἰθαγενὴς Μιλήσιος ἦν καὶ γένους λαμπροῦ, *ut autem plures ajunt, nobilis Mileſius erat & ex claro genere.*

Ibidem.

[1] *Neleus Codri regno privatus reliquit Athenas, eo quod Pythia regnum Medonti attribuerat ad coloniam faciendam miſſo.*

Ibidem:

Καλλίμαχος δ' αὐτὸν οἶδεν εὑρετὴν τῆς ἄρκτου τῆς μικρᾶς.	*Callimachus autem ipsum minoris Vrsæ inventorem agnoscit.*

Vadimonium deserit Callimachus in versibus, quos citat Laërtius:

[1] Καὶ τῆς ἁμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
Τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι Φοίνικες.

[1] *Et currus dicebatur mensurasse stellas, quo navigant Phœnices.*

Nam licet dicatur Thales considerasse vel mensurasse stellas minoris ursæ, qua navigant Phœnices, non ideo sequitur Phœnices nautas ante Thaletem non usos fuisse Cynosura in suis longinquis navigationibus, quas multo ante Thaletis tempora exercebant. Ergo intelligendum est simpliciter, cum inter Græcos primum de ea constellatione aliquid dixisse aut scripsisse, nec in eo fidem adhibeo Hygino, qui Astronomicorum lib. 2 cap. 3 hæc ait: *Incidit enim compluribus erratio, quibus de causis minor arctos Phœnice appellaretur, qui non intelligere videntur, de qua historia sit profecta ratio, ut Phœnice diceretur. Thales enim, qui diligenter de his rebus exquisivit, & hanc primus arcton appellavit, natione fuit Phœnix, ut Herodotus Milesius dicit.* Quot verba, tot errores. Neque enim fuit Thales natione Phœnix, nec id unquam dixit Herodotus, neque Herodotus fuit Milesius, sed Halicarnasseus. Sed in hoc ultimo errore facile assentior doctissimo Gerardo Vossio, qui putat vocem *Milesius* locum mutasse & locandam esse post *Thales enim*, hoc modo, *Thales enim Milesius, qui diligenter &c.* at cæteros errores Hygino non condonabo. Ait Herodotum dixisse Thaletem fuisse natione Phœnicem, quod pernego: dixit eum ἀνέκαθεν, id est, ex majoribus suis Phœnicia oriundum, non vero in ea natum, quod significat *natio*, quæ vox à *natus* deducitur, ubi quis natus est: at Thales fuit natione seu nativitate Milesius, non ergo Phœnix. Debebat dicere gente Phœnicia oriundus, id est, à majoribus Phœnicibus, ut Cadmo secundum Herodotum scilicet, nam plures eum ἰθαγενῆ Milesium ab antiquo dicebant esse, ut ait noster Laërtius. Deinde quis concedet Hygino minorem ursam dictam fuisse Phœnicem, eo quod Thales, qui primus *diligenter de his rebus exquisivit*, tritavos habuit Phœnicia oriundos? nemo hercule, nemo: nam si à sapiente Thalete nomen accepit, Thaletia vel Thaletica debuit potius vocari; si ab ejus patria, Milesia, non Phœnice, dicta fuisset. At Phœnice di-

cta est eo, quod Phœnices ea utebantur in dirigendis navigationibus suis. Hoc certum est, & Hyginum falsum esse.

Pag. 11. Men. 7.

Ἀλέξων ὁ Μύνδιος ἐν ἐννάτῳ μυθικῶν.	*Alexon Myndius in nono rerum fabulosarum.*

Lego Ἀλέξανδρος Μύνδιος cum Æliano de animal. lib. 5 cap. 27, & Thocriti Scholiaste ad Idyll. 7, & Plutarcho in Marii vita.

In Chilone. Pag. 25. Men. 17.

Γέγονε δ' Ἔφορος κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα, Παμφίλη δέ φησι κατὰ τὴν ἕκτην, καὶ πρῶτον Ἔφορον γενέσθαι ἐπὶ Εὐθυδήμου.	*Ephorus fuit quinquagesima sexta Olympiade. Pamphila autem sexta ait, primumque Ephorum fuisse sub Euthydemo.*

Hunc locum non esse sanum evincit ratio temporis, nam Chilon cum cæteris sex sapientibus floruit temporibus Cyri & Crœsi annis circiter ducentis post sextam Olympiadem. Ita eum ponit Georgius Syncellus nuper editus pag. 239, ubi sic habet: Σιμωνίδης ἤκμασεν· Χίλων εἷς τῶν ἑπτὰ φιλοσόφων Λακεδαιμονίων Ἔφορος γέγονεν· ἡ Λύδων βασιλεία σλϛ ἔτη καταλύθη ὑπὸ Κύρου. Intelligo autem πρῶτον non adverbialiter, quasi dicat Chilonem nondum antea constitutis Ephoris primum tunc demum constitutum fuisse Ephorum, sed adjective vel ordinative, scilicet fuisse primum ordine inter quinque Ephoros, qui primus Ephorus erat Eponymus, & annum notabat. Ut igitur hic locus pristinæ sanitati restituatur, legendum est: Παμφίλη δέ φησιν κατὰ τὴν ἑξῆς, id est, *sequenti Olympiade*, quod erit Olymp. 57. Ex hoc autem loco corrigendus est error quadratarii fœdus in Chronico marmoreo Arundeliano, ubi legitur ἄρχοντος Ἀθλώνησι τοῦ δήμου, & reponendum Εὐθυδήμου. Casaubonus hunc locum attigit, & vult legi πεντηκοστὴν πέμπτην, rationem non addit. Sed credo eum ita debere legi putasse, ut quadraret cum eo, quod sequitur, κατὰ τὴν ἕκτην.

Ibidem.

Καὶ πρῶτος εἰσηγήσατο Ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνῦναι.	*Primus quoque instituit Regibus Ephoros adjungere.*

Quid intellexerit auctor per παραζευγνῦναι, dubito. Si quis crediderit

diderit de prima Ephororum institutione intelligendum esse, toto cœlo errabit: nam prima Ephororum institutio facta est, ut Satyrus volebat teste hoc loco nostro auctore, à Lycurgo; at secundum Plutarchum & alios, à rege Theopompo. Theopompus autem dux erat Laconum in primo bello Messeniaco Olympiade nona, quod quidem confectum fuit Olympiade decima quarta, ut computat Pausanias in Messeniacis. Ergo Ephororum institutio præcessit annis 168 annum, quo Chilon Ephorus primus renunciatus est. Multum igitur erravit ille Sosicrates, si scripsit Chilonem illum Ephororum collegium primum instituisse. At Herodotus in Clio Satyro forte auctor fuit, nam & primam Ephororum institutionem Lycurgo tribuit, non tam immenso fateor parachronismo, sed tamen errante calculo: non enim potuit esse Lycurgus contemporaneus Theopompo, qui avunculus erat Leobotæ, qui fuit atavus Alcamenis, qui una cum Theopompo regnabat. Eusebius tamen videtur sequi Herodoti & Satyri auctoritatem, dum ponit Ephororum institutionem Olympiade quinta. Sed meræ sunt tenebræ ea, quæ de Lycurgo apud auctores inveniuntur, quod jam supra notavi ad Pausaniæ paginam 82 in Laconicis. Forte τὸ παραζευγνῦναι intelligendum est de Ephororum profectione una cum regibus in expeditionibus bellicis, non de institutione prima.

In Periandro. Pag. 36. Men. 25.

Σωσικράτης δέ φησιν πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι αὐτὸν ἔτεσι τετταράκοντα καὶ ἑνὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐνάτης Ὀλυμπιάδος.

Sosicrates eum ante Crœsum mortuum esse ait, annis uno & quadraginta, ante quadragesimam nonam Olympiadem.

Ex hoc loco nulla certa Epocha constitui potest. Nam si interpungas post αὐτὸν, tunc mors ejus viri incidet in annum quartum Olymp. 38. Sed sic legendo immensum quantum aberrabit calculus à communi Chronologorum sententia. Si vero interpungas post τετταράκοντα, tunc mortuus fuerit Periander anno 4 Olymp. 48. Si vero quis interpungat post ἑνὶ, tunc incertus erit numerus, nisi quis certum mortis Crœsi annum demonstraverit. Sed & alia ex hoc loco emergit difficultas. Nam cum dicat Herodotus Crœsum supervixisse Cyro, & sub Cambyse periculum vitæ adiisse ob admonitionem severiorem vel intempestivam, quam Cambyses sui impotens

ferre

ferre non poterat, quomodo Periander ſolis quadraginta annis intelligitur præceſſiſſe mortem Crœſi? mortuus ſcilicet uno ante Olympiadem 49 anno. Obiit autem Cyrus ſecundum Syncellum nuper editum Olymp. 65. at ſecundum alios & Petavium Olymp. 61 anno quarto. Sed has ſpinas Chronologorum filiis tractandas relinquo: unum tantum addam, quod ſi πρότερον Κροίσου intelligatur non de Crœſi morte, ſed de fine regni, omnia multo facilius conciliari poſſe.

Ibidem.

Ὡς ἄρα ἐρασθεῖσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ Κράτεια συνῆν αὐτῷ λάθρα.	*Matrem videlicet Crateam ejus amore incenſam, cum illo clam conſuetudinem habuiſſe.*

Aliquando dubitavi de fide hujus loci, & ſic de eo ſcripſeram. Si ope alicujus manuſcripti adjuvarer, libenter reponerem pro μήτηρ μητρυιά, cum à viro ſapiente eam enormitatis maculam abluerem, tum ut cum Euſtathio Diogenem conciliarem, qui uxorem Cypſeli non Crateiam, ſed Herodicen, nominat: unde concludo duas uxores habuiſſe Cypſelum, Herodicen nempe & Crateiam, & hanc Crateiam ſupervixiſſe Cypſelo, & eo demum mortuo cum privigno concubuiſſe, ex hoc loco licet ariolari, quando hæc verba βαρὺς πᾶσιν ἐγένετο magis Tyranno & rerum potito conveniunt, quam filiofamilias, & eo quod de patre in eo negotio ne verbum quidem. Vel igitur hoc loco μητρυιὰ legendum, vel dicendum eſt uxorem Cypſeli fuiſſe binominem. Locus autem Euſtathii ſic ſe habet ad Iliad. τ. verſu 282: [1] θετέον δὲ ἐνταῦθα καὶ τὰς τῷ Κυψέλῳ φίλας χρυσοφόρους, ὃς (φασὶ) περὶ κάλλους γυναικῶν ἐν Ἀλφειῷ ἀγῶνα διέθετο, καὶ ὡς ἐνίκησεν ἡ αὐτοῦ γυνὴ Ἡροδίκη, ἐκράτησεν ὁ ἀγὼν παρ' Ἠλείοις καὶ αἱ ἀγωνιζόμεναι γυναῖκες χρυσοφόροι ὠνομάζοντο: quæ non dubito Euſtathium ab aliquo auctore antiquo accepiſſe. Hæc inquam ſcripſeram, ſed melius opinari me coëgit eruditiſſimus Menagius, Andegavorum decus, cui editionem Diogenis adornanti, miſeram ab eo per epiſtolam rogatus has, qualeſcunque ſunt, in Laërtium lucubratiunculas, quas eximio operi ſuo non dedignatus eſt inſerere. Nam in notis ſuis dubitationem meam ſolvit, & ex Æliano probavit legendum eſſe, ut editum eſt μήτηρ, non, ut ſuſpicabar, μητρυιά. Sed quoniam de conciliando cum Diogene Euſtathio, cujus locum, quem appoſueram,

[1] Ponenda ſunt hic etiam Chryſophora Cypſelo cara, qui (ut ajunt) certamen propoſuit ad Alpheum de mulierum pulchritudine, & cum viciſſet uxor ejus Herodice, invaluit illud certamen apud Eleios, & mulieres certantes Chryſophora nominabantur.

fueram, descripsit, nihil in sua nota dixit, quid nunc ex sua monitione profecerim, & quid de iis auctorum locis sentiendum sit aperiam. Nam postquam curiosius ea loca consideravi, & simul contuli, damnavi cum Menagio suspicionem meam, & nullam esse inter eos auctores dissonantiam deprehendi. Nam de Cypselo Corinthio loquitur Diogenes: de Cypselo vero Arcadum rege Eustathius: illius fuit uxor Crateia, hujus vero Herodice: Cypselo Corinthio pater fuit Eëtion vir privatus, mater Labda, Amphionis Bacchiadæ filia: at Cypselus Arcas rex fuit filius Æpyti, ex regia Arcadiæ regum prosapia, ab ipso Pelasgo & Lycaone oriundus, nec eodem tempore vixerunt. Nam Cypselus in Arcadia regnabat, quo tempore Heraclidæ Peloponnesum occuparunt, & Cresphonti inter Heraclidas præcipuo filiam suam collocavit: Corinthius vero plus quam quatuor seculis recentior paulo ante Cyri Persarum regis initia vivebat. Error igitur meus jure à Menagio reprehensus pejor erat, quam ipse putaverat: errare humanum est: errorem suum agnoscere, & monitoribus gratum esse, animi candidi præfert indicium. Itaque hoc publicum testimonium gratiæ, quam Menagio habere me eo nomine fateor, hic lubenter appono.

In Mysone. Pag. 40. Men. 28.

Τὸ γένος Χλωεὺς ἀπὸ τινὸς κώμης Ὀιταϊκῆς ἢ Λακωνικῆς.	*Cheneus genere, ex vico quodam Oetææ sive Laconicæ regionis.*

Ex hoc loco male intellecto male excogitavit Ortelius Oetæicum Laconiæ vicum in voce *Oetæus*: at debebat Χλωὸς ponere.

In Pherecyde. Pag. 46. Men. 31.

Σώζεται δὲ τοῦ Συρίου τό τε βίβλιον, ὃ συνέγραψεν, οὗ ἡ ἀρχὴ Ζεὺς μὲν καὶ Κρόνος εἰς ἀεὶ καὶ χθὼν ἦν.	*VerumSyrii liber adhuc servatur, quem scripsit, cujus est initium, Iupiter quidem & tempus unum semper tellusque erat.*

Videtur Pherecydes quædam scripsisse metro, ut ex Maximo Tyrio colligitur in sermone, cui titulus est τίνες ἄμεινον περὶ θεῶν διέλαβον ποιηταὶ ἢ φιλόσοφοι, vigesimo nono, qui sic habet: [1] ἀλλὰ καὶ τοῦ Συρίου τὴν ποίησιν σκόπει, καὶ τὸν Ζῆνα, καὶ τὴν Χθονίην, καὶ τὸν ἐν τούτοις Ἔρωτα καὶ τὴν Ὀφιονέως γένεσιν &c. Nam per τοῦ Συρίου intelligendum esse

[1] *Sed & Syrii poësim vide, & Zena, & Chthoniam, & inter eos Amorem, & Ophionei nativitatem.*

eſſe Pherecydem nemo, credo, dubitabit: nullus enim Syrius celebris fuit præter eum. Sed ſolvit dubium Strabo lib. 1 ſic ſcribens: [1] πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν ἐς τὸ μέσον καὶ εὐδοκίμησεν, εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι λύσαντες τὸ μέτρον, τ' ἄλλα δὲ φυλάξαντες, τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδην καὶ Ἑκαταῖον. Poëta igitur fuit Pherecydes, ſed ſine metro, & ejus opus ποίησιν vocavit Maximus Tyrius non ob metrum, ſed ob materiam.

[1] Primum enim Poëticus ordo in medium venit & probatus eſt; poſtea eum imitati ſunt ſolventes metri leges, alia vero retinentes: poëtica ſcripſerunt Cadmus & Pherecydes & Hecatæus.

In Anaximandro. Pag. 49. Men. 33.

Ἀναξίμανδρος Πραξιάδου Μιλήσιος.	*Anaximander Praxiadis F. Mileſius.*

Mirum eſt Diogenem tacuiſſe de glorioſiſſimo Anaximandri facto, ſcilicet de Colonia Mileſiorum ab eo in Thraciam ad Pontum deducta, & Apolloniæ ibi conditu, quam narrat Ælianus lib. 3, c. 17 his verbis: [2] καὶ Ἀναξίμανδρος δὲ ἡγήσατο τῆς εἰς Ἀπολλωνίαν ἐκ Μιλήτου ἀποικίας. Non debuit de eo ſilere Diogenes.

[2] Anaximander dux fuit mittenda colonia ex Mileto Apolloniam.

In Anaximene. Pag. 50. Men. ibid.

Καὶ γεγένηται μὲν (καθά φησιν Ἀπολλόδωρος) τῇ ἑξηκοστῇ τρίτῃ Ὀλυμπιάδι, ἐτελεύτησε δὲ περὶ τὴν Σαρδέων ἅλωσιν.	*Natus eſt (ut Apollodorus ait) ſexageſima tertia Olympiade: mortuus eſt eo fere tempore, quo Sardes captæ ſunt.*

Hæc ſunt ἀσύστατα, & eſt monſtrum Chronologicum. Sardes à Cyro captæ ſunt Olympiade 58, ut cum Solino plures, vel 59 ſecundum Soſicratem, ut vult Scaliger, & cum eo Petavius. At Anaximenes ſecundum Laërtium natus eſt Olympiade 63, mortuus eſt vero cum Sardeis captæ ſunt. Scilicet mortuus fuit annis ſexdecim vel viginti, antequam naſceretur. Itaque non eſt dubium, quin numerus annorum ejus nativitatis falſus ſit: quid autem reponendum ſit, non liquet, quando de annis vitæ ejus Philoſophi tacet Laërtius. Non multo melius Suidas, qui de eo Philoſopho ſic ſcribit: [3] γέγονεν ἐν τῇ νε Ὀλυμπιάδι ἐν τῇ Σαρδέων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης Κροῖσον καθεῖλεν. Natum dicit, quando Sardes captæ fuerunt: at noſter mortem ejus in eo tempore ponit. Tum Sardes non eo anno, quo ponit Suidas, captæ ſunt, ſed duodecim vel ſexdecim poſt annis, Olympiade, ut dictum eſt, 58 vel 59, vel, ſi Georgium Syncellum ſequimur, Olymp. 61. Sed eas Chronologicas ſpinas tractandas relinquimus iis, qui longo ſcientiæ temporum uſu manus calloſas habent: monendi tamen ſunt, ut videant, an de ſecundo Sardium

[3] Natus eſt Olympiade 55, dum Sardes captæ ſunt, quando Cyrus Perſa Crœſum ſuſtulit.

dium excidio, quando ab Athenienſibus incenſæ ſunt, intelligi debeat, quod accidit ſecundum Petavium Olymp. 69.

In Anaxagora. Pag. 51. Men. 34.

Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ, εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε.	*Omnia ſimul erant, inde mens accedens ea in ordinem adduxit.*

Videtur ex Moſe ea ſumpſiſſe ille Philoſophus. Sed νοῦν ponit, pro quo ſeptuaginta interpretes πνεῦμα dixerunt, [1] καὶ πνεῦμα Θεοῦ ἐπεφέρετο ἐπάνω τοῦ ὕδατος.

[1] *Et ſpiritus Dei ſupra aquas ferebatur.*

Ibidem.

Λέγεται δὲ κατὰ τὴν Ξέρξου διάβασιν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, βεβιωκέναι δὲ ἑβδομήκοντα δύο, φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν τῇ ἑβδομηκοστῇ Ὀλυμπιάδι, τεθνηκέναι δὲ τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀγδόης.	*Fertur Xerxe trajiciente vigeſimum ætatis annum egiſſe, duos autem & ſeptuaginta vixiſſe. Apollodorus in temporum hiſtoria ſeptuageſima Olympiade natum eſſe ait, mortem vero obiiſſe anno primo ſeptuageſimæ octava Olympiadis.*

Hæc ſunt ἀσύστατα, ſed legendo πρώτῳ ἔτει τῆς ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης omnia egregie quadrabunt.

Pag. 53. Men. 36.

Ἐπὶ Ἄρχοντος Διμύλου, λίθον ἐξ οὐρανοῦ πεσεῖν.	*Dimylo Archonte, lapidem è cælo cecidiſſe.*

Silenus ille hiſtoricus & mythographus, timeo, ne hoc loco μῦθον nobis dixerit: nam Dimylus Archon non invenitur in toto Anaxagoræ vitæ curriculo. Diphilus quidem invenitur anno 2 Olymp. 84 annis quatuordecim ante obitum Anaxagoræ, ſed pugnat Chronicon marmoreum Arundelianum, quod Archonte Theagenide id eveniſſe ait Olympiade ſcilicet 78, annis 26 ante Diphilum. At ego non video, quomodo ex Dimylo Theagenides vel ex Theagenide Dimylus factus ſit. Ideo ἐπέχω, niſi quod marmoris auctoritas apud me plus habet ponderis, quoniam Silenum ipſum non habemus. Plinius certe lib. 2 cap. 58 uno tantum anno diſcedit à marmore, non quidem expreſſo nomine Archontis, ſed annum numerat ſecundum Olymp. 78: Theagenides vero Archon fuit ejuſdem Olympiadis

lympiadis 78 anno primo secundum Diodorum. Sic æstuabam. Sed Josephus Scaliger, in quem incidi, has turbas sedavit, qui pridem ea omnia dubia solverat, legendo *δίμυλον λίθον*, id est, *molari duplum*, fœlici prorsus conjectura. Igitur ex Scaligero & marmore lego confidenter: ἐπὶ ἄρχοντος Θεαγενίδου δίμυλον λίθον &c.

In Socrate. Pag. .... Men. 43.

Ἐν τῷ πομπίῳ | *Celeberrimo in loco.*

Lege Πομπείῳ. Nam ut notavit Casaubonus, locus erat Athenis sic nominatus Πομπεῖον, de quo Demosthenes oratione πρὸς Φορμίωνα ὑπὲρ δανείου, & Plutarchus in Isocratis vita. Plinius denique lib. 35 cap. 11. Hæc duo ultima loca firmant Casauboni emendationem, quam ex solo Demosthene asserebat.

Ibidem. Men. 44.

Ἐπὶ Ἀψεφίωνος ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος.	*Apsephione Archonte, anno quarto septimæ ac septuagesimæ Olympiadis.*

In ejus anni Archontis nomine non consentiunt auctores. Apollodorus in Chronicis referente hîc Diogene Apsephionem ponit; consentit marmor Arundelianum linea 72, addo & Demetrium Phalereum, qui seriem Archontum composuerat, quem Apollodoro consentire Diogenes ait. At contra Diodorus Siculus satis magnæ auctoritatis scriptor & Dionysius Halicarnasseus exactissimæ diligentiæ auctor Phædona ponunt. Si alterutrum tantum verum est, prævaleret apud me marmoris tam antiqui auctoritas. Sed inclino ad credendum utrumque verum esse, & eodem illo anno Apsephionem & Phædonem Archontas fuisse eponymos, scilicet uno in magistratu mortuo suffectus fuit alter, & forte non me fallit conjectura.

In Xenophonte. Pag. 66. Men. 45.

Τὸν δῆμον Ἀρχιεύς. | *Oppido Erchia.*

Lege Ἐρχιεύς. Fuit enim nomen Demi Ἔρχια vel Ἐρχία, de quo Demosthenes, Æschines, Isæus, Dinarchus, Plato & omnes lexicographi.

Pag. 67. Men. 46.

Δι' οὗ ποταμὸς ῥεῖ Σελλωοῦς.	*Per quem fluvius fluit Selenus.*

Lege

Lege Σελινὺς. Nam & qui ad Ephesum fluit, quem cognominem huic fuisse ait, Σελινὺς vocabatur, & talia nomina in ὺς desinentia locis & fluminibus sæpe dantur ex abundantia plantarum, ut Δαφνὺς, Πυξὺς, Κερασὺς, & sexcenta alia. Ergo Σελινόεις & per crasin Σελινὺς ἀπὸ τῶν Σελίνων dictus est, sed ἀπὸ τῆς Σελήνης, *à Luna*, quomodo? tales errores in scriptura parit Iotacismus in hellenismum introductus à quibusdam retro seculis, quod jam sæpe dixi.

In Aristippo. Pag. 73. Men. 50.

Κεράμματι ῥανθῆναι. | *Sputo conspergi.*

Lege χρέμματι, ut facile est ex toto sermone colligere.

Pag. 83. Men. 57.

Εὔλογον εἶναι τὸν σπουδαῖον μὴ ἐξαγαγεῖν ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἑαυτόν.	*Rationi consentaneum esse qui virtute præditus esset, ut is sibi pro patria vim non afferret.*

Hesychius Illustrius pro *μὴ ἐξαγαγεῖν* habet *ὑπεξαγαγεῖν*. Sed mihi videtur negativa particula *μὴ* necessaria, nam *ἐξάγειν ἑαυτὸν* est *educere se è vita*, & subintelligitur *τοῦ ζῆν*. Sententia igitur Theodori fuit, non convenire Philosopho vel viro gravi, pro patria voluntariam mortem oppetere: rationem addit, non abjiciendam esse sapientiam pro insipientium utilitate, & mundum esse communem patriam, quæ ratio evincit *τὸ μὴ* retinendum hoc loco.

Pag. 85. Men. 58.

Τελευταῖον δὲ ἐς Κυρήνην ἀπελθὼν καὶ Μαρίῳ συμβιοὺς.	*Ad extremum Cyrenem profectus & cum Mario vivens.*

Quis fuit ille Marius? certe nomen illud hellenismum non sapit, nec de Mario illo Cyrenensi quicquam legitur. Puto legendum esse καὶ Μάγᾳ συμβιοὺς. Fuit enim Magas Cyrenarum rex, Berenices ex priore viro filius, & Philadelphi uterinus frater, qui Cyrenaïcæ provinciæ præfectus rebellans contra Ptolemæum fratrem regem Cyrenarum se declaravit; & tempora concordant, quando tempore Ptolemæi & Lysimachi vixisse hoc loco dicitur Aristippus. Id etiam convenit ejus instituto, ut apud reges diversaretur.

In Euclide. Pag. 89. Men. 61.

Τοι γὰρ ἀφρέθης Κρόνος ἔξωθεν τοῦ ῥῶ κάππα τε.	*Ergo repertus es Cronus, sine ρ Kappaque.*

Facilis est solutio hujus ænigmatis, *Inventus es* Κρόν☉, exemptis duabus literis K & P, quibus demptis restat ὄν☉ *asinus*.

In Menedemo. Pag. 95. Men. 65.

Ἀντιγόνου δὲ συμβουλευομένου, εἰ ἐπὶ κῶμον ἀφίκοιτο, σιωπήσας τ' ἄλλα, μόνον ἐκέλευεν ἀπαγγεῖλαι ὅτι βασιλέως υἱός ἐστιν.	*Antigono eum consulenti, an temulentorum adolescentium comissationes nocturnosque cœtus adiret, cætera silens, ei tantummodo nunciari jussit, regis eum filium esse.*

Antigonus ille fuit, qui Γονάτας dictus est, filius Poliorcetæ, ut ex ratione temporis necessario concluditur. Nam usque ad alium Antigonum, qui Tutor & Doson dictus est, non potuit vivere is, qui Platonem audiverat.

In Platone. Pag. 102. Men. 70.

Καὶ γίνεται Πλάτων (ὡς Ἀπολλόδωρ☉ ἐν χρονικοῖς) ὀγδόῃ καὶ ὀγδοηκοστῇ Ὀλυμπιάδι.	*Sicque Plato nascitur (ut ait Apollodorus in chronicis) octogesima octava Olympiade.*

Hæc non consonant cum iis quæ septem tantum lineis inferius dicit: [1] Πλάτων δ' ἐπὶ Ἀμεινίου γέγονεν. Nam ille Aminias, qui Diodoro Ἐπαμεινώνδας, aliis melius Ἐπαμείνων dicitur, Archon fuit anno 4 Olymp. 87. Sed & Athenæus aliter censet de natalibus ejus Philosophi, altius enim ea ponit, scilicet Apollodoro, qui post Enthydemum, Archonte anno 3 Olymp. 87. Sed de ejus morte omnes concordant in anno 1 Olympiadis 108 Theophilo Archonte. Sed alii plures, alii pauciores annos vitæ ei tribuunt.

[1] *Plato natus est sub Aminia.*

Pag. 116. Men. 79.

Τὸ ἐν Ειρεσιάδων χωρίον. | *Erisiadæum prædium.*

Stephanus, qui solus cum Diogene de hoc demo mentionem fecit, habet Ἐιρεσίδαι, & Ἐιρεσίδης, & ἐξ Ἐιρεσιδῶν. Ex ea igitur voce ter repetita puto corrigendum hunc locum & scribendum Ἐιρεσιδῶν. Hunc locum sollicitavit Casaubonus, & vult legi Ἐροιάδων ex Stephano, quem non satis accurate inspexerat: invenisset duos esse diversos demos Ἐιρεσίδαι & Ἐροιάδαι, ille Acamantidis tribus, hic Hippocoontidis.

Pag. 117. Men. 80.

Πίθων καὶ Ἡρακλείδης Αἴνιοι. | *Pithon & Heraclides Ænii.*

Quidam codices habent Πείθων. Demosthenes vero oratione contra Aristocraten hos Tyrannicidas, à populo Atheniensi aurea corona donatos ob Cotyn Thracem interfectum, Πύθωνα vocat & Ἡρακλείδην, cui consentit Plutarchus lib. adversus Coloten. Aristoteles vero politicorum 5 cap. 10 magis recedit ab hoc nomine: ibi enim legitur Πάρων καὶ Ἡρακλείδης. Sed Πάρων magis recedit ab Hellenismo.

In Xenocrate. Pag. 141. Men. 97.

Ξενοκράτης Ἀγαθήνορος Καρχηδόνιος. | *Xenocrates Agathenoris F. Chalcedonius.*

In hac ultima voce sexcenties peccatum est in libris: ubique enim fere Καρχηδόνιος pro Χαλκηδόνιος irrepsit, ut & hoc loco. Hunc errorem sequitur ubique fere Clemens Alexandrinus vel ejus exscriptores, stromate tamen quinto mansit genuina scriptura.

Pag. 144. Men. 99.

Πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη ἐπὶ Λυσιμάχου, ἀρξάμενος κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος. | *Viginti quinque annis, Lysimachide Archonte incipiens, anno secundo centesima decima Olymp.*

Aliter distinguendum est, ut sensus congruens exurgat, nempe: πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτη, ἐπὶ Λυσιμάχου ἀρξάμενος, &c. Cæterum nomen ejus Archontis varie exprimitur. Diodorus Λυσιμαχίδην vocat, non Λυσίμαχον.

In Cratete. Pag. 147. Men. 101.

Καὶ οὕτως ἀλλήλω ὠφελείτην. | *Ambo vero ita vicissim tibi profuerunt.*

Illustrius habet ἐφιλήτην, unde conjicio legendum ἐφιλείτην, *sic se mutuo amabant.*

In Arcesilao. Pag. 154. Men. 106.

Καὶ γὰρ καὶ Δημητρίου τοῦ πλεύσαντος εἰς Κυρήνην ἐπὶ πλέον ἐρασθῆναι λέγεται. | *Nam & Demetrium eum, qui Cyrenem navigavit, amasse plus æquo dicitur.*

Nihil mirum, si Philosophus παιδεραστὴς eum principem deperiit.

Fuit

Fuit enim eximiæ pulchritudinis, quæ tamen ei fuit exitii causa. Nam à noverca adamatus, in ejus concubitu deprehensus & cæsus fuit. Historia narratur à Trogo apud Justinum.

In Theophrasto. Pag. 177. Men. 122.

Ἀυτὸς διεδέξατο τὴν σχολὴν, Ὀλυμπιάδι τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ.	*Scholam successor obtinuit, Olympiade centesima decima quarta.*

Ut secum concordet Laërtius, legendum est Ὀλυμπιάδος τετάρτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς ἔτει γ. Nam supra in Aristotelis vita ait eum Chalcidem migrasse, & ibi diem ultimum clausisse [a] τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος: at si sic scripsisset, ut in hoc loco legitur, sequeretur Theophrastum successisse Aristoteli, & ejus scholam suscepisse biennio ante Aristotelis secessum, quod videtur absurdum. Secessit enim Chalcidem Aristoteles secundum Laërtium τῷ τρίτῳ ἔτει τῆς τετάρτης καὶ δεκάτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος, quod ait expresse in Aristotelis vita. Necesse est igitur, si numerus bene se habet in vita Aristotelis, ut ex eo hic corrigatur: at ille bene se habet, ut colligitur ex iis, quæ in ejus vita narrantur.

[a] *Tertio anno centesimæ decimæ quartæ Olympiadis.*

Pag. 185. Men. 127.

Κάλλιππος Πελανεὺς — Λύσανδρος Ὑβαίης.	*Callippus Pelaneus — Lysander Ubaia.*

Emendat Meursius Παλληνεὺς & Ὑβάδης, optime.

In Lycone. Pag. 189. Men. 130.

Ὠτοθλαδίας καὶ ἐμπινὴς ὤν.	*Cum & attritis auribus & habitior esset.*

Hic aqua nobis hæret; quid enim significet ἐμπινὴς, juxta cum ignarissimis ignoro. Nam eam vocem accipere in eodem significatu cum πιναρὸς à voce πῖνος, vetat id, quod dixit supra de eodem Laërtius, scilicet eum Lyconem fuisse nitidum & eleganter vestitum. Suidas easdem voces citat ex Antigono Carystio, qui vitas Philosophorum scripserat, unde forte & noster eas accepit, & ἐμποινὴς habet non ἐμπινής. Sed nihilo melius mecum agitur. Nam quid significet ἐμποινὴς in eo loco, non magis scio, quam quod ἐμπινὴς hîc. Ἐμποινὴς non potest aliunde, quam à ποινὴ deduci: at ποινὴ *pœna* non est vox palæstrica, nec ullibi invenitur, quod sciam, præterquam

terquam eo loco apud Suidam: ὠποθλαδίαι pugiles fiebant, dum pugnabant cœstibus, non ut quadam pœna affecti. Nihil possum divinare, quod mihi satisfaciat, malo fateri ignorantiam meam, quam lectorem enecare futilibus conjecturis. Casaubonus variam lectionem notavit, & præfert ἐμπνὴς, sed eam vocem non interpretatus est, quam vellem nos docuisset!

In Demetrio. Pag. 195. Men. 134.

Ἐπικληθεὶς Ἰξίων, διὰ τὸ ἀδικῆσαί τι δοκεῖν περὶ τὴν Ἥραν.	*Ideo vocatus Ixion, quod in Iunonem nescio quid admisisse visus est.*

Hesychius Illustrius rem non obiter tangit, ut noster, sed accuratius narrat. Is igitur Ixion aureas laminas detraxerat simulachro Junonis in Alexandria furandi animo; alias etiam causas addit Suidas, quem vide in Δημήτριος.

In Cleanthe. Pag. 294. Men. 204.

Κλεάνθης Φανίου Ἄσσιος.	*Cleanthes Phanii F. Assius.*

Fuit & alius Cleanthes Samius Mathematicus, de quo potissimum memoriam facimus, eo quod primus, ut ajunt, opinionem de terræ circulari motu protulit, de qua hodie in circulis passim sermones fiunt, & ubique libri excuduntur. De eo inter cæteros Plutarchus meminit in libro de facie in orbe Lunæ.

In Chrysippo. Pag. 309. Men. 209.

Κατὰ τὴν τρίτην καὶ τεσσαρακοστὴν Ὀλυμπιάδα.	*Quadragesima tertia Olympiade.*

Numerus manifeste falsus, sed qui è Suida facile corrigi potest. Itaque ex Suidæ auctoritate post τεσσαρακοστὴν addo καὶ ἑκατοστὴν, & sic quadrabit cum vero numerus.

In Pythagora. Pag. 301. Men. 214.

Πυθαγόρας Μνησάρχου.	*Pythagoras Mnesarchi filius.*

Si Pythagoræ stemma ab altiori deducere velis, fuit ejus avus paternus Euphron, proavus Hippasus, qui pulsus fuit Phliunte à Regnido & Heraclidis, & Samum secessit, ut narrat Pausanias in Corinthiacis.

Pag. 311. Men. 215.

Φησὶ δὲ Ἀριστόξενος τὰ πλεῖστα τῶν ἠθικῶν δογμάτων λα-	*Aristoxenus autem pleraque moralium decretorum Pytha-*

thago-

θεῖν τὸν Πυθαγόραν παρὰ Θεμιστοκλείας τῆς ἀδελφῆς.

thagoram à Themistoclea sorore accepisse tradit.

Infra pag. 316 aliter legitur παρὰ τῆς ἐν Δελφοῖς Θεμιστοκλείας. Utra lectio sit melior, considerandum. Casaubonus præferebat τῆς ἀδελφῆς, & objurgat Ambrosium, qui in dicta pagina 316 vertit, ut legitur, & non correxit secundum hujus paginæ 311 lectionem τῆς ἀδελφῆς, eo quod sic etiam apud Suidam hodie legatur. Ego certe si liceret à tanto viro dissentire, putarem legendum esse hoc loco τῆς ἐν Δελφοῖς, & manere debere lectionem paginæ 316 τῆς ἐν Δελφοῖς. Primum, quod nihil certius est, quam legislatores solere fingere leges suas à diis ipsis eos accepisse. Sic Romulus Consum deum consiliorum fingebat, Numa Egeriam, Lycurgus Apollinem Delphicum consulebat. Multo igitur credibilius est Pythagoram legum aut dogmatum suorum auctorem fecisse Apollinem, cujus προφῆτις erat illa Themistoclia, quam sororem suam: ridiculum enim id fuisset, & ad despectum suorum dogmatum homines induxisset. Secundo, cum supra patrem & fratres proprio nomine notaverit Laërtius, cur siluisset de celeberrima illa sorore, non video, cujus nomen non ignorabat, si legendum est, ut volunt ἀδελφῆς. Tertio, cum multi de Pythagora plura dixerint, unde fit, quod nullus de ea sorore tam docta & sapiente, quæ etiam Pythagoram docere poterat, mentionem fecit, Cleobulina certe sapientis Cleobuli filia propter unum ænigma & paucos gryphos omnibus antiquis memorata est, Themistoclia vero sapientiæ Pythagoricæ & sectæ tam celebratæ inventrix nullibi memorata foret? credat Judæus apella, ego certe non possum id concoquere. Hæ rationes me dissentire cogunt à summi viri sententia, & præponderare videntur auctoritati codicis Suidæ forte corrupti ob jam corruptum Laërtium, seu ipse Suidas in exemplar Laërtii male sanum inciderit, sive quidam locum Suidæ ex auctoritate Laërtiani codicis corruperint. Certe si ea res mei arbitrii foret, reponerem confidenter hoc loco: Θεμιστοκλείας τῆς ἐν Δελφοῖς, ut jam supra eundem errorem notavimus ad Herodotum pag. 315, & pro ἀδελφὸν Δελφὸν reposuimus ex Pausania. Sic & infra pag. 316 manere debere censeo ἐν Δελφοῖς, & in eo astipulor Ambrosio, qui nihil mutavit.

Pag. ead.

Pag. ead. 311. Men. 216.

Μὴ ἀναίδου μηδενί.	*Ne impudenter agas in quenquam.*

Doctissimus Casaubonus ait ista verba esse sibi folium Sibyllæ, quis igitur intelligere præsumet? tamen unius literulæ ι ablatione sensus non incommodus emergeret, legendo, *μὴ ἀνάδου*, nempe *illigatus sis nemini*, quod Latine eleganter diceretur, *nemini obnoxius esto*, seu de ære alieno intelligatur, seu de nimio obsequio: licet enim non habeam ad manum exemplum illius imperativi, aliorum modorum & temporum ab *ἀναδέομαι* deductorum plura exempla supersunt.

Pag. 312. Men. ibid.

Καὶ ὅτι ὁ Νέσσος ποταμὸς διαβαίνοντα αὐτὸν προσηγόρευσε πολὺς ἦν ὁ φάσκων.	*Multusque erat sermo, cum Nessum flumen trajiceret, ab eo appellatum fuisse.*

Ad hunc locum notavit Casaubonus, Apollonium ex Aristotele de eodem Pythagora dixisse, [1] *καὶ ὑπὸ τοῦ κατὰ Σάμον ποταμοῦ διαβαίνων σὺν ἄλλοις ἤκουσε φωνὴν μεγάλην ὑπὲρ ἄνθρωπον, Πυθαγόρα χαῖρε*; & ex eo Apollonii loco vult emendari Ælianum lib. 2 cap. 26, ubi ille auctor eundem citans Aristotelem ait: [2] *λέγει δὲ καὶ ὁ αὐτὸς, ὅτι ὑπὸ τὸν Κώσαν ποταμὸν* (legendum *τοῦ Κώσα ποταμοῦ*) *διαβαίνων προσερρήθη*. Sed rursus idem Ælianus lib. 4 cap. 17 eandem historiam iterum narrat sic: *ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τοῦ Κόσα τοῦ ποταμοῦ διαβαίνων προσερρήθη* &c. Ecce quam diverse loquax ille fluvius nominatur. Aristoteles non expresso nomine, eum ait esse *κατὰ Σάμον*: at duæ insulæ longe ab invicem sitæ eo nomine gaudent. Sed in Samo Asiatica, nullus fluvius Nessus, nullus Cosas, sed solus in ea insula notatur Imbrasus, qui & Parthenius. Alia Samus, quæ Thracica dicitur, nullum habet fluvium, & de eo non fit mentio apud auctores, & *κατὰ Σάμον* aliud tinnit, quam *ἐν Σάμῳ*. Ælianus in uno loco *Κώσαν*, in altero *Κόσαν* per *ο* habet. Diogenes noster *Nessum* vocat. Cyrillus lib. 3 adversus Julianum *Causum* vocat: apud Porphyrium vero *Caucasus* legitur, ut credo, male. Cosas ille à Geographis ignoratur. Nessus longe à Samothrace, longissime à Samo altera fluit. Quis tantas componet lites? Sed nimis anxie inquiro in veritatem fabulosi commenti, nec mirum, si in falso non concordant auctores.

[1] *Et ex fluvio circa Samum, eum transiens cum aliis audivit vocem majorem humana, Pythagora salve.*

[2] *Ait autem ille ipse, quod à Cosa fluvio, cum eum trajiceret, salutatus est.*

Pag. 315. Men. 218.

Τὰ γὰρ λινᾶ οὔπω εἰς ἐκείνους ἀφίκετο τοὺς τόπους.	*Nondum enim linea in ea loca pervenerant.*

Appuleius tamen (ut optime notavit Casaubonus) Pythagoram damnavisse laneas vestes asserit. Nec ratio Laërtii audienda est eo tempore lineam vestem in Italiæ partibus, ubi degebat Pythagoras, non fuisse in usu. Nam cum paulo supra dixerit, Pythagoram versatum in Ægypto linguam Ægyptiacam didicisse, & in adyta etiam admissum fuisse, non est dubium, quin à sacerdotibus Ægyptiis morem gestandæ byssinæ seu lineæ vestis acceperit, & vestes ipsas inde secum asportaverit. Albam certe vestem gestasse asserit Ælianus variæ hist. lib. 12 cap. 32, materiam non notat.

Pag. 321. Men. 223.

In versibus Cratini male legitur [1] τοῖς μεγέθεσιν οὐ βυστικῶς. Patet cuivis legendum esse μεγέθεσι νουβυστικῶς. Male translatum fuit elementum ν ab initio vocis sequentis ad finem præcedentis, quæ ad proprium locum retrahenda est: significat autem *ingeniose* vel *prudenter*.

[1] *Magnitudine, ut emergere nequeant.*

In Heraclito. Pag. 342. Men. 237.

Ἡράκλειτος Βλύσωνος — Ἐφέσιος.	*Heraclitus Blysonis — Ephesius.*

Clemens Alexandrinus Stromate primo videtur legisse Βαύσωνος. Sed magis novum est & mirum Justinum Martyrem in sua ad Græcos exhortatione non longe ab initio Heraclitum non Ephesium (ut omnes fere alii concorditer) sed Metapontium fuisse asserere. Sic enim ille: [2] Ἡράκλειτος ὁ Μεταποντῖνος ἀρχὴν τῶν πάντων τὸ πῦρ εἶναι λέγει, ἐκ δὲ πυρὸς γὰρ τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς τὸ πῦρ τὰ πάντα τελευτᾶν. Eum autem non de alio quodam Heraclito intelligere, quam de illo celebri Ephesio Philosopho, de quo hic agit Diogenes, patet ex illo axiomate, quod illi tribuit, nimirum ignem esse commune principium omnium rerum, & ex eo omnia genita, in eum tandem resolvi debere. Nam paulo post in ejus vita Diogenes noster ejus præcipua dogmata recensens, primum ponit [3] ἐκ πυρὸς τὰ πάντα συνεστάναι, καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι. unde autem acceperit eum Metapontium fuisse, fateor me nescire. Sed puto memoria lapsum Justinum, Pythagoræ historiam, qui Metaponti vixit, Heraclito tribuisse, & cum quidam Pythagoram Metapontium dixissent, eo, quod

[2] *Heraclitus Metapontius ait ignem omnium principium esse, & ex eo omnia fieri, & in eum omnia finem habere.*

[3] *Ex igne omnia consistere, & in eum omnia solvi.*

quod ibi plurimum habitaverit; eum properante calamo Heraclitum pro Ephesio Metapontinum fecisse.

Pag. 344. Men. 238.

Ἐκχωρῆσαι γὰρ τ' ἀδελφῷ τῆς βασιλείας.	*Quod fratri regno cesserit.*

Vox βασιλείας non debet hoc loco sumi pro regno, sed pro quodam magistratu sic dicto apud Ephesios, quem qui obtinebant, vocabantur βασιλεῖς vel βασιλίδαι, ut ait Suidas in *Pythagoras*.

Pag. 347. Men. 240.

Ἡράκλειτος ἐγὼ, τί με ὦν κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι.	*Heraclitus ego, quid me igitur deorsum trahitis inepti.*

Melius Hesychius Illustrius, τί με ὦ κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι, id est, *quid me inferius trahitis, ignorantes?*

In Parmenide. Pag. 350. Men. 242.

Ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν θ' καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα.	*Floruit Olympiade sexagesima nona.*

Errat manifesto calculus: puto legendum ἑξηκοστήν. Nam & id novum videtur numerum eundem partim litera numerali, partim voce integra expressum esse, quod alibi non observavi, quod facit mendi suspicionem: & Anaximander, cujus hîc dicitur fuisse discipulus Parmenides, sexaginta quatuor annos natus erat anno 2 Olymp. 58, & paulo post obiit, ut dixit supra in Anaximandro Laërtius. Parmenides igitur ejus discipulus non potuit floruisse Olympiade 29 annis 118 ante præceptoris sui mortem, & annis 54 ante ejusdem nativitatem. Sed convenienter dicitur floruisse Olympiade sexagesima, scilicet sex annis post præceptoris mortem. Lego igitur pro θ' καὶ εἰκοστήν, ἑξηκοστήν.

In Democrito. Pag. 355. Men. 246.

Καὶ πρὸς Χαλδαίους εἰς τὴν Περσίδα.	*In Persidem quoque ad Chaldaeos.*

Concordat Julianus apostates in epistola 37 ad Amerium: ait enim eum Xerxem adiisse, & ob uxoris mortem dolore animi affectum consolatoriis sermonibus sublevasse.

In Pyrrhone. Pag. 365. Men. 252.

Πύῤῥων Ἠλεῖος, Πλειστάρχου μὲν ἦν υἱός.	*Pyrrhon Heleus Plistarchi filius.*

In Epicuro. Pag. 389. Men. 270.

Καὶ τελευτῆσαι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος.	*Annoque secundo centesimæ & septimæ Olympiadis mortem obiisse.*

Festiva certe & multum ridenda lectio: supra dixit natum fuisse Epicurum tertio anno centesimæ nonæ Olympiadis, nunc ait mortuum esse secundo anno centesimæ & septimæ: scilicet mortuus est novem annos, antequam nasceretur. Ut hoc piaculum solvatur, lege hoc loco: κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης καὶ εἰκοστῆς πρὸς ἑκατὸν Ὀλυμπιάδος, & sic septuaginta duo annorum fuit Epicuri vita, qui natus fuerat Sosigene Archonte.

Pag. 393. Men. 273.

Καὶ τὸ ἐπελθὸν καὶ τὸ ἀδιόρθωτον εἷλκε τῷ ἐπείγεσθαι.	*Et ea, quæ sibi in mentem ilico veniebant, & festinatione parum emendata.*

Quid sit τὸ ἐπελθὸν, dicat alius, non ego. Alii codices habent τὸ μὴ ἐπελθεῖν melius, nec tamen sine significatus dubio: videtur tamen significare, *non assequi, quod volebat, scopum non attingere.*



JACOBI



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD ARISTIDEM, IN SERMONE AD BACCHUM.

Editionis Pauli Stephani, anno 1604.

Tom. I. Pag. 55.

Ἀκριβέστερον Εὐρυκλέους τ' αὐδόθεν καταλαμβάνων, καὶ ποιεῖ χορευτὴν κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Quovis Eurycle efficacius interiora corripiens & saltatorem aliquem facit quamvis ineptus ante sit.

Huic loco lux affulget ex Aristophane & Hesychio: ille in Vespis in parabasi sic ait de seipso, qui dramata sua sub aliorum personis in Theatrum producebat: μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν ἐς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι. Ad quæ sic Scholiastes: οὗτος ὁ ἐγγαστρίμυθος

λέγεται

λέγεται Ἀθήνησι τ' ἀληθὲς μαντευόμενος διὰ τοῦ ἐνυπάρχοντος αὐτῷ δαίμονος — Ἐγγαστρίμυθοι δὲ καὶ Εὐρυκλεῖται ἐκαλοῦντο ἐντεῦθεν πάντες οἱ μαντευόμενοι ἀπὸ Εὐρυκλέους πρῶτον τοῦτο ποιήσαντος. Quæ ſic Latine exprimuntur: *ille engaſtrimythus dicitur Athenis vera prædixiſſe propter dæmonem, qui in eo habitabat — Engaſtrimythæ autem etiam Euruclitæ inde dicebantur omnes vaticinatores ab Euruclio illo, qui primus id fecerat.* Sic & forte ex hoc loco Heſychius: [1] Εὐρυκλῆς ὁ ἐγγαστρίμυθος, ἦν δὲ γένος μαντέων, οὓς ὁμωνύμως Εὐρυκλεῖς ἔλεγον. Ex his locis videmus Euryclem à dæmone afflatum ex ventre ſine oris miniſterio vaticinaſſe, & inde omnes Engaſtrimythos Eurycleas dictos, eo quod putabant eos ab eodem dæmone, quo Eurycles, correptos vaticinari, & eo quod nomen dæmonis ignorabatur. Ariſtides eum Euryclem vocat, & comparat Baccho, eo quod à Baccho correpti ſaltabant, & ita animi ſenſus ſine oris miniſterio repræſentabant. Nam ea fuit Græcorum ſaltatio, quæ à Romanis probata & accepta, præſertim Ariſtidis tempore frequentabatur ſub pantomimorum nomine. Præfert igitur Bacchum Euryclis dæmoni, eo quod melius & jucundius ebrii ſaltatores afflati Bacchi numine ſine ſermone vaticinabantur, quam ab Eurycle correpti engaſtrimythi, qui [2] ἐνδομυχοῦντα καὶ ἀφανῆ loquebantur ex ventre. Sic, ut puto, intelligendus Ariſtidis locus, qui ait Bacchum quidem audiri à Nymphis canentem, hominibus vero per ſe correptos ebrios ſaltatores vaticinari, non ex propria voce.

[1] *Eurycles Engaſtrimythus, erat autem genus vatum, quos eodem nomine Eurycleos vocabant.*

[2] *Abſonum quid & obſcurum.*

Ad Æſculapium. Pag. 65.

Λαλιὰ εἰς Ἀσκληπιόν. | *In AEſculapium oratio.*

Notanda eſt hoc loco vocis λαλιὰ rara admodum ſignificatio, mihi certe nuſquam alibi aut lecta aut audita in eo ſignificatu. Nam cum ordinarie ſumatur pro φλυαρία, hoc loco videtur ſignificare [3] λόγος ἐπαινετικὸς vel tale quid. Sed mihi venit in mentem, id lemma non eſſe Ariſtidis, ſed exſcriptoris cujuſdam Chriſtiani, qui Ariſtidis ſuperſtitionem & idololatriam exoſus, tali nomine deprimere voluit Æſculapii falſi dei laudes, & jure.

[3] *Sermo ad laudandum quid.*

In Aſclepiadis. Pag. 79.

Εἰ δ' ἀνὴρ εἷς ἀπὸ τούτων Ἱπποκράτης ἔφυ κληρονόμος τῆς τέχνης.	*Quod ſi unus Hippocrates artis ſucceſſor ab illis duntaxat natus eſſet.*

Stemma Hippocratis celeberrimi illius medici ſic ab Aſclepiadis deducit Stephanus in voce Κῶς:

Νέβρος ὁ διασημότατος τῶν Ἀσκληπιάδων ᾧ καὶ ἡ Πυθία ἐμαρτύρησεν

τοῦ

Γνωσίδικος

τοῦ

Ἱπποκράτης Αἴνειος Ποδαλείριος

τοῦ

Ἡρακλείδης

τοῦ

[1] Ἱπποκράτης ὁ ἐπιφανέστατος ὁ καὶ θαυμασίας συντάξεις καταλελοιπώς.

[1] *Hippocrates celeberrimus ille, qui & mirabiles compoſitiones reliquit.*

In Sarapin. Pag. 85.

Καὶ ὁ Ἰανὸς ἦν μάντις παλαιός.	*Vt Ianus fuerit vates antiquus.*

Canterus vertit *Ianus*, quaſi Græci Janum noverint, qui fuit peculiare Romanorum numen. Eum certe neque apud Heſiodum in Theogonia, nec apud Apollodorum in ſua περὶ θεῶν bibliotheca, nec apud alium ex antiquis invenies. Itaque de eo ſic Ovidius Faſtorum lib. 1.

Quem tamen eſſe deum te dicam, Iane biformis,
Nam tibi par nullum Gracia numen habet.

Sed fortaſſe reſpondebit aliquis, non debere mirum eſſe, ſi Ælius Ariſtides, qui temporibus Hadriani ſub Romanorum imperio vixit, de Jano mentionem fecerit: quæ reſponſio vim haberet, ſi Ariſtides ex perſona ſua Jani mentionem feciſſet, ſed Poëtarum Græcorum commenta & fictiones recenſet, ideo certo certius eſt Ariſtidem non ita ſcripſiſſe. Repono igitur confidenter: Ἴαμος ἦν μάντις παλαιός. Sic enim Græcæ vel fabulæ vel hiſtoriæ tradiderunt. Iamus fuit Apollinis filius, qui ab eo vaticinandi artem accepit, ut dixerat Pindarus teſte Pauſania in Eliacis, à quo nobilis vatum propago orta eſt, qui Ἰαμίδαι *Iamidæ* dicti ſunt, quorum paſſim mentio fit apud auctores. Pindarus Olymp. 6 dixit fuiſſe Apollinis & Euadnes filium. Euadne vero fuit Neptuni & Pitanes, & forte eum locum intellexit Pauſanias ſupra citatus, qui etiam in Laconicis Iamidarum ſepulchra notavit. De Iamidis etiam pater Græcanicæ antiquitatis Herodotus meminit lib. 5. Noſtra emendatione nihil certius eſt.

In

In Eteoneum. Pag. 141.

Καλὸν δὲ ἐν σκολιοῖς ὥστε Ἁρμόδιον ᾄδειν, οὔτι πω τέθνηκας, λέγοντας.

Nec ineptum erit in scholiis eum quoque, sicut Harmodium, decantare, sic dicentes: nondum es mortuus.

Nam ᾆσμα seu cantilena in Harmodium & Aristogitonem sic incipiebat: [1] Φίλτατε Ἁρμόδιε οὔτι πω τέθνηκας, ut docet Aristophanis Scholiastes ad Acharnenses.

[1] *O amicissime Harmodie, nondum mortuus es.*

In Smyrnam. Pag. 401.

Ἐκείνην μὲν οὖν αἱ νύμφαι δέχονται, καὶ νῦν ἐστὶν ὕφαλλος ὑπελθοῦσα τὴν λίμνην.

Atque illam nunc quidem incolunt nymphæ & postquam subiit paludem, sub mari jacet.

Si quid amplius de hujus urbis calamitate noscere velis, adi Plinium lib. 5 cap. 39, qui eam Sipylum Tantalidem vocat. Vide & Pausaniam in Achaïcis, ubi dubium est, an eam Idæam vocaverit, nec ne. Cæterum hoc loco legendum est ὕφαλον per simplex λ.

Ibidem.

Δευτέρα δὲ μετὰ ταύτην ᾠκεῖτο ὑπὸ τῷ Σιπύλῳ παρὰ τὴν χηλὴν τῆς ἠϊόνος.

Altera vero post hanc sub Sipylo habitabatur ad marginem ripæ.

Ita vertit Canterus: at pro *ripæ* debebat vertere *litoris*. Fuit enim ad mare sita, ut Strabo lib. 14, & vox ἠϊόνος de litore maris fere ubique, raro de ripa fluvii accipitur.

In Eleusinia. Pag. 451.

Δωριεῖς ἐπ' Ἀθήνας ἐστράτευον.

Dores contra Athenas exercitum duxere.

De hac Dorum expeditione in Atticam, si eadem est, in qua Codrus rex ultimus Atheniensium à lignatoribus exercitus Dorici cæsus est, multi scripserunt, sed non videtur eadem esse, quando ait Dorienses non ultra Eleusinem processisse, & præ pudore reversos fuisse. Nam in ea expeditione, qua Aletes Hippotæ Heraclides Athenienses perculit, & eorum agrum vastavit, urbem etiam quodammodo videntur obsedisse Dores, & Codrus ad Ilissum fluvium occisus dicitur, qui fluebat ad orientem Athenarum: Eleusis vero in

in Atticæ limine ad occidentem. Sic enim Pausanias in Atticis: [1] ὁ δὲ Εἰλισσὸς ἐστὶν οὗτος ἔνθα παίζουσαν Ὀρείθυιαν ὑπ' ἀνέμου Βορέου φασὶν ἁρπασθῆναι — δείκνυται δὲ καὶ ἔνθα Πελοποννήσιοι Κόδρον τοῦ Μελάνθου βασιλεύοντος Ἀθηναίων κτείνουσι. Non igitur videtur eadem esse expeditio cum ea, de qua hîc fit sermo. Sed in rebus tam antiquis incertæ & variæ sunt narrationes. De ea historia vide Lycurgum oratione contrà Leocratem, Cononem apud Photium cap. 26, Pausaniam in Atticis & in Achaïcis, Polyænum Stratag. lib. 1, Aristotelem politic. 5 cap. 10, Justinum lib. 2, & Suidam in Δὴμ Ἑσπερος.

[1] *Ilissus ille est, ubi Orithyiam ludentem ajunt à Borea raptam fuisse — monstratur etiam locus ubi Peloponnesii occiderunt Codrum Melanthi regem Atheniensium.*

Pag. 452.

Σφοδρίου τινων ὕστερον ὁρμηθέντος ἐκ Θηβῶν.	*Cum Sphodrias aliquanto post Thebis advenisset.*

Lege ἐκ Θεσπιῶν, ut consonet lectio cum historia, quam narrat Xenophon Hellenicorum 5, & post eum Plutarchus in Agesilao.

Ibidem.

Τὴν δὲ ἐπ' Ἀλφειῷ μάχην σιωπῶ.	*Pugnam vero ad Alpheum prætereo.*

Eam pugnam narrat Xenophon Hellenicorum 3, & Diodorus lib. 14 ad annum tertium Olymp. 94 eam referens, nec concordant in tempore, nec in duce expeditionis, quem Xenophon Agidem vocat, Diodorus vero Pausaniam. Sed Pausanias in Laconicis & in Heliacis pluries de ea loquitur, & nullibi de Pausania mentionem facit. Ideo male forte apud Diodorum Pausanias legitur. Ea pugna dicta est ἐν Ἄλτει, nec tamen male eam ἐπ' Ἀλφειῷ vocat Aristides. Altis enim lucus erat circa templum Jovis Olympii sacer, eum vocat ἱερὸν ἄλσος τοῦ Διὸς Pausanias Heliacorum 1. Templum vero Jovis Olympii Pisæ vel Pisis ad Alpheum situm fuisse nemo ignorat. Unicum Pausaniæ locum adducam, ne quis me putet id assumere sine auctoritate. Is igitur Heliacorum 1: [2] ἀφικομένῳ δὲ ἐς Ὀλυμπίαν ἐνταῦθα ἤδη τὸ ὕδωρ ἐστὶ τοῦ Ἀλφειοῦ, πλῆθει τε πολὺ καὶ ἥδιστον. Nemo itaque hoc loco dubitet per τὴν ἐπ' Ἀλφειῷ μάχην intelligendum esse τὴν ἐν Ἄλτει.

[2] *Venienti Olympiam, ibi jam aqua est Alphei abundans & dulcissima.*

Pag. 455.

Ὦ κακῶς ἐξορχησάμενοι τὰ μυστήρια, ὦ τὰ ἄφαντα φήναντες κοινοὶ τῶν ὑπὲρ γῆς	*O qui male profanastis mysteria: ô qui occulta patefecistis, communes tam superorum*

καὶ ὑπὸ γῆς θεῶν πολέμιοι.	*rorum quam inferorum Deorum hostes.*

Qui fuerunt illi Eleusinii templi incensores, in quos ita debacchatur rhetor Idolomanes, non possum divinare, ea historia mihi penitus est ignota. Ad Christianorum zelum eam Idololatriæ arcis incensionem referre vetat seculum Hadriani & Antoninorum, quo nondum satis provecti erant, ut tam pulchrum facinus in media Græcia ausi fuissent aggredi. Si quid habes ad id, lector candide, quo me doceas, candidus imperti.

In Palinodia de Smyrna. Pag. 464.

Ἀλεξάνδρου μὲν ὕπνος ᾄδεται.	*Alexandri somnium fertur.*

Ad illustrandum hunc locum unicus sufficiet Pausaniæ locus in Achaïcis: Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Φιλίππου τῆς ἐφ' ἡμῶν πόλεως ἐγένετο οἰκιστὴς κατ' ὄψιν ὀνείρατος, Ἀλέξανδρον γὰρ θηρεύοντα ἐν τῷ ὄρει τῷ Πάγῳ, ὡς ἐγένετο ἀπὸ τῆς θήρας, ἀφικέσθαι πρὸς Νεμεσέων λέγουσιν ἱερὸν, καὶ πηγῇ τε ἐπιτυχεῖν αὐτὸν, καὶ πλατάνῳ πρὸ τοῦ ἱεροῦ, πεφυκυίᾳ δὲ ἐπὶ τοῦ ὕδατος, καὶ ἐπὶ τῇ πλατάνῳ καθεύδοντι, κελεύειν φασὶν αὐτῷ τὰς Νεμέσεις ἐπιφανείσας πόλιν ἐνταῦθα οἰκίζειν, καὶ ἄγειν ἐς αὐτὴν Σμυρναίους, ἀναστήσαντα ἐκ τῆς προτέρας, id est, *Alexander Philippi urbis, quæ nunc extat, conditor fuit ex somnio: eum enim, cum venaretur in monte Pago, ut finem fecit, abiisse dicunt ad fanum Nemesium, & incidisse in fontem sacrum & in platanum natam circa fanum ad ipsam aquam, & illi dormienti sub platano apparuisse deas Nemeses, quæ jusserunt, ut urbem ibi conderet, & ibi adduceret Smyrnæos, eos à prima urbe migrare faciens.* Plura deinde exequitur, videsis locum. Sed piaculum foret silere Strabonem non consentire cum Pausania & Aristide, & instaurationem Smyrnæ non tribuere Alexandro, sed ejus successoribus Antigono & Lysimacho. Sic enim ille Geographus lib. 14: [1] Λυδῶν δὲ κατασπασάντων τὴν Σμύρναν, περὶ τετρακόσια ἔτη διετέλεσεν οἰκουμένη κωμηδὸν, εἶτα ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος, cum locum jam supra obiter notavi ad Strabonem. Sed ut cum nostro rhetore & Pausania concilietur, dicamus Alexandrum ex insomnio novæ Smyrnæ κτίσιν decrevisse, & murorum forte circuitum delineasse: at opus id tum demum perfectum fuisse, cum post ejus mortem Antigonus & post eum Lysimachus rerum in Asia potiti sunt: aut forte insomnium Alexandri somniaverunt Smyrnæi, ut augustiora facerent suæ urbis initia.

[1] *Cum autem Lydi evertissent Smyrnam, per annos 400 mansit per vicos habitata, postea instauravit eam Antigonus, deinde & Lysimachus.*

In Sermone ſacro II. Pag. 519.

Καὶ ἅμα τὰ τρία καὶ δέκα ὡς ἑπτακαίδεκα ἐφάνη τῇ θέσει τῶν δακτύλων.	*Simul autem iſta tredecim videbantur ſitu digitorum quaſi decem & ſeptem efficere.*

De hac digitorum compoſitione ad numeros demonſtrandos plura Deo dante ad Plinium docebimus.

Pag. 532.

Ἐκέλευσε λούσασθαι τῷ ποταμῷ τῷ διὰ τῆς πόλεως ῥέοντι.	*Juſſit in fluvio, qui urbem perfluit, lavare.*

Siluit de nomine fluvii, ſed Plinius id non patitur nos ignorare. Ejus igitur nomen fuit Σέλινοῦς *Silenus*, qui urbem Pergamum interfluebat, & in Cetium fluvium præfluentem influebat. Vide Plinium lib. 5 cap. 30.

Pag. 536.

Μηδεμίαν τῶν παρόντων ὤραν ποιησάμενος.	*Neglexi tamen.*

Lege ὤραν cum ſpiritu leni: ὤραν ποιήσασθαι *curam habere*, & ita legiſſe videtur interpres.

In Sacro Sermone IV. Pag. 569.

Πρὸς τὸ χωρίον καὶ τὴν ἔπαυλιν ἀπελαύνοντι τὴν ἐμαυτοῦ πλησίον οὖσαν.	*Ad agrum & villam mihi vicinam contenderem.*

Sic vertit Canterus, male. Nam interpungendum eſt poſt ἐμαυτοῦ, non poſt ἀπελαύνοντι, & vertendum erat, *ad villam meam, quæ prope erat.*

Pag. 572.

Ἦν δὲ ἡγεμὼν τῆς Ἀσίας τότε ἀνὴρ καὶ μάλα τῶν γνωρίμων Σέβηρος τῶν ἀπὸ τῆς ἄνωθεν Φρυγίας.	*Cum quidem Aſiæ prætor eſſet vir celeberrimus, Severus, ex ſuperiore Phrygia oriundus.*

Num is Severus, qui cum Marco Antonino Imperatore conſul fuit, cum Herenniano, & iterum cum Pompejano? Id equidem credo, nam & tempus concordat, nec pugnat, quod eum non dicit conſularem ὑπατεύσαντα, nam poſſunt hæc ante ejus Conſulatum accidiſſe.

Pag. 574.

Pag. 574.

Ἀνὴρ τῶν ἐστρατηγηκότων Ῥωμαίοις Σηδᾶτος ὄνομα.	*Quidam, qui Romanorum exercitum duxerat, ac Sedatus vocabatur.*

Sic Canterus vertit: ſed ita non ſumitur participium ἐστρατηγηκὼς apud eos, qui de rebus Romanis Græce ſcripſerunt. Vertere debebat, *vir Prætorius:* prætores enim apud auctores Græcos per στρατηγοὶ redduntur.

In Sacro Sermone V. Pag. 618.

Ἦ δ' ἦν ὁρμὴ ὡς εἰς Σμύρναν.	*Erat autem Smyrnam iter institutum.*

Miror Canterum hunc errorem non advertiſſe. Smyrna proficiſcebatur Ariſtides; non ergo illi propoſitum erat Smyrnam ire, & ex ſequentibus patet debere εἰς Μύριναν ſcribi.

Pag. 610.

Ἀνύσας εἰς Σμύρναν.	*Smyrnam veniens.*

Et rurſus hoc loco legendum εἰς Μύριναν. Repetitum eſt male τὸ σ ex præcedenti voce: ſed & accuſativus in αν debebat docere Canterum, ut Myrinam reponeret, & verteret. Nam Smyrna Græce ſemper Σμύρνη, quæ in quarto caſu Σμύρνην facit: at Myrina ſemper Μύρινα, etiam Ionibus, qui minus utuntur vocali α, ut Herodoto.

Pag. 624.

Ἐπαινέσας τὸ ἐν βαλανείῳ ὕδωρ.	*Balnei laudibus redditis.*

Ex ſequentibus ſuſpicor, imo credo firmiter, legendum eſſe hoc loco τὸ ἐν Λανείῳ ὕδωρ. Λανεῖον eſt locus ſitus ad meridiem Atyis montis, quod nos docet Ariſtides infra. Id non animadvertens exſcriptor mutavit τὸ Λανείῳ, quod non intelligebat, in βαλανείῳ.

AD TOMUM II.

In Leuctrica I. Pag. 105.

Καὶ Λύσανδρον ἀπεκτείναμεν.	*Et Lyſandrum occidimus.*

Hæc ex perſona oratoris Athenienſis dicta non conſentiunt cum Plutarcho, ſed nec cum Xenophonte: ambo enim Thebanis ſolis illud τρόπαιον tribuunt, nec Athenienſium in eo facto ullam faciunt mentionem. Oratorie forte, non hiſtorice ea ſcripſit Ariſtides.

totus hic locus, *Philippum quidem eligentes, barbarum hominem & à vobis natura dissociatum eligetis, quamvis Pythia saltando rumpatur.* Nempe alludit ad admissionem Philippi in Amphictyonum consessu in Pythiis factam, & ad Philippi temulentiam, qui post victos & deletos Phocenses, in Pythiorum festo coronatus Pæanem canebat, & propinationes ingerebat frequentes, forte etiam & præ gaudio saltabat, quod ultimum licet non inveniatur alibi, quam hoc loco, tamen non abhorret ab ejus moribus. Nam Plutarchus in Demosthene de eo narrat, eum post victos ad Chæroneam Græcos talia multa fecisse: παραυτίκα μὲν οὖν ὁ Φίλιππος ἐπὶ τῇ νίκῃ διὰ τὴν χαρὰν ἐξυβρίσας καὶ κωμάσας ἐπὶ τοὺς νεκροὺς μεθύων, ᾖδε τὴν ἀρχὴν τοῦ Δημοσθένους ψηφίσματος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς τάδ᾽ εἶπεν, πρὸς πόδα διαιρῶν καὶ ὑποκρούων, id est, *Statim igitur Philippus propter victoriam gaudens & insolenter agens prope cadavera mortuorum ebrius & tripudians, canebat principium decreti Demosthenis, Demosthenes Demosthenis Paanius hac dixit, per pedes metricos dividens & subplaudens.* Et in eundem hilaritatis intemperantis excessum prorupisse post devictos Phocenses satis innuit Demosthenes in oratione de falsa legatione, dum de Æschine ait: [1] οὗτος εἰς τὰ ἐπινίκια τῶν πραγμάτων καὶ τοῦ πολέμου, ἃ Θηβαῖοι καὶ Φίλιππος ἔθυον, εἱστιᾶτο ἐλθὼν καὶ σπονδῶν μετεῖχε καὶ εὐχῶν, ἃς ἐπὶ τοῖς τῶν συμμάχων τείχεσι καὶ χώραις καὶ ὅπλοις ἀπολωλόσι ηὔχετο ἐκεῖνος, καὶ συνεστεφανοῦτο καὶ συνεπαιώνιζε Φιλίππῳ, καὶ φιλοτησίας προὔπινε. Hæc omnia Delphis tempore, quo Pythia celebrabantur, facta fuisse ait ibidem Demosthenes. Quoniam igitur Amphictyonum consessus & Pythiorum celebratio ad solos Græcos pertinebat, non ad barbaros, Philippus, qui in Amphictyonum consessu sedebat, imo eos convocaverat, & obtinuerat, ut Macedoniæ reges haberent ea duo suffragia, quæ antea Phocenses habebant (ut ait Diodorus) se pro Græco omnino gerebat & non barbaro Pythiis Græcorum more ab eo celebratis: nihilominus tamen Macedo barbarus fuit, ait hoc loco noster Aristides; Macedones enim sub Græcorum nomine olim non comprehendebantur. Id docet Herodotus ex verbis Alexandri Macedoniæ regis lib. 9. Scylax in Periplo, qui Magnesiam ultimam Græciæ provinciam facit, Dio lib. 50, & alii plures. Et hæc nostra interpretatio firmatur ex eodem Aristide infra sequenti oratione pag. 257, ubi ait de Philippo: [2] ἄγων τὰ Πύθια καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἐξηγούμενος τὰ μηδὲν ἑαυτῷ προσήκοντα.

[1] Hic unus ad sacra & epulum, qua ob res & bellum fœliciter gestum faciebant Thebani & Philippus, veniens epulatus est, & particeps factus libationum & precum, quas fundebat ille ob sociorum nostrorum muros & locos & arma perdita, & precatus est ipse, & coronatus, & cum Philippo Paanem canebat; & propinationes faciebat.

[2] Pythia procurans, & Gracis administrans ea, quæ nihil ad eum pertinebant.

In Oratione de Smyrna ad M. Aurelium. Pag. 291.

Μὴ γάρ μοι Λυσίμαχον ἔτι, μηδ' Ἀλέξανδρον αὐτὸν, μηδὲ Θησέα καὶ μύθους.	*Apage enim Lysimachum, Alexandrum, Thesеum, fabulas.*

Intelligentia hujus loci pendet ab historia de Smyrnæ conditu, quam vide supra tomo I in oratione de Smyrna instaurata paginis 463, 464, 470.

In Oratione de concordia. Pag. 302.

Ἄρξομαι δ' ἀπὸ τῆς δεχομένης ἡμᾶς τὰ νῦν.	*Incipiam autem ab ea, quæ nos nunc excipit.*

Nomen tacet urbis, de qua loquitur, sed ex sequentibus facile colligitur, eum de Pergamo loqui, & ibi hanc orationem habitam fuisse.

AD TOMUM III.

In Platonica I. Pag. 31.

Οὔτ' Αἰσχίνης ὁ Λυσανίου.	*Neque Æschines Lysaniæ F.*

Eum Æschinem supra dixit fuisse Πλάτωνος συμφοιτὴν, (ubi credo legendum συμφοιτητὴν.) Ideo nullus alius fuit quam Æschines ille Eleusinius, de quo Apollonius in exegesi, de altero Æschine ita scribit: ἦν δὲ καὶ ἕτερος ῥήτωρ Αἰσχίνης Ἐλευσίνιος. Ideo forte hoc loco pro ὁ Λυσανίου legendum Ἐλευσίνιος, vel apud Apollonium pro Ἐλευσίνιος legendum ὁ Λυσανίου. Forte & utrobique bene scribitur: nam nihil vetat Æschinem Eleusinium fuisse Lysanii filium. Alter autem rhetor Æschines, quem Demosthenes accusavit, fuit Atheniensis Atrometi filius.

Pag. 93.

Τί οὖν εἰ Ἀρχέλαος τὸν αὑτοῦ δεσπότην καὶ θεῖον ἀποκτείνας, κατέσχε τὴν ἀρχήν.	*Si ergo Archelaus hero suo & patruo occiso imperium occupavit.*

Hanc historiam habemus apud Platonem in Gorgia alibi non memoratam. Dominus & avunculus Archelai simul fuit Alcetas frater Perdiccæ patris Archelai, eo quod Archelaus matrem habuit Simichen ancillam Alcetæ, ideo jure erat servus Alcetæ, quando (ut ajunt Jurisconsulti) partus ventrem sequitur. De eodem negotio rursus Aristides noster infra pag. 199 & 327.

In

In Platonica I I. Pag. 209.

Τὸ δ' αὐτὸ κἂν τοῖς ὕστερον οἶμαι Ἀδράστῳ τῷ Γοργίου φασὶ συμβῆναι.

Quod idem etiam Adrasto Gorgiæ F. posterioribus ajunt temporibus contigisse.

Historiam vide apud Herodotum lib. 1 sect. 43, & pro Γοργίου lego hoc loco Γορδίου, ut legit interpres.

Pag. 381.

Νῦν δὲ Ἀρχύτας ἦν ὁ κωλύσας, καὶ Διονύσιος Ἀρχύταν μὲν ἐπιστέλλοντα ᾐσχύνθη.

Nunc vero Archytas id prohibuit, atque eum Dionysius, postquam legatos ad eum misisset, reveritus est.

Historiam hanc habes apud Plutarchum in Dione.

Pag. 413.

Τοσούτῳ δ' ὕστερον χρόνῳ καὶ ὅτ' ἐκ τοσούτων κακῶν ἡ πόλις αὑτὴν ἀνελάμβανε &c.

Tanto post tempore, cumque ex tot malis receperat se ipsam urbs.

Ex hoc loco ut & ex multis aliis, Ælianus falsi damnatur, qui variæ hist. lib. 2 cap. 13 vult Aristophanem ab Anyto & Melito Socratis accusatoribus pecunia emptum fuisse, ut Socratem ad populum traduceret, & Nebulas comœdiam fuisse veluti accusationis præparationem. Sed de hoc plura dicemus infra ad Aristophanis Nebulas, ubi Deo dante demonstrabimus eam fabulam præcessisse Socratis condemnationem annis circiter 25.

Pag. 429.

Ἐξεῦρε τὰ κληπικὰ, ὑφ' ὧν ἅμα σώζεσθαι καὶ τῶν ἐναντίων κρείττοσιν εἶναι περιῆν αὐτοῖς.

Rationem instruendæ aciei repperit, qua simul & ipsi servari & hostibus potiores esse possent.

Non est dubium, quin rescribendum sit τὰ τακτικά. Nam ἡ τακτικὴ scientia est militaris, qua servantur exercitus & victores fiunt, & ita videtur legisse interpres.

Pag. 474.

Τῆς δὲ ἐν Κορίνθῳ μάχης, καὶ

Eubulides autem inter Corin-

τῆς ἐν Λεχαίῳ μέσ© ἄρχων Εὐϐουλίδης. | *thiacam & eam, quæ fuit in Lechao commissa, pugnam imperavit.*

Ea pugna, quæ ἐν Κορίνθῳ hic dicitur, à Demosthene contra Leptinem magna pugna dicitur: ¹ ἀλλ' ὅτ' ἡ μεγάλη μάχη πρὸς Λακεδαιμονίους ἐγένετο ἡ ἐν Κορίνθῳ. Debet autem utrobique τὸ ἐν Κορίνθῳ intelligi ἐν Κορινθίων χώρᾳ. Facta enim est ea pugna, ut ait Diodorus, περὶ τὸν Νεμέαν ποταμὸν, qui quidem fluvius teste Strabone Corinthiorum & Sicyoniorum ditiones dividebat.

¹ *Sed quando magna pugna contra Lacedemonios commissa est, quæ ad Corinthum.*

Pag. 475.

Ὅμου τε γὰρ ἑξκαίδεκα οἱ σύμπαντες ἄρχοντες εἰς τὴν εἰρήνην ἀπὸ Λάχητος ἄρχοντος. | *Nam in universum à Lachete ad pacem usque sedecim ponuntur imperatores.*

Errat hic calculus, & τεσσαρεσκαίδεκα scribendum. Nam & ex verbis Aristidis, & numeris, quæ supra computat, quatuordecim tantum Archontes ex additione Summarum numerantur. Dixit enim supra: ² ἀπὸ δὲ Λάχητος εἰς Εὐϐουλίδην ἕϐδομος ἄρχων Εὐϐουλίδης αὐτὸς, ἀπὸ δὲ Εὐϐουλίδου πάλιν ἄρχων ὄγδοος Θεόδοτος. Sciendum est autem Græcos semper duos extremos terminos numerare, & sic à Lachete ad Eubulidem septem fuerunt Archontes, numerando & Lachetem & Eubulidem: rursus ab Eubulide octavus Archon Theodotus, numerando scilicet & Eubulidem & Theodotum, unde colligitur Summa Archontum quatuordecim, & sic eos numerat Diodorus, 1 Laches. 2 Aristocrates. 3 Ithycles. 4 Phormion. 5 Lysiades. 6 Diophantus. 7 Eubulides. 8 Demosistratus. 9 Philocles. 10 Micoteles. 11 Demostratus. 12 Antipater. 13 Pyrrhion. 14 Theodotus.

² *A Lachete ad Eubulidem, septimus Archon fuit ipse Eubulides: ab Eubulide rursus octavus Theodotus.*

Ibidem.

Διῳκίσθησαν δὲ καὶ Μαντινεῖς ὑπὸ Λακεδαιμονίων τῆς εἰρήνης ὀμωμοσμένης. | *At Mantinenses à Lacedamoniis fuerunt dissipati pace jam juramentis confirmata.*

Id factum est secundum Eusebium & ejus computum Dexitheo Archonte anno 4 Olympiadis nonagesimæ octavæ.

Pag. 504.

Pag. 504.

Καὶ Θεμιστοκλῆς μὲν Ἀρίθμιον ἐστηλίτευσεν.	*Et Themistocles quidem Arithmii nomen in columnam retulit.*

Sic eum virum etiam nominavit supra pag. 357 hujus tomi. At Demosthenes in oratione de Cherronneso aliter id nomen profert. [1] Ἄρθμιος φησὶν ὁ Πυθώνακτος ὁ Ζελείτης ἄτιμος ἔστω. Et in oratione de falsa legatione: [2] Ἄρθμιον τὸν Πυθώνακτος τὸν Ζελείτην. Et Æschines in fine orationis contra Ctesiphontem: [3] οἱ μὲν πατέρες ὑμῶν Ἄρθμιον τὸν Ζελείτην τὸν κομίσαντα εἰς τὴν Ἑλλάδα τὸ ἐκ Μήδων χρυσίον. Et Plutarchus in Themistocle: [4] ἔτι δὲ καὶ τὸ περὶ Ἄρθμιον τὸν Ζελείτην. Et Dinarchus contra Philoclem: [5] ὅτε φασὶν Ἄρθμιον τὸν Πυθώνακτος τὸν Ζελείτην κομίσαι τὸ χρυσίον. Hæc antiquorum turba in id nomen consentientium jubet corrigere hunc locum, & legere Ἄρθμιον.

In Ægyptiaca. Pag. 607.

Ἐπεὶ καὶ Φάρον ἐν τοῖς ἔπεσιν εἴρηκεν Ὅμηρος διαῤῥήδην ἡμερήσιον πλοῦν ἀπέχειν Αἰγύπτου.	*Etenim Pharum quoque diserte Homerus dixerit diurno itinere ab Ægypto distare.*

Hic Homeri versus exercuit omnes antiquos: extat in Odys. δ'.

[6] Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ Πόντῳ
Αἰγύπτου προπάροιθε, (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι)
Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.

Eratosthenes & alii ignorantiam Homeri in hoc loco reprehendunt, quasi ignoraverit Homerus, ubi sita fuerit Pharus insula, ut qui eam in alto mari collocaverit. Alii eum excusant & Strabo lib. I plura adversus Eratosthenem dixit, ut ab Homero τῆς ἀπειρίας opinionem removeret. Sed id præcipue apud Strabonem notandum est, Eratosthenem non videri attribuisse Homero monstrum opinionis, quod ei tribuit hoc loco Aristides, quod ex eo patet, quod Strabo nullam de tali accusatione mentionem facit, sed tantum ait, Homerum ab Eratosthene & aliis eo nomine reprehendi, quod Pharum insulam πελαγίαν dixerit, quæ terræ copulatur, & in eo consistit præcipue Strabonis apologia, quod mutatio facta fuerit ab Homeri seculo ad Eratosthenem, & per terræ aggestionem à Nilo factam

[1] *Arthmius Zelites infamis esto.* [2] *Arthmium Pythonactis Zelitem.* [3] *Patres nostri Arthmium Zelitem, qui aurum Medorum in Græciam attulerat.* [4] *Et id quod de Arthmio Zelite.* [5] *Quando ajunt Arthmium Zelitem asportasse aurum.* [6] *Insula deinde quadam est valde undoso in ponto Ægyptum ante (Pharum vero ipsam vocant) Tantum semota, quantum tota die cava navis Confecerit, cui stridulus ventus aspirat à puppi.*

junctam fuisse continenti Pharum, quæ Homeri tempore mari circumluebatur. Sic enim eorum reprehensionem proponit: οὐκ εὖ δὲ οὐδὲ τοῦτο προφέρουσιν αὐτῷ τῷ περὶ τῆς νήσου τῆς Φαρίας, ὅτι φησὶ πελαγίαν ὡς κατ᾽ ἄγνοιαν λέγοντι, id est, *nec bene etiam hoc contra eum proponunt de insula Pharia, quod ait eam in alto sitam, tamquam id per ignorantiam dixerit.* At non usus foret tali defensione, si putavisset Homerum intellexisse Phariam insulam distare à terræ continente unius diei navigatione prospera: quis enim id tulisset, paucorum seculorum spatio tantam aggestionem factam fuisse? Non igitur id dixit aut putavit Homerus, nec Eratosthenes & alii id monstrum sententiæ Homero tribuebant. Sed Aristides post Plinium, & cum eo alii recentiores male apud Homerum intellexerunt vocem Αἰγύπτου, & cum deberent de Nilo intelligere, de continente Pharo insulæ opposita intellexerunt: nam Homero Νεῖλος vox fuit incognita, sed semper Ægyptum vocat eum fluvium. Sic Menelaus Odyss. 4:

Ἂψ δ᾽ εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο Στῆσα νέας —

Id est, *Rursus ad Ægypti fluvii à Iove cadentis* (fauces sup.) *naves firmavi.* Unius igitur diei navigatione distabat à Nili ostio præcipuo tunc temporis, quod Homerus intellexit, & Heracleoticum ostium forte Menelai & belli Trojani temporibus nondum erat frequentatum, forte nec apertum, nam ea regio plures mutationes accepit, & plures διώρυγες facti sunt in ea, & Nilus, qui tempore Romanorum per septem ora tantum in mare suas aquas eructabat, nunc decem aut plus effluxiones habet, ut nos docent mappæ recentiores. Tum ostium Heracleoticum, per quod ramus Nili effluit, qui ἀγαθὸς δαίμων dicebatur, cum habeat nomen Græcum, ut & ipse ramus, non videtur esse tam antiquum, quam ii, qui nomina Ægyptiaca, habent, ut Pharmathiacus fluvius, qui per ostium Sebennyticum effluit. Desinant igitur ii, qui Plinium & Aristidem sequuntur, Homero tale ἀπόπημα tribuere, quod antiqui critici & ejus obtrectatores non tribuerunt, nec tribuet, quicunque accurate & cum judicio eum locum ejus rhapsodiæ legerit. Quod si quis instet, & dicat de altero Nili ostio non posse intelligi, quam de Heracleotico, quoniam Canobus Menelai navis fuit gubernator, à quo Canobus urbs denominata fuit, quæ non longe ab Heracleotico ostio sita, etiam ei suum nomen communicavit (nam & Canobicum ab ea urbe dictum est.) pro me respondebit ipse Aristides, qui pagina sequenti asserit, se à sacerdotibus Ægyptiis didicisse, Canobum urbem sic appellatam fuisse

fuiſſe multum ante Menelai tempora. Sed & ut concedamus de Heracleotico debere intelligi, ab illo ore ad Pharum inſulam Strabo lib. 17 centum quinquaginta ſtadia numerat, hoc eſt, milliaria 19 circiter, quod ſpatium tempore Menelai, quo navigatio remorum auxilio fiebat, non ita expedite ut nunc arte ea multum provecta ſit, erat [1] πανημέριος πλοῦς ordinarius: non enim per captiva mancipia fiebat violenta & coacta verberibus navigatio, ut nunc fit, ſed remigibus utebantur voluntariis militibus, imo & heroibus ipſis, ut in Argonautarum expeditione. Ideo ſæpe intermittebant remigandi laborem: nam & ipſe Menelaus apud Homerum, poſtquam ἀντιθέους ἑτάρους nominavit, de iis ait:

> [2] Ἐν δ' ἦ καὶ αὐτοὶ βάντες ἐπὶ κληῖσι κάθιζον
> Ἑξῆς δ' ἑζόμενοι πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς.

Addit autem Poëta, *cum ventus ſtridulus pone flaret*: nam eo reflante non potuiſſent tantum ſpacium permeare, imo nullum, ſi violentius ingruiſſet. Ideo neceſſe erat & hoc addere. At cavendum eſt nobis à Plinii interpretatione, qui libro 2 cap. 85 videtur ſententiam Homeri abſurdiorem facere velle, dum πανημερίη interpretatur *noctis & diei curſum*, nam in ea voce ne umbra quidem eſt noctis, ſed ut πάννυχος per totam noctem ſignificat nulla diei parte intellecta, ſic πανημέριος per totam diem ſine ulla noctis parte intelligi debet. Ad hæc omnia ſi addas defenſionem, qua utitur Strabo, ſcilicet Homerum ex perſona Menelai ea dixiſſe ſuas peregrinationes in majus tradentis, [3] ἀλαζὼν γὰρ δὴ πᾶς ὁ πλάνην αὐτοῦ διηγούμενος, τούτων δ' ἦν καὶ ὁ Μενέλαος, facile abſolvetur omnibus calculis bonus Homerus, ſi ex perſona Menelai πανημέριον πλοῦν vocabit ſpatium à Pharo ad Nilum. Sed & in eo erravit noſter Ariſtides, quod Canobum à Pharo diſtare ait ſtadiis tantum centum viginti: nam id quidem verum erat terreſtri itinere, de quo non agitur hîc, & quod brevius erat. Audi Strabonem: [4] Κάνωβος ἐστὶ πόλις ἐν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίοις ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πεζῇ ἰοῦσιν. Sed ab ipſo Canobico vel Heracleotico oſtio ſtadia ſemper centum quinquaginta per mare eunti numerat Strabo: ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ Φάρον τὴν νῆσον ἄλλοι στάδιοι πεντήκοντα πρὸς τοῖς ἑκατόν. Male id ſpatium contraxit noſter rhetor, ut Homerum inſectaretur.

[1] *Diurna navigatio.*

[2] *Ipſi autem navim intrantes ad ſcalmos ſedebant, Et poſtea ſedentes canum mare remis verberabant.*

[3] *Vaniloquus enim eſt omnis, qui peregrinationem ſuam narrat. & talis erat Menelaus.*

[4] *Canobus eſt urbs ab Alexandria diſtans centum viginti ſtadiis pedeſtri itinere.*

In

In oratione de Paraphthegmate. Pag. 658.

K' ἄπιστα κλύουσι λέγω τάδε, & quæ ſequuntur.	*Atque hæc non cuivis dicam credenda repente.*

Latent hîc verſuum elegiacorum veſtigia, ſed mendoſa & male diſtincta, quæ ſic reſtituo:

K' ἄπιστα κλύουσι λέγω τάδε, φημὶ γὰρ ἤδη
Τέχνης εὑρῆσθαι πέρματα τῆς δε σοφῆ
Χέρος ὑφ' ἡμετέρης, ἀνυπέρβλητος δὴ πέλει ὅρος·
Ἀλλ' ἀμώμητον μηδὲν ἐγένετο βροτοῖς.


Pag. 686.

Ἡμετεραῖς βουλαῖς &c.	*Noſtris conſiliis.*

Extat integrum hoc de Epaminonda epigramma in Anthologia in epitaphiis, quæ ex vetere Mediceæ bibliothecæ codice deſcripta teſtatur Henricus Stephanus. Id vide pag. 503 in editione Henrici Stephani.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
ATHENÆI DIPNOSOPHISTAS.

LIBRO I.

Editionis Casauboniana

Pag. 22.

Εὔμηλος δὲ ἢ Ἀρκτῖνος ὁ Κορίνθιος τὸν Δία ὀρχούμενόν που παράγει.	*Eumelus sive Arctinus Corinthius Iovem saltantem inducit.*

Infra pag. 277 invenies, ubi id finxit ille Poëta, nempe in Titanomachia. Id enim poëma tribuit illi Eumelo vel Arctino: fuit autem unus è Cyclicis ille auctor Titanomachiæ, sive Eumelus fuit, sive Arctinus, ut ex eodem loco infra colligitur, & Salmasius id ipsum ad Solinum notavit.

Pag. 27.

Αἱ Παγασαὶ δοῦλαι. | *E Tagasis servi.*

Scriptum erat in editionibus vulgatis Ταγασαὶ, mutavit Casaubonus summus vir, & qui optimam operam navavit in Athenæo illu-

 strando,

ſtrando, emendando, & interpretando, & cujus memoriæ eo nomine gratias gratiſſimas agere debent omnes, qui litteraturam Græcam amant. Mutavit ex manuſcripto, & ait Ταγασαῖς urbem nullibi memoratam fuiſſe. Quod verum eſt; ſed niſi manuſcripti auctoritas accederet, poterat minimo negotio emendari & defendi vulgata lectio, legendo cum apoſtrophe: αἵ τ' Ἀγασσαί. Nam Titus Livius lib. 44 Agaſſam urbem in Macedonia habet, quam lectionem fruſtra Turnebus ſollicitat, & legit *Pagauſam*. Nam rurſus idem Livius lib. 45 *Agaſſas* in plurali numero nominat Macedoniæ urbem, idque non ſemel. Ideo non auſim affirmare debere legi, ut Caſaubonus affirmat Παγασαί. Sed Livius male Agaſſas cum duplici σ ſcribit, ut ex hoc loco colligo.

Pag. 28.

Ἀμύγδαλα σιγαλόεντα. | *Molluſca amygdala.*

Interpretatur magnus Caſaubonus magna & admirabilia, vel compuncta & parvis foraminibus diſtincta. Ego vero, niſi tanti viri auctoritas me inhiberet, interpretarer molluſcas amygdalas, de quibus Plinius lib. 15 cap. 22, quarum ſcilicet fragile putamen eſt, & & ideo ſine ſtrepitu frangi & manducari poſſunt. Talia olim vidi Avenione, poſtea etiam Pariſiis in manibus Robini botaniſtæ curioſi: ajunt abundare ea Neapoli, & alibi in Italia. Id epithetum σιγαλόεντα ab Homero datum eſt habenis, oppoſitione, ut puto, ad flagrum ſeu μάστιγα, quod eſt maxime ſtrepitoſum (ut ita dicam) at habenæ nullo ſtrepitu facto inhibent aut flectunt equos. Sic & εἵματα σιγαλόεντα, dixit veſtes exquiſitæ mollitiei, & ideo ſine ullo ſtrepitu tractabiles. De hoc loco fuſe tractavimus in notis ad Heſychium, quas ad Schrevelium Batavum eruditum Heſychii novam editionem adornantem miſimus, brevi prodituras, ut ſperare nos fecit.

Pag. 30.

Ἀλλ' αἰθοσμία, καὶ πέπονι νεκταροσταγεῖ. | *Sed quod maturum nectarea ſaliva bene olet.*

Interpretantur Dalecampius & doctus commentator νεκταροσταγεῖ πέπονι de vino: ego vero, ut verba ſonant, de pepone dulciſſimo intelligo, ſic: *Sed ambroſmia & pepone nectareum liquorem ſtillante.* Nam ſi Athenienſes ab auſteris abhorrebant, & dulcibus delectabantur, quid dulcius optimo pepone? tum πέπων improprie de vino diceretur,

tur, quod non ſtillat, ſed funditur, & ea de cauſa Caſaubonus, ut vitaret eam improprietatem, ſic interpretatus eſt: *ſed anthoſmiam & uvam maturam, ex qua ſtillat in torculari nectar merum.* Sed duo incommoda mihi habere videtur ea interpretatio: primum, non animadvertit vir ſummus, ſe duo adjectiva ſeu epitheta ſine ſubſtantivo ſubjecto conjungere, & ſic pendere ſententiam, & ideo coactus fuit de ſuo addere *uvam*, de qua in Græco non fit mentio. Secundo, vinum ex torculari ſtillans non poteſt dici πέπον, quod adjective de vino veteri & maturo dici forte poſſet, de recenter expreſſo vero minime. Itaque credo πέπονι eſſe ſubſtantivum, νεκταροσταγεῖ vero epithetum peponi dulciſſimo valde proprium.

Pag. 31.

Κώμην τὴν πρότερον μὲν καλουμένην Λητοΐδα.	*Vicum olim vocatum Latoida.*

Euſtathius ad Iliad. λ hunc locum citat, & legit καλουμένην Λητοῦς. Sed nulla eſt differentia, quod ad ſignificatum.

Pag. 39.

Ἐσθίοντες κρέα πολλά, καὶ, Πίνοντες κρητῆρας οἴνου ἐπιστεφέας.	*Comedentes carnes multas, &, Bibentes crateras coronatos vini.*

Ad hæc ita doctiſſimus Caſaubonus: *horum verſuum priorem cenſuit Ariſtarchus tollendum, quia inquit auctor ἐπὶ κρεωφαγίας αὐχεῖν ποιεῖ τοὺς Ἕλληνας. Hoc ſonat iſta lectio omnium librorum, quos falſi omnes damnandos ſuſpicamur, & ſcribendum ἀπὸ κρεωφαγίας: apud Poëtam Heroës non gloriantur de eſu carnium, & viſcerationibus ſuis, apage iſtam inſaniam lurconibus, non heroibus, convenientem.* Hæc vir magnus, ſed non meminerat, dum ea ſcribebat, Pauſaniam in 1 Heliacorum hæc ſcripſiſſe: ἐλέγετο δὲ καὶ ὡς πρὸς Ἡρακλέα ἐρίσειεν ὁ Λέπρεος, μὴ ἀποδεῖν τοῦ Ἡρακλέους ἐσθίων, ἐπειδὴ δὲ ἑκάτερος αὐτῶν βοῦν, ἐν ἴσῳ τῷ καιρῷ κατέσφαξεν, καὶ ἐυτρέπισεν εἰς τὸ δεῖπνον, καὶ ὥσπερ καὶ ὑφίσατο ὁ Λέπρεος φαγεῖν οὐκ ἀδυνατώτερος τοῦ Ἡρακλέους, ἐτόλμησε καὶ μετὰ τοῦτο προκαλέσασθαι καὶ ἐς ἀγῶνα ὅπλων αὐτόν, id eſt, *dicitur etiam, quod de edacitate certavit cum Hercule Lepreus: cum autem uterque bovem eodem temporis ſpatio occidiſſet & ad cœnam præparaſſet & ut promiſerat Lepreus, non viſus eſt minus potens in edendo ipſo Hercule, auſus eſt poſtea illum ad certamen armorum provocare.*

Pag. 62.

Δοκεῖ ἢ ἡδὺ σφόδρα τοῦτ' εἶναι καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχειν κρεώδη.	*Quod suavissimi gustus esse credunt, odore carnis.*

Loquitur de bulbis, & iis, quæ sub terra nascuntur, & de quodam bulbo ejus generis, quod apud Cyrenenses nascitur, de quo hæc ait, *esse gustu multum suave, & odorem habere carnis.* Apage ab isto gustu in radice vel in fructu, non enim ferendus foret talis sapor. Si mihi credis lector, leges mecum καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχειν καρυώδη, id est, *nucum* vel *juglandium habere odorem*, quod & verum est in tuberibus.

Lib. 2. Pag. 68.

Οὐχ ὁρᾷς ὧδ' ὁ Μελέαγρος Γλαύκωνος ὢν μεγάλου γένους — σικύου πέπονος ἀνηχίου κνήμας ἔχων.	*Nonne vides Meleagrum Glauconis filium; ortum claro genere, tibiis sicyo peponi sterili similibus.*

Hæc sic vertit interpres. At ego τὸ μεγάλου γένους de corporum amplitudine & vastitate ejus gentis intelligo. Nam quando Plato Meleagrum illum insectatur & traducit, male conveniret comico scommati nobilitatem ejus prædicare. Erat scil. ille Meleager natus ex parentibus, quorum moles corporis erat vasta & inconcinna; ideo lusit comicus in ambiguitate vocis μεγάλου, quod sic intelligi debere patet ex eo, quod sequitur, σικύου πέπονος ἀνηχίου κνήμας ἔχων. Nam intelligi debent ea de suris magnis, & peponum magnorum more protuberantibus. Eunuchi enim sæpe in amplissimam corporis molem crescunt, ut boves castrati, qui tauris multo majores evadunt. Sic forte ἀνήχιος πέπων dicitur magnus & protuberans; & sic intelligi debere suadet Anaxilas, cujus locus statim sequitur, τὰ ἢ σφυρὰ ᾤδει μᾶλλον ἢ σικυὸς πέπων, *malleoli vero tumebant magis, quam pepo.* Aliter quidem censet Casaubonus, & de gracilitate aurium intelligit, nempe quod cucumeres Scytalici sint oblongi & tenues. Sed aliter Athenæus intellexit, quando de peponibus loquitur, & vox σίκυος πέπων, qua utitur Plato, de pepone, non de cucumere, oblongo intelligitur. Et ex hoc loco mihi videntur antiqui Græci nostros pepones seu melones non ignorasse. Id tamen non admittunt viri eximii & πολυμαθέστατοι, ideo in hoc loco tractando aliquantulum immorabor. Vox σίκυος generaliter mihi videtur sumi apud Græcos pro cucumere, melone, melopepone, aliquando & pro cucurbita (quæ tamen in fœminino genere σικύα à Theophrasto dicitur.) Sic etiam Latinis vox *cucumis* generalis

generalis est, quæ etiam pepones seu melones & melopepones complectitur, ut aperte satis Virgilius Georgic. 4.

—— tortusque per herbam
Cresceret in ventrem cucumis ——

Quæ verba de cucumere oblongo & tereti, & sine ventre, non possunt intelligi. Sed de pepone, qui protuberat & crescit in ventrem sphæræ similis. Idem firmat etiam Plinius lib. 19 cap. 5. *Cartilaginei generis*, inquit, *extraque terram & cucumis mira voluptate Tiberio principi expetitus, quippe nullo non die contigit illi, pensiles eorum promoventibus in soles rotis olitoribus, rursusque hibernis diebus inter specularium munimenta revocantibus, quin & lacte & mulso semine eorum biduo macerato, apud antiquos Græciæ auctores scriptum est seri oportere, ut dulciores fiant.* Et paulo post de iisdem cucumeribus: *ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit mali cotonei effigie — melopepones vocant, non pendent hi, sed humi rotundantur.* In quibus Plinii verbis plura consideranda sunt. Primo, gustus illam insignem voluptatem Tiberio principi expetitam meloni nostro optime convenire, cucumeri vero nostrati nequaquam, qui nulla gustus suavitate insignitus est: nam (ut Medici loquuntur) est ἄποιος. Secundo illa in semine macerando diligentia vel lacte vel mulso vel vino Hispanico nobiliore, etiam hodie adhibetur in melonibus serendis, ut dulciores fiant: at in cucumere, qui dulcedinem non recipit, nihil tale fit. Tertio, melopepones vocatos mali cotonei effigie sub cucumerum genere à Plinio poni: at ea effigies parvis melopeponibus rotundis satis convenit, cucumeri nostrati minime, qui non rotundatur. Tertio, dum ait, *hi non pendent, sed humi rotundantur*, nos docet etiam sub cucumerum nomine olim censitas fuisse cucurbitas pendentes in trichilis, quas vocamus *courges* & *calebaces*: nam cucumis nostras humi serpit, non pendet. Cæterum ea fere omnia habet Plinius ex Theophrasto. Sic enim Theophrastus lib. 2 de causis plantarum cap. 19: διὸ καὶ ἐπὶ τῶν σικύων ἐλέχθη πρότερον, ὅτι βρεχομένων ἐν γάλακτι τῶν σπερμάτων ἢ ἐν μελικράτῳ γλυκερώτεροι γίνονται, id est, *quapropter & de cucumeribus prius dictum est, quod semine macerato in lacte seu melicrato* (quod Plinius *mulsum* vocat) *dulciores fiunt.* Et lib. 5 cap. 6 ἐὰν γάρ τις χειμῶνος ἐν ταλάροις φυτεύσῃ σικύου σπέρματα, καὶ ἄρδῃ τε θερμῷ, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον ἐκφέρῃ, καὶ πρὸς τὸ πῦρ τιθῇ, καὶ ὅταν ἡ ὥρα τοῦ σπείρειν καθήκῃ, σὺν αὐτοῖς ταλάροις φυτεύῃ, πρώϊοι σφόδρα γίνονται. *Nam si aliquis hieme in calathis cucumeris grana seminet, & tepida aqua irriget, & in sole exponat,*

& admoveat igni, & quando serendi tempus erit, cum ipsis calathis transplantet, pracoces admodum fient. Ex his locis, ni fallor, colligi potest vocem Σίκυος Græcis & *Cucumis* Latinis esse genus, cujus sunt species melones, melopepones, cucumeres nostrates cucurbitæ: Græcis σίκυος πέπων, μηλοπέπων, σίκυος, κολοκύντη. Inter σίκυος simpliciter dictum pro specie & σίκυος πέπων ratio differentiæ est manifesta: nam σίκυοι πέπονες dicti sunt à maturitate, eo quod non manduntur nisi maturi, at cucumis nostras, oblongus & κυλινδροειδὴς maturus non manditur, sed multo ante, quam ad maturitatem perveniat; & πέπων differentia tractu temporis nomen proprium fructus facta est, dum ii, qui ἐν σικυῶνι, id est, in loco melonibus consito fructus quærebant, in maturum & odorum incidentes dicebant πέπων, id est, *maturus est*, brevitatis causa omnes πέπονας pro σικύους πέπονας dixerunt. Melopepones vero dicti sunt ii, quos vocamus Gallice *sucrins*, à dulcedine, cum à figura rotunda sæpe ad malorum figuram accedentia, tum præcipue eo, quod carnem duram habeant, ut poma, ad differentiam eorum, qui molliorem & humore plurimo diffluentem habent, quales sunt melones majores & protuberantes, qui intus cavum habent spaciosum. Eas duas melonum species optime distinguit Galenus ...... οἱ μηλοπέπονες, ἧττον μὲν τῶν πεπόνων εἰσὶν ὑγροί, καὶ ἧττον κακόχυμοι, καὶ ἧττον ὑπέρχονται κάτω, τὸ δὲ ἐς ἔμετον ἐξορμᾶν ὁμοίως τοῖς πέποσιν οὐκ ἔχουσι· τῶν δὲ πεπόνων οὐκ ἐσθίοντες οἱ ἄνθρωποι τὸ τῆς σαρκὸς ἔνδον, ἐν ᾧ τὸ σπέρμα, τὸ τῶν μηλοπεπόνων ἐσθίουσι, καὶ τοῦτ' αὐτοῖς συντελεῖ πρὸς διαχώρησιν, οἱ δὲ τὴν οἷον σάρκα μόνην ἐσθίοντες αὐτῶν ἧττον τῶν πεπόνων διαχωροῦσιν αὐτήν, id est, *melopepones peponibus minus humidi sunt, & melioris succi, & minus infra pervadunt, & minus ad vomitum provocant peponibus. Peponum vero homines non comedentes, quod intra carnem existit, ubi est semen, melopeponum id ipsum comedunt, & id eis confert ad excretionem, qui vero carnem solam comedunt eorum, non tam bene excernunt eam.* Ex hoc loco patet pepones Galeno esse nostros melones intus cavos multo humore diffluentes, quorum semen in involucro quodam pendente & lacero comprehenditur, quod quidem involucrum non manditur: melopepones vero esse nostros sucrinos, quorum carnis consistentia durior, qui intus solidi & sine cavo, ut malum, & quorum semen non pendet, sed in ipsa carne firmiter collocatur, quorum tota interior illa pulpa in qua semen latet, comeditur. Aristoteles etiam eos optime noverat, nam problematum lib. 20 cap. 32 proponit, [1] Διὰ τί οἱ σίκυοι πέπονες ἄριστοι γίνονται

[1] *Quare pepones optimi gignuntur in palustribus campis humidis, ut circa Orchomenum & in Ægypto.*

ἐν

ἐν τοῖς ἐλώδεσι πεδίοις ἐστὶν εὐύχεοις, οἷον περὶ Ὀρχόμενον καὶ ἐν Αἰγύπτῳ. Quod & hodierna experientia confirmat in nostris melonibus, qui optime proveniunt, & optimi evadunt in argilloso solo, ut in Augiæ nostræ vallibus. Quod si cucumeres nostros novisset solos Aristoteles, σικύους πέπονας non nominavisset. Nulla enim est ratio cucumeres longos nostrates sic vocandi, quando maturi nihil valent. His omnibus si addas, etiam hodie apud nos idem nomen obtinere *pepons* vel *popons*, & idem significare, satis credo patebit nostros melones seu pepones antiquis notos fuisse, primum Græcis, postea vero & Italis. Nam licet Parisiis & in nostra Armorica ii fructus vulgo vocentur *melons*, tamen in tota meridionali Gallia vocantur *Popons*. Hæc ni fallor sufficiunt ad firmandam nostram sententiam, scilicet melones nostros & sucrinos notos fuisse antiquis Græcis & Romanis etiam tempore Tiberii, & vocem σίκυος Græcam & *cucumis* Latinam fuisse nomen generale, cujus diversæ fuerint species cucumis nostras, qui immaturus manditur, Melo, Melopepon, &c. Casaubonus, qui primum fuerat in contraria opinione, & dubitabat, an melopepones nostri antiquis noti fuissent, tandem fassus est, se non tam firmiter adhærere priori suæ sententiæ ad Athenæi locum lib. 3 cap. 1, ad hæc verba: Τὸν σίκυον τρώγουσα γυνὴ τὴν χλαῖναν ὕφαινε, ubi sic ait, *in hoc versu & cucumerem & peponem possumus interpretari.* Si vox σίκυος interpretari posse censet de pepone, manifesto à sua priore sententia abscedit. Nam si Græcis non fuissent noti pepones, ille proverbialis versus de peponibus intelligi non posset. At in suis ad Capitolinum notis aliam protulerat opinionem his verbis: *Cucumeris genus ætate Plinii in Campania primo natum, postea latius propagatum, & diligenter cultum, melopepones initio dicti, & Græcis quoque melopepones, postea contracta voce melones, ut hic & apud Palladium: nihil melones isti ad hodiernos, quos omnis vetustas ignoravit, etsi fuisse, & veterum melones à cupediariis expetitos ex hoc loco & alio in Gallieni vita possis colligere, meminit & Vopiscus in Carino.* Hæc sunt Casauboni verba, in quibus videtur fluctuare ejus sententia. Sed ut sunt δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, mutasse sententiam videtur in loco ad Athenæum supra citato, ubi ait vocem σίκυον posse de melone etiam intelligi. Restat nunc, ut dicamus, quare Cratinus & alii melones vocaverint σικύους σπερματίας, cujus nominis aliam rationem non video, nisi quod melonum semen cum multa cura eligebatur, & ab exteris etiam regionibus asportabatur, ut & hodie etiam prima ea cura est, ut optimorum

morum melonum ſemen habeamus : at cucumerum noſtratium ſeminis nullus eſt delectus, nulla cura de optimo ſemine. Ideo credo σικύες σπερματίας primum Græcos nominaviſſe melones, quorum ſemen aliunde importatum fuerat, puta Ægypto, vel Perſide, vel India. Sed apponendi ſunt Cratini verſus ab Athenæo citati,

— — Παῖ πετ' εἶδες εἰπέ μοι
Τὸν ἄνδρα τῇ Λαέρτε φίλ⊕ ἐν Πάρῳ
Σίκυον μέγιστον σπερματίαν ὠνέμϐυον,

Id eſt, *numquam ne vidiſti, dic mihi, ô fili Laërtæ amice, illum virum in Paro cucumerem ſeminalem maximum ementem.* Ad quæ verba Athenæus, ὅτι σὺ πέπονας σικύες σπερματίας κέκληκεν ἐν Ὀδυσσεῦσι, id eſt, *quod pepones, cucumeres ſeminales vocavit in Vlyſſibus.* Et in ea interpretatione conſentit Heſychius : [1] σίκυ⊕ σπερματίας ὃν ἡμεῖς μηλοπέπονα. In eo tantum differt, quod μηλοπέπονα interpretatur, quod Athenæus ſimplicius &, ut credo, melius πέπονα dixerat. Nam quod Cratinus dixit σίκυον μέγιστον peponi optime convenit, qui aliquando in magnam molem creſcit, ut Capuæ & Neapoli, ubi audio melones quadrilibres ſæpe, aliquando & ſelibres venales proſtare : melopeponi vero, qui in mediocrem molem tantum evadit, minus convenire videtur, multo minus cucumeri, qui ſuam menſuram numquam excedit, quæ ut plurimum eſt ſemipedalis Cylindri. Hæc ſunt, quæ me nutantem & ob ſummi viri maximam apud me auctoritatem fluctuantem impulerunt, ut ab ejus opinione diſceſſerim, de quo judicabit æquus lector.

[1] Cucumis ſeminalis, quem nos Melopeponem vocamus.

Ad Lib. 3. Pag. 72.

Ἔστι δ' ἐν Σικυῶνι Κολοκασίας Ἀθηνᾶς ἱερόν.	*Eſt apud Sicyonios Colocaſiæ Minervæ delubrum.*

Vult Athenæus Minervam Sicyone Colocaſiam dictam à planta Ægyptia, nec ejus etymi rationem reddit. At non poterat à planta Ægyptiaca nominari id ſimulachrum Sicyone ſitum, quando ea planta in Græcia non naſcebatur. Unde igitur id nomen habuit? à veſtis ſpecie & amictu, in quo efficta fuerat Κάσης vel Κάσας vel Κάσσα vel Κάσσον, nam ſic variat id nomen apud auctores, erat veſtis ſpecies. Heſychius : [2] Κάσας, ἀμφιτάπης καὶ πῖλος. Κασσὸν ἱμάτιον παχὺ καὶ παχὺ περιβόλαιον. Julius Pollux : κάσας δ' ἱππικὰς Ξενοφῶν εἴρηκεν ἐν τῇ παιδείᾳ, αἱ δ' εἰσὶν ἐσθῆτες εἰλικαί. Et paulo poſt : ἔστι δ' ἐξ ἐρίων πίλημα φοινικοῦν, ᾧ φαιδρυνοῦσι τὰ ἔδη τῶν θεῶν, id eſt, *eſt autem è lana coactile phœniceum*

[2] Κάσας utrinſque villoſi tapetes & coactilia. Κάσσον veſtis ſpiſſa & aſperum involucrum. Κάσας eques tres Xenophon dixit in Pædia, ſunt autem veſtes, ...

phœniceum, quo ornant deorum statuas. Itaque Ἀθλωδὰ κολοκάσια à curta palla seu involucro nominata est, ut ego conjicio: nam prothesis κολο brevitatem quandam & decurtationem semper significat.

Pag. 75. & 76.

Παρμένων ὁ Βυζάντιος ἐν τοῖς Ἰάμβοις τὰ ἀπὸ Καύνων τῆς Αἰολικῆς πόλεως ὡς διάφορα ἐπαινῶν φησιν, Ἦλθον μακρὴν θάλασσαν, οὐκ ἄγων σῦκα Καύνεα φόρτον. ὅτι καὶ τὰ ἀπὸ Καύνου τῆς Καρίας ἐπαινεῖται κοινόν.

Parmeno Byzantius in Iambis è Cauno, quod oppidum AEolicum est, laudans ut excellentes ait: Per longa maris spatia ego accessi, nec tamen ficuum Cauniarum fasces advexi. Caunias è Caria ficus celebrari pervulgatum est.

Ad hunc locum sic commentatur doctissimus Casaubonus: *melius scribas* Καυνῶν, *ut rectum sit* Καυναὶ (male legitur Καυναῖ) *unde fit gentile nomen* Καυναῖος, *atque ita scribi debet in sequenti versu Parmenonis* Καυναῖα φόρτον, *non* Καύνεα φόρτου. *Etiam apud Ciceronem Cauneas scribendum, quod exauditum est, cave ne eas. Cauneas caret analogia. Caunias alienum ab eo sono. Caunæ Æolidis oppidi nomen: Caunus alterius oppidi in Caria. A* Καῦνος *fit* Καύνιος, *at* Καυναῖος *fit à* Καυναὶ, *ut* Ἀθηναῖος *&* Θηβαῖος. Hæc omnia mihi valde arrident excepto uno, quod nimis fisus vulgatæ lectioni hujus Athenæi loci vult oppidum Æolidis nomen habuisse Καυναὶ. Sed & Strabo & Livius & omnes, quos vidi auctores, uno consensu Καναὶ vocant: nec ullibi potui invenire id oppidum vocatum fuisse Καυναὶ, ut vult doctus commentator ex hoc Athenæi loco forte mendoso persuasus, licet in Geophraphicis Græciæ satis desudaverim. Sed cætera valde probo: nam proculdubio mutandæ sunt eæ voces Καύνεα φόρτου, quomodo vero mutandæ sint, videndum accuratius: nam si in textu Athenæi non irrepsit Αἰολικῆς ut suspicor, legendum foret ἀπὸ Καναῶν τῆς Αἰολικῆς, & in versu Parmenonis Καναῖα φόρτον. Sed si tollas illud glossema Αἰολικῆς, quod, ut puto, è margine male in textum receptum est, legendum erit proculdubio, Καυναῖα φόρτον, ut vult summus vir, & sic optime procederet hujus loci lectio, Παρμένων ὁ Βυζάντιος ἐν τοῖς Ἰάμβοις τὰ ἀπὸ Καυνῶν τῆς πόλεως ὡς διάφορα ἐπαινῶν φησιν:

Ἦλθον μακρὴν θάλασσαν οὐκ ἄγων σῦκα

Καυναῖα φόρτον

Ὅτι ἦ τὰ ἀπὸ Καύνου τῆς Καρίας ἐπαινεῖσθαι κοινόν.

A voce Καῦνος bene dicitur Καυναῖος cum analogia, quod pace tanti viri salva dixerim, ut ab Ἐχῖνος Ἐχιναῖος, ab urbe Κῶος Κωαῖος, à Κίρνος Κυρναῖος, à Αλῦος Αλυαῖος. Ideo non male Stephanus, qui à Cauno Cariæ dici Καύνιος & Καυναῖος nos docet: non enim rejicienda est ea in Parmenone lectio, qui non mihi videtur de Canis in Æolide intellexisse, quam urbem non video à ficuum præstantia vel abundantia celebratam, sed de Cauno Cariæ urbe ob id ipsum celebratissima, & quæ vel à Byzantio, ubi Parmeno scribebat, erat longe remota; ideo dixit μακρὰν θάλασσαν. Quod si ita est, & Athenæus scripserit Αἰολικῆς, ut editum est, fuit ejus μνημονικὸν σφάλμα vel παρόραμα, vel si manet in omnibus manuscriptis ea vox, legendum est in Athenæo ἀπὸ Κανῶν, & apud Parmenonem Καναῖα φόρτον. Cæterum ingeniosissime Casaubonus & verissime concludit legendum esse apud Ciceronem *Cauneas*, & ita etiam legendum esse apud Plinium dicendum est: nam mendosa codicis Ciceroniani lectio codices Plinianos proculdubio inquinavit, ubi nunc legitur lib. 15 cap. 19. *quaque conscendenti navim adversus Parthos omen fecere M. Crasso venales prædicantis voce Caunea.* Non enim fecisset ea vox omen Crasso, nisi penultima longa pronunciasset ille *Cauneas*, quasi *cave ne eas*. Ideo frustra est Claudius Salmasius ὁ πάνυ, qui apud Papinium Statium in Saturnaliorum poëmate Sylvarum I in hoc versu:

Et quas præcoquit Ebosia cannas.

mutat, & vult legi *Cauneas*, de ficubus id intelligens scilicet. Sed multa sunt, quæ me ab ea mutatione demovent. Primo omnium codicum & editionum consensus, quæ omnes *Cannas* exhibent. Tum ratio metri, quæ non patitur *Cauneas* trissyllabum per crasin fieri *Cauneas* dissylabum. Nam à Cauno non fit *Cauneus* secundum analogiam, sed *Caunius* aut *Caunæus*. Sic enim Stephanus in Καῦνος. τὸ ἐθνικὸν Καύνιος, καὶ Καύνια, καὶ Καυναῖος. Tum Cauneæ non dicebantur absolute ficus cujuscunque loci, ut Caricæ, sed Cauniæ intelligebantur tantum ficus Cauno advectæ, ut loquitur Cicero, qui interpretatur *Cauneas* ficus Cauno advectas, quod superfluum fuisset, si vox *Caunea* eundem usum habuisset, quem vox Caricæ. Nulla igitur ratio est, quare ficus Ebuso advectæ *Caunea* dictæ fuissent, quæ Ebusicæ dici debuissent. Ad ea Salmasii fautores respondent

dent vocem *Caunæas* generali nomine significasse etiam ficus ubicunque natas, ut *Caricas*, & locum Columellæ proferunt, quem sic legunt, ut in quibusdam editis legitur: *Livia Chalcidicis, & caunis æmula Chiis*. Sed valde miror eos non advertere mendum manifestum esse in ea lectione. Nam à Cauno urbe ficus non dicebantur *Caunæ*, id esset contra omnem analogiam, sed *Caunia* vel *Caunæa*, ut supra ex Stephano probavimus. Itaque cum ea vox sit contra analogiam, & alibi non inveniatur, mendosa censeri debet, & legendum est *canis*, id est, albis, ut dicuntur *cana lilia*, id est, candida, &, *cana pruna* apud Martialem in eo significatu, lib. 7 epigr. 52.

Parvaque cum canis venerunt coctana prunis.

Nam & de Chiis albis facit mentionem ex Cloatio Macrobius lib. 3, & ex Plinio discimus ficus candicantes dici delicatas lib. 15 cap. 18, & idem Plinius lib. 47 cap. 25 expresse ait ficus albas præstantiores, nigras vero deteriores, dum sic ait: *& contra gravi ostento, cum in deteriora mutantur, ex olea in oleastrum, ex candida uva & ficu in nigras.* Et scio ipse gustus experimento & omnium consensu, ficuum, quæ in Gallia nascuntur, optimas esse albas, quæ Massilienses dicuntur, & à Volscis Arecomicis vocantur *blanquettes de Marseille*. Et super eo audiendus Neapolitanus à Porta, qui de ficubus sic scribit: *tot generum præstantissimum est, quod vulgo fico gentile dicimus, quasi nobilitate cætera antecedat, principemque locum sibi vendicat albedine decora, sapore insigni, pinguedine, suavitate, jucunditate ac dulcedine, cum hiascit, candidissima demonstrat viscera.* Ideo nihil est dubii, quin apud Columellam legendum sit *canis æmula Chiis*, id est, albis. Sed & notandum est Papinium Statium in loco à Salmasio sollicitato, dum Cæsaris magnificentiam celebrat, & ea, quæ per cuneos populi Romani in Amphitheatro sedentis à velariis pluebant bellaria, res raras & pretiosas recensere. At Caricæ aridæ, cibus erat vilis, quo plebs sæpe vescebatur, & apud Lucianum in Vitarum Auctione ut vilis traducitur, ubi de Epicuro Mercurius ait: [1] τὰ γλυκέα φιλεῖ καὶ μελιτώδη, καὶ μάλιστα τὰς ἰσχάδας: & respondet emptor: [2] χαλεπὸν μὲν οὐδὲν, ὠνήσομαι γὰρ αὐτῷ παλάθας τῶν Καρικῶν. Et in Dialogo Dorionis & Myrtales recensens Dorion multas res, sed viles & parvi pretii, quas Myrtalæ dono dederat ut magnum quid, sic ait: [3] τί δ᾽ οὖν καὶ ἄρλυς ὀκτὼ ναυτικοὺς ἐν γυργαθῷ ξηρούς, καὶ ἰσχάδων βῖκον ἐκ Καρίας. Ex his liquet ficus è Cauno Cariæ advectas fuisse vilem cibum & plebeium, ideo in pretiosa illa Cæsaris pluvia non debuisset recensere Caunæas viles existimatas.

1 Dulcia comedit & mellita & præcipue ficus aridas.
2 Nihil in eo difficile: emam enim illi ficuum è Caria massas.
3 Quid igitur? nonne & octo panes nauticos in qualo siccos, & ficuum aridarum è Caria urceolum?

ſtimatas. At non erant viles cannæ illæ dulces Ebuſicæ, quæ raræ adhuc & parum cognitæ populo Romano, ut nec pruna Damaſcena è Syria adducta, nec Caryotides Idumææ, de quibus etiam hoc loco mentionem facit Statius. Sed & ipſe Salmaſius in Solinum pag. 937 hæc ait: *cum Cicero Caricas cauneas appellarit, quod carica generale nomen ſit de omnibus ficis ſiccatis.* Quibus verbis innuit Cauneæ non fuiſſe generale nomen ficus, ut Caricæ, & ideo Eboſicæ ficui non poteſt attribui. Sed & alia ratio eſt, quare ficus Eboſicæ non potuerint vocari Cauneæ ipſo Salmaſio judice in Plinianis Exercitationibus pag. 938. *Plinius* (ait) *qui in hoc Ariſtotelis loco* ἰσχάδα *Caricam vertit, ſi de ea Carica, quæ ibi peculiaris eſt, intellexit, pro genere minoris ficus poſuerit.* Caricæ è Caria ficus ſunt minores & parvæ molis ſecundum Salmaſium. At Eboſicas ficus ampliſſimas fuiſſe teſtatur Plinius lib. 15 cap. 19. *Ebuſo inſula præſtantiſſimas ampliſſimaſque.* Male igitur vocaviſſet Statius ficus Eboſicas Cauneas, & contra propoſitum ſuum, quod erat magnificentiam Cæſaris celebrare, viliori nomine depreſſiſſet Cæſaris munera. Nam Eboſicæ ficus præſtantiſſimæ & ampliſſimæ, Cauneæ vero exiles & vilis pretii. Ergo ſi mihi credis lector, leges apud Statium, ut legitur in omnibus editis & manuſcriptis *Cannas.* Nam ut audio in partibus Hiſpaniæ meridionalibus, ut Seviliæ, Cartagenæ, Malagæ, & in iis littoribus coluntur in hortis illæ cannæ dulcedine inſignes, & pro bellariis in ultimis ferculis apponuntur.

Pag. 85.

Τὴν Τελλίνην λεγομένην ἴσως δηλοῖ ἣν Ῥωμαῖοι μύτιλον καλοῦσι.	*Tellinam is ſcilicet vocatam innuit, quam mitulum Romani dicunt.*

Lege μίτλον. Nam ſi fuit Romana vox, non potuit habere τὸ υ: ea litera non utebantur Romani, niſi in vocibus Græcis, & Plinius libro 9 cap. 51 & lib. 52 cap. 9 *Mitulos* ſemper ſcribit, non *mytulos.*

Pag. 88.

Πλὴν τῶν ἐν τῷ Εὐρίπῳ τῶν Πυῤῥαίων.	*Exceptis ruffis in Euripo degentibus.*

Ita vertit Dalecampius, quaſi Πυῤῥαῖος & πύῤῥος idem eſſet. Caſaubonus vel non advertit, vel condonavit bono Dalecampio hoc erratum. Verte meo periculo: *exceptis iis, qui in Euripo Pyrrhæorum inveniuntur.* Duo Euripi apud Græcos celebres & maxime memora-

ti

ti fuerunt, unus Eubœæ insulæ, qui major & nobilior Εὔριπος καὶ ἐξοχὴν nulla adjecta differentia dicebatur sæpissime, alter Lesbi insulæ, de quo Aristoteles de hist. animal. lib. 5 cap. 15, & lib. 8 cap. 20, & expressius lib. 9 cap. 37, & de partu animal. lib. 4 cap. 5, & Strabo lib. 13, cui semper adjicitur epithetum Πυῤῥαῖος, & ubicunque Εὔριπος Πυῤῥαῖος invenitur, intelligi debet de eo, qui ad Pyrrham urbem Lesbi insulæ fluebat.

Pag. 90.

Κατ' εὐφημισμὸν γὰρ τὸ ἀνώφεάσεως ὠνόμασαν, οὐ γὰρ πραεῖα ἐστὶ καὶ ἁπαλὴ τῇ ἀφῇ, τραχεῖα δὲ καὶ ἀηδής.	*Quam boni ominis gratia significatu diverso ita nominant: quasi tactui mollem ac lenem, cum aspera & infesta sit.*

Hanc urticæ etymologiam videtur probare Casaubonus in suis notis, sed ab ἁπαλὸς non bene deducitur: nam non aspiratur ἀκαλήφη, at ἁπαλὸς aspiratur, ab ἀκαλὸς autem melius deduceretur. Et forte scripserat Athenæus hoc loco: ἀκαλὴ τῇ ἀφῇ. Sed non mihi arridet id etymum: nam ἀκαλὸς ad motum non ad tactum refertur, & quietus interpretatur, non lævis. Ideo præfero etymon, quod vulgo traditur à privativa α & καλὴ ἀφὴ, ὅτι οὐ καλὴν ἀφὴν ἔχει, *quod bellum tactum non habeat.*

Pag. 93.

Οὐ διέγλυπται, ἀλλὰ λεῖον ὄστρακον ἔχει καὶ δασύ.	*Concha spissa, non striata, sed levi operitur.*

Difficultatem parere hunc Androsthenis locum fatetur Casaubonus, eo quod eandem concham λείαν καὶ δασεῖαν faciat. Sed puto conciliari posse, si referatur τὸ δασὺ ad cirrhos & radiculas, quas eas conchas emittere ait sequenti capite: [1] ὅσαι δ' αὖ πέτραις ἢ σπιλάσι προσφυῶσι, ῥιζοβολοῦσι. Et quas radices byssum & lanas etiam vocari & texi probavit ipse Casaubonus luculenter ex Basilio & Procopio supra ad caput undecimum. Λεῖον autem hoc loco non opponitur τῷ δασεῖ, sed τῷ γλυπτῷ & τῷ τραχεῖ. Sunt enim Concharum species aliæ striatæ & tamquam scalptæ, aliæ asperæ, aliæ læves.

[1] *Quotquot autem petris & scopulis innascuntur, radices emittunt.*

Pag. 98.

Θαυμαστὴ δὲ ἡ Ῥωμαίων | *Admirabile Romanorum imperium*

ἀρχὴ καὶ ἀνυπόστατος.	*perium & cujus potentiam nemo sustinere possit.*

Athenæum hoc loco reprehendit Casaubonus, eo quod non probat hoc genus loquendi, & ea notione dici ἀνυπόστατον, dici non concedit. At si mihi licuerit Athenæum defendere contra tantum virum, dicam Athenæum optimo jure sub persona Cynulci exagitare & irridere illum oratorem, qui in encomio Romanæ reipublicæ dixerat Ῥωμαίων ἀρχὴν ἀνυπόστατον. Non enim rejicit eam vocem ut parum Græcam, quod summus vir putat, & in cassum adducit plures locos, in quibus usi sunt ea voce optimi auctores Hellenismi, sed damnat Cynulcus ejus abusum; optime enim dicitur βία vel ῥώμη ἀνυπόστατος, & ἀνὴρ ῥώμην καὶ θάρσος ἀνυπόστατος, qui vires corporis & animi firmitatem tantam habet, ut nemo ei resistere possit. Sic & ἀρχὴ ἀνυπόστατος bene diceretur de tyrannide & violento regimine, quod sufferri non potest: at vituperatio est non laus, & ideo Cynulcus jure tale loquendi genus reprehendit, debebat enim dicere: [1] Ῥωμαίων ἀρχὴν ῥώμην ἔχειν ἐν πολέμῳ ἀνυπόστατον, at pessime ille encomiastes & contra suum propositum vituperavit Romanorum imperium, quod dicere debebat leve & tolerabile, non vero ἀνυπόστατον, quod sufferri nequit.

[1] *Romanorum imperium vires habere, quibus in bello non potest resisti.*

Pag. 99.

Τὴν δὲ Σάμον ἀπορρῶγα τῆς πόλεως.	*Samum vero urbis fossas.*

Ad hæc ita commentatur vir summus. *Samum missa fuerat Atheniensium colonia, hanc vocat* ἀπορρῶγα *Atheniensium.* Vellem nos docuisset, quando missa fuit Samum illa Atheniensium colonia, id enim ignoro. Samus non fuit magis Atheniensium colonia, quam cæterorum Ionum, Epidauriorum fuit magis. Sic enim Pausanias in Achaïcis de iis, qui Samum insulam occupaverant duce Procle: [2] ἡγεμὼν δὲ ἦν τοῖς Ἴωσι Προκλῆς ὁ Πιτυρέως αὐτός τε Ἐπιδαύριος καὶ Ἐπιδαυρίους τὸ πολὺ ἄγων, οἱ ὑπὸ Δηϊφόντου καὶ Ἀργείων ἐκ τῆς Ἐπιδαυρίας ἐξεπεπτώκεσαν. Non fuit igitur Atheniensium colonia, sed eo, quod Athenienses ejus insulæ domini facti ea utebantur ad bellum gerendum contra Lacedæmonios & regem Persarum, & durante statu quadringentorum, & triginta tyrannorum, quicunque non delectabantur statu politico Athenarum, ii Samum ad exercitum secedebant. Facta est Samus eo tempore [3] Ἀθηνῶν ἀπορρώξ, & est, quod intelligebat Demades, & puto sic intellexisse etiam doctum commentatorem, sed abusus est voce *colonia.*

[2] *Dux erat Ionum Procles Pityrei ipse Epidaurius domo, & Epidaurios ut plurimum ducens, qui Epidauria exciderant à Deiphonte & Argivis pulsi.*

[3] *Athenarum frustum abruptum.*

Pag. 109.

Ἀχαΐνας τούτου τοῦ ἄρτου μνημονεύει Σῆμος ἐν ὀγδόῳ Δηλιάδος, λέγων τοῖς Θεσμοφορίοις γίνεσθαι· εἰσὶ δὲ ἄρτοι μεγάλοι καὶ ἑορτὴ καλεῖται μεγαλάρτια, ἐπιλεγόντων τῶν φερόντων, Ἀχαΐνην στέατος ἔμπλεον τράγον.	*Achaini meminit Semus octavo libro, cumque parari scribit per Thesmophoria: fuisse magnum & μεγαλάρτια dictos fuisse illos festos dies cantantibus, qui hæc gestabant, de Cerere Achainem plenum adipe Dea comedebat.*

Ille panis, ut puto, Ἀχαΐνης dicebatur non à quodam loco vel oppido, unde Ἀχαΐνους cervos Poëtæ appellarunt, quod censet doctus commentator, sed eo, quod magni erant panes, qui non sine maximo oris hiatu morderi poterant, ab *α* intensivo & *χαίνω hio* dicebantur. unde festa dies *μεγαλάρτια*. Ἀχαΐνα urbs nullibi invenitur. Species fuit quædam Cervi sic appellati à venatoribus vel rusticis, ut ait Apollonius Rhodius Argon. 4, ad quem locum equidem Scholiastes ait Achaïam esse Cretæ urbem, à qua Cervi ita denominantur. Sed ex epigrammate antiquo, ubi legitur; [1] καὶ σκύτος ἀμφιδόρου στικτὸν Ἀχαΐνεω, videtur hæc vox significasse νέβρον *hinnulum cervi*, soli enim juniores cervi seu hinnuli sunt στικτοὶ, & pellem habent maculatam, & duo pugiones, id est, cornua sine ramis. Cæterum nihil mutandum puto in Ἀχαΐνην στέατος ἔμπλεον τράγον: nam τράγος est farris species, de quo Plinius lib. 18 cap. 10. Est etiam pultis species ex eodem Plinii libro cap. 8. Ideo non est leviter damnanda vulgata lectio Ἀχαΐνη στέατος ἔμπλεον τράγον, est quippe velut definitio Ἀχαΐνης, quæ fiebat ex tritico trago dicto cum adipe subacto, τράγος tritici species barbati fuit, & multis aristis armati.

[1] Et pellem punctim variegatam Achaini utrinque lanceati.

Pag. 116.

Καὶ περιενεχθέντος τοῦ καλουμένου ὡραίου.	*Tum allato salsamento, quod Oraion vocant.*

Hesychius ὡραῖον dictum vult [2] τάριχος τὸ κατὰ τὸ ἔαρ συντιθέμενον. Potest tamen sic dictum intelligi, διὰ τὸ ἐκ πηλαμύδος πεποιῆσθαι ὡραίας καὶ εὐμεγέθους οὔσης. Ex verbis Strabonis id conjicio lib. 7 de Pelamydum captura: [3] εἰς δὲ Σινώπην προϊοῦσαι ὡραιότεραι πρός τε τὴν θήραν καὶ τὴν ταριχείαν εἰσί.

[2] Salsamentum vere compositum.

[3] Cum vero usque ad Sinopen venit, ad venationem & insalationem tempore commodior est.

Pag. 117.

Pag. 117.

Α'ϐάκων ψῆφον λέγε. | *Tabulam sume & calculos.*

Emendat Casaubonus ἀϐακὶς ψῆφον λάϐε: mallem ἀϐάκιον ψήφων λάϐε, *loculum calculorum accipe*, ut scilicet computaret & rationes subduceret.

Pag. 122.

Τὸ δ᾽ ἐκ Ταυρείον ὕδωρ ὠνόμασεν, ὦ φίλε, Σοφοκλῆς ἐν γαι.... ἀπὸ τοῦ περὶ Τροιζῆνα ποταμοῦ Ταύρου, παρ᾽ ᾧ κρήνη τις Ὑόεσσα.	*Taurinam aquam Sophocles dixit in * à Tauro fluvio prope Træzena labente, juxta quam fons Hyoëssa ductus manat.*

Hujus fluvii Pausanias meminit in Argolicis, eumque Ταύρειον vocat, non Ταῦρον, & eum postea Ὕλικον dictum fuisse testatur. Nisi consensus codicum & Hesychius me inhiberet, legerem libenter Ἰόεσσα, vel à multitudine violarum, vel ἀπὸ τοῦ ἰοῦ, à rubigine, quæ fontibus plurimis supernatat, præsertim mineralibus, nam à porcorum multitudine fontem dici non arridet. Cæterum optime Casaubonus supplevit hiatum ἐν γαι..... & legit ἐν Αἰγεῖ.

Ad Lib. 4. Pag. 131.

Ὅτε ἤγετο Κότυος τοῦ Θρακῶν βασιλέως θυγατέρα.	*Cum regis Thraciæ Cotyis filiam in uxorem duxit.*

Nomen ejus regiæ virginis, quæ nupsit Iphicrati, si quis scire velit, Tarsa vocabatur, & id nos docuit Cornelius Nepos in vita Iphicratis.

Pag. 137.

Ὡς μακρόθεν οὐκ ἀξίας παρεδύσεως γνωμένης.	*Quod inhonestus fuisset illius hominis accessus.*

Totum hunc Athenæi locum pessime interpretatus fuerat Dalecampius, optime correxit Casaubonus, unum tamen aliter mihi videtur intellexisse, quam intelligi debet, nempe verba supra scripta, quæ sic vertit, *res longe posita, non ritè quæsita atque intus recepta esset.* Sed ut ea melius intelligantur, altius repetenda res est. Frugalitatem mensarum antiquarum Atticæ traducit ex Alexide, Chione, & aliis, postea vero de suo narrat duo conviviorum non tam antiquorum inter Athenienses apparatum, quorum unum in Academia, alterum

terum in Lycæo dabatur, & ait, cum coquus vas quoddam figlinum seu patellam nomine λοπάδα ad quendam usum intulisset, ministros sacrorum omnes uno consensu id vas fregisse, ὡς μακρόθεν, οὐκ ἀστείας παρεσδύσεως γινομένης, quod interpretor, *quod è longinquo, & non in ipsa urbe facta* (patella) *apportata & male ingesta fuisset.* Scilicet ἀστείας intelligo ἀπ' ἄστεος, *urbana, in urbe facta*, quod mihi videtur magis convenire. Nolebant scilicet illi ἱεροποιοὶ Athenienses uti opere figlino aliunde apportato, quam ex Ceramico Athenarum suburbio, ubi erant figlinæ urbi & viciniæ sufficientes, & id erat ex antiquis moribus, & ex reipublicæ etiam utilitate.

Pag. 139.

Παρὰ τὴν καλουμένην Τίασσον ἐστί.	*Prope Tiasan fluvium situm.*

Ad hæc summus vir commentatur. *Lego* Τίασσαν, *ac verto prope Tiassam fontem.* Optime ex Hesychio reponit Τίασσαν, sed quod addit, *nam de fluvio dixisset* τὸν *non* τὴν, quasi fluviorum nomina non invenirentur fœminini generis, id non est semper verum, sed tantum ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Nam aliquando etiam inveniuntur, ut Ἤλεκτρα apud Pausaniam in Messenicis, Βάλυρα ἡ ibidem, Αὐλακασία ibid. Περσὴ ἡ apud eundem in Bœoticis, Δίρκη cognominis fonti in Bœotia Euripidi & Pindaro. Sed quod rarius est Καύκων Elidis fluvius in terminatione masculina, fœminini tamen est generis, ut notat Strabo lib. 8: [1] ὄντος δὲ καὶ ποταμοῦ ἐν τῇ Δυμαίᾳ μεταξὺ Δύμης καὶ Τριταίας, ὃς καλεῖται καὶ Καύκων θηλυκῶς. Id vir magnus non ignoravit, qui tam bonam operam & utilem in Strabone illustrando impendit, sed memoria hominis res est labilis & fallax.

[1] *Cum sit etiam fluvius in Dymæa inter Dymen & Tritaam, qui vocatur Caucon fœminini generis.*

Pag. 160.

Οὔτε μοι ἑκταίη μᾶζ' αἰδάνει.	*Mihi neque placet maza ante diem sextum cocta.*

Optime respuit Casaubonus eorum interpretationem, qui vertunt ἑκταίη *ante diem sextum cocta*: non enim convenit. Sed quid si quis putet legendum οὔτε μοι εὐκταίη μᾶζ' αἰδανή, οὔτε καρύκη, *neque mihi expetibilis est maza, neque placet caryca.* Auctoritas tamen Casauboni me rapit, ut credam potius latere in ea voce nomen loci cujusdam ob mazam optimam celebris. Ideo forte legendum est ἐκ Τηΐου: erat enim Τήϊον oppidum Bithyniæ memoratum Straboni lib. 12, Polybio, Diodoro &c.

Ad Lib. 5. Pag. 199.

Ζῶα τετορνευμένα. | *Animantium imagines torno sculpta.*

Cl. Salmasius vult legi τετορευμένα, & hoc loco, & paulo infra, & ut mihi videtur, optimo jure id censet. Sed non eget nostro præconio tantus vir, nec nostra approbatione ejus censura.

Pag. 203.

Ἐφανώθησαν δὲ ἐν τῷ ἀγῶνι καὶ στεφάνοις χρυσοῖς εἴκοσι. Πτολεμαῖός τε (sic legendum, non δὲ) ὁ πρῶτος καὶ ἡ Βερενίκη εἴκοσι τρισὶν ἐφ' ἁρμάτων χρυσῶν, καὶ τεμένεσιν ἐν Δωδώνῃ. | *Ludis quidem publicis aureis coronis viginti Ptolemæus primus donatus est: Berenice vero tribus & viginti super aureis curribus advectis & luco Dodonæ.*

Optime Casaubonus ἐστεφανώθησαν, & notanda est locutio, ἐστεφανώθησαν τεμένεσιν ἐν Δωδώνῃ, id est, *donati sunt*, *honorati sunt*. Nam ut coronæ sunt imperii & honoris notæ, quæ etiam diis attribuuntur, sic & templorum dedicationes summi honoris etiam erant testimonia, quibus imperatores suos ut deos beneficos, & tutelares colebant. Ex A. Gellio lib. 5 cap. 6, & ex Codice Theodosiano notum est, quid sit aurum coronarium, quod imperatoribus, vel ob susceptum nuper imperium, vel in triumphi honorem & ornamentum, vel propter lætitiam quandam publicam à populis vel urbibus imperatoribus mittebatur, ut hoc loco ad festi celebritatem & pompam exornandam. Nam non possum consentire summo viro, qui mutat verba sequentia, ut impensam coronarum regibus attribuat, non populis. Sed de hoc deinceps fusius. Nunc considerandum est, quare regibus Ægypti templa potius procul in Græcia ponenda voverint populi, quam in ipsa Ægypto: ratio, ut credo, est, quod licet Ægyptii natalibus, tamen Macedonia oriundi, Græcos honores affectabant, & Cyprum & Ciliciam obtinebant, ubi plures urbes erant Græcæ originis, quæ forte id voverant. Nam & ipse Ptolemæus urbem Arsinoëm ad Acheloum in Ætolia ædificari curaverat.

Ibidem.

Καὶ ἐγένετο δαπάνημα τοῦ νομίσματος τάλαντα δισχί- | *Pecuniæ in ea impensæ summa fuit talenta bis mille ducenta*

λια διακόσια τριάκοντα ἐννέα, μναῖ πεντήκοντα· καὶ ταῦτ' ἠριθμήθη πάντα παρὰ τοῖς οἰκονόμοις διὰ τὴν τῶν στεφανούντων προθυμίαν πρὸ τοῦ τὰς θέας παρελθεῖν.

centa triginta novem, minæ quinquaginta. Apud regiarum facultatum procuratores & dispensatores hæc omnia repræsentata supputataque sunt, singulari donantium alacritate, priusquam accederent ludorum spectacula.

Doctissimus & incomparabilis vir Casaubonus magis probat hîc legi προμηθείαν, & per τῶν στεφανούντων intelligit regem Ptolemæum & reginam. Sed si fuerint στεφανοῦντες, quinam erunt οἱ στεφανούμενοι: certe inglorium & absurdum fuisset regem à seipso coronari, quasi suarum virtutum approbatores non haberet alios, quam seipsum; tum si ea pecunia repræsentata fuisset à sui fisci & pecuniæ administris, dixisset παρὰ τῶν οἰκονόμων, non παρὰ τοῖς οἰκονόμοις. Scilicet numerata fuit ea pecunia ad coronarum & templorum impensam à legatis urbium vel populorum apud procuratores regios, antequam dies illius festi tali pompæ dicati præterirent; tanta erat eorum populorum & urbium alacritas & affectus προθυμίᾳ. Non enim (ut puto) Coronæ fusæ & cælatæ ab urbibus longinquis apportatæ fuerant cum fracturæ periculo, sed aurum ad pondus dictum coronæ, quam voverant, signatum numerabatur, vel rude pendebatur. Coronæ vero, quæ in pompa traducebantur, non erant ipsæ coronæ aureæ, sed earum formulæ ex ligno vel papyro Ægyptia inauratæ cum titulo pondus continente & nomen urbis, quæ dederat. Id suadet ipse Athenæus paulo supra, ubi ait παιδίσκας *puellulas* portasse coronam, cujus ambitus erat cubitorum sexdecim, altitudo vero bicubitalis: at si ea corona ex auro fusa fuisset, quænam puellæ suffecissent ad tale pondus & massam ejusmodi ferendam. Sic (credo) & templorum, quæ ædificari debebant, ferebantur formulæ cum titulo, cui Deo, & quantis impensis, & à quibus populis ædificari debebat. Tuenda igitur mihi videtur vulgata lectio, & per στεφανούντων intelligendi sunt Ptolemæus rex & Berenice ejus uxor regina, qui coronabantur ab urbibus, populis & collegiis regi Ptolemæo subditis, aut faventibus, qui in ejus gloriam tales impensas facere voverant.

 Pag. 207.

Pag. 207.

Διὰ τρυπάνων ἡρμοσμένοι.	*Qui coaßamentis terebra percußis adaptati.*

Concludit ex his verbis eruditissimus commentator, hos clavos licet decem aut quindecim pondo, non fuisse crassiores sesquidigito, quod extra hunc modum terebra non habeat explicationem ex Vitruvio. Sed non viderat unquam, credo, vir magnus, & in re litteraria consummatissimus, sed fabrilis artis non satis gnarus, fabros lignarios maxima foramina terebra satis modica facientes: plura scilicet foramina circumferentiam circuli majoris in ligno descripti tangentia interius faciunt, & eorum interstitia postea scalpro incidunt, & sic maximum foramen rotundant, & ideo clavi illi quindecim pondo fuerunt sine dubio crassiores multo, quam putavit vir ille summus.

Ibidem.

Ἦν δ' ἡ ναῦς τῇ μὲν κατασκευῇ εἰκόσορος.	*Viginti remorum ordines in navi fuerunt.*

Bene ita vertit interpres secundum rei veritatem, male secundum verba mendosa, quæ vertit. Putavit nempe εἰκόσορον ναῦν fuisse navem viginti remorum ordinum, sed debuit in Græco secundum suam versionem mutare vocem εἰκόσορος in εἰκοσήρης: maxima enim est differentia. Εἰκόσορος navis est actuaria, non magni pretii, quæ viginti tantum remis agitur, ut dicitur τριακόντορος, quæ triginta: at εἰκοσήρης navis erat maxima & molis extraordinariæ & stupendæ, quæ viginti remorum ordines habebat.

Ibidem.

Ἐν οἷς κῆποι παντοῖοι θαυμασίως ἦσαν περιβάλλοντες τῇ φυτείαις.	*In his horti omnibus plantis ad miraculum usque consiti.*

Multum me fallit conjectura, aut scripserat Athenæus [1] περιθάλλοντες. Nam [1] κῆποι περιβάλλοντες in navi habet aliquid duri, imo absurdi, & magis conveniret περιβαλλόμενοι.

[1] Circumvirentes & ramosi.

Pag. 209.

Ἣν ἐνίκησε τοὺς Πτολεμαίου στρατηγοὺς περὶ Λεύκωλλαν τῆς Κώας.	*Qua Ptolemai duces ad Leucollam Coæ superavit.*

Casaubonus ait omnes MSS. habere Λεύκωλλαν: mallem haberent Λεύκολλαν, ut Plinius; Strabo habet Λεύκολλαν, ubi etiam legendum credo Λεύκολλαν. Nam licet de hac Coorum Leucola nihil dixerint

xerint Geographi, eadem eſt ubique nominis ratio, ab albedine ſcilicet lapidis, ἀπὸ λευκοῦ λᾶα, dicta ſunt ea promontoria. De hac autem pugna tali nomine inſignita magnum apud alios auctores ſilentium. Demetrius quidem Antigoni filius ſuperavit Cillem Ptolemæi ducem, ſed Antigono abſente, & pugna terreſtri in Syria: pepulit & Menelaum Ptolemæi fratrem, at locus non dicitur, & ſi Demetrium nominaſſet Athenæus, reponerem ex Plutarcho pro τῆς Κώας, τῆς Κύπρου. Nam ex illius pugnæ narratione, non procul à Leucola Cypri promontorio pugnata eſt ea inſignis pugna navalis, ſed in ea Ptolemæus ipſe affuiſſe dicitur, non autem Antigonus. Ideo non auſim aliquid mutare. Mirum tamen eſt Diodorum, qui libro 19 & 20 Antigoni facta exequitur, nullam de hac ad Leucolam pugna mentionem feciſſe. Si qua fuit, tunc debuit fieri, quando Ptolemæum Halicarnaſſum obſidentem Demetrius pepulit, & obſidionem ſolvit, quod narrat Plutarchus in Demetrio.

Pag. 210.

Ὁ γὰρ τῷ προειρημένῳ Ἀντιόχῳ ὁμώνυμος βασιλεὺς, Δημητρίου δ' υἱός.	*Cum Antiocho jam memorato ejuſdem nominis rex Demetrii filius.*

Maximam in hiſtoria confuſionem generat ea nominum ſimilitudo in eadem familia: fuit tamen, ut ego conjicio, Antiochus iſte Grypus dictus, filius Demetrii Nicatoris.

Pag. 211.

Ἀντιόχου δὲ τοῦ Ἐπιφανοῦς υἱὸς ὑποβληθείς.	*Antiochi Epiphanis filii ſuppoſititii.*

Ille fuit, qui & Prompalus & Alexander Balas dictus eſt, de quo mentio fit Maccab. cap. 10, & apud Strabonem lib. 13, & Juſtinum lib. 35.

Pag. 218.

Πρὸ τοῦ τὰς ἐνιαυσίας ἐπὶ Ἰσάρχου ἐλαφηβολιῶνος συντελεσθῆναι σπονδάς.	*Anteaquam ſub Iſarcho, Februario menſe in annum pacta eſſent induciæ.*

Ad hunc locum notandum eſt ſummi viri commentatoris μνημονικὸν σφάλμα, qui negat de iis induciis Thucydidem feciſſe mentionem: at eas prolixe ſatis memorat lib. 4 pag. 328 editionis Henrici Stephani, cum vide.

Ad Lib 6. Pag. 227.

Ἡ δὲ γὰρ δαμάζεται Ἑφθοῖς προσώποις ἰχθύων χειρουμένη Ἄγουσ' ὑπ' αὐτὰ τὰ σώματα ἀρίστου πύλας. Ἀσύμβολον κλίνειν τ' ἀναγκάζει φύσιν.

Is enim domatur piscium elixa facie subactus, corporique subjicit cibi fores. Id naturam cogit scilicet conquiniscere ejus qui pecunia non collata immunis pascitur.

Ad hæc verba fatetur commentator se nescire, quid intelligendum sit per ἑφθὰ πρόσωπα piscium, & mutat τὸ ἀρίστου πύλας in εἰς ᾅδου πύλας. At ego credo nihil mutandum esse, & ni valde fallor, puto me intelligere verum hujus loci sensum. Sed ἀπίτω φθόνος, nam non ideo me supparem facio tali viro, qui fatetur se non capere hujus loci sensum. Nam fateor illum mille auctorum locos salebrosos explanasse, & intellexisse, quos ego sine ejus adminiculo forte numquam intellexissem. *Sed non omnia possumus omnes*. Locus hic est aliquantulum ænigmaticus (nam & res obscœnæ sic debent tractari) sed lepidus admodum & ingeniosus, qui ut melius intelligatur, altius repetenda est totius orationis series & sensus, à verbis ὡραῖον μειρακύλλιον. Piscator inducitur suam artem extollens & laudans, & inter cætera encomia, quibus eam celebrat, ait etiam in amatoriis rebus multum pollere, & amantibus utilem esse admodum, *quibus* (inquit) *bellus puer incantationibus & sermonibus capitur? quibus? dic mihi, si piscatoriam artem auferas? ea enim illum domat piscium elixis faciebus captans, & adducens ipsa corpora ad prandii portas.* Utitur eo genere loquendi προσώποις ἑφθοῖς, quia πρόσωπον πῦρ καὶ ἔρωτος θελκτικόν ἐστι, facies est, quæ amorem præcipue accendit, & est esca, quali capiuntur amantes, & sæpe etiam piscatores pisciculorum capitibus & frustis utuntur ad inescandos hamos. Tralaticie igitur piscator ad suam artem alludens ait, se amasios pueros inescare piscium faciebus elixis, eo quod piscium multorum capita sunt suaviora & gulosis maxime expetita. Sollicitavit Petitus in suis Miscellaneis hunc locum & maluerat legere, προσῳδοῖς, sed nulla necessitate. Cum igitur deformes pæderastæ non possint aliter placere suis catamitis, eos conviviorum impensis & gulæ diversis incitamentis alliciunt, & ars piscatoria (ait) tamquam Mercurius ipsa corpora adducit *ad prandii portas*, ἀρίστου πύλας, alludens scilicet ad ᾅδου πύλας, quo Mercurius mortuos

mortuos adducit. Melius igitur ars piſcatoria, quæ eos leviter & ſine mœrore & ejulatibus pueros adducit ad prandii portas. Hæc fuit ut arbitror ſententia Anaxandridæ Poëtæ, cujus ſunt hi verſiculi. Sed reſtat verſus ultimus explicandus, qui ſenſum reconditum habet & Græcanicæ obſcœnitatis plenum, ſed ænigmatice propoſitum: *ἀσύμβολον κλίνειν τ' ἀναγκάζει φύσιν.* Hæ voces convivales ſunt, & ad conviviorum morem alludunt & prima facie de convivio videntur intelligendæ, in quo conſiſtit poëtæ artificium, qui aliud oſtendit, aliud intelligit. Nemo neſcit, quid ſit conviva *ἀσύμβολος*; *κλίνειν* etiam ad convivia pertinet, & ad lectos, in quibus accumbebant convivæ. Sed ſubeſt alius ſenſus reconditus & obſcœnus & Græcorum *παιδεραστῶν* moribus conveniens: *ἀσύμβολον φύσιν* vocat maſculinum ſexum puerorum, cujus natura non patitur eos maribus adjungi, nam *συμβάλλω conjungo* ſignificat, & *σύμβολον* etiam *commiſſuram* & *juncturam* ſignificat, unde *ἀσύμβολος*, qui non conjungitur, aut conjungi non poteſt. *Κλίνειν* vero hoc loco neutraliter accipitur, non active, ut dicitur ſol *κλίνειν*, quando ad Occaſum vergit. Ergo *ἀσύμβολον κλίνειν τ' ἀναγκάζει φύσιν* nihil aliud innuit, quam pueros (quorum natura eſt non conjungi cum viris) nihilominus cogit ea ars *κλίνειν*, ſeſe inclinare & infanda pati, & ex ſuperioribus neceſſe eſt ſic intelligere, ut aliquid acuminis habeant hi verſus. Et illud eſt ex moribus Græcorum, qui in eam ſordidam, deteſtandam & igne puniendam libidinem propenſi libenter ad infames & monſtroſas illas cupiditates alludebant.

Pag. 237.

Εἶθ' οἱ μὲν εὐποροῦμεν, οἱ ἀλλύομεν.	*Deinde idcirco alii bonis affluunt, alii errabundi mendicant.*

Hic Alexidis verſus melius procedet, ſi legeris, *οἱ δ' ἀλύομεν*, id eſt, *anxii vagamur.*

Pag. 241.

Ἀλλ' ἐγὼ, ἔφη, μνημονεύω, ὅτε ὁ Κόρυδος ὀβόλου ἦν.	*Atqui recordor, ait, Corydum obolo tantum olim conſtitiſſe.*

Jocus Philoxeni fuit in Homonymia vocis *κόρυδος*, quæ nomen erat galeritæ aviculæ minimi pretii, & proprium nomen viri, quem traducebat ut *ὀλίγου μισθοῦ πορνευθέντος.*

Pag. 244.

Pag. 244.

Οὐδ' ἔστιν αὐτῷ πάτριον ὄντ' ἀσύμβολον Ἰχθυῶ ἔχοντ' ἄψηφον ἀδικεῖν οὐδένα.	*Praterea more patrio non licet, cum cænat absque symbola sine suffragiis scienter alicui facere injuriam.*

Casaubonus multa ad hunc locum ingeniose, ut solet, commentatus est, & ait Scaligerum legisse ἔχοντα vel ἑκόντα, & locum aliter interpretatum esse. Vellem nos docuisset, quænam fuit illius Heroïs interpretatio, forte nos onere levasset, sed quando non ita illi placuit, proferam etiam in medium nostram de hoc loco conjecturam. Gobio piscis marinus, de quo loquitur, vel est λεπιδωτὸς vel ἀλεπιδωτὸς (non enim unquam mihi contigit vidisse marinum Gobionem) si squamas habet conspicuas, credo legendum esse ἔχοντα ψῆφον. Si vero non est squamatus, tunc cum Scaligero legerem ἑκόντ' ἄψηφον, & sic in utraque lectione intelligo. Archephon parasitus gratis cœnabat, & erat ἀσύμβολος, & non habebat ψῆφον *calculum*, scilicet qui erat nota eorum, qui impensarum convivii suam contribuerant partem, quos par erat ab iis, qui gratis admissi fuerant, revereri. Ideo Alcenor ait illum revereri gobiones, qui ψήφους habebant, squamæ enim piscium non male calculis computatoriis assimulantur. Si vero legas ἑκόντ' ἄψηφον intelligo sensum Alcenoris fuisse, Archephontem ἀσύμβολον gobiones ἀσυμβόλους, ut ille fuit, & cum eo ejusdem sortis (eo quod non habebant calculos, id est, squamas) non voluisse attingere, aut concidere & injuria afficere ultro, & sine inediæ necessitate: aderant enim alii pisces, ut mulli squamati multo suaviores, quos concidere ut alienos a sorte sua malebat. Elige, ut voles, lector.

Pag. 252.

Ὕστερον γενέσθαι κόλακα δεινὸν Πτολεμαίου τοῦ ἑβδόμου βασιλέως τοῦ καὶ Εὐεργέτου κληθέντος καὶ τὰ μέγιστα δυνηθέντα παρ' αὐτῷ, καθάπερ καὶ παρὰ Φιλομήτορι	*Assentatorem post fuisse Ptolemai regis Ægyptiorum septimi, Euergetis cognomine, arte illa palpandi egregium, qua plurimum apud eum regem potuit, deinde apud*

ὕστερον ὑπ' αὐτοῦ διαφθαρῆναι.	*apud ejus successorem Philometorem, à quo tandem est interfectus.*

Interpres addit aliquid de suo, cum vertit, *deinde apud ejus successorem Philometorem.* Non enim dicit Athenæus successorem Euergeti fuisse Philometorem eum, de quo loquitur. Ptolemæus ille, qui omnibus Philometor dictus est, & nullum aliud cognomen habuit, fuit sextus ordine, frater natu major Euergetis, ideo potest recipere hic locus aliam interpretationem, nempe *qui plurimum apud eum regem potuit (ut etiam apud Philometorem poterat) postea ab eodem est interfectus.* Includens scilicet parenthesi hæc verba (καθ' ἅπερ καὶ παρὰ Φιλομήτορι) non ignoro Ptolemæum Lathyrum à quibusdam etiam dictum ironice Philometora ob odium suæ matris internecinum, sed quando Philometor absolute nullo alio cognomine addito dicitur, credo de primo Philometore intelligi debere, qui nullo alio nomine insignitus fuit; ut tamen super eo certi aliquid decernatur, expectanda est lux aliunde, sufficit notasse hunc locum varie interpretari posse.

Pag. 253.

Α῎μα παρῆν ὁ καιρός. | *Opportune præsto esse.*

Ad hæc verba plura subtiliter & docte Casaubonus, in uno tamen mihi videtur impegisse, quod Liberalia τὰ ἀστικὰ, quæ Elaphebolione mense celebrabantur, ait fuisse τελετηρικά. Vellem antiquorum testimonia de ea re adduxisset; non potuit: nulla enim inveniuntur. Dixit item Dionysia & mysteria alia fuisse majora, alia minora, & de mysteriis quidem nihil verius. Dionysia in majora & minora distincta fuisse nullus antiquorum dixit. Solus Ulpianus id asserit non satis idoneus auctor, & forte secundum sui seculi morem id loquutus est. Nam antiquorum Græcorum tempore Dionysia distinguebantur in ἀρχαῖα, & ἀστικὰ vel τὰ κατ' ἄστυ & Λήναια sive τὰ κατ' ἀγρούς: tria enim quotannis celebrabantur Dionysia, non duo, ut supponere videtur. Dionysia ἀρχαῖα, quæ cum olim celebria fuissent, tempore Aristophanis jam minus celebria evaserant, quæ Anthesterionis die 12 celebrabantur. Dionysia ἀστικὰ vel τὰ κατ' ἄστυ, celeberrima Elaphebolionis die 16. Dionysia κατ' ἀγρούς, quæ & Λήναια, mense Posideone hyeme, & quotannis recurrebant, ut ex Aristophane & ejus Scholiastis die clarius patet. Sed, ut pu-

 to,

to, Orgia Thebanorum Dionysia, Bacchi festum, quæ erant trieterica, cum Liberalibus Atheniensium confudit memoria labescente. De his post Scaligerum in libro de Emendatione temporum & Samuelem Petitum in legibus Atticis pluribus tractare supervacaneum foret, & actum agere, ad eos te remitto lector curiose: unum tamen te notare velim, scilicet pugnare cum ratione videri, & cum aliorum festorum & celebritatum more, quod asserit hîc doctus vir, majora Liberalia fuisse annua, minora vero trieterica. Nam Athenis Panathenæa minora annua erant, majora vero pentaëterica, & celebriora erant festa, quæ per plures annos intermittebantur, ut Olympia & Pythia.

Pag. 268.

Ἐρεῖ δὲ θ' ὕδωρ ἀνεκχέτει.	*Exundansque & effusa illabetur.*

Vult legi doctissimus vir, ἐπεὶ δὲ θ' ὕδωρ ἀναχαλκεῖ. Sed retineri potest vulgata lectio solo ε sublato à principio, sic (ῥεῖ δὲ θ' ὕδωρ ἀνεκχέτει) & id intelligi debet dictum per parenthesim (*fluit autem aqua sine effusione*) extra patinam scilicet: miracula facit ille coquus, qui loquitur, & ait omnia sibi sponte affutura sine servorum ministerio, & calidam sponte affusum iri in suos pisces, sed ea moderatione, ut quod necesse erit, tantum influat absque ulla ex patina effusione sine exundatione, & pulcherrimum adverbium formavit ἀνεκχέτει à privativa α & ἐκχέω *effundo*, eadem terminatione & analogia, qua dicitur ἀνάτει, *sine damno*, ἀναιμωτεί *sine sanguine*, ἀναυλεί *sine mercede* seu *naulo*, ἀνεπιστρεπτεί *sine conversione*, & sexcenta alia. Si vero quis pertendat legendum esse ἀνεκχέτει, eo sensu, *fluit aqua sine infusione*, id est, licet nullus eam infundat, non pugnabo.

Pag. 271.

Καταναγκοφόρους καλεῖσθαι δούλους.	*Appellari servos quosdam Catanancophoros.*

Putarem ex typographi incuria editum fuisse καταναγκοφόρους in notis maximi viri, nisi pluries repetita fuisset, & Latine etiam *catanacophoros* interpretatus fuisset: optime enim viderat τὸ καταναγκοφόρους in mendo cubare, & emendandum esse, sed vel memoria eum fefellit, vel calamus nimis properavit. Nam ex Aristophane in Concionantibus patet legendum esse καλωνακοφόρους, ubi Scholiastes hanc vocem interpretatur de veste servili: [1] ἱμάτιον ἐστὶ ἐκ τῶν κάτω μέρων νάκος,

[1] *Vestis est in inferiori parte vellus, id est, pellem assutam habens, hoc loco vero servilis est & illiberalis tunica.*

νάκος, τουτέστι διφθέραν περιερραμμένον, ἐνταῦθα δὲ δουλικὸς καὶ ἀνελεύθερος χιτών. Igitur ἀπὸ τοῦ κάτω νάκος ἔχειν dicta est κατωνάκη.

Ibidem.

Ἀρκαδίους φησὶ κεκτῆσθαι Προσπελάτων ὥσπερ Εἱλώτων τριάκοντα μυριάδας.

Scribit Arcadibus esse Prospelatarum, qui Eilotibus non sunt dissimiles, triginta myriadas.

Vox Ἀρκαδίους est proculdubio corrupta, non enim sic vocant Græci Arcadiæ populos, sed Ἀρκάδας. Idem Theopompi locus citatur infra, ubi pro Ἀρκαδίους scriptum est Ἀρδιαίους, quod optime, ut solet, Casaubonus mutavit in Ἀρδιαίους. Idem facere debebat etiam hoc loco. Nec turbare debet aliquem vox Græca προσπελάτων, nam non est forte nomen, quo illi Barbari Ardiæi suos clientes vocabant, sed puto esse interpretationem Græcam eorum officii, vel potuerunt etiam illi populi eam vocem à Græcis non ita remotis mutuavisse. Repone igitur confidenter Ἀρδιαίους φησί.

Ad Lib. 7. Pag. 307.

Ἐνῆσαν δὲ σκιατίδες. | *Aderant & Vmbræ.*

Sic vertit Dalecampius, in qua interpretatione nulla est umbra verisimilitudinis. Σκιαδεῖς quidem & σκίαινα (de quibus Athenæus infra pag. 322) *umbratilis* potuisset interpretari, licet satis improprie (non enim forte ἀπὸ τῆς σκιᾶς *ab umbra*, sed potius à figura τοῦ σκιαδίου, id est, *umbraculis simili* dicebantur) & quosdam *umbras* interpretari dicit Henricus Stephanus. At σκιαθίδες non ἀπὸ τῆς σκιᾶς sed ἀπὸ τῆς Σκιάθου νήσου dicuntur, mugiles nempe ex Sciatho insula Σκιαθίδες dicebantur, & ut optimi celebrabantur, testis Pollux lib. 6 cap. 10, & Clemens Alexandrinus pædagog. lib. 2. Legendum igitur Σκιαθίδες cum majuscula.

Pag. 309.

Ἄλλοι δὲ ἐπώλουν (ὡς ἔοικ') Ὀτρυνικούς.

Alii vero, ut manifestum est, vendebant alienigenas.

Verterat Dalecampius *extraneos*, optime Casaubonus *Otrynicos* ab Otryno pago Atticæ interpretatur. Sed non videtur cepisse hujus loci verum sensum & acumen poetæ: putat enim Otrynicos gobiones fuisse nullius pretii & omnium pessimos: at non est ita intelligendum, sed ridet poëta fatuum & loquacem piscatorem, qui dum

 suos

ſuos gobiones venales prædicabat, addebat eſſe Phalericos, *quaſi* (inquit) *alii venderent Otrynicos*. Ridet facete piſcatorem, qui cum Athenis venderet gobiones, quaſi rarum & extraordinarium aliquid, addebat Phalericos eſſe: at Phalerus fuit proximus locus maritimus, & aliunde non tam facile erat gobiones Athenas adferre. Otrynium vero demus fuit mediterraneus, unde non apportabantur piſces, nam licet ſolus Demoſthenes de illo demo fecerit mentionem, id ipſum argumentum eſt fuiſſe mediterraneum: nam de litoralibus demis ſæpius apud auctores fit mentio, & nullus eorum ignoratur, eo quod erant ἐν παραλίῳ, & ſæpe de iis loquendi occurrebat occaſio. Eſt igitur jocus poëtæ ſatis acutus in loquacem piſcatorem, qui rem notam inculcabat, & ridiculi gratia de Otrynico pago mediterraneo facit mentionem, quaſi inde gobiones advehi potuerint, quod erat abſurdum.

Ad Libr. 8. Pag. 334.

Εἰς τὴν Βολύκην λίμνην. | *In lacum Bolycen.*

Aſſerit Caſaubonus ſcripturam veterem quorundam librorum exhibere Βόλβην λίμνην, & ait quærendum eſſe, an de eo lacu loquatur Athenæus, de quo nullam video dubitandi rationem. Primum enim tribus lineis inferius legitur Βολύνην, quod idem eſt, ac ſi dixiſſet Βόλβην: nam in nominibus propriis ſæpe υ & ȣ pro β ſupponuntur, *Beneventum* Βενεȣέντον. Tum nullibi de Boluce vel Boluca lacu fit mentio: at Bolbe ponitur à Scylace prope Apolloniam, de qua hoc loco loquitur Athenæus, & memoratur Thucydidi lib. 4, & Æſchylo in Perſis, & Ariſtoteli de hiſt. animal. lib. 2 cap. 17, Stephano & aliis. Ergo lege meo periculo Βόλβην. Ortelius videtur legiſſe Κόμβην, peſſime.

Pag. 339.

Ἀνδρεϐόρειστον κωβιὸν πηδῶντ' ἔτι.	*Gobium ſalſamentarium hominem adhuc ſalientem.*

Inter cæcos ablegat doctiſſimus commentator eos, qui non viderunt hoc legendum eſſe ἀνδρῶν τ' ἄρειστον Κωβιόν. Cedo bacillum & ductorem, nam fateor me inter illos cœcos debere numerari: non enim video, quomodo Antiphanes virorum optimum vocare debuiſſet eum, quem ut mulieroſum & ſcortatorem vult traducere: ſimul extinxiſſet omnem jocum, quem (ut puto) ex nominis ambiguitate excitare conatur, ſi ſtatim à principio de viro ſe loqui manifeſte

nifeste declaraſſet. Adde, quod de piſcibus eſt ſermo, non de viris, licet facete ad virorum nomina alludat ex piſcium nominibus. Credo igitur retinendum αἰδροταέιχον, quod nihil aliud ſignificat, quam id, quod nos docuit idem vir ſummus ſupra, ad cap. 32 lib. 3. nimirum ταρίχους dici viros nequam ſordidos & improbos, metaphora ducta à piſcibus ſalitis, malum odorem exhalantibus. Πηδῶντ' ἔτι addidit ridiculi gratia (nam piſces ſaliti non ſaliunt) & ut ita innueret ſe de homine vivo loqui. Aliquando putavi legendum ἁδρὸν κ' ἄερισον κώβιον. Nam magnos gobiones fuiſſe in pretio ipſe nos docuit Athenæus ſupra pag. 244, ubi in Ptolemæi convivio Machon poëta ait: [1] λοπάδος δ' εἰσενεχθείσης ἀδεξῶς Ἐν ᾗ τεμαχίτῃ τρεῖς ἐνῆσαν κώβιοι Οὓς κατεπλάγησαν πάντες οἱ κεκλημένοι. Sed quando omnes meliores codices αἰδροταέιχον exhibent, & habet aliquid acuminis & ridiculi, puto ita legi debere.

[1] *Patella vero allata ampla in qua tres erant gobiones quos mirabantur omnes invitati.*

Ibidem.

Ὅτ' ἦτα Χαιρεφίλου τὼ δύο σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλους ἡδομένη.	*Cum læta Chærephili duos filios, ſcombros, excipit hoſpitio.*

Nihil aliud intelligit Caſaubonus, niſi quod perpetuum ſtolidorum epithetum eſt, ut vocentur magni. Sed participium ἡδομένη, quod ſequitur, videtur innuere ſenſum aliquem improbiorem in voce μεγάλους, & intellexiſſe poëtam res turpiculas prægrandes, quas dum recipiebat. ἐξένισεν ἡ Πυθιονίκη, ἥδετο, & erant duo illius ſcortatoris Chærephili filii.

Ibidem.

Καὶ σύνεσιν ἅπερ δ' εἰς δυσιν.	*Quoniam ei conſuetudo eſt cum duobus ſalſamentariis.*

Ingenioſiſſime & fœliciter admodum Joſephus Scaliger nos docuit legere, σώνεσι σαπέρδαις, ſed quod addit εἰς δύσιν, non tam placet, & mihi videtur redundare τὸ εἰς, & male mutatum fuiſſe accentum δυσὶν in δύσιν. Mallem legere σαπέρδαις δυσὶν, id eſt, *Saperdis duabus*, non *Saperdis uſque ad occaſum*. Nam ſcortatio in ſolis occaſu non ceſſat, imo potius incipit. Nam tenebras quærunt crimina & latebras, & paulo ſupra δύο σκόμβρους, & magis etiam accedit ad lectionem vulgatam. Per Saperdas autem intelligit viros nullius pretii & putidos. Nam Archeſtratus apud noſtrum Athenæum lib. 3

 ait

ait esse [1] φαῦλον ἔδεσμα καὶ ἀκιδνόν. Ii autem pisces saliti è Ponto advehebantur.

[1] *Ferculum vile &...*

Pag. 359.

Ἐγχελίδια, Θήβη μὲν ἐνίοτ' ἔρχετ', ἐκ τούτου λάβε.	*Anguillula, Thebes huc interdum venit, ab eo sume.*

Volunt interpres & doctus commentator hoc loco Θήβη esse nomen proprium. Ego vero minima mutatione locum sic restituo corruptum: ἐγχελίδια Θήβηθεν ἐνίοτ' ἔρχεται, ἐκ τούτων λάβε, id est, *anguillæ aliquando Thebis huc afferuntur, de his obsona.* Scimus ex Aristophanis Acharnensibus anguillas venales solitas esse asportari Thebis Athenas, nam quandiu Athenienses contra Bœotos bellum gerebant, nullæ prostabant venales anguillæ è Copaïde lacu. Itaque non est dubium, quin Θήβηθεν debeamus legere. Si post ἔρχεται ponas punctum, tunc non erit opus mutare ἐκ τούτου λάβε, quod ad sequentia referetur, & legendum erit ἐκ τούτου λάβε ἀλεκτρυόνιον, *postea accipe gallinulam,* seu *pullum gallinaceum.*

Pag. 360.

Οἱ περὶ Φάλανθον ἐν τῇ Ἰαλύσῳ πόλιν ἔχοντες ἰσχυροτάτην.	*Phalantum cum prope Ialysum oppidum præsidio teneret munitissimum.*

Ex Diodoro facile hic locus emendari potest, quem viri docti, ut ait Casaubonus mutarunt, legentes, πρὸς τῇ Ἰαλύσῳ. Sed Diodorus lib. 5 sic habet: [2] ἐν τῇ Ἰαλυσίᾳ κτίσαντες πόλιν Ἀχαΐαν. Optime, unde hoc loco legendum censeo Ἰαλυσίᾳ.

[2] *In Ialysio cum condidissent urbem Achaiam.*

Pag. 361.

Παρίλια. | *Parilium.*

Eustathius ad Odyss. δ citans hunc locum legit Παρίλια, sed male, & ex hoc loco corrigendus est.

Ad Lib. 9. Pag. 374.

Ὁ λόφων ἀλέκτωρ. | *Gallus alta voce.*

Interpretatur Casaubonus, *qui totus est vox & praeterea nihil.* Hoc de Luscinia dixerat olim Spartanus auceps. Sed mihi non videtur convenire epithetum gallo gallinaceo, qui corporis mole deprimitur adeo, ut non multum nec in magnum spatium volare possit, & hunc locum Cratini videtur duobus modis legisse Hesychius, cum scripsit [3] Ὀλόφωνος ἀλεκτρυών, ἢ ἀπὸ τοῦ λόφου ἢ ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ ᾄδειν ὅλον αἴρεσθαι

καὶ

[3] *Vel ab apice, vel ab eo, quod dum cantat, totus erigitur & elevatur.*

καὶ μετεωρίζεσθαι. Et verisimile est ex hoc Athenæi loco corrupto quosdam corrupisse, non correxisse Hesychium: nam neutra earum, quas affert, interpretationum, convenit huic voci ut scripta est. Sed si ἀπὸ τοῦ λόφου dicatur, legendum foret ὁ λοφωτὸς, quæ vox ab Hesychio interpretatur ἐπίσημος, *insignis*, crista scilicet. Si vero ἀπὸ τοῦ αἴρεσθαι καὶ μετεωρίζεσθαι, legendum foret ὁλόφανος, διὰ τὸ ὅλον φαίνεσθαι, *totum apparere & erectum esse*. At ὁλόφωνος lusciniæ, cicadæ, & si quod animal aliud exiguæ molis vocem sonoram habet, optime conveniret, nequaquam vero gallo, qui maxime insignis est crista, & ideo *cristatus* est perpetuum ejus epithetum, λοφωτὸς Græce, & credo ita Cratinum scripsisse, & post eum Athenæum nostrum.

Pag. 383.

Ὄξος λαβὼν τῷ εἰς λεκάνην ἐγχέας ψυχρὸν ξυνεὶς.	*Accepto porco acetum in pelvim effundito, injicitoque frigidum.*

Non concoquit Casaubonus τὸ ξυνεὶς, nec mirum est, cum sit mendosum. Sed mirum est eum virum fateri se nescire emendare, quod tamen nullo negotio fieri potest legendo ξυνίης cum interrogationis nota, & in parenthesi dictum intelligendo. Instruit enim coquus quendam collocutorem, discipulum forte suum, quomodo medendum sit porcello exusto, & dum rem narrat, ait per parenthesin (ξυνίης; *intelligis?*)

Pag. 397.

Δῆμον τὸν Πυριλάμπους. | *Populum pranitidos.*

Lapsum hoc loco graviter Dalecampium, qui mutabat & legebat Περιλάμπους, & de Atheniensi populo interpretabatur, optime correxit Casaubonus & Δῆμον esse κύριον & Πυριλάμπους esse nomen patris illius Demi, pluribus auctoritatibus confirmavit, quibus majoris elucidationis gratia duo veterum testimonia addam, unum Lysiæ in oratione de Aristophanis opibus, quod sic habet: Δῆμος γὰρ ὁ Πυριλάμπους τριηραρχῶν ἐς Κύπρον. Alterum est Plutarchi in Pericle: [1] εἴς τε τὰς Πυριλάμπους ὀρνιθοτροφίας, ὃς ἑταῖρος ὢν Περικλέους αἰτίαν εἶχε ταῶνας ὑφιέναι ταῖς γυναιξὶν, αἷς ὁ Περικλῆς ἐπλησίαζε. In quem Plutarchi locum plura supra diximus, ad ejus auctoris paginam 160 & vocem ταῶνας mutavimus in ταωνεῶς.

[1] *Et in aviaria Pyrilampis, qui cum esset Periclis sodalis, accusabatur subjecisse mulieribus, quibuscum Pericles rem habebat, pavonum spolia.*

Ad

Ad Lib. 10. Pag. 412.

Τὸν Λησρέα ὃν τὸν Ἡρακλέα κελεύσαι δεθῆναι, ὅτε Αὐγέαν τὸν μισθὸν ἀπήτει.	*Lepreum jussu Herculis in vincula conjectum, cum ab Augea laboris sui mercedem exigeret.*

Hæc non mihi videntur cum Herculis historia concordare, ut scripta sunt. Hercules solus erat, & solo flumine adjutus Augiæ stabulum repurgavit, ideo non habebat, cui juberet, sed jussu Augiæ ab Elide discessit; non enim poterat sine exercitu cogere regem, & eum in ordinem redigere. Lego igitur, ὁ τὸν Ἡρακλέα κελεύσας δεθῆναι. Lepreus erat ex Astydamia Phorbantis nepos, Augias vero Phorbantis filius. Lepreus igitur Augiæ regis fuit ex sorore nepos, qui juvenis & ferox Herculem cum Augia avunculo jurgantem & immodestius mercedem reposcentem vinciri auctor erat avunculo, inde Herculis in eum odium. Omnino ita legendum est. Cæterum ejus viri nomen diverse scribitur, Zenodotus Λεπρέα vocat à recto Λεπρεὺς, alii Λέπρεον à Λέπρεος.

Ibidem.

Καὶ δεηθείσης Ἀστυδαμείας διαλύεται πρὸς Λεπρέα.	*Astydamia rogatu vinctum solvisse Lepreum.*

Facete profecto interpretatus est hæc verba Dalecampius. Scilicet jusserat eum vinciri supra Hercules, ut legebat Dalecampius, ideo putavit rogatu Astydamiæ solutum vinculis fuisse ab Hercule. Tu vero lector intellige, *cum Leprea reconciliatur*, vel, *componit jurgium*. Hoc enim est διαλύεσθαι πρός τινα. Interpretatur etiam idem vir ἔρχεται ἐπὶ Καύκωνας, *ad Cauconem diversatur*. legebat nempe ἐπὶ Καύκωνα. Sed male: Caucon enim, qui pater fuit Lepreæ, non amplius vivebat: aliter non de sola matre Astydamæa in eo negotio Zenodotus mentionem fecisset, & si Hercules Lepream habuerat in vinculis per totum certaminum tempus, quomodo apud Cauconem Lepreæ patrem inimicum suum diversatus fuisset. Caucones populi fuerunt à Caucone denominati, in quorum regionem venit Hercules, ut ulcisceretur injuriam, quam à Leprea acceperat, dum ab Augia mercedem reposcebat, sed precibus matris Lepreæ Astydamiæ cum eo in gratiam rediit.

Pag. 415.

Pag. 415.

Τὸν πομπικὸν περιθέτην ἔχουσαν, καὶ λόφον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.	*Vestes indutam, quæ parantur ad pomparum magnificentiam, cristam in capite gestantem.*

Ornatus proculdubio fuit tubicinum, qui huic mulieri tribuitur, sed περιθέτην non possum intelligere πηνήκην hoc loco, nam cui bono? ut sexum nempe dissimularet? at id præcipue in ea pompa affectabat Ptolemæus, ut aliquid rarum ostenderet populo: id vero rarum fuit, & insolitum mulier tuba canens. Igitur per περιθέτην intelligo φορβείαν sive ἐπιστομίδα, Latine quidam *ligulam*, alii *capistrum* vocant: erat autem coriacei ligamenti species, quo buccæ & labia tubicinum cohibebantur, ne nimia contentione rumperentur. Bene autem dicitur περιθέτη, nam circumponebatur capiti, & deponebatur, quando opus erat, ut galerus aut corymbium. Cæterum pro τὸν πομπικὸν legendum (ut optime censet Casaubonus) τὸ πομπικὸν, & referendum est ad verbum ἐσάλπισεν. Sic dicitur σημαίνειν τὸ ἀνακλητικὸν, ᾄδειν τὸ ἐνδόσιμον.

Pag. 417.

Ὡς ἀκίνητοι νῦν εἶναι βοᾶν καὶ πεινῆν μόνον.	*Ad motum inertes, vociferari solum esurie.*

Optime emendavit Casaubonus, & reposuit ἀνίκητοι, sed eadem manu debebat etiam corrigere vocem πεινῆν & reponere πίνειν. Nam si maneret πεινῆν, tunc non foret διασυρμὸς *vituperatio*, sed potius laus & encomium. At ex superioribus patet esse Thebanorum vituperationem, τοῖς διασύρειν ὑμᾶς εἰθισμένοις, ὡς ἀνίκητοι νῦν εἶναι βοᾶν καὶ πίνειν μόνον, id est, *iis, qui vos traducere solent, ut nunc solum inclamando & bibendo invictos.* Itaque proculdubio legendum est πίνειν.

Pag. 418.

Τὸν Βόκχορειν καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Νεόχαβιν.	*Bocchorin, ejusque patrem Neochabin.*

Ex hoc loco corrigendum credo Plutarchum in Iside & Osiride, ubi Βάκχορις & pater ejus Τέχνακτις vocatur, nam Bocchoris multis aliis nominatur, Νεόχαβις autem magis ad Ægyptia nomina accedit, ut Νεκτέναβιν.

Pag. 425.

Ἐν ταῖς δημοτελέσι τῶν θυσιῶν πάντα τῶν Αἰολέων μιμούμενοι, ὡς καὶ κατὰ τῶν τόνους τῆς φωνῆς.	*In publicis sacris, omnibus modis AEolas imitantes, quemadmodum & vocis sono.*

Constat inter doctos in utraque lingua verissimum esse, quod hoc loco nos docet Athenæus, sive is, ex cujus persona loquitur, scilicet Romanos plura verba & vocabula mutuasse ab Æolica potissimum dialecto: causam vero, quod sciam investigavit nemo. Tentabo rationes ejus rei idoneas & verisimiles reddere. Primum igitur Æolicam dialectum olim per totam fere Græciam obtinuisse testatur Strabo lib. 8. Nam & Achæi & Arcades & Elei in Peloponneso Æolicam dialectum antiquam retinuerunt, sed Argos & Sparta & Messene una cum Heraclidis, qui earum regionum domini facti sunt, Doricam dialectum acceperunt abolita Æolica: Extra Isthmum vero omnes exceptis Atticis & Megaricis & Doribus paucis circa Parnassum habitantibus Æolica dialecto gaudebant, & Atheniensibus quidem sua Ionica antiqua dialectus mansit, eo quod ob soli sterilitatem non fuerunt exterarum gentium invasionibus obnoxii. Ideo αὐτόχθονες habiti sunt & indigenæ. Idem de Doribus dicendum est. Non est igitur mirum, si Romani ea loca incolentes, quæ antea ab Arcadibus & Euandro habitata fuerant, Æolica multa vocabula usurpaverint. Pelasgorum etiam, quorum antiquissima origo fuit ex Arcadia, pars quædam in Italia sedes posuit. Tum Acarnania, Curetis, Ætolia, Elis, antiqua Achaia, id est, Laconia & Messenia regiones erant Italiæ ex adverso positæ, magnamque ejus partem urbibus & pagis cultam reddiderant: ex iis enim oppositis & vicinis regionibus transmigrasse Græcos, qui primi Italiam frequentavere, non solum credibile est, sed valde verisimile. Sic post Euandrum & Pelasgos Diomedes Ætolus Argyrippam condidit, sed cum de lingua Latina sit quæstio, eorum potissimum habenda ratio, qui Latium incoluerunt. Fuerunt autem Aborigines ex Arcadia oriundi, ut ex M. Catone, & C. Sempronio asserit Dionysius Halicarnasseus, qui pulsis Siculis Latium & Tusciæ partem occupavere: ab illa, credo, antiquissima gente defluxit Æolismus in Latium.

Pag. 432.

Pag. 432.

Καλησίμωσα πῶμα καύματος λύσιν.	*Poculum insigne paravi quod æstum leniat.*

Hæc ita interpres vertit, & miratur Casaubonus καλαισιμῶν in novo significatu pro conficere, parare. Sed quid opus est inusitatam significationem tribuere ei voci, cum ordinaria bene conveniat sententiæ. Αἰσιμῶν, ut notat summus vir, est *consumere*: sic καλαισιμῶν *omnino consumere*. Vertendum igitur erat *exhausi poculum*, non vero *paravi*, nam qui exhaurit poculum, consumit potum, & πῶμα significat etiam potum & liquorem, qui bibitur.

Pag. 437.

Πρὸς τὸ ἐν Λίμναις τέμενος.	*In eo nemore quod lacus ambit.*

Insuper habita versione non sequenda, quæ ita habet, notabo tantum id, quod dixit summus vir ad hunc locum: *Limnæ loci nomen fuit Athenis, ubi in honorem Bacchi Lenæa agitabant.* Bene, modo vocem Lenæa pro Liberalia generaliter intelligas pro quocunque Bacchi festo. Nam si eam accipias cum oppositione ad alia festa Astyca, ut fere semper, errabis verba doctissimi viri sequutus (non mentem, ut puto.) Lenæa enim specialiter dicebantur non ea, quæ ἐν λίμναις & τὰ κατ' ἄςυ, sed ea quæ κατ' ἄγρους extra urbem mense Posideone celebrabantur. Cave ergo, ne fallaris.

Pag. 442.

Μύρτων πινακίσκος, χερὶ παρατιλλομένων, λύχνων γὰρ ὀσμὰς ἐ φιλῦσι δαίμονες.	*Myrtorum lanx, decerptorum interdiu, adversantur enim lucernarum odorem dæmones.*

Hæc non intellexit interpres, & nihil ad ea summus vir commentatus est. Ænigmatice notat meretricium morem & Græcum, nam & probæ etiam illud factitabant. Scis lector μύρτον esse μέρος τι ἢ γυναικείου αἰδοίου: at hic Synecdochice partem pro toto accipit. Solebant autem Græcæ mulieres λέειν τὸ αἰδοῖον λύχνῳ ἢ δαδίῳ τινὶ: at nitidius fiebat id opus χερὶ παρατιλλούσῃ, & malus odor ex ustulatione vitabatur: ideo ait λύχνων γὰρ ὀσμὰς &c.

Pag. eadem.

Κυβδάσοι τριώβολον.	*Cybdaso triobolus.*

Mutant & legunt Κυβδάσῳ. Sed nihil mutandum: est enim dati-

vus casus à recto Κυβδασώ, οῦς, ut Λητώ, Λητοῖ: mutandus est tantum accentus, & legendum Κυβδασοῖ, nec à Κίβδης formatum est id nomen, sed à κύβδα, adverbio, quod significat inclinato capite. Habent enim hæc omnia significationes turpeculas. Pro τελώβολον legerem libenter τελέμβολον continuata serie turpecularum significationum. Ea voce utitur Aristophanes in Avibus.

Pag. 449.

Νόμον ἐκ νόμου ἕλκων. | *Numeros ex numeris habet.*

Subtiliter & acute hæc explicat Casaubonus de strepitu canoro podicis, sed quoniam non occurrit exemplum ejus significatus τοῦ ἕλκειν νόμον, pro, *concentum edere* vel *cantilenas cantare*, & vox ἕλκειν non videtur quadrare. Nam ii, qui talem strepitum edunt, non ἕλκουσι, sed potius ὠθοῦσι, non attrahunt sed pellunt. Suspicor debere intelligi cibum ex cibo attrahere: nam ex cibo ore devorato, & ab eo attracto podex attrahit cibum veluti suum τὴν μίνθην: mihi tamen valde arrideret interpretatio summi viri; nisi dissuaderet illam sequi illud verbum ἕλκειν.

Pag. 450.

Μὴ πρόστομος. | *Rostrum acutum.*

Hoc epithetum Ichneumonis exercuit summum virum commentatorem, qui plura & optima & eximiæ eruditionis plena notavit, & quæ maxime probo: ut habeat tamen lector, quod eligat, addam, posse etiam intelligi μὴ πρόστομος de genere dimicationis illius animalis, qui & ἀμφικέφαλος immediate postea vocatur, quod optime de eo genere pugnæ interpretatur Casaubonus, scilicet dum pugnat cum aspide, cauda velitatur averso capite. Ideo non male diceretur ὀπισθόστομος, quod est μὴ πρόστομος.

Pag. 453.

Ἐνέβαλον γὰρ ἄν σου φησὶν εἰς τὰ ἴσχια λίθον, εἰ μὴ καταρραίνειν ἔμελλον τοὺς περιεστηκότας.	*In tua, inquit, femora lapidem jacerem, nisi vererer circumstantes aspergere.*

Optime Casaubonus concludit, non τὸ εὐρύστομον, sed τὸ εὐρύπρωκτον exprobrari Cephisocli à Sosiphane, sed quod mutat καταρραίνειν in καταρρεῖν, frustra est, & non cepit hujus loci sensum, & leporem Græcanicum, sed obscœnitatis plenum: exprobrat enim Sosiphanes Cephisocli, non solum εὐρυπρωκτίαν, sed ἑταιρισμὸν & γυναικοπαθείαν, καὶ τὴν ἐν τοῖς ἰσχίοις ἀποπλύσεως δρόσου συῤῥοὴν, & ait in ejus nates

se

se lapidem jacturum, nisi timeret aspergere circumstantes; nam qui in lacunam lapidem violenter jacit, aspergit circumstantes. Sed magis immorari talibus obscœnitatibus curiosius explicandis non decet, nec lubet, & forte plura jam dicta sunt, quam oportebat.

Ad Lib. 11. Pag. 460.

Κατὰ τὴν Ἀνθέων χώραν. | *In Antheorum tractu.*

Repone Ἀνθείων: nam ea urbs Pausaniæ ter nominatur Ἄνθεια in Achaïcis, ut est in Stephano, & Hesychio.

Pag. 464.

Μετὰ γὰρ ἀρωμάτων συμφυραθείσης τῆς γῆς ὀπτῶνται.	*Subacta cum odoribus terra ea coquuntur.*

Ex hoc loco Athenæi singulari certe & notabili conjicere licet, quare vasa quædam fictilia dicta fuerint Romanis Myrrhina, quæ ab odore etiam commendari ait Plinius.

Pag. 466.

Περὶ Γρᾶ διηγούμενος τοῦ τὴν ἀποικίαν εἰς Λέσβον στείλαντος.	*Cum de Gra loquitur, eo nimirum, qui in Lesbum coloniam misit.*

Optime Casaubonus ex hoc loco Pausaniam emendat in Laconicis, ubi male Γραΐδι scriptum est, tamquam à recto Γραΐς, quod ut firmem etiam aliquo testimonio, locum apponam Scholiastis Lycophronis ad Alexandram versu 1369: ἀπόγονος δὲ τούτου (Orestis scil.) καλούμενος Γρᾶς μετὰ ἑκατὸν ἔτη κυριεύσας τῆς Λέσβου πόλιν ἔκτισε. quæ non dubito eum habere ex Theone antiquo ejus poëmatis explicatore.

Pag. 473.

Φοινικίου φησὶν οἴνου κάδον. | *Phœnicii, inquit, vini cadum.*

Sic optime hunc locum restituit Casaubonus, sed quod de voce κάδον ait *vas ubi vinum habetur aut portatur*, nimis strictam & angustam significationem huic voci tribuit: nam etiam ad hauriendum & exhauriendum cadis utebantur, si fides Scholiastæ Demosthenis ad orationem contra Midiam. Sic enim ait: [1] κάδος δὲ γυναικεῖον ἀγγεῖον ᾧ χρῶνται πρὸς τὰς ῥύσεις τῶν ὑδάτων ἢ τὰς νῦν σίτλας. Hæc ultima vox non est antiqui Hellenismi, sed Latina est in Græcum detorta *Situla*, nempe unde nostra vox vernacula *une seille*.

[1] *Cadus est vas fœminarum proprium, quo utuntur ad fusiones aquarum, quæ nunc Situlæ dicuntur.*

 Pag. 480.

Pag. 480.

Κρουνεῖα. | *Crouneia.*

Non possum mihi persuadere integrum esse hoc loco Athenæi codicem, non video enim, quare de Cratere nihil dixerit, cujus usus maximus fuit in conviviis. Deest igitur ea vox, & desunt, quæcunque super ea dixerat, ut & paulo post deest etiam Κύαθος.

Ibidem.

Δώσων πιεῖν ἐγχύτα. | *Da, quod bibam, pocillator.*

Legendum *δώσω πιεῖν ἐγχύτα*, & verto, *dabo bibere enchyta.* quod est potionis genus, non vero vocativus Æolicus à recto ἐγχύτης, ut putavit Dalecampius. Nam pincerna sive pocillator ἐγχύτης dici posset ab affundendo, male vero diceretur ἐκχύτης ab effundendo, nam qui dat bibere, infundit in calicem, non effundit. Id autem potionis genus (ut ex etymo conjicio) eodem modo fiebat, quo apud nos fit ea potio, quæ ex succo pomorum Medicorum fit, & vocatur *Limonade.* Fit enim infundendo & effundendo sæpius; at ut interpretatur Dalecampius, legendum foret, pro δώσων δὸς majore mutatione.

Pag. 489.

Καὶ πάνυ τὶς ἐγχαίρως προπί-νων, φησὶ πατριῶτα, Μάνην δ' εἶχε κεραμεοῦν ἁδρὸν χωροῦντα κοτύλας πέντε, ἴσως ἐδεξάμην.	*Et opportune admodum popularis quidam meus præbibens, fictilem manen amplum habebat, qui propemodum cotylas decem caperet, eum non recusavi.*

Mutat Casaubonus εἶχε in λάβε sine necessitate: debent enim duo ultimi versus includi parenthesi usque ad ἴσως exclusive, & legendum est προπίνω, & omnia optime quadrabunt sic legendo:

Καὶ πάνυ τὶς εὐκαίρως, προπίνω φησὶ πατριῶτα
(Μάνην δ' εἶχε κεραμεοῦν ἁδρὸν
Χωροῦντα κοτύλας πέντε) ἴσως ἐδεξάμην.

Id est, *Et aliquis omnino opportune dixit, præbibo tibi concivis. (Manem autem habebat fictilem amplum capientem cotylas quinque) forte accepissem.*

Ibidem.

Καλεῖται δὲ Μάνης καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ κοτλάβου ἐφεστηκὸς, ἀφ' οὗ ἐν	*Vocatur & Manes id quod extat in cottabo, in quod ludentes*

παιδία τὰς λάταγας ἐν παιδιᾶ ἔπεμπον.	*dentes demittebant latagas.*

Legendum est ἐφ' ὃν, non vero ἀφ' ὃ, *in eum*, non *ab eo*: erat enim Manes effigies servi vetuli, cujus caput eminebat in pelvi, in cujus caput λατάγη sive πλάστιγξ, dum gravata per infusionem vini è poculo à Cottabisante factam descendebat, sonum edebat. Ideo manifestum est legendum esse ἐφ' ὃν. Quod autem dixi de Mane, ex sequentibus apud Athenæum colligitur.

Pag 496.

Α'νδρόπορον ἢ τ' Ῥοδιακῶν ἢ τῶν Ῥυτῶν.	*Hominem alterum vel Rhodiacis vel Rhytis.*

Vel ex Diogene Laërtio hîc reponendum Ῥοιάκων pro Ῥοδιακῶν, vel ex hoc loco corrigendus est Diogenes Laërtius, sic enim habet in testamento Lyconis: [1] δίδωμι ᾗ τῷ Καλλίνε παιδίῳ Θηρικλείων ζεῦγος, καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ Ῥοιακῶν ζεῦγος. Quod autem magis credam hunc locum Athenæi ex Diogene Laërtio corrigendum esse, facit titulus hujus loci, qui legitur apud Athenæum Ῥόδιας: nam ex recto Ῥόδιας non potest formari genitivus pluralis Ῥοδιακῶν, sed à recto Ῥοδιακὸς formaretur. Itaque credo pro Ῥόδιας in titulo reponendum Ῥοίαξ, à quo genitivus pluralis Ῥοιάκων. Id poculum credo dictum fuisse à similitudine mali granati, quod Græcis dicebatur ῥοιά.

[1] *Dono Callini puero par Thericleorum, & ejus uxori Rœacorum jugum.*

Pag. 501.

Φιάλην ἀπύρωτον ἔθηκε.	*Phialam apposuit ignis expertem.*

Ad vocem ἀπύρωτον ea commentatus est vir summus, quæ in errorem possent abducere homines, nisi aliter docerentur. Ideo vincat veritas, nec patiamur eam obrui tanti viri auctoritate. Hæc igitur ait: *Vocis* ἀπύρωτος *duplex sequitur interpretatio*, ἢ ψυχρήλατος, ἢ ἐπὶ πῦρ οὐκ ἐπιτηδεία: *vocant autem* ψυχρήλατα *Græci non frigidis malleis ducta, id enim est ineptum, sed* τὰ μετὰ τὸ ἐλαθῆναι ψυχρῷ βαφέντα, *quæ, postquam sunt malleo ducta, in frigidam fuere mersa.* Peccat hoc loco vir summus non ignorantia literarum, quis enim in libris doctior illo? Sed fabrilis artis ignoratione, & primum quidem optime vocat ineptum interpretari ψυχρήλατα *frigidis malleis ducta*, quasi forent quædam, quæ calidis malleis ducerentur, quod numquam fit. Nam si mallei candentes forent, essent ad ducenda metalla

talla inepti, utpote & ipsi ductiles & molles. Sed in eo, quod interpretatur ψυχρήλατα ea, *quæ postquam sunt malleo ducta, in frigidam merguntur,* prorsus eum fugit ratio, & male sequutus est Henricum Stephanum ἀνεξετάστως, qui sic eam vocem in suo Thesauro interpretatus est. Nam ea, quæ in frigidam merguntur, ut στόμωσιν accipiant, & duriora fiant, ψυχρόβαπτα dicuntur vel ψυχροβαφῆ, non ψυχρήλατα, & locus quem affert ex Plutarcho in Bruto Henricus Stephanus, id nullo modo evincit. Ψυχρήλατα τῶν ξίφων optime duritiem multam habere dixit Plutarchus, nam & Thoraces ferrei, ut ictibus sclopetorum impenetrabiles evadant, sæpe ita tunduntur, sic enim sine magna dilatatione densatur ferrum & solidatur maxime. Ψυχρήλατα igitur sunt ea metalla, arma, vel vasa, quæ frigida & sine ignis usu tunduntur, non vero, quæ postquam ducta sunt ab igne, post dilatationem malleis factam in frigidam merguntur. Deinde quis unquam fando audivit, phialas ex auro vel argento ductas frigidæ immergi debere? Num ut duriora fiant? at in auro & argento durities vitium est, & quo magis mollia & ductilia sunt ea metalla, eo magis in pretio habentur. Igitur φιάλην ἀπύρωτον interpretare ψυχρήλατον, id est, non in igne fusam, sed malleo sive igne ductam, & ideo pretiosiorem: nam talia vasa non tam facile franguntur, & etiam hodie sunt in majori pretio. Si vero in frigidam post dilatationem calidæ mergerentur, duriora quidem in superficie fierent, & cœlo resisterent magis, sed facilius multo frangerentur casu quodam vel ictu. Sic videmus cultros, qui multum στομώσεως, id est, *aciei* acceperunt, frigidissima aqua mersos, licet durissimos & omnia dura secantes facile frangi, si quis eos curvare tantillum aggrediatur.

Pag. 509.

Ὥσπερ καὶ Χαίρων ὁ Πελληνεύς. | *Qualis fuit Charon Pelleneus.*

Ex hoc loco supra emendavimus Pausaniam in Achaïcis pag. 235, & illustravimus eum locum antea multis involutum tenebris, eum vide.

Ad Lib. 12. Pag. 518.

Ἀνὴρ Συβαρίτης εἰς ἀγρὸν ποτὲ πορευόμενος, ἔφη ἰδὼν τοὺς ἐργάτας σκάπτοντας, ἑαυτῷ ῥῆγμα λαβεῖν.	*Virum Sybariticum aliquando profectum in agrum, cum fodientes operas vidisset, dixisse, ruptam sibi fibram.*

Hoc loco mihi videtur Dalecampius optime vertisse, & melius intel-

intellexisse, quid sit hoc loco ῥῆγμα, quam doctus commentator, qui Dalecampium (quod nondum acciderat) hoc loco male reprehendit. Ῥήγματα nempe *ruptura* fiunt vel casu vel nimia virium contentione, quod & aliquando evenit iis, qui ligone fodiunt. Ideo imaginationis vi delicatissimi illius Sybaritæ, qui fodientem videbat ligonem suum violenter impingentem, factum est, ut sibi videretur rupturam quandam pati: at vult vir summus intelligi ὄρυγμα, non video quare, nam ὀρύττειν non est ἀνθρώπινον πάθος.

Pag. 514.

Καὶ ἐλαίαν ἱερὰν αὐτομάτην ἀναφθῆναι.	*Et oleam sacram sponte accensam esse.*

Videtur Casaubonus velle legi ἀναυανθῆναι, quod mihi etiam prima facie videbatur, & multum mihi arridebat eamutatio, sed postquam accuratius rem consideravi, nihil mutandum censeo. Nam αὐτομάτην melius refertur ad ἀναφθῆναι *sponte flammam concepit*, quam ad ἀναυανθῆναι *sponte exaruit*, & proigium uotabile fuit: at quantæ arbores quotannis sponte exarent, nulla vi exterius ingruente? ergo id non mirum fuisset.

Pag. 531.

Διημιλλῆσθαι φησὶν αὐτὸν Νικοκλεῖ τῷ ἐν Κύπρῳ Σαλαμῖνος βασιλεύοντι * ἀποθανεῖν δ' ἀμφοτέρους βιαίως.	*Narrat certamen illi fuisse cum Nicocle rege Salaminis Cypriorum * & utrumque per vim occisum.*

Polyænus lib. 8 Nicoclis mortem violentam narrat, & ait Ptolemæi exercitu ingruente, ut eum regno deturbaret, laqueo sponte se suspendisse, quod puto de eodem hoc Nicocle intelligendum. Aliter tamen rem narrat Maximus Tyrius sermone 4, qui eum vivum captum fuisse ait, & in vinculis servatum.

Pag. 534.

Ἔρως κεραυνὸν ἠγκυλημένος.	*Cupidinem qui ulnis fulmen amplecteretur.*

Sic vertit Dalecampius, & silet Casaubonus: mihi tamen ea interpretatio non probatur, nam *amplecti fulmen* quid foret? verto *Cupidinem curvato cubito fulmen vibrantem.* Et sic eam vocem intelligit Budæus.

Pag. 535.

Τὴν τε Λαΐδος τῆς Κορινθίας μητέρα Τιμάνδραν.	*Timandram Laïdis Corinthiæ matrem.*

Nomen ejus fœminæ variat apud auctores. Ipse Athenæus infra pag. 574 *Damasandram* vocat. Scholiastes Aristophanis ad Plutum *Epimandram* nominat. At Plutarchus in Alcibiade cum hoc loco Athenæi concordat, & *Timandram* eam appellat. Ideo credo præferendam eam lectionem. Sed idem Plutarchus cum Athenæo etiam pugnat. Nam eam Timandram matrem prioris Laïdis facit, quæ Hyccaris urbe Siciliæ Athenas advecta fuit. At Athenæus infra Δαμασάνδραν τῆς Λαΐδος τῆς νεωτέρας μητέρα dicit expresse: quis verius, difficile est decernere, ratio temporis certe videtur magis cum Plutarcho concordare.

Pag. 536. & 537.

Οὐκ Ἀντικλέης, καὶ Ἐπικλέης οἱ μετ' ἀλλήλων ζῆν προελόμενοι.	*Nonne Antocles & Epicles? qui cum vivere simul decrevissent.*

Ælianus in Varia Historia hanc historiam habet, sed eam diverse narrat. Nam pro Antocle & Epicle habet unum Periclem, & eum in convivii societate & commoriendi proposito cum Callia & Nicia sociat. eum vide lib. 4 cap. 23.

Pag. 552.

Ἀρχέστρατον φησὶ τὸν μάντιν ἁλόντα ὑπὸ τῶν πολεμίων, καὶ ἐπὶ ζυγὸν ἀναβληθέντα, ὀβόλου ὁλκὴν εὑρεθῆναι ἔχοντα.	*Narrat Archestratum vatem captum ab hostibus, & in stateram injectum obolum tantum pependisse.*

Vidit summus vir τὸ ἄτοπον, & damnavit, sed eo, quod Ælianus huic narrationi consentit, nihil ausus est mutare. Sed non dubito in Polemonis exemplari, unde uterque auctor hæc habet, defuisse literam numeralem. Si ὁ ὀβόλων ὁλκὴν legas, manet ἄτοπον: nam sic pondus hominis ad libræ decimam partem non accederet. Si legas ϙ ὀβόλων, tunc nimis foret, & hominis pondus fuisset librarum 91 aut circiter, & nihil in eo mirum fuisset. Defuit certe quædam littera numeralis, sed quam supplere difficile est. Forte legendum: ϡ ὀβόλων ὁλκὴν, & sic pondus fuisset librarum novem circiter, quod certe miraculum fuit & merebatur literis mandari. Nam Augustus Lu-

cium

cium quendam pumilum librarum ſeptemdecim populo exhibuit, ut rarum quid, teſte Suetonio in Auguſto.

Ad Lib. 13. Pag. 557.

Μελιβοίαν τὴν Αἴαντος μητέρα.	*Melibœam Ajacis matrem.*

Hanc Eribœam vocat Pindarus Iſthmiorum 6, cum quo conſentit Sophoclis Scholiaſtes in Ajace Maſtigophoro. Pauſanias vero in Atticis Peribœam vocat minima cum Pindaro & Sophoclis Scholiaſte differentia, Alcathoi filiam, Telamonis uxorem.

Pag. eadem.

Αὐδάταν Ἰλλυρίδα γήμας ἔσχεν ἐξ αὐτῆς θυγατέρα Κυννάν.	*Ex Audata Illyria, quæ illi nupſerat, filiam Cynnam ſuſcepit.*

Non concinit Arrianus apud Photium, nam Cynnæ matrem Eurydicen vocat.

Pag. 576.

Μύρτιον ἦ μία τῶν ἀποδεδειγμένων Δεικτηριάδων.	*Myrtium vero una ex publicis & vulgatis Deicſariadibus.*

Quæ fuerint illæ *δεικτηριάδες*, non eſt in proclivi demonſtrare, cum alibi ea vox non occurrat. Forte fuerunt eæ, quæ deploratæ prorſus pudicitiæ habebantur, & digito δεικτικῷ paſſim monſtrabantur tamquam vulgo notæ, quæ meretriciam palam profitebantur. Vel forte ἀπὸ δεικτηρίου, quod erat locus in urbe Samo, ubi mercium ſpecimina proponebantur, & talis locus Athenis Δεῖγμα vocabatur, & ab eo loco, ubi proſtabant meretrices, ut ſui ſpecimen exhiberent populo, dictæ meretrices vulgo proſtitutæ δεικτηριάδες. Vir doctus interpretatur *mimas* ex loco Diodori lib. 34 in excerptis, ubi legitur *μίμοις καὶ προδείκταις*, vel, ut melius legit Suidas, *καὶ προδείκταις*, & ait ἀπὸ τοῦ δεικνύειν dici *προδείκτας histriones ac mimos, qui ridicula & jocularia quædam in ſcena fundebant, quæ δεικτήρια dicebantur.* Et hæc quidem ſubtiliter excogitata de hiſtrionibus concedi poſſunt, minime vero de mimis, qui ore muto ſolo geſtu verſus quoſdam notos & ſenſus exprimebant, & loci, quos attulit, ut probet ſuam ſententiam, id quod pertendit, evincere non videntur, quorum unus eſt hic locus Athenæi, alter eſt Varronis in ὄνος λύρας, *neque orthopſalticum attulit Pſalterium, quibus ſonant in Gracia dicteria.* Si ſonabant dicteria, certe à mimis non fundebantur, qui ſonum non emittebant, ſed ſolo geſtu ſenſus ſignificabant. Ergo niſi aliunde plus lucis affulgeat,

geat, non possum accedere doctissimi illius viri sententiæ, quæ mimas interpretatur. Nam apud Hesychium, quem citat, μιμολόγος dicitur δικηλίτης, non à δεικνύειν, sed à δίκηλον, quod ibidem Hesychius interpretatur εἴδωλον, μίμημα, & nihil facit hic locus ad δεικηλιάδας.

Pag. 581.

Εἰς νύκτ᾽ ἀποδώσεις τῷ θυγατρίῳ μου διπλοῦν:	*Filiolæ in hanc noctem meæ daturum te duplum.*

Præter sensum planum & cuique obvium (mille drachmæ valent duplum quinque minarum) subest alius sensus subtilior & obscœnus, καὶ σκώπτει εἰς τὸ ἄσυλον τοῦ γέροντος καὶ εἰς ἀναδίπλωσιν τοῦ αἰδοίου, ὡς οὐ δυναμένου αὐτὸ ἀπλοῦν καὶ τείνειν. Latinam interpretationem apponere pudor vetat.

Pag. 588.

Λαΐδος ἥ τ᾽ ἐξ Ὑκκάρων * ἧς καὶ Ἀρίστιππος ἤρα καὶ Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ.	*Laidem ex Hyccaris * amaverunt Demosthenes orator, Aristippus.*

Peccat in temporum rationem Athenæus, nam illam Laïdem non potuit deperire Demosthenes, quæ septennis Chabria Archonte Athenas advecta fuit, & trigesimum annum agebat Dexitheo Archonte, quo anno Demosthenes natus fuit secundum Plutarchum, qui altius ejus natalia ponit, nam alii Demophilo Archonte natum dicunt, & ideo anus erat florente Demosthene, si tamen adhuc vivebat. Multo minus potuit eam deperire Aristippus, qui post Demosthenem vixit, & apud Magam Cyrenarum regem multum diversabatur, ut supra ad Diogenem Laërtium notavimus. Ad juniorem igitur Laïdem referenda sunt ea, quæ de Demosthene dicuntur: de Aristippo vix credibile est, qui quadraginta vel circiter annis post Demosthenis mortem florebat. Si eam deperiit, oportet adhuc adolescentem eum fuisse, Laïdem vero jam ætate provectam.

Pag. 593.

Πτολεμαῖός τε ὁ τὴν ἐν Ἐφέσῳ διέπων φρουρὰν υἱὸς ὢν τοῦ Φιλαδέλφου βασιλέως.	*Ptolemæus Philadelphi regis filius, qui præsidiariis militibus impositis Epheso præerat.*

Si bene se habet hic locus, nothus filius fuit Philadelphi hic Ptolemæus.

lemæus. Nam præfectura præsidii non conveniebat regis filio Euergetæ. Sed forte redundat ὑιὸς ὤν, à quodam sciolo additæ voces, qui putabat omnes Ptolemæos fuisse ex regia Ægypti regum progenie.

Ibidem.

Ὁ δὲ συλλαβὼν καὶ προσποιηθεὶς συγχωρεῖν, περὶ ὧν λέγει δι' ἡμέρας παρῃτήσατο εἰς σκέψιν &c.	*Quibus cognitis, simulavit dubium ac incertum id sibi esse, quod sciscitabantur, biduumque petiit ad id memoria recolendum.*

Optime Casaubonus emendavit & legit δύ' ἡμέρας (nam sic apud eum lego.) Sed quod ad historiam, quæ hoc loco narratur, attinet, cum putavit Laodicen, de qua hic loquitur Athenæus, fuisse Sophronis illius uxorem, toto cœlo erravit. Cur enim Sophron, si novisset insidias sibi ab uxore structas & venenum præparatum, non ipsam uxorem comprehendisset, & usus fuisset suo jure? sed Ephesum aufugit. Tum si Laodice fuisset Sophronis viri privati uxor mulier privata, quo jure jussisset Danaën præcipitari. Certe tanta potestas non nisi reginæ conveniebat. Fuit igitur Laodice non ejus uxor sed regina & domina. Ex Appiano in Syriacis & Polyæno lib. 8 disco Laodicem fuisse Antiochi Dei dicti uxorem, quæ etiam eum veneno sustulit, & post eum ita veneno sublatum hanc de Sophrone narrationem intelligi debere patet ex iis, quæ infra ait Danaë, dum ad mortem ducitur, scilicet, *jure* dixit *plures deos contemnunt, ego enim, quæ meum virum servavi, hanc gratiam à Deo accipio: Laodice vero, quæ proprium virum necavit, tantis honoribus digna censetur.* De illa igitur Laodice, quæ post virum veneno sublatum cum filio Seleuco Callinico adhuc juvene regnabat, & cuncta ad libitum moderabatur, hæc intelligenda sunt. Sophron autem, qui Ephesum aufugerat, morte uxoris vel amasiæ suæ Danaës territus rebellavit, & Ephesi tyrannus factus est, ut ex hoc loco conjicio. Hoc evenisse necesse est post Olympiadem 133, qua Seleucus Callinicus una cum matre juvenis regnare cœpit.

Pag. 593.

Μύστα Σελεύκου τοῦ βασιλέως ἐρωμένη.	*Mysta Seleuci regis amica.*

De Seleuco Callinico hæc intelligenda sunt. A Polyæno hæc

ejus amica vocatur Πύσα lib. 8, sed puto ex hoc loco emendandum esse Polyænum, & ibi legendum Μύσα, ut hîc.

Ad Lib. 14. Pag. 622.

Τὸ γελᾶν δ' ἐκρειδδέμεν. | *Ridere* ἐκρειδδέμεν.

Ad hunc locum sic doctus commentator. *Falsum est Thebanorum dialecto dici* τὸ γελᾶν ἐκρειδδέμεν: *verum est quod reponemus,* τὸ γελᾶν δὲ κρειαδέμεν. *Auctor & fundus hujus emendationis Hesychius, qui Bœoticam esse hanc vocem scribit, significantem* γονᾶν, *sed narro tibi lector vitiosi etiam hîc doctissimi illius critici sunt codices, & scribendum ex Strattidis versibus* γελᾶν. Nimis confidenter, ut videtur, hanc lectionem falsi damnat vir magnus ex auctoritate solius Hesychii, cujus codicem eodem loco etiam corruptum emendare ex hoc loco cogitur. Ego vero puto ex hoc loco emendandum esse Hesychium, & apud eum pro γελᾶν ἢ κρειαδέμεν legendum γελᾶν δ' ἐκρειδδέμεν. Primum enim in tota Græcanica literatura nullus auctor magis corruptus est & tantis scatet erroribus, quam Hesychius: & quamvis Athenæi codices in multis locis mendosi deprehendantur, non verebor dicere Hesychium in una pagina plures errores habere, quam Athenæus in quatuor. Ideo ex eo non semper securum est antiquiores auctores emendare. Tum illud ἐκρειδδέμεν Bœoticum magis sapit, quam κρειαδέμεν. Nam Bœotorum propriæ erant consonantium duplicationes, ut ex Aristophane in Acharnensibus discimus, ubi Bœotum loquentem Bœotice introducit, sic statim initio: Ἴττω Ἡρακλῆς pro ἴσω: *sciat Hercules,* μικκὸς pro μικρὸς, θρείδδειν pro θρείζειν. Itaq; non dubito, quin apud Hesychium olim scriptum fuerit δ' ἐκρειδδέμεν, sed δ δ superiore parte excesa & fugiente ex residuo ο fecerunt α, & ab ea Æolica voce suum *ridere* acceperunt Romani; nam abjecta præpositione ἐκ, ρειδέμεν Æolice est in dialecto communi ῥιδεῖν, ab indicativo ῥιδέω ῶ, unde Latine *rideo*, & id etymum debemus Athenæo. At Bœoti, qui consonantes amabant duplicare, pro ρειδέμεν ρειδδέμεν dicebant. Optime vero Casaubonus emendat Hesychium & pro γονᾶν reposuit γελᾶν.

Ibidem.

Ἔθελε γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος διὰ μέσου βαδίζειν.	*Erectus Deus malleo ductus, per medium theatrum ambulare vult.*

Interpretatur Dalecampius ἐσφυρωμένος *malleo ductus*, tamquam si

si σφυρήλατος scriptum fuisset. At longe aliud significat, sive à σφύρα formatum sit, sive à σφυρὸν, quod est malleolus, & eminentia, quæ protuberat utrinque in extremitate tibiæ. Itaque hic ἐσφυρωμένος nihil aliud est, quam [1] σφυρὸν παχὺ ἐπ' ἄκρον ἔχων, quæ figura est τοῦ φάλλου, cujus tentio dicitur ῥοπαλισμὸς ob eam figuram, & male meo judicio Henricus Stephanus in verbo σφυρόω hanc Athenæi vocem ἐσφυρωμένος interpretatur *corrigia substrictus*, quid enim corrigia ad phallum?

[1] *Tuberculū crassum in summitate habens.*

Pag. 624.

Ἀναλαμβάνων τὴν λύραν ἐκιθάριζε.	*Lyra sumpta ludebat.*

Ex hoc loco colligitur Citharam & Lyram vel idem fuisse vel congenerum quid, & aut nullam aut parvam fuisse inter ea organa differentiam.

Pag. 629.

Οἱ περὶ Πτολεμαῖον.	*Ptolemæus.*

Ptolemæus, de quo hîc sermo, ille fuit, qui Alorites dictus fuit ab Aloro urbe, unde credo erat oriundus. Extat hæc historia apud Diodorum Siculum lib. 15 & 16.

Pag. 639.

Ἀναγγεῖλαι τῷ Πελάσγῳ.	*Pelasgo denuntiasse.*

Pelasgus iste non fuit primus ille αὐτόχθων antiquissimus, nec alius paulo posterior tempore Inachi filius, sed alius posterior multo. Staphylus apud Apollonii Scholiastem pag. 27 ait eum, qui Thessaliam migravit, fuisse Argivum, & à suo nomine eam regionem Pelasgiam appellasse. Eustathius vero Iliad. β versu 683 eum Itæmone & Argiva muliere natum ait, & Achæi & Phthii fratrem fuisse.

Pag. 650.

Τῶν ἐπινεόντων τὴν πεπαιτάτην ἀεί.	*Ex iis quæ adventant, quod maturum est maxime.*

Vertit Dalecampius ἐπινεόντων *adventantium*, faceto certe sensu. Nimirum gradiebantur, ut convivæ unus post alium adventantes. At tu lector verte *supernatantium*. Fuerunt scilicet æstiva pyra parvæ molis, quæ in aqua multa apponebantur, ut frigidiora forent, &

quo

quo magis ea leviora erant nimio humore à sole exsiccato, & ideo suaviora, supernatabant, & à convivis eligebantur.

Pag. 651.

Ὁ δὲ τόπος τοῦτ' ἔχει τὸ φυτὸν ἐν αὐτῷ πλεῖστον, ἀφ' οὗ τὴν ἐξ ἀρχῆς εἴληφε προσηγορίαν καὶ ἐνίκησε.

In hoc tractu plurima sunt mali Punica, indeque principio nomen est inditum.

Hæc summus vir interpretatur aliter, quam ego puto debere intelligi. Sic enim ait: *videntur initio σίδαι appellata ea mala, quæ in Sideno agro nascerentur, paulatim vero obtinuisse, ut omnia sic vocarentur à Bœotis. Poterat contrarium verius videri, copiam nimirum σιδῶν loco Sidæ nomen dedisse: nam multa loca de iis rebus, quarum feraces erant, nomen adepta. Cum Epaminonda tamen historia consentit, quæ oppidulum Sidam à Danai filia Sida denominatum testatur referente Pausania.* Hæc vir magnus, in quibus miror, cum meliora viderit, sequiora sequutum esse in interpretatione. Nempe fefellit eum ultimum hujus loci membrum καὶ ἐνίκησε, quod intellexit de fructus nomine, scilicet tandem eam appellationem τῶν σιδῶν vicisse, & obtinuisse, ut sic vocarentur ea mala in omni Bœotia. Sed τὸ καὶ ἐνίκησε referri debet ad Epaminondam, qui eo argumento usus vicit & obtinuit, ut is locus Thebanis adjudicaretur, eo quod ex nomine malorum, quibus abundabat ille locus, manifestum erat Bœotos loco nomen dedisse, non Athenienses, & ideo à Bœotis antiquitus possessum fuisse. Locum Pausaniæ quem citat, nihil facit ad hanc historiam. Nam locus ille Σίδη nomine, de quo Pausanias, erat in Laconia inter Bœam & Epidaurum Limeram longe ab eo, de quo hic agitur, inter Athenienses & Bœotos litigioso.

Pag. 655.

Ὄρνιθες Μελεαγρίδες, ὁ δὲ τόπος ἐστὶν ἑλώδης, ἐν ᾧ τρέφονται, ἐστὶ δὲ ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρνεον.

Aves, quas Meleagridas appellant. Locus palustris est, in quo nutriuntur. Animal illud non ita prolem amat.

Ex hoc loco cogor invitus à summis viris dissentire Casaubono scilicet, & qui ejus opinionem sequitur, Johanne Gerardo Vossio Idololatriæ lib. 3 cap. 24, quorum primus ad hunc locum ait: ***nemo non videt gallinis iis convenire, quas vulgo Indicas vocamus.*** Imo nihil convenit:

venit: nam & τὸ ἄστοργον non ineſt, pugnant enim egregie cum canibus, quum pullos habent, pro eis, & tanto ardore, ut ſæpe à canibus grandioribus multis morſibus lacerentur. Deinde τὸ ἐν ἑλώδεσι τρέφεσθαι nullo modo convenit, imo nihil magis earum pullis nocet, quam vel rore vel pluvia madefieri. Deinde τὸ σκληρὸν καὶ ξυλοειδὲς τοῦ λόφου omnino cum ea ſententia pugnat, quippe molliſſimum & pendulum τὸν λόφον habent Indicæ gallinæ. Adde quod ſunt ἄνευ καλλαίων ſine barbis vel paleis, quod pugnat cum hac Meleagridum deſcriptione, πρὸς δὲ ταῖς γνάθοις ἀπὸ τοῦ στόματος ἀρξαμένην ἀντὶ πώγωνος μακρὰν σάρκα, ad malas vero ab ore incipientem pro barba carnem prolixam. Tum quod ait magnitudinem habere gallinæ generoſæ, non convenit cum noſtris Indicis, quæ in multo majorem corporis molem augentur. Ideo audacter pronuntiamus, meleagridas non eſſe noſtras Indicas, quod & firmatur ex relatione eorum, qui in India Aſiatica peregrinati ſunt, qui teſtantur non eſſe in ea regione eas gallinas, quæ à noſtris Indicæ vocantur, nec in tota Aſia, niſi ſi quæ ibi ex Europa noſtra importatæ fuerint. Vide ſuper eo obſervationes Domini *de la Boulaye le Gens* Andegavenſis pag. 442. Mihi vero videntur ea, quæ de Meleagridibus hoc loco dicuntur, ſatis convenire cum iis gallinis, quas Numidicas vocarunt Romani, nos vero *poules de Barbarie*: nam τὸ σκληρὸν καὶ ξυλοειδὲς τοῦ λόφου maxime convenit, moles corporis etiam gallinis gallinaceis majoribus æqualis. Sed optime conveniunt, quæ ſequuntur: τὸ δὲ σῶμα ἅπαν ποικίλον, μέλανος ὄντος τοῦ χρώματος ὅλου, πτίλοις λευκοῖς καὶ πυκνοῖς διειλημμένον μείζοσι φακῶν, id eſt, *corpus totum varium, nigro quidem in univerſum, ſed pinnulis albis & ſpiſſis notatum, lentis grano majoribus.* Si quis velit accurate hunc locum cum Numidicis gallinis conferre, mihi aſſentiri non dubitabit: nam illud *lentis grano majoribus* non poteſt convenire noſtris Indicis, quæ maculas multo majores habent. At ſi quis unquam vidit flores pratenſes, quas Meleagridas vocant, in mea ſententia firmabitur, & credet vel florem ab ave vel avem à flore tale nomen mutuaſſe, color enim omnino ſimilis eſt. Voſſius autem licet fluctuare videatur, tamen cum Caſaubono conſentit, cum ait dicto loco. *Ideo & Tauros color is* (rubeus ſcil.) *efferat, imo & gallinas Numidicas*, & ex eo coloris rubri odio, quo flagrant noſtræ Indicæ, conjicio, per Numidicas eum intelligere noſtras Indicas: in quo non poſſum ei aſſentiri. Gallinæ noſtræ Indicæ ignotæ fuerant ante Americanas navigationes. In Braſiliana & aliis Americæ provinciis frequentes

 ſunt,

ſunt, & inde ad nos tranſportatæ fuerunt, & eo quod India Occidentalis vocatur ſæpe America, gallinæ Indicæ dictæ ſunt. Apud nos nunc frequentes ſunt, & vilis pretii: at memini me, dum adhuc puer eram, vidiſſe eas raras & caras eſſe, adeo ut gallus Indicus grandior duobus aureis æſtimaretur.

Pag. 666.

Κότταβος δ' ἐκαλεῖτο τὸ τιθέμενον ἆθλον τοῖς νικῶσιν ἐν τῷ πότῳ, ὡς Εὐριπίδης παρίστησιν ἐν Οἰνεῖ λέγων οὕτως: Πυκνοῖς δ' ἔβαλλον Βακχίου τοξεύμασι Κάρα γέροντος· τὸν βάλλοντα δ' ἐστέφειν, Ἐγὼ τετάγμην, ἆθλα κοττάβων διδούς.	*Cottabum etiam appellarunt præmium quod meretur, qui potando vicerit, ut declarat Euripides in Oeneo his verbis: Crebris percuſſerunt Bacchi ſagittis caput ſenis: at qui feriit, eum coronari juſſi, cottabumque præmium dedi.*

Caſaubonus legit κότταβον διδούς. Et certe ex verbis Athenæi colligitur eum ſic legiſſe, quod forte aliquis ex Euripidis codice emendatiore correxit. Nam & erit trimetrum elegantius, ſi legatur κοττάβων, & ſententia etiam multo melior emerget. Sed licet legamus κότταβον, non ex eo ſequetur, quod inducit Athenæus, ſcilicet cottabum dici præmium, quod dabatur in convivio ei, qui bibendo viciſſet. Cottabus fuit vas cum imagine vetuli ſervi, quæ imago *Manes* vocabatur: in eo ludebant Cottabizantes. Locus Euripidis ait, convivatorem dediſſe præmia iis non qui bibebant, ſed qui feriebant τὸν Μάνην, & dediſſe ipſum cottabum, id eſt, ipſum vas. Sed inde non ſequeretur in omnibus conviviis eum morem obtinuiſſe. Sed omnino credo, Euripidem ſcripſiſſe ἆθλα κοττάβων διδούς, *præmia cottabiſmi*. Id eſt, ejus qui vicerat in eo ludo, & ſæpius & magis ſonore ferierat τὸν Μάνην. Nam ſi ipſum vas ſtatim ferienti dediſſet convivator, ludendi finem feciſſet à primo fœlici jactu.

Pag. 672.

Θεασάμενος τὴν τῆς Ἥρας ἐπιφαύσαν.	*Conſpicatam ædis Iunonis extimam faciem.*

Vertit ita Daleeampius, vellem bene. Sed non dubito alium fuiſſe ſenſum Menodoti Samii, qui eam rem narravit. Verte, *cum vidiſſet Iunonis ſpeciem*. Id eſt, cum ſibi apparuiſſet Junonis ſpecies.

ἐπιφαύσα

ἐπιφανεία enim non solum est exterior superficies, sed est etiam species apparens alicujus rei, *apparitio*. Sic dicitur festum diei, quo apparuit stella sapientibus, *Epiphania*.

Pag. 675.

Διὰ τοῦθ' οἱ Ἕλληνες τῶν μὲν παρὰ δεῖπνον ἀκράτω προσδιδομένω τὸν ἀγαθὸν ἐπιφωνοῦσι δαίμονα * τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένω πρώτω προσδιδομένω ποτηρίω Δία Σωτῆρα ἐπιλέγουσι.	*Quapropter Graci, cum temetum inter cœnandum infertur mensa, elata clamore bonum Deum invocant * Cum vero post cœnam primum aqua temperatum poculum ministratur, Iovem Servatorem exsultantes acclamant.*

Pugnat secum infra pag. 692 & 693, ubi plures antiquos poëtas in testimonium vocat, ut probet poculum, quod post cœnam exhibetur, vocatum fuisse ἀγαθοῦ δαίμονος. & Dionysii Tyranni historiam narrat, quæ id necessario evincit. Ergo hoc loco præpositiones παρὰ & μετὰ locum mutarunt, quod etiam evincit vox πρώτω. Sed & tertius etiam calix Jovi Servatori propinabatur, de quo vide Erasmum.

Ibidem.

Λευκόϊον δὲ κινητικὸν ὄντα κεφαλῆς.	*Violas, quæ odore caput feriunt.*

Ex hoc loco patet Leucoïum nihil minus esse, quam violam albam nostram, ut volunt quidam botanistæ. Nam is flos minime omnium capitis gravedinem affert.

Pag. 677.

Τὴν ἐν Μουσῶν αὐτοῦ σίτησιν ἔχειν ἐχαρίσατο.	*Annonam ex Musarum reditibus ei largitus est.*

Casaubonus mallet legi ἐν Μουσείῳ. Sed sic Romani olim *ad Pacis, ad Vestæ, ad Concordiæ*. Ideo nihil puto mutandum esse, nec mirum, si cum Romæ essent Sophistæ, aliquando Romanorum more loquebantur.

Pag. 678.

Πομπεύειν τε ἐν τῇ τῶν Ἑλλωτίων ἑορτῇ.	*Eamque in Ellotiorum festo in pompa vehi.*

De hoc festo ita commentatur Casaubonus: *de Ellotiorum autem festo scribit idem Hesychius.* Ἑλλώτια ἑορτὴ Εὐρώπης ἐν Κρήτῃ. *A Cretensibus igitur acceperunt Lacedæmonii.* Metuo, ne lapsus memoria Lacedæmonios posuerit. Nam Ellotia Corinthi celebrabantur, teste ipso Athenæo infra paucis lineis & Pindari Scholiasta ad Olymp: 13. Sed forte aliunde habet vir ille summus. Nam plura scivit, quæ nos ignorare non erubescimus, tum multa à Cretensibus acceperant Lacones.

Pag. 679.

Στέφανον πολυποίκιλον ἀνθέων γρυπόταλον.	*Variam è floribus coronam mollissimam.*

Casaubonus vult legi γριπότατον, & *rapacissimam* interpretatur. Verum qualis erit gradus positivus ejus superlativi? Nam γρῖπος non significat *rapax*, sed *rete*: γριπεὺς autem est *piscator.* substantiva non recipiunt gradus comparationis. Vereor igitur, ne nimis properanter hæc scripserit vir incomparabilis. Tum quale foret illud attributum *corona rapacissima.* Ergo ut aliquid etiam in medium afferam, forte legendum est τερπνόθητον, non magna mutatione & optimo sensu.

Pag. 680.

Ὑφ᾽ ὧν διὰ τὸ Παρτάμιδος μῖσος ἀποφανθῆναι βασιλέα.	*A quibus, quod esset invisus & odiosus Partamis, rex creatus fuerit.*

Fuit igitur Partamis ille, qui Herodoto est Apries, Scripturæ vero Hophrah vocant, utrumque nomen longe à Partamide. Sed aliquid profecto deest, & iste Partamis is est, qui Herodoto Πατάρβημις, ob cujus lanienam ab Apric rege factam irati Ægyptii defecerunt ad Amasin omnes. Si vero nihil deest, intelligendum est Παρτάμιδος μῖσος, ob odium, quod propter Partamidis injuriam habebant, contra Apriem scilicet. Sed dum hæc scribo, suggerit mihi memoria veram & genuinam lectionem. Lego igitur confidenter διὰ τὸ Παρτάμιδος μύσος, *ob scelus in Partamide commissum.*

Pag. 683.

Pag. 683.

Οὐδ᾽ ἡ αὐτὴ Λευκόφρυν ἀγαστ-ταμένης ἐπιμεμφής. Ἀνθοῦσι Μάγνητος ἐφ᾽ ὕδασιν εὐθα-λέουσα.	*Nec Leucophrys improbanda, si cui placet earum situs. Provenit & optime rosa ad Magnetis aquas Maeandri.*

Mutat doctissimus Casaubonus, & legit Λευκόφρυς ἀγαασαμένοις, non incommodo certe sensu. Ut tamen etiam aliquid ad hanc ῥῆσιν dicam, vellem legi Λευκόφρυν ἀγαασαμέναις, & per Λευκόφρυν intelligo Dianam, quæ Λευκόφρυς cognomine dicebatur, & ἀγαασαμέναις refero ad Magnesias mulieres, qui eam deam colebant, nam ἀγάσασθαι est σέβεσθαι teste Hesychio.

Pag. 689.

Ἔφεσος γέ τοι πρότερον φασὶ τοῖς μύροις διέφερε, καὶ μάλιστα ἐν τῷ Μεγαλείῳ.	*Nam Ephesus olim unguentis clara fuit, & præcipue Megalio.*

Ex hoc loco corrigendus est Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2 cap. 8, ubi pro μεγαλεῖον legitur μετάλλιον, fœdo errore, sed proclivi præsertim in majusculis Γ & Τ, nam τῳ ἐπεσημαμένον Ⅎ simile est τῷ γ. Idem error deprehenditur & apud Helladium Besantinoum apud Photium pag. 870, nec de ea emendatione dubitandum est. Nam Plinius lib. 13 cap. 1 rationem nominis reddit. *Postea multo successit propter gloriam appellatum Megalium.* Et Galenus pluries μεγαλεῖου μύρου meminit, & ipse Athenæus paginis sequentibus 692 & 693 à Megallo quodam Siculo inventore dictum fuisse ait. Non dubito, lector candide; plures fore, quibus mirum & insolens videbitur, me in his ad Athenæum notis, sæpissime à Casaubono viro tali dissentire, sed cogites, me tantum 30 vel circiter locos notasse, in quibus non mihi visus est tam bene litasse τῇ εὐστοχίᾳ. Sed cæteros, qui ut puto, duo vel tria millia restant, me silentio meo approbasse, & nunc verbis expressis profiteri, me in cæteris summi illius viri πολυμάθειαν & ἀγχίνοιαν mirari, & in ejus notis me didicisse centies plura, quam in his exercitationibus me notasse, plures forte mirabuntur, & id omnibus publice testatum hoc loco volo.



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
LVCIANVM.

TOMO PRIMO.

Editionis Basileensis Sebast. Henricpetri in octavo. Parisiensis in Folio.

IN SOMNIO.

Pag. 15. Paris. 7.

Τριέσπερος ὥσπερ ὁ Ἡρακλῆς καὶ αὐτός ἐστι.	*Trinoctiale, qualis & ipse Hercules est.*



Hæc ait per allusionem ad Lycophronem in Alexandra statim initio, ubi de Hercule sic:

Αἶ αἶ τάλαινα θηλαμὼν κεκαυμένη
Καὶ πρόσθε μὲν πεύκῃσιν οὐλαμηφόροις
Τριεσπέρου λέοντος.

Quem Herculem τριέσπερον λέοντα dixit, ut interpretatur Tzetzes, vel quod plures noctes impendit Jupiter in ejus generationem, vel quod per treis dies mansit in ventre ceti, ut Hesionem liberaret.

In

In Prometheo. pag. 31. Parif. 11.

Τοὺς τοῦ διαλόγου ἑταίρους ἐχλεύαζε φροντιστὰς καὶ μετεωρολέσχας.

Dialogi sectatores ac socios ut plurimum irridebat ac subsannabat curarum exercitores ac vanos sublimium rerum disceptatores.

Socratem proculdubio innuit ab Ariſtophane in Nebulis ſubſannatum, & φροντιστὴν & μετεωροφένακα vocatum.

In Nigrino. pag. 62. Parif. 23.

Καὶ τὰς ἐν τῇ πόλει ταραχὰς διεξῄει καὶ τὸν ὠθισμὸν αὐτῶν, καὶ τὰ θέατρα, καὶ τὸν ἱππόδρομον καὶ τὰς τῶν ἡνιόχων εἰκόνας.

Perſequendo verbis & eos, qui in urbe fiunt tumultus & quo pacto alii ab aliis impelluntur. Praterea & theatra & circum & aurigarum ſtatuas.

Putavi aliquando hunc locum debere aliter legi. Reponebam ſcilicet τοὺς τῶν ἡνιόχων ἀγῶνας. Nam & mihi hæc lectio magis convenire videbatur antecedentibus, ubi ait ταραχὰς διεξῄει, & ne diſſimulem, vix ab ea ſententia diſcedo. Notum eſt, quantas turbas olim fecerint agitatorum certamina, quantas ſeditiones excitarint, adeo ut ſæpe milite opus fuerit, ut ſedarentur rixæ & tumultus, quos aurigarum factiones & faventium cunei excitabant. Ideo nihil fuit Romæ magis celebre, nihil in circulis, hominum ſermonibus, magis agitatum, quam Circenſium eventus, & Praſinorum, Venetorum, Ruſſatorum, & aliorum victoriæ vel infortunia. Non poſſum tamen damnare lectionem vulgatam. Nam Martialis lib. 5 epigr. 26, ubi de Scorpi nobiliſſimi agitatoris imaginibus loquitur, ſic ait:

Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere & effuſo permaduiſſe croco?
Quam non ſenſuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi naſus ubique micet?

Et Capitolinus in Vero teſtatur equo Circenſi, cui nomen erat *Volucris*, ab Ælio Vero imperatore factum aureum ſimulachrum. Itaque non mirum, ſi agitatoribus quoque nobilibus id honoris genus impertiebatur. Fuiſſe autem in circo poſita ea ſimulachra ex hoc loco conjicere licet, & rationi conſentaneum videtur.

Ibidem.

Ibidem.

Πολλὴ γὰρ ὡς ἀληθῶς ἡ ἱππομανία, καὶ πολλῶν ἤδη σπουδαίων εἶναι δοκούντων ἐπείληπται.

Multa enim revera equorum passim ibi insania est. Iam & multos eorum, qui pro studiosis ac gravibus habentur, reprehendebat.

Hæc ultima verba male vertit Micyllus. Vertendum erat: ***multos, qui graves esse videntur, occupavit.***

Pag. 63. Parisf. 24.

Καὶ τὸν οἶνον ἐν τοῖς συμποσίοις μετὰ κρότων τε καὶ ἀρωμάτων ἐγχέοντας.

Vinumque in conviviis cum plausu & odoribus effundunt.

Hæc male convenire videntur. Quid enim commune habet plausus cum aromatibus? Ergo non dubito debere legi μετὰ κρόκων vel κρόκου καὶ ἀρωμάτων, ea enim optime conjunguntur, ut & crocus vino. Nam ea misceri solere, & in deliciis fuisse eam mixtionem testis est Plinius lib. 21 cap. 6, ubi de croco loquitur. *Usus ejus in coronis nusquam, herba enim est folio angusto pene in capillamenti modum. Sed vino mire congruit, præcipue dulci tritum* &c. Hæc Plinii verba omnino firmant nostram conjecturam.

Pag. 64. Parisf. ibid.

Οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ᾐτιᾶτο τῶν στεφανουμένων, ὅτι μὴ ἴσασιν τοῦ στεφάνου τὸν τόπον· εἰ γάρ τοι (ἔφη) τῇ πνοῇ τῶν ἴων τε καὶ ῥόδων χαίρουσιν, ὑπὸ τῇ ῥινὶ μάλιστα ἐχρῆν αὐτοὺς στέφεσθαι.

Ita scil. & ipse accusabat eos, qui coronas gestabant, quod locum ubi eas adhibere deberent, nescirent. Nam si afflatu, inquit, violarum rosarumque delectantur, sub nasum eos potissimum coronari oportebat.

Suggillat homo Græcus Romanorum imperitiam. Nam Græci & præcipue Æoles & Iones coronas circa collum in pectus pendentes gerebant in conviviis. Id nos docet Plutarchus Sympos. 3 cap. 1, & tales coronas vocabant ὑποθυμίδας vel ὑποθυμιάδας, ut melius censere videtur Athenæus lib. 15 pag. 678 his verbis: ὑπόθυμις καὶ ὑποθυμιάδες στέφανοι παρ' Αἰολεῦσι καὶ Ἴωσιν, οὓς περὶ τοὺς τραχήλους περιετίθεντο,

περιετίθεντο, ὡς σαφῶς ἐστὶ μαθεῖν, ἐκ τῶν Ἀλκαίου καὶ Ἀνακρέοντος ποιήσεως, id est, *hypothymis & hypothymiades coronæ sunt apud Æoles & Ionas, quas circa collum circumponebant, ut aperte licet discere ex Alcai & Anacreontis versibus.* Scilicet *hypothymiades* dicebantur ἀπὸ τοῦ ὑποθυμιάζειν à suffitu vel suffumigatione, quoniam infra nasum positæ cerebrum suo suffitu juvabant, ut ait Plutarchus dicto loco.

Pag. 68. & 69. Paris. 26.

Τηνικαῦτα χρίσας τὸ βέλος, οὔτε ἰῷ, καθάπερ τὰ Σκυθῶν, οὔτε ὀπῷ, καθάπερ τὰ Κουρήτων.	*Tum demum tincta atque infecta sagitta non veneno, quemadmodum Scytharum sagittæ tinguntur, neque resina, perinde ut Curetum.*

Mirum est Lucianum tribuere hoc loco Curetibus sagittandi artem, quam nullus alius antiquorum illis tribuit, licet plures de illis plura dixerint. Omnes illis gravem armaturam scutum & hastas tribuerunt, & ἐνόπλιον ὄρχησιν. Orpheus seu Onomacritus Hymno 1 & 2 in Curetas mille illis epitheta dedit, nullum tamen, quod sagittandi peritiam significet. Imo contra eos [1] ὁπλοφόρους φύλακας vocat, & [2] χαλκοκρότους Ἄρηια τεύχε᾽ ἔχοντας. Callimachus etiam Hymno in Jovem:

[3] Οὖλα δὲ Κούρητές σε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο
Τεύχεα πεπλήγοντες.

Idem ait Apollodorus lib. 1: [4] οἱ δὲ Κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον. Dionysius Halicarnass. lib. 7: ὅτε τὸν Δία τιθηνούμενον θέλγειν ἐβούλοντο κτύπῳ τε ὅπλων καὶ κινήσει μελῶν, id est, *quando Iovem lactentem delectare volebant armorum strepitu & membrorum motibus.* Strabo lib. 10, ubi de Creta: [5] τούτους δὲ ὠνόμαζον Κούρητας νέους τινὰς ἐνόπλιον κίνησιν μετ᾽ ὀρχήσεως ἀποδιδόντας, προστησάμενοι μῦθον τὸν περὶ τῆς τοῦ Διὸς γενέσεως. Plinius lib. 7 cap. 56: *saltationem armatam Curetes docuere, Pyrrichen Pyrrhus, utramque in Creta.* Idem ait & Pindari Scholiastes ad Pythiorum 2, & ne te morer, lector, innumeris citationibus, quicunque de Curetibus scripserunt, iis tympana & armorum strepitum & saltationem in armis tribuerunt, nullus sagittarum infectionem. Ætoli certe, qui prius Curetes & à quibus ortos Cretenses Curetas volunt, funda, non sagittis gloriabantur, & eorum dux Pyræchmes Degmenum Elæum sagittarium funda prostravit. His ductus auctoritatibus apud Lu-

[1] *Armatos satellites.*
[2] *Æricrepos Martis arma habentes.*
[3] *Alacriter autem Curetes Pyrrhicam saltabant Scuta ferientes.*
[4] *Curetes autem armati in antro infantem servantes lanceis clypeos verberabant.*
[5] *Eos vocabant Curetas juvenes quosdam motum in armis cum saltatione exhibentes, de quibus fabula perhibetur circa Iovis nativitatem.*

cianum hoc loco pro Κυρήτων lego Κρήτων minima mutatione. Nec mihi Diodori locus libri 5, ubi de novem illis Cretensibus Curetibus, scrupulum injicit, & ab ea lectione inhibet, ubi inter plurium rerum & artium inventionem, quam Curetibus tribuit, addit: [1] τὰ περὶ τοξείαν καὶ τὰς κυνηγίας εἰσηγήσασθαι. Nam ultra quod solius Diodori auctoritas contra omnium antiquorum turbam & consensum mihi parum valere videtur, recantat ipse Diodorus, & contra seipsum pugnans, ait ex Cretensium traditione Apollinem in Creta natum, [2] εὑρετὴν δὲ τόξων γενόμενον διδάξαι τοὺς ἐγχωρίους τὰ περὶ τὴν τοξείαν. At certe si Apollo primus fuit arcus & sagittarum inventor, & ejus usum docuit Cretenses, non erat notus arcus Curetibus, qui ante Apollinem natum & ipso Jove antiquiores in Creta habitabant. Jure igitur Luciani lectio hoc loco mihi suspecta est mendi, & Κρήτων censeo debere legi. Nam Lucianus, qui de Scytharum sui temporis more loquitur, non mihi videretur bene iis opposuisse novem homines è fabuloso seculo, & ratio vult, ut nationi nationem opponat & comparet. Ergo lego confidenter, & si mihi credis, leges, καθάπερ τὰ Κρήτων. Sed & Micyllus etiam hoc loco castigandus, qui ὀπῷ interpretatur *resina*; numquam enim legisse me memini resinam utilem fuisse ad sagittarum infectionem, aut ὀπὸν dictam resinam κατ' ἐξοχὴν, cui nomen proprium est ῥητίνη: pro Silphio certe ob plantæ excellentiam sumitur ὀπὸς & pro papaveris succo ob vim medicamenti, unde ὄπιον diminutive dicitur. Verte ergo ***herbarum succo***, opponit enim ὀπὸν succum herbarum τῷ ἰῷ veneno, quod ex serpentibus ἰοβόλοις colligitur, quorum ferax est Creta, & indiga Scythia, regio frigida.

[1] Sagittationem & venationes introduxisse.

[2] Inventorem arcus docuisse incolas sagittandi artem.

In Timone. Pag. 90. Paris. 33.

Καθάπερ ὑπὸ Μανδραγόρᾳ καθεύδεις.	*Ubi superinde ac sub mandragora stertis.*

Ita vertit Erasmus, bene secundum vulgatam lectionem, male secundum rationem. Henricus Stephanus in voce Μανδραγόρας videtur legisse ὑπὸ μανδραγόρου, non multo melius. Faceta satis est sententia versionis Erasmi, qui mandragoram herbam lactucæ non absimilem, ut ex Theophrasto & Plinio patet, in arborem umbram dormientibus facientem transformat. Certe non ita scripsit, non ita intellexit Lucianus. Lege meo periculo: ἀπὸ μανδραγόρου, id est, ***post mandragoram sumptam***, vel, ***post mandragoræ potionem***. Sic &

ad

ad eundem ſenſum infra in Demoſthenis encomio pag. 908: οἷον ἐκ μανδραγόρου καθεύδοντες, id eſt, *à mandragora potu vel eſu.* Sic etiam loquuntur medicorum filii, ἀπὸ πλησμονῆς, ἀπὸ φαρμάκου, id eſt, *ſtatim poſt repletionem, ſtatim poſt pharmaci potionem.* Mandragoram vero eſſe ναρκωτικὸν φάρμακον, & ſomnum inducere notum eſt vulgo.

Pag. 94. Pariſ. 34.

Ἐπὶ ταύτην τὴν ἐσχατιὰν περιπέμψεο.	*Ad extrema redactus conſilia.*

Hoc loco notanda eſt inſignis maximi viri hallucinatio, Eraſmi dico, qui τὴν ἐσχατιὰν pro ultima deſperatione ſumpſit, & hoc modo vertit. At nihil aliud eſt ἐσχατιὰ, quam prædium ruſticum longe ab urbe ſitum, forte in finibus Atticæ. Ideo vertendum erat, *ad hoc ultimum rus redactus.* Deus bone, quis ab erroribus homo ſe vendicabit, quando tantus vir reliquit etiam errores humanitatis ſuæ indicia.

Pag. 128. Pariſ. 48.

Ἐπειδὴ πρώην ἔλαχε τῇ Ἐρεχθηΐδι φυλῇ διανέμειν τὸ θεωρικὸν, κἀγὼ προσῆλθον αἰτῶν τὸ γινόμενον.	*Porro quum illi ſorte obveniſſet ut Erechtheidi tribui diſtribueret ærarium, atque ego audiens, id quod ad me redibat poſcerem.*

Hæc ultima verba in mendo deliteſcunt. Lege, αἰτῶν τό γε νόμιμον, & videtur bene legiſſe Eraſmus, qui vertit, *id quod ad me redibat, poſcerem.* Sed non tam bene ei ſucceſſit, quando θεωρικὸν interpretatus eſt *ærarium.* Debebat potius interpretari *donativum.* Erat enim τὸ θεωρικὸν pecunia, quæ ex publico populo tribuebatur ad ſpectaculorum impenſas Panathenaicorum, Pythiorum & Olympiacorum tempore. Sed ex hoc loco emergit non mediocris difficultas. Timon ſupra non ſemel Κολυττεὺς dictus eſt. At Κολυττὸς demus ſeu pagus Atticæ vel potius pars Athenarum Harpocrationi & Suidæ Ægeidi tribui tribuitur, quomodo igitur hîc Timon dicit ſe acceſſiſſe ad illum, qui Erechtheidi tribui donativum Theoricum diſtribuebat, ut ſuam legitimam partem acciperet, qui cum eſſet Colyttenſis domo, non erat Erechtheidis tribulis. Certe hoc videtur ἀσύστατον. Ergo vel falſus eſt Harpocration, & qui eum ſequitur Suidas, & male Colyttum pagum accenſuerunt Ægeidi (quod magis puto) vel male

le Lucianus Timonem Colyttensem facit, quod non est verisimile, cum id non semel dixerit.

In Mercede conductis. Pag. 318. Paris. 242.

Ἀλλὰ τῶν ἐλπιζομένων πέντε ὀβολῶν.	*Verum spe quinque obolorum.*

Ex hoc loco licet conjicere temporibus Luciani quinque obolos Græcos æstimatos fuisse centum quadrantibus Romanis, & idem potuisse. Nam omnia officia salutationum & deductionum, quæ regibus suis præbebantur à clientibus & parasitis, mercedem habebant diurnam sportulam vel cœnam rectam, vel ut plurimum, centum quadrantes, ut apud Martialem passim discimus, quam summam Græcis suis videtur Lucianus per πέντε ὀβολοὺς exprimere voluisse.

Pag. 341. Paris. 252.

Θεραπεύων ἀεὶ ἐν ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνων, ὡς μὴ ἐλεγχθείης ἀπὸ τοῦ χρώματος, οὕτως ἄτιμος ὢν ξυμπότης.	*Proinde illud semper curas ut auro argentove bibas, ne colore prodente palam fiat te usque adeo contemtum neglectumque esse convivam.*

Legendum est χρυσῷ πίνειν, ut bene ad θεραπεύων referatur. Cæterum ex hoc Luciani loco colligitur jam eo tempore vitrum fuisse in usu vel crystallum, sed credo potius vitrum: nam Crystallina pocula pretiosiora erant, quam ut Græculis dari solerent, aurum & argentum enim vilius. Ergo ut non biberent vitro transparente, in quo illaudati vini color deprehendebatur, cura iis erat adhibenda, ut biberent auro vel argento. Sed an illud vitrum fossile fuerit, de quo Herodotus lib. 3, an vero igne elaboratum, ut apud nos, dubium.

Pag. 343. Paris. ibid.

Χρὴ οὖν χερσαίου βατράχου δίκην διψῶντα κεκραγέναι.	*Quapropter terrestris in morem ranæ sitiens vociferceris necesse est.*

Videtur Lucianus abuti voce χερσαίου βατράχου hoc loco, & per id nomen φρύνον intellexisse, hoc est, *rubetam*, quod animal contentissime clamat. Nam ranæ terrestres, quæ in segetibus & passim inveniuntur, nullam emittunt vocem, clamant tantum eæ, quæ in paludibus

paludibus & aquis degunt, imo proprie non clamant: nam vox, quam emittunt, non concipitur in pectore, sed in ore admissa aqua, ut notat Plinius lib. XI cap. 37 & 51. Ergo proculdubio Lucianus per χερσαίου βατράχου rubetam intellexit.

Ibidem. Paris. 253.

Ὦτα γὰρ καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως πολλοί.	*Propterea quod regis plures sunt aures & oculi.*

Facete ludit in homonymia vocis βασιλεύς. Nam Romæ reges appellabantur ii, qui convivia præbebant clientibus suis, ex Juvenali & Martiale notum: regum autem (ut notum est) ministri dicuntur βασιλέως ὀφθαλμοί, in quo lusit cum multo risu Aristophanes in Acharnis.

Pag. 344. Paris. ibid.

Ἐπεὶ ἄλλος γε εὐνοῦχος ἐντεταμένον πάλαι τὸ τόξον ἔχων, ἃ μὴ θέμις ὁρῶντα, διαπείρει τῷ οἰστῷ μεταξὺ πίνοντος τὴν γνάθον.	*Moxque alter eunuchus, cui jamdudum arcus in manu tensus est, quia videris quæ videre nefas, inter bibendum malam jaculo transfigat.*

De hoc Persarum more tyrannico prorsus & minime συμποτικῷ nihil memini me legisse, & quis credat Persarum reges vel proceres voluisse sua convivia sanguine humano pollui, & funeribus inquinari? & omnem convivandi lætitiam extingui mortis cogitatione & metu? id certe nec credo nec credibile est. Ideo allegorico sensu debet intelligi τὸ οἰστόν. Nimirum acutissimum telum est calumnia, quam in convivam immoderatum vibrabat Eunuchus ille, insusurrando regis auribus & ejus zelotypum animum irritando. Sic ego intelligo, alius forte aliter.

Pag. 351. Paris. 256.

Οἶδα δ' ἐγὼ ῥήτορα τῶν Καρχάρων.	*Carcharorum oratorem novi.*

Sic vertit Erasmus, nimirum putavit Carcharos fuisse populos ita vocatos, vel gentem forte Athenis degentem, ut Eumolpidæ, Phœnices, Eteobutadæ. At longe à veritate aberravit doctissimus ille vir. Legendum est sine majuscula καρχάρων, & interpretandum est *mordacium, asperorum, exertos dentes habentium*, nam κάρχαρος nihil

hil aliud est quam καρχαρόδους. Sed ex hoc loco & aliis, quos jam superius notavi, conjicio Erasmum adhuc juvenem & nondum Græcæ linguæ satis callentem hanc versionem aggressum fuisse: nam sæpe peccat ejus dialecti ignoratione.

Pag. 353. Paris. ibid.

Πέμπηταί τί σοι ἐφεστρίδιον ἄθλιον.	*Misera quæpiam umbella tibi mittatur.*

Interpretatur Erasmus ἐφεστρίδιον *umbellam*, ut umbella Græce σκίρον dicitur. Debebat vertere *amiculum, pænulam*, vel tale quid.

In Apologia de Mercede conductis. Pag. 369. Paris. 261.

Παρέχειν ἑαυτὸν ἕλκεσθαι καὶ φέρεσθαι, καθάπερ ὑπὸ κλοιῷ τινὶ χρυσῷ τὸν αὐχένα δεθέντα, οἷα ἐστὶ τῶν τρυφώντων πλουσίων τὰ σφίγγια καὶ τὰ κυράλια.	*Tamen præbeat sese alieno arbitrio huc atque illuc distrahendum; perinde ac si collario quopiam aureo foret innexus, non aliter quam à divitum illorum ac delicatorum collo amuleta illa & coralia dependent.*

Hæc ultima vox κυράλια non mihi videtur sana, & credo corruptam fuisse ab iis, qui σφίγγια intellexerunt armillas vel collaria, quasi ἀπὸ τοῦ σφίγγειν dictum foret σφίγγιον, omne id quod premit aut stringit aliquam corporis partem. At ego non possum sic intelligere σφίγγιον. Nam nec Græci viri nec Romani collaria aurea vel armillas gestabant, Barbaricus mos erat gestandi talia καλλωπίσματα, & ideo dictus est Torquatus Manlius ille Romanus, eo quod redierat à monomachia cum Gallo torque aureo insignis, quem detraxerat hosti, & eo spolio gloriabatur, cum mos non esset Romanis torques gestandi, quod in eo erat extraordinarium & ἐξαίρετόν τι: nam si plures Romani soliti fuissent talia ornamenta gestare, non fuisset ratio eum ita cognominandi ex re solita, & ei cum aliis Romanis communi. Mosellanus interpretatur σφίγγιον *amuletum*, sed nullum auctorem habet ejus significatus. Amuletum Græce dicitur περίαμμα, περίαπτον, ἀποτρόπαιον, nec puto Lucianum in re, quæ per plures voces Græcis usitatas significari poterat, voluisse uti voce, cujus significatus erat omnino insolitus, & ignotus. Igitur σφίγγιον, ut arbitror,

arbitror, diminutivum est vocis σφίγξ, quod est animal è simiarum genere, quo minus & exilius, eo pretiosius & magis æstimatum: ea vocamus in Gallia *guenuches* & *apajou*. Eam vocem Græcam etiam Latinam fecit Plinius lib. 6 cap. 29, ubi de iis mercibus, quæ ab Adulito emporio Troglodytarum afferuntur, ait: *deferunt plurimum ebur, rhinocerotum cornua, hippopotamorum coria, celetum testudinum, sphingia, mancipia.* Et rursus eodem capite: *animal sphingion.* Talia animalia sæpe vidimus apud reges, principes viros, & luxuriantes divites, alligata per collum vel per ilia stipiti aliquando & sphæræ è ligno vel metallo, ne libere vagari sinantur, & sic alligata παρέχουσι ἑαυτὰ ἕλκεσθαι κλοιῷ δεθέντα, & auro etiam vel ligari vel ornari solita fuisse testatur ipse Lucianus infra adversus indoctum: [1] πίθηκος γὰρ ὁ πίθηκος, ἡ παροιμία φησί, κ' ἂν χρύσια ἔχε σύμβολα. His positis pro κυρίλια (quam vocem Mosellanus interpretatur *coralia*, tamquam si κορίλια scriptum esset) legendum puto κυρίσια vel κορίσια vel κωρίλλια, quarum vocum idem est significatus, nimirum παιδία vel παιδάρια, & duarum quidem, quas primo loco posuit, frequentissima occurrunt exempla, ultimam κωρίλλια Hesychius habet sic: Κωρίλλιον, παιδάριον, κόριον, & paulo post: κωριλλίσκον, μειράκιον. Sic autem intelligendi ratio est, quod Romani divites & luxuriantes pueros pulchritudine & corporis mollitie insignes trimulos vel quadrimos auro & gemmis ornatos habebant in deliciis, qualis erat ille Philocommodus Imperatori Commodo percarus, de quo Herodianus in Commodo: ἦν δέ τι παιδίον πάνυ νήπιον, τούτων δὴ τῶν γυμνῶν μὲν ἐσθῆτος, χρυσῷ δὲ καὶ λίθοις πολυτίμοις κεκοσμημένων, οἷς ἀεὶ χαίρουσιν Ῥωμαίων οἱ τρυφῶντες. *Erat autem puerulus valde simplex ex iis, qui nudi sine veste auro & gemmis ornati, quibus delectantur Romani luxui dediti.* de iisdem loquitur Dio Cassius lib. 48: παιδίον τι τῶν ψιθύρων οἷα αἱ γυναῖκες γυμνά, ὡς πλῆθει ἀθυρέσθαι τρέφουσι. Quæ sic vertit Xylander: *puellus quidam, quales garrulitate amabiles matronæ nudos delectationis causa alere solent.* Nec objiciatur pueris non convenire vocem ἕλκεσθαι & κλοιῷ δεθέντα: vox ἕλκεσθαι optime convenit voci σφίγγια, vox φέρεσθαι vero apprime convenit voci κορίσια & aliis, quæ puellum significant. Simiæ trahuntur, pueri portantur: κλοιὸν simiæ datur, ut trahatur: puero ut ornetur. Ideo in nostra interpretatione nulla est absurditas.

[1] *Simia enim semper Simia, ut ait proverbium, licet aurea habeat symbola.*

Pag. 371. Parif. 262.

Ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον.

Vbi est lucrum, natura adacta servies.

Versus est Euripidis, ad quem olim parodia allusit Antigonus Cocles ille, dum Demetrio filio suadere volebat, ut Philan Antipatri filiam & Crateri viduam jam ætate aliquantum provectam duceret uxorem, Demetrius vero ob inæqualitatem ætatis eas nuptias aspernabatur; dixit filio pater: [1] Ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον. Refert Plutarchus in Demetrio.

[1] *Vbi est utilitas, præter naturam uxorem ducere oportet.*

Pag. 385. Parif. 267.

Τὴν λευκὴν παρὰ σοῦ καὶ πλήρη μοι ἐνεχθῆναι.

Si tuo suffragio candido plenoque nostra causa probetur.

Per πλήρη intellige μὴ τετρυπημένην ψῆφον; *non perforatum calculum*, quod absolvebat, ut & album: utebantur in judiciis calculis vel fabis, & calculi quidem integri & πλήρεις absolvebant, & ut fabæ albæ, sed calculi perforati, τετρυπημένοι, condemnabant. vide Scholiasten Aristophanis ad Vespas pag. 500.

In Abdicato. Pag. 497. Parif. 452.

Ἆρ' αὖ σοί πρὸς καιρὸν ὀργισθέντι, αὖθις ἐξῆν ἐς τὴν ὁμοίαν δουλείαν ἐπανάγειν· οὐδαμῶς, τὰ γὰρ τοιαῦτα βέβαια καὶ διὰ παντὸς κύρια ὑπάρχειν οἱ νόμοι ἀξιοῦσι.

Num tibi liceret, utcunque contigerit, rursus in eandem revocare servitutem? Minime liceret. Istiusmodi igitur acta, leges firma volunt esse ac perpetuo valere.

Tale forte fuit Græcorum jus; sed in eo jus Romanum à Græco differt. Nam actio ingrati competebat patrono adversus libertum ingratum, qui si causa cadebat, retrahebatur ad servitutem per sententiam judicis. Lege *Divus* 5. ff. de jure patronatus, & lege *Qui manumittitur* 12 Cod. de operis libertorum, & lege *Si manumissus* 2, & lege *Liberti* 3, & lege *Libertina* 4 Cod. de libertis & eorum liberis.

In Pseudomanti. Pag. 524. Parif. 474.

Οὐ Μινύαν μόνην, οὐδὲ τὴν Ἴδην καταστρέχων, οὐδ' ὀλίγα

Neque qui Minyam tantum aut Idam sit pergrassatus, neque

τῆς Ἀσίας μέρη τὰ ἐρημότερα λεηλατῶν. | *neque paucas quasdam Asiæ partes, videlicet desertiores, perpopulatus.*

Quæ sit illa Μινύα regio, juxta cum ignarissimis ignoro. Μινύας γῆ dicta est aliquando Orchomenus in Bœotia, sed quam longe ab Asia, toto Ægæo mari intercedente, nullus ignorat. In Pamphylia fuit quædam regio, quæ Μιλύας dicebatur, non Μινύας. Sed & hæc nimis longe ab Ida & locis, ubi sua latrocinia exercebat Tilliborus ille. Tu lector, si mihi credis, leges confidenter, Μυσίαν. Nam Mysiæ provinciæ erat Ida mons in Asia, si Asiæ vocem latius accipias, & satis vicina Asiæ proprie dictæ. Ideo nulla est ratio dubitandi, quin nostra emendatio sit vera & proba.

Pag. 552. Paris. 485.

Ὁ γοῦν Σηουηριανῷ δοθεὶς ὑπὲρ τῆς ἐς Ἀρμενίαν εἰσόδου. | *Itaque quod Severiano redditum est super expeditione in Armeniam suscepta.*

Num de Severiano intelligendum illo, qui ab Hadriano nonagenarius cæsus fuit, de quo Dio in Hadriano? non puto. Nam sub Trajano floruit ante ejus impostoris tempora, & hic paullo post Gallus Κελτὸς dicitur, & mortuus est, ut videtur, in ea expeditione, ut videtur innuere paucis lineis inferius: [1] ἐπειδὴ πεισθεὶς ὁ ἠλίθιος ἐκεῖνος Κελτὸς εἰσέβαλε, καὶ ἀπήλλαξεν, αὐτῇ στρατιᾷ ὑπὸ τοῦ Ὀθρυάδου κατακοπείς. Nam hæ voces ἀπήλλαξεν κατακοπείς, non mihi videntur aliter posse intelligi, quam de ejus clade & morte; hanc autem expeditionem nullus, quod sciam, antiquorum memoravit, nisi forte aliquid mussitavit de ea Capitolinus in Vero, & Dio in Marco, qui ut puto, de eo negotio pluribus tractaverat, quæ suppressit Xiphilinus, & de hac expeditione intelligenda sunt hæc Capitolini verba de Vero imperatore. *Nam cum interfecto legato, cæsis legionibus, Syriis defectionem cogitantibus oriens vastaretur, ille in Apulia venabatur & apud Corinthum & Athenas inter Symphonias & cantica navigabat — duces autem confecerunt Parthicum bellum Statius Priscus & Avidius Cassius & Martius Verus* [per] *quadriennium. Ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vindicarent.* Tempus concordat, & Armenia vindicata eam fuisse Romanis ablatam antea innuit. Ex hoc igitur Luciani loco illustratur Capitolinus, & nomen legati adjiciendum, qui fuit Severianus Celta, & nomen ducis Persarum Othryades, quod tamen

[1] *Quando persuasus simplex ille Gallus invasit, & accessit ab Othryade cum toto exercitu cæsus.*

men Græcum sonat: & non dubito aliter apud Persas expressum fuisse, sed mos fuit Græcorum omnia barbara nomina ad suum sonum accommodare.

Pag. 568. Paris. 492.

Ἀναπλεύσας ὁ νεανίσκος εἰς Αἴγυπτον ἄχρι τοῦ κλύσματος πλοίου ἀναγομένου.	*Cum adolescentulus amne adverso in Ægyptum navigasset, ad inundationem usque subducto navigio.*

Ita vertit Erasmus. At si Ptolemæum consuluisset l. 4 tab. Afr. 3, didicisset Κλύσμα esse nomen proprium loci in littore maris Rubri, ubi præsidium erat, dicitur enim Φρούριον ibi, & ut ex hoc loco conjicio, ubi navigia per Nilum & Ptolemæum fluvium, qui à Trajano renovatus & repurgatus fuerat, adducebantur ἀνήγοντο, & sic navigatio in Indiam fiebat. Idcirco lege cum majuscula Κλύσματος, & verte *usque ad Clysma adducto navigio.* Non dubito autem id nomen fuisse à Græcis impositum ei loco Ptolemæis regnantibus ob accessiones maris rubri, quæ illuc penetrabant, & eum locum ἔκλυζον lavabant. Vide quæ supra notavi ad Strabonem pag. 804.

Pag. 573. Paris. 494.

Σαλάγει κατὰ δῶμα. | *In ædibus stuprat.*

Verbum σαλάγει alibi, credo, non invenitur. Ideo credo id fuisse deterioris notæ, ut sæpe obscœna verba à sola viliore plebe usurpantur. Forte fuit Paphlagonicum & Abonitichitis solis familiare: videtur ἀπὸ τοῦ ἄγειν καὶ σαλεύειν deduci.

In Toxari. Pag. 605. Paris. 617.

Καὶ μῆλα τινὰ ἀποδεδηγμένα. | *Et mala quædam admorsa.*

Ex hoc loco lux affulget Theocrito in Cyclope, ubi de violento ejus in Galateam amore sic ait:

[1] Ἤρατο δ' οὔτι ῥόδοις οὐ μάλοις οὔτε κικίννοις,
Ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις.

[1] *Amabat autem non tantum ut qui rosas donant vel mala vel cincinnos, sed furiose agitatus.*

Scilicet poma morsibus amasiarum lancinata amantibus data favoris erat & amoris indicium.

Pag. 612. Paris. 620.

Ἀπάγουσι παρὰ τὸν ἁρμοστὴν ὃς ἥρμοζε τὴν Ἀσίαν τότε.	*Adducunt ad præfectum, qui per id tempus Asiam moderabatur.*

Cur

Cur utatur hoc loco Lucianus voce ἁρμοστὴς, difficile est dicere. Fuit Lacedæmoniorum propria ea vox, & id nos docet Diodorus lib. 13 his verbis: Ἱπποκράτης ἡγεμὼν (ὃν οἱ Λάκωνες ἁρμοστὴν ἐκάλουν.) Ii suos præfectos in regiones sibi subjectas mittebant, & ἁρμοστὰς eos vocabant. At Asia, de qua hic sermo, & quæ tempore Luciani & hujus Dialogi sub Romanis erat, ut ex ipso dialogo patet, proconsularis erat provincia, & à proconsule regebatur, qui Græcis dicebatur ἀνθύπατος. Tentabam hunc nodum solvere, & dicebam forte Lucianum servasse decorum, & cum Mnesippum Laconem introduceret loquentem, eum de industria non exacte ῥωμαΐζειν facere, & non perfectam notitiam Romanorum magistratuum habentem induxisse. Sed ut verum fatear, id non mihi satisfacit, nam nec in tota orationis serie utitur alia voce, quæ Laconismum redoleat, nec ipsum nomen Μνήσιππος videtur esse Laconis, sed Μνάσιππος dicendum fuisset. Tum & infra de morte Peregrini utitur ea voce ex sua persona, [1] ἐπὶ τὸν ἁρμοστὴν ἀπαχθῆναι τῆς Ἀσίας. Itaque alio me verto, & puto fuisse nomen Græci magistratus, non Romani. Nam civiliter & moderate regentes provincias Romani permittebant aliquando populis, ut haberent speciem quandam regiminis & magistratus quosdam ex sua gente, sibi tamen subditos & sine jurisdictione suprema, sed morum & εὐταξίας curam habentes. Id mihi suadet Budæus in commentariis suis, qui hæc ait: ἁρμοστῆρας ἐκάλουν Ἀθηναῖοι τοὺς εἰς τὸ εὐζωεῖν διατάττοντας. Ignoratur, unde id acceperit, sed ex eo loco colligitur fuisse Athenis ἁρμοστῆρας id., quod Romæ Censores, & credo ad exemplar Censorum Romanorum institutos, nam in antiqua Atheniensium republica de iis non fit mentio apud auctores; nisi sic sit, cur ita loquutus fuerit Lucianus, mihi non liquet.

[1] *Ad Harmostem Asiæ adductum esse.*

In Icaromenippo. Pag. 684. Parif. 729.

Οὐδὲν γὰρ ὅτι μὴ τοῖς κωμικοῖς δορυφορήμασι ἐοικότας αὐτοὺς εἰσάγουσι.	*Nihilo aliusmodi eos inducunt, quam cujusmodi in comœdiis induci solent satellitia.*

Sic etiam infra tom. 2 πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν pag. 365: [2] μηδ' ὥσπερ κωμικὸν δορυφόρημα σιωπῇ παραφερομένην. In quo genere loquendi durum mihi videtur, quod κωμικὸν dixerit, non vero τραγικόν. Nam δορυφόροι sunt regum, Dynastarum & Tyrannorum, qui in scenam tragicam semper inducuntur, numquam vero in comicam.

[2] *Neque ut comicum satellitium silens præterirem.*

Nam comœdia circa communem vitam civilem verſatur, & cives Athenienſes, aut aliunde mediocris fortunæ viros libertos, ſervos, mulierculas inducit loquentes, & ideo Plautus in Amphitryone Mercurium inducit ſic dicentem in prologo:

Nam me perpetuo facere, ut ſit comœdia
Reges quo veniant & Dii, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſervos quoque partes habet
Faciam ut commiſta ſit tragicomœdia.

Utitur igitur vel potius abutitur comœdiæ nomine, & illud καταχρηστικῶς Latine ſumit etiam pro tragœdia, in qua ſæpe inducebatur Satellitium regis vel Tyranni mutum ſolo rege loquente. Sic etiam nos vernacule dicimus *je viens de la comædie*, licet tragœdia fuerit in ſcenam inducta.

Pag. 694. Pariſ. 732.

Καὶ Ἀντίγονον μοιχεύοντα τοῦ υἱοῦ τὴν γυναῖκα καὶ Ἀττάλῳ τὸν υἱὸν ἐγχέοντα τὸ φάρμακον.

Antigonum filii uxorem adulterio ſtuprantem, Attalo venenum porrigentem filium.

Vellem nos docuiſſet Lucianus, quis fuerit ille Antigonus, qui nurum ſuam adulterio polluit, & Attalus ille à filio veneno ſublatus. Nam cum fuerint plures Antigoni & plures Attali, dubium eſt, de quibus loquatur noſter auctor. Nullus enim quod ſciam eorum, qui extant hiſtoricorum, ea facinora notavit. De Antigono certe Coclite egregia inter patrem & filium uſque ad mortem concordia vetat nos intelligere. Tum Philam Antipatri jam provectam ætate duxerat, & ideo adulterii minus ſuſpectam: Deidamiam vero, quam duxit, Moloſſidis regis filiam, numquam Antigonus vidit, eam enim Demetrius Athenis reliquerat, quando in Aſiam patri auxilium laturus ivit. De Antigono Gonata dicto crederem magis. Sed ea debent iis annumerari, de quibus tacet hiſtoria.

Pag. 698. Pariſ. 734.

Εἶτα τὴν Κυνοσουρίαν γῆν ἰδὼν, ἀνεμνήσθην περὶ ὅσου χω-

Deinde terram Cynoſuræ ſubjectam aſpexiſſem, veniebat in mentem pro quantula

εἰς * ποσῦτοι ἔπεσον Ἀργείων καὶ Λακεδαιμονίων.	*la regione * tam ingens Argivorum & Lacedæmoniorum multitudo cecidisset.*

Prima verba interpretatur Erasmus supine & aliud agens, vel, ut jam dixi, adhuc juvenis & nondum ad culmen eruditionis evectus, ad quod postea pervenit. Nam in proclivi erat emendare, & legere Κυνυρείαν, quæ fuit regio inter Argivos & Laconas semper controversa. Thucyd. lib. 5. [1] καὶ τὸ μὲν πρῶτον οἱ Ἀργεῖοι ἠξίουν δίκης ἐπιτροπὴν σφισὶ γενέσθαι ἢ ἐς πόλιν τινὰ ἢ ἐς ἰδιώτην περὶ τῆς Κυνυρείας γῆς, ἧς ἀεὶ πέρι διαφέρονται μεθορίας οὔσης. De ea pugna, in qua tantus Argivorum numerus & Laconum cecidit, historia nota est ex Strabone lib. 8, ex Herodoto lib. 1, Plutarcho in parallelis & aliis.

In Anacharside. Pag. 727. Paris. 788.

Πυθοῖ δὲ μῆλα τῶν ἱερῶν τοῦ θεοῦ.	*Porro autem in Pythiis poma sacerdotes Apollinis proponere consueverunt.*

Hæc sic vertit Vincentius Opsopœus, nescio quam bene: nam in Græco de sacerdotibus ne verbum quidem; ἱερῶν inclinatur à recto ἱερὸς, id est, *sacer*, non à ἱερεὺς, quod est *sacerdos*. Vertere igitur debebat: *poma deo sacra proponebantur*. Olim suspicabar μῆλα hoc loco interpretari debere non poma, sed oves, ut & apud Maximum Tyrium sermone 37, & in Anthologia primi lib. primo epigrammate: eo quod campus Crissæus vel Cirrhæus, qui erat Apollini sacer, ad oves pascendas aptus erat, non autem ad poma ferenda, quando erat sine arboribus. Sic enim de eo Pausanias in Phocicis: [2] τὸ δὲ πεδίον τὸ ἀπὸ τῆς Κίρρας ψιλόν ἐστιν ἅπαν καὶ φυτεύειν δένδρα οὐκ ἐθέλουσιν, ἢ ἐκ τοῦ ἄγους ἢ ἀχρεῖον τὴν γῆν εἰς δένδρων τροφὴν εἰδότες. Oves igitur, quæ pascebantur in eo campo non arato nec arboribus consito, erant Apollini sacræ, è quibus, ut putabam, quædam pro bravio dabantur cuidam athletarum generi. Sed aliter sentire me coëgit Libanius Sophista in laudatione palmæ & pomi arboris, ubi hæc leguntur: [3] Φοίνιξ μὲν γὰρ παντὸς ἀγῶνος γίνεται στέφανος, καὶ τὸν θαλλὸν ἔχει νίκης ὑπόμνημα, μηλέα δὲ αὖθις στεφανοῖ τὸν ἀγῶνα τὸν Πύθιον. Itaque hoc loco non male μῆλα *poma* intelliguntur, μηλέα tamen pomum arborem non fructum significat, & videntur poma sola inepta ad coronam texendam. Sed ut Libanius cum Luciano concilietur, intel-

[1] Et primum quidem Argivi volebant sibi judicium per arbitros fieri vel per quandam civitatem, vel per privatum virum de Cynuria terra, de qua in limite sita semper disceptabant.

[2] Campus vero Cirrha nudus est, & plantare arbores ibi nolunt, seu ex voto, seu quod terram ad arbores nutriendas inutilem judicassent.

[3] Palma quidem omnis certaminis fit corona, & ramum habet victoriæ signum. Pomum vero rursus coronat Pythicum certamen.

intelligo victorem coronatum fuisse ramusculis ejus arboris suo fructu oneratis. Sed notandum est bravium mutatum fuisse à temporibus Pausaniæ: nam à secunda Pythiade coronas pro bravio institutas ait, & quidem ex lauru. Sic enim in Phocicis: [1] δευτέρᾳ δὲ Πυθιάδι οὐκ ἐπὶ ἄθλοις ἐκάλεσαν ἔτι ἀγωνίζεσθαι, στεφανίτην δὲ τὸν ἀγῶνα ἀπὸ τούτου κατεστήσαντο — δάφνης δὲ στέφανος ἐπὶ τῶν Πυθίων τῇ νίκῃ κατ᾽ ἄλλο μὲν (ἐμοὶ δοκεῖν) ἐστὶν οὐδέν, ὅτι δὲ τῆς Λάδωνος θυγατρὸς Ἀπόλλωνα ἐρασθῆναι κατέσχηκεν ἡ φήμη. Aliam vero ejus rei causam refert Ælianus Var. lib. 3 cap. 1, scilicet eo, quod Apollo, postquam Pythonem occiderat, in aqua Penei fluvii in loco dicto Tempe purgatus inde laurum decerpsit, & Delphos attulit. Laurea igitur corona olim præmium erat victoribus datum in Pythiis, sed tempore Luciani & Libanii vel id mutatum fuerat, vel poma data sunt pro bravio in agone quodam multum postea introducto & recepto laurea manente pro præmio cursoribus & antiquorum certaminum athletis. At ecce Heliodorus in Æthiopicis armatis cursoribus palmæ ramum pro bravio datum fuisse dicit. Sed in omnibus sacris certaminibus aliis braviis auctarii vice datum fuisse asserit Pausanias in Arcadicis pag. 276, & Plutarchus Sympos. 8 cap. 4. Heliodorus tamen nullum aliud præmium pro victoria suo Theageni adjudicat præter ramum illum palmæ arboris. Sed non est dissimulanda viri summi sententia, qui in notis ad Dionem per poma vult intelligi lauri baccas, sed sine exemplo. Ausonium etiam reprehendit enumerantem diversa bravia sic:

[1] *Secunda vero Pithyade non invitaverunt ad certamen præmiis, sed coronarium certamen instituerunt -- Laurea vero in Pythiis victori non propter aliud (ut existimo) dabatur, quam eo, quod fama ferebat, Ladonis filiam ab Apolline adamatam fuisse.*

Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

Sed cum eo consentit Libanius loco citato, qui μηλέα habet, non μῆλα. Tamen jure videtur arguere Ausonium, qui dum Græcum epigramma exprimit, male μῆλα per *malus* vertit. Sed fateor per μῆλα me non posse capere, quomodo intelligi possint poma.

Lib. Calumniæ non temere credendum.
Pag. 839. Paris. 877.

Ὡς μετεσχηκὼς Θεοδότῳ τῆς συνωμοσίας ἐν Τύρῳ, ὁ δὲ Ἀπελλῆς οὐχ ἑωράκει ποτὲ μὲν Τύρον, οὐδὲ τὸν Θεοδότον.

Conjurationis, quæ in Tyro auctore Theodota facta est, insimulatus, quanquam neque Tyrum viderat unquam, neque Theodotam noverat.

Quem

Quem hîc vocat bis Θεοδότην, Polybius semper Θεοδότον vocat, Ætolum præcipitis audaciæ virum, eum vide libro 5 historiarum.

In Demosthenis encomio. Pag. 908. Parif. 1087.

Τό γέ τοι κατ' αὐτὸν οὐκ Ἀμφίπολιν εἵλομεν, οὐκ Ὄλυνθον, οὐ Φωκέας καὶ Πύλον ἔσχομεν.	*Nam quantum in ipso fuit, non potuissemus Amphipoli, non Olyntho, non Phocensibus, non Pylo potiri.*

Manifestissimum mendum non vidit doctus interpres Philippus Melanchthon. Nam quid de Pylo hic loquitur? quem numquam habuit Philippus, & qui in ultima Laconia vel Messenia situs, remotissimus fuit ab Antipatri ditione & Macedonum negotiis. Emenda igitur & repone meo periculo Πύλας. Eam emendationem firmat Demosthenes ipse in oratione de Cherronneso: [1] κύριος δὲ Πυλῶν καὶ τῶν ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας παρόδων. Et in oratione de falsa legatione: [2] τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὑμῶν, ὅτι τῷ Φωκέων πολέμῳ καὶ τῷ κυρίους εἶναι Πυλῶν Φωκέας ἡ τε ἀπὸ Θηβαίων ἄδεια ὑπῆρχεν ὑμῖν. Et rursus ibidem: περὶ τῶν δὲ τῶν ἐγγὺς καὶ τῶν μειζόνων, λέγω δὲ Φωκέων καὶ Πυλῶν. Is locus, qui Θερμοπύλαι & sæpius Πύλαι dicebatur, erat Græciæ porta & aditus, & numquam potuisset Philippus Phocenses evertere, nisi potitus fuisset illis angustiis. Ideo sæpissime Demosthenes in suis Philippicis de iis facit mentionem, ad quod respicit hoc loco Antipater, quem loquentem inducit Lucianus.

[1] *Dominus portarum & locorum, per quos ad Græcos itur.*

[2] *Quis vestrum non novit, quod per Phocensium bellum & eo quod Phocenses domini erant Pylarum, securi eratis à Thebanis.*

AD TOMUM II.

In Charonte, Pag. 133. Parif. 168.

Καὶ ξύμπλους καὶ συνδιάτορ⸗ ὤν.	*Et navigationis socius & nostræ reip. ex parte legatus.*

Hæc vox συνδιάτορος olet mendum: ita autem eam interpretatur Mosellanus, & sic videtur legisse συνδιαίτωρ, quæ vox etiam alibi forte non invenitur, sed quæ melius à συνδιαιτῶμαι formatur, quam συνδιάτορος vel συνδιαίτορος, & idem valeret, quod συνδιαιτητής, id est, *convictor, contubernalis*, vel etiam *arbiter simul cum alio*, nec dubito sic esse legendum, scilicet συνδιαίτωρ vel συνδιαιτητής.

Pag. 135. Parif. 169.

Ἐπεὶ δέ σε οὐ θέμις εἰδώλοις ἀεὶ	*Cum autem te, cui semper*

συνόντα ἐπιβατεύειν τῶν βασιλείων τοῦ Διός. | *cum mortuorum simulacris commercium fuit, Iovis regiam calcare minime liceat.*

"Εἴδωλα hoc loco pro umbris defunctorum sumuntur. Id Virgilius per vocem *imago* expressit Æneid. 4

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Pag. 164. Paris. 180.

Ἡ Νῖνος μὲν, ὦ πορθμεῦ, ἀπόλωλεν ἤδη καὶ οὐδὲ ἴχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς. | *Ninus quidem, ô portitor, jam est eversa, ita ut ne vestigium ejus sit reliquum.*

Lucianus cum fuerit Samosatenus Euphratis accola, fidem in rebus Assyriæ videtur mereri, & mirum foret eum ignorasse locum, ubi sita olim Ninus vel Ninive, si aliquod ejus vestigium remansisset. At quid faciemus Tacito, qui lib. 12 Annal. de expeditione Meherdatis sic ait: *sed capta in transitu urbs Ninos vetustissima sedes Assyriæ.* Sed & Straboni, qui ante Tacitum vivebat, qui lib. 16 ait: ἡ μὲν οὖν Νῖνος πόλις ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. *Ninus statim post eversum Assyriorum imperium evanuit*, vel *apparere cessavit.* Ergo contra Strabonem Amasenum & Lucianum Samosatenum Orientales viros & doctos non mihi videtur Tacitus audiendus. Deceptus certe fuit is Romanus quadam nominis similitudine, & eam Ninum oppidulum forte vel castellum, captum sine obsidione in transitu male accepit pro antiquissima & populosissima illa urbe, quæ fuit suo tempore totius orbis maxima, & usque ad miraculum celebrata: aliter non possemus absolvere Strabonem nec Lucianum mendacii. At fidem merentur. Sed milites, qui in expeditione cum Meherdate fuerunt, capta, ut dixi, aliqua urbecula, cujus nomen accedebat ad sonum nominis antiquæ illius Ninives, putaverunt vel gloriabundi finxerunt se antiquam Ninon sedem Assyriæ regum cepisse, & ita publicantes famæ pro vero tradiderunt tale mendacium. Sic Alexandri milites jactabant se Tanaim usque pervenisse, cum ab eo fluvio abessent plus quam mille milliaria. Sic & hoc tempore multos Hierosolymitanos equites & alios nautas & negotiatores, qui in partibus Hellesponti vel bellum gesserunt vel negotiati sunt, audivi sæpe asseverantes se vidisse antiquæ Trojæ ruinas, nec aliter unquam eis persuadere potui. At Troadis (de qua Paulus Apostolus epist. ad Timotheum 2.) ruinas viderant, non Trojæ,

Trojæ, cujus jam tempore Strabonis nulla extabant vestigia, ut ait ille lib. 13: οὐδὲν δὲ ἴχνος σώζεται τῆς ἀρχαίας πόλεως εἰκότως, ἅτε γὰρ ἐκπεπορθημένων τῶν κύκλῳ πόλεων, οὐ τελέως δὲ κατεσπασμένων, ταύτης δὲ ἐκ βάθρων ἀνατετραμμένης, οἱ λίθοι πάντες εἰς τὴν ἐκείνων ἀνάληψιν μετηνέχθησαν. Ἀρχαιάνακτα γ᾽ οὖν φασὶ τὸν Μιτυληναῖον ἐκ τῶν ἐκεῖθεν λίθων τὸ Σιγεῖον ἐκτειχίσαι, id est, *nullum enim vestigium restat antiquæ urbis, & cum ratione; nam vastatis vicinis urbibus; non vero funditus eversis, ea vero à fundamentis deleta, omnes lapides ad aliarum instaurationem transportati sunt. Itaque Archæanactem ajunt Mitylenensem Sigæum muro circumdedisse ex lapidibus indidem acceptis.* Urbs igitur, cujus nullum vestigium extabat tempore Strabonis & Augusti, sub quo Strabo florebat, non poterat extare tempore Meherdatis sub Claudio. Plura ad id argumentum adducere possem, & illustrem in litteris virum castigare, qui eo, quod Ammianus Marcellinus *Ninos* nominavit, non dubitavit in eximio opere, notis scilicet ad Eusebium, scribere: *Ninive autem adhuc integra stabat ævo Ammiani Marcellini.* Sed superfluum foret, cum id argumentum abunde simul & doctissime tractaverit vir incomparabilis Samuel Bochartus in suo Phaleg. lib. 4 cap. 20, ad eum te remitto lector, & sileo.

In Hermotimo. Pag. 286. Paris. 320.

Καὶ λήθη τις ἔςω αὐτῶν, ὥσπερ τῆς περὶ Εὐκλείδου ἄρχοντος.	*Et sit sempiterna quadam omnium illorum oblivio, qualem fuisse perhibent sub Euclide duce Athenis.*

Duo inveniuntur Euclidæ inter Archontas, quorum nomina supersunt. Primus anno 2 Olympiadis 88 quinto anno belli Peloponnesiaci, de quo non est hîc sermo. Alter anno 2 Olymp. 94, quem intelligit hoc loco Lucianus, eo enim Præturam obtinente facta est amnestia, ut narrat Xenophon lib. 2 Hellenicorum. Ideo sæpe apud auctores historiæ & rhetoras fit mentio τῶν περὶ Εὐκλείδου, quorum non licebat meminisse, nec ea exprobrare, & eo anno Atheniensium respublica instaurata fuit, facta inter cives pace.

In Harmonide. Pag. 338. Paris. 339.

Πᾶν γὰρ ἤδη στάδιον ἧττον φοβερὸν τῷ τὰ μεγάλα Ὀλύμπια νενικηκότι.	*Quippe omne studium minus reformidandum est ei, qui magna Olympia devicerit.*

Hoc loco τὰ μεγάλα non περιέλκει, sed eo, quod in pluribus locis

Græciæ certamina ſacra celebrabantur ſub Olympiorum nomine, ideò dixit Olympia magna ad differentiam eorum, quæ minus celebria erant. Intelligit igitur Olympia magna, quæ Piſæ ad Alpheum celebrabantur, quæ & antiquiſſima à Pelope & Hercule erant, & celeberrima non ſolum in tota Hellade, ſed etiam Italia, Sicilia, Aſia, Ægypto, Syria, Cyrenaïca, concurrentibus ad ſpectaculum, & athletas & quadrigas eo mittentibus: minora vero Olympia erant, quæ celebrabantur Dio Macedoniæ ab Archelao rege inſtituta, quod nos docet Demoſthenis Scholiaſtes ad orationem περὶ παραπρεσβείας his verbis: [1] τὰ Ὀλύμπια δὲ πρῶτος Ἀρχέλαος ἐν Δίῳ τῆς Μακεδονίας κατέδειξεν, ἤγετο δὲ ἐπ᾽ ἐννέα, ὥς φησιν, ἡμέρας ἰσαρίθμους ταῖς μούσαις. Eodem nomine erant etiam Athenis, ut docet Pindari Schol. ad Olymp. 7 ad hæc verba, κρανααῖς ἐν Ἀθάναις. Sic enim commentatur: [2] εἰσὶ δὲ αἱ ἤτοι Παναθήναια ἢ τὰ Ἡράκλεια, ἢ τὰ Ὀλύμπια &c. Vetus inſcriptio Romana, de qua Joſephus Scaliger lib. de emendatione temp. quinto pag. 476 Olympia etiam poſt Panathenæa recenſet & Heſychius Ὀλύμπια ὁ Ἀθήνησιν ἀγών. Item alia Olympia, quæ Smyrnæ, & alia, quæ Pergami, & alia Alexandriæ, quorum mentionem fieri in Pandectis aſſerit idem Scaliger. Reſpectu igitur horum omnium certaminum, quæ ſub nomine Olympiorum diverſis locis celebrabantur, dicta ſunt Olympia magna ea, quæ Piſæ committebantur.

[1] Olympia primus Archelaus in Dio Macedonia inſtituit, celebrabantur vero per novem dies, quot erant numero Muſæ.

[2] Erant igitur Panathenæa vel Heraclia vel Olympia.

In Scytha. Pag. 356. Pariſ. 345.

Παιδείᾳ δὲ καὶ λόγων δυνάμει τῇ Ἀττικῇ δεκάδι παραβάλλοις ἄν.	*Cæterum diſciplinarum cognitione ac dicendi facultate Attica Muſa eos non abſurde comparaveris.*

Vincentius Opſopœus interpres ſic vertit; quomodo legerit neſcio: videtur tamen legiſſe Ἀττικῇ δεκάτῃ, & ſibi intellexiſſe μούσῃ, quaſi fuerit quædam decima muſa Athenis. Sed ea δέκας non ad muſas referri debet, ſed ad decem illos oratores celebriores, qui Athenis floruerunt, & quorum vitas ſcripſit Plutarchus, quod (credo) ſatis manifeſtum videbitur noſtro lectori.

Pag. 357. Pariſ. ibid.

Οἰχήσεταί σε ἀπὸ τῶν ὤτων ἀναδυσάμενος.	*Ducet te revinctum ab auribus.*

Lege

Lege ἑλκύσεταί σε ἀπὸ τῶν ὤτων ἀναδησάμενος, & ita videtur legiſſe interpres.

In Lib. quomodo Hiſtoria ſcrib. Pag. 363. & 364. Pariſ. 347.

Ἀλλ' ἀφ' οὗ δὴ τὰ ἐν ποσὶ ταῦτα κεκίνηται, ὁ πόλεμος, ὁ πρὸς τοὺς βαρβάρους, καὶ τὸ ἐν Ἀρμενίᾳ τραῦμα, καὶ αἱ συνεχεῖς νῖκαι, οὐδεὶς ὅστις οὐχ ἱστορίαν συγγράφει, καὶ Ἡρόδοτοι, καὶ Ξενοφῶντες ἡμῖν ἅπαντες.

Sed ex quo obvia illa & velut ante pedes expoſita ſemel moveri cœpere, puta bellum iſtud adverſus Barbaros, & vulnus in Armenia acceptum, continuaque victoriæ illæ; nemo unus jam eſt, qui non hiſtoriam ſcribere velit: immo vero Herodoti & Xenophontes cuncti nobis facti ſunt.

Libet hîc miſereri ſortem humanam & imperium fati in famam virorum illuſtrium, & temporis injurias in literas & monumenta hiſtorica. Ecce ex tanto hiſtoricorum numero, quorum multitudinem perſtringit, & Satyrice irridet Lucianus, quis uſque ad nos duravit? imo cujus nomen tantum notum eſt? Si non per Capitolinum foret, qui in M. Antonino & Vero jejune & breviſſime aliquid de iis bellicis eventibus muginavit, omnino ignoraremus, de quo bello intelligi deberent hæc Luciani verba. Clades igitur ea in Armenia accepta fuit, quando Severianus natione Celta legatus & dux Romani exercitus contra Oſroën regem miſſus, ab Othryade quodam Parthorum duce cæſus eſt, & copiæ deletæ, ut nos docet Lucianus hîc & ſupra in Pſeudomanti. Continuæ vero victoriæ, de quibus hîc loquitur noſter, intelligi debent de bello Parthico, quod poſt illam in Armenia cladem geſtum eſt per quadriennium ducibus Statio Priſco, Avidio Caſſio, & Martio Vero, qui Parthos ad Europum, Mediæ urbem maxima clade affecerunt, Armeniam vindicarunt, Artaxatis captis, & Babylonem uſque penetrarunt, ut diſcimus ex dictis Capitolini locis. Fuit profecto inſignis ea expeditio, & quæ proculdubio famam merebatur, ſed ite famæ avidi homunculi, & æternum nomen ſperate ex facinoribus veſtris, quorum memoriam

pauca secula penitus abolent, nos certe ut plurimum plusquam Lethæa oblivio manet.

Pag. 373. Paris. 351.

Οὐδὲν κωλύσει ἀφ' Ἡρακλέους γενέσθαι Νικόστρατον τὸν Ἰσιδότου γενναῖον ὄντα, καὶ τῶν ἀνταγωνιστῶν ἑκατέρων ἀλκιμώτερον, εἰ αὐτὸς μὲν αἴσχιστος ὀφθῆναι εἴη τὴν ὄψιν.

Nihil vetat ab Hercule prognatum esse Nicostratum, illum Isidoti filium, generosus cum sit, & utroque colluctatore suo fortior, etiamsi ipse quidem, quod ad faciem attinet, turpissimus videtur.

Hic locus prima facie videtur sanus & integer, at postquam exactius præcedentia & sequentia examinavi, mihi videtur deesse una literula, ut bene quadret ad sensum auctoris, qui talis est: *si pulchritudo & vires concurrant in athleta, non erit spernendum tale consortium, sed deformitas in athleta, modo robur invictum & experientia adsint, non impediet, quominus præmia reportet, & insignis existimetur athleta.* Igitur in toto eo sermonis tractu, nullus est locus mentioni de nobilitate. Ideo τὸ ἀφ' Ἡρακλέους γενέσθαι non videtur consonare toti ratiocinationi, & aberrat ab auctoris scopo. Ideo non suspicor, sed firmissime credo Lucianum scripsisse οὐδὲν κωλύσει ή ἀφ' Ἡρακλέους γενέσθαι, quod quidam non intelligentes & putantes debere intelligi Nicostratum è prosapia Herculis & octavum ab Hercule fuisse, quod est trinepotis filium, & videntes id impossibile esse ex ratione temporis, literam numeralem ή sustulerunt. At ὄγδοον ἀφ' Ἡρακλέους non de stirpe intelligendum, quasi fuerit ille Nicostratus Heraclides, sed de ordine eorum, qui luctæ & pancratii palmam simul eadem reportaverant die, quorum primus numeratur *Hercules*, secundus *Caprus Eleius*, de quo jam supra ad Pausaniam in Heliacis p. 170 diximus, tertius *Aristomenes Rhodius*, quartus *Protophanes Magnesius*, quintus *Straton Alexandrinus*, sextus *Marioon Alexandrinus*, septimus *Aristeas Stratonicensis*, octavus *Nicostratus Cilix Ægeates*, de quo hic loquitur Lucianus, qui luctam & pancratium vicit Olympiade 204, quem etiam memorat Pausanias Heliac. 1. Et ex hoc loco & Pausania corrigendus est Olympionicarum catalogus à Josepho Scaligero publicatus, ubi *Stratis* vocatur, male. Error natus ex eo, quod forte literis fugientibus legebatur παγκράτιον καὶ πάλην

νικ ςρατ ς,

νικ ςρατ ς, unde divinavit exſcriptor νίκων ςράτης. Cum ergo Nicoſtratus ille victor renuntiatus fuerit Olymp. 204, à Troja vero capta ad primam Olympiadem numerentur anni quadringenti octo circiter, Hercules vero vixerit ante Trojam captam una generatione ad minus, manifeſtum eſt Nicoſtratum illum non poſſe numerari octavum ab Hercule ſecundum generationem, nam numerando triginta annos in unaquaque generatione, ut volunt Chronologi, vix ſufficerent quadraginta generationes. Itaque vero verius eſt debere legi, ἡ ἀφ' Ἡρακλέους, & intelligi non de ſtirpe, ſed de victoriis Olympiacis luctæ, & Pancratii.

Pag 405. Pariſ. 364.

Ἢ ἀπὸ Κόνωνος Τίτορμον, ἢ ἀπὸ Λεωτροφίδου Μίλωνα.	*Vel ex Conone Titormum, vel ex Leotrophide Milonem.*

Ex hoc loco licet conjicere, Cononem illum ducem famigeratum fuiſſe corpore parvum & exilem: nam & ille Leotrophides, qui Miloni opponitur, à comico Ariſtophane in Avibus ut parvus & exilis traducitur, & ab ejus Scholiaſte ut talis notatur: de Titormo vero, & ejus mirandis viribus vide Ælianum lib. 12 cap. 22.

Pag. 407. Pariſ. 365.

Μήτε Φίλιππος ἐκκεκομμένος τὸν ὀφθαλμὸν ὑπὸ Ἀστέρος τοῦ Ἀμφιπολίτου τοῦ τοξότου ἐν Ὀλύνθῳ.	*Neque Philippum oculo ab Aſtere Amphipolitano iſto ſagittario privatum circa Olynthum.*

Non concordat Lucianus cum Hiſtoricis, qui id negotium attigerunt. Omnes fere uno conſenſu ſcriptum reliquerunt id eveniſſe Philippo in Methones obſidione. Diodorus lib. 7: [1] ὁ δὲ Φίλιππος τὴν μὲν πόλιν κατέσκαψε, τὴν δὲ χώραν διένειμε τοῖς Μακεδόσι, ἐν δὲ πολιορκίᾳ ταύτῃ συνέβη τὸν Φίλιππον εἰς τὸν ὀφθαλμὸν πληγῶντα τοξεύματι διαφθαρῆναι τὴν ὅρασιν. de Methona vero loquitur. Sic & Strabo lib. 8: παρὰ Θουκυδίδῃ δὲ ἐν τισὶν ἀντιγράφοις Μεθώνη φέρεται ὁμώνυμος τῇ Μακεδονικῇ, ἐν ᾗ Φίλιππος ἐξεκόπη τὸν ὀφθαλμὸν πολιορκῶν. Solinus cap. 14. *in regione Magneſia Methone oppidum ſitum eſt, quod cum obſideret Philippus Alexandri Magni pater, damnatus eſt oculo jactu ſagittæ, quam jecerat Aſter oppidanus.* Quo in loco notandus eſt error Solini, qui Methonem Magneſiæ cum Macedonica confundit. Nam ea Methone, quam obſidebat Philippus, alia erat à Magneſiaca ex verbis expreſſis Strabonis lib. 9: [2] ἑξῆς δὲ αἱ ὑπὸ Φιλοκλήτου πόλεις καταλέγονται,

[1] Philippus autem urbem quidem evertit, regionem vero partitus eſt inter Macedonas: in hac autem obſidione accidit, Philippum ſagitta percuſſum viſu damno affectum fuiſſe.

[2] Poſtea urbes, quæ ſub Philoctete erant, recenſentur. Methone igitur alia eſt à Thracica Methone, quam evertit Philippus.

γονται, ἡ μὲν οὖν Μεθώνη ἑτέρα ἐστὶ τῆς Θρᾳκικῆς Μεθώνης, ἣν κατέσκαψε Φίλιππος. quod dictum sit obiter. Idem ait Harpocration Μεθώνη: [1] Δημοσθένης Φιλιππικοῖς λέγοι αὐτὴν ἐν Θρᾴκῃ, ἣν πολιορκῶν Φίλιππος ἐξεκόπη τὸν δεξιὸν ὀφθαλμόν. Suidas etiam in voce Κάρανος de Philippo: [2] Μεθωναίοις δὲ τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης πολεμῶν τὸν ὀφθαλμὸν ἐπηρώθη Ἀστέρος τινὸς ὄνομα βαλόντος αὐτὸν βέλει. Plutarchus in Parallellis causam forte erroris præbuit Luciano, nam ille sic de hoc negotio: [3] Φίλιππος Ὄλυνθον καὶ Μεθώνην βουλόμενος πορθῆσαι, καὶ βιαζόμενος ἐπὶ τῷ Σανδάνῳ ποταμῷ διαβιβάσαι πέραν, ὑπό τινος τῶν Ὀλυνθίων Ἀστέρος ὀνόματι ἐτοξεύθη τὸν ὀφθαλμόν. Et hæc habet, ut ait, ex Callisthene in 3 Macedonicorum, & ex eo, quod sive ille sive Callisthenes dixit, ὑπό τινος τῶν Ὀλυνθίων, putavit Lucianus id evenisse in Olyntho. At nihil obstat, quin Aster ille sive Amphipolitanus fuerit, ut ait hoc loco Lucianus, sive Olynthius, ut ait Plutarchus, fuerit in copiis Olynthiorum auxiliariis in Methones obsidione, &, ut omnia quadrent, potuit esse Amphipolitanus patria, Olynthiis militans inter auxilia Methonensium. Trogus apud Justinum lib. 7 ait in Philippum prætereuntem de muris sagittam jactam oculum effodisse, & in eo cum Plutarcho pugnat, qui dum trajicere conaretur Sandanum fluvium, oculum amisisse ait. Sed de Sandano illo fluvio nullus alius meminit præter Stobæum, qui ex Plutarcho habet, & eum Sardonem vocat in textu, in margine vero Sandanum. Ergo nihil in eo certi.

Verarum hist. lib. II. Pag. 496. Paris. 499.

Πάλην μὲν ἐνίκησε Κάρος ὁ ἀφ' Ἡρακλέους.	*Lucta quidem vicit Carus, qui ab Hercule stabat.*

Sic vertit interpres, nullibi invenio Carum illum luctatorem egregium. Rursus hoc loco legendum est Κάπρος ὁ ἀφ' Ἡρακλέους, *Caprus post Herculem primus*, de quo supra fuse diximus ad paginam Luciani hujus tomi 373.

Pag. 497. Paris. ibid.

Ἔνθα συγκαλῶν τοὺς ἑτέρους.	*In quem convocatis aliis.*

Sic legit interpres. At ego puto legendum ἑταίρους, nam & infra in Demonacte discipulos Socratis, de quo hîc loquitur, ἑταίρους vocat: [4] εἰπόντος δέ τινος τῶν ἑταίρων, & rursus: τῶν ἑταίρων τις ὁρῶν ταῦτα.

[1] *Demosthenes in Philippicis dicit forte de ea, quæ est in Thracia, quam obsidens Philippus oculum dextrum amisit.*

[2] *Methonensibus vero, qui in Thracia, bellum inferens, oculo orbatus est Astere quodam nomine telo eum petente.*

[3] *Philippus Olynthum & Methonem cum vellet vastare, & per vim volens Sandanum fluvium trajicere à quodam Olynthio nomine Aster, in oculum sagitta vulneratus est.*

[4] *Dicente quodam ex sociis.*

In

In Demonacte. Pag. 568. Parif. 549.

Τὸ γὰρ πρότερον οὐκ ἐκαλλιερήσατε.	*Etenim antehac nunquam litastis.*

Innuit credo Socratis condemnationem & mortem, cujus pœnitentia cœpit paulo poſt Athenienſes, ideo in ea hoſtia non litavere: nam hoſtia, de qua litatur, non eſt pœnitenda.

Pag. 569. Pariſ. ibid.

Καὶ μάλιστα τὸ ἐν αὐταῖς μελῶν τὸ ἐπικεκλασμένον σφόδρα ὡς ἀγεννές.	*Maxime vero membrorum in illis nimium fractas delicias.*

Sic hæc verba bonus Opſopœus interpretatus eſt, quaſi hoc loco μελῶν de membris accipiendum eſſet. Infœliciter certe, ne dicam ridicule. At tu verte: *& maxime in illis carmina fracta & minime generoſa.*

Pag. 576. Pariſ. 552.

Προσέρχεται, ἔφη, ὁ Ἀπολλώνιος, καὶ οἱ Ἀργοναῦται αὐτοῦ.	*Accedit, inquit, Apollonius & ejus Argonautæ.*

Jocus eſt in voce *Argonautæ*. Nam Apollonium & ejus diſcipulos inſimulabat avaritiæ, utpote qui Romam cum magiſtro ad Imperatorem ibant, ut divites ibi fierent, ſicut Argonautæ ad vellus aureum, de qua expeditione extat egregium poëma omnibus notum Apollonii alterius, ad quod alludit.

Pag. 580. Pariſ. 554.

Ἕνα γοῦν ἰδὼν κυνικὸν τρίβωνα καὶ πήραν ἔχοντα, ἀντὶ δὲ τῆς βακτηρίας ὑπέρογκον κεκραγότα, καὶ λέγοντα, ὅτι Ἀντισθένους καὶ Κράτητος καὶ Διογένους ἐστὶ ζηλωτής· μὴ ψεῦδου, ἔφη, σὺ γὰρ Ὑπερίδου μαθητὴς ὢν τυγχάνεις.	*Itaque cum vidiſſet Cynicum pallium quidem & peram habentem, cæterum pro baculo ſupra modum faſtuoſe & arroganter vociferante, dicentemque, Antiſthenis & Cratetis ac Diogenis ſum æmulus: cave impudenter mentiaris, inquit, ſiquidem tu Hyperidæ diſcipulus exiſtis.*

Hæc, ut leguntur, ſunt nive frigidiora, & ne micam quidem ſalis habent.

habent. Sed unius voculæ emendatione patebit facetus satis jocus. Lego igitur ἐπὶ τῇ βακτηρίᾳ, non vero αὐτὶ τῆς βακτηρίας. Jocus est, quod Cynicus ille innixus baculo, quod gestamen erat Cynicorum, contenta voce clamans se esse Antisthenis, Cratetis & Diogenis & eorum sectæ imitatorem, à Demonacte irrisus est & subsannatus. *Imo* (inquit) *Hyperidis videris esse discipulus.* Ludens in voce Ὑπερίδης, quam ab ὑπερείδω fingit derivari, quod est *innitor*, eo quod innisus erat baculo. Hyperides autem fuit rhetor Atheniensis celeberrimus, forte fuit etiam Philosophus ejus nominis, de quo tamen nihil legi.

In Somnio seu Gallo. Pag. 594. Paris. 706.

Εἰ βύρσας εἶδες ἑρπύσας, καὶ βοῶν κρέα μυκώμενα, ἡμίοπτα, καὶ ἑφθὰ, περιπεπαρμένα τοῖς ὀβελοῖς.	*Si tergora direpta serpere vidisses, si carnes boum mugire semiassas coctasque verubus transfixas.*

Nihil ad hunc locum Gilbertus Cognatus commentator, qui tamen de Argus navis carina & Dodonæ quercu satis multa, quæ omnibus nota sunt. Non venit illi in mentem locus Homeri, ad quem hoc loco allusit Lucianus Odyss. μ.

[1] Τοῖσιν δ' αὐτίκ' ἔπειτα θεοὶ τέραα προὔφαινον,
Εἷρπον μὲν ῥινοί, κρέα δ' ἀμφ' ὀβελοῖς ἐμεμύκει
Ὀπτάλεά τε καὶ ὠμά, βοῶν δ' ὣς γίνετο φωνή.

[1] *Iis vero statim postea Dii prodigio monstraverunt, Serpebant quidem coria, carnes vero in verubus mugiebant, Cocta & cruda, & vox erat tamquam boum.*

Id portentum nempe factum est, quando Ulyssis socii fame coacti solis boves mactavere.

Pag. 617. Paris. 711.

Ὥςτι θεὸν ἰδών με.	*Vt me perinde ac Deum suspicerent.*

Lego ὥστε ὡς θεὸν ἰδεῖν με.

Pag. 627. Paris. 719.

Μυιῶν πλῆθος ἢ μεγάλων	*Muscarum mustelarumque vim.*

Lego μυῶν πλῆθος ἢ μυγάλων, id est, *soricum & murum araneorum copia.* Nam Sorices & mures aranei melius conveniunt quam muscæ.

In bis accusato. Pag. 663. Paris. 746.

Ἀπίωμεν, ὦ δίκη, ἐπὶ τὸ Συ-	*Abeamus, Iustitia, recta versus*

νίυ, μικρὸν ὑπὸ τὸν Ὑμηττὸν, ἐπὶ τὰ λαιὰ τῆ Πάρνηθος, ἔνθα αἱ δύο ἐκεῖναι ἄκραι.	*sus Sunium paululum sub Hymetto, ad sinistram Parnethis deflectentes, ubi duo illi vertices.*

Athenarum hoc loco ποποθεσίαν describit, & tamquam ab oriente veniens primum occurrit Sunio, & Athenas ad sinistra Parnethis ponit, duæ vero illæ summitates, de quibus loquitur, fuerunt Acropolis, ubi erat Minervæ colossus à Phidia elaboratus, & Areopagus, fuerunt enim Athenæ bicipites, ut Parnassus.

In Rhetorum præceptore. Pag. 729. Paris. 822.

Τί γὰρ ὁ Παιανιεὺς πρὸς ἐμέ.	*Quid enim Paaniensis in mei est comparationem.*

Gilbertus Cognatus commentator misere hoc loco prodit memoriæ suæ defectum, dum nescire videtur Demosthenem debere intelligi. Plutarchus in vitis decem Rhetorum & in Demosthene nos docet, Plebiscita à Demosthene promulgata semper ita cœpisse. Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεὺς τάδε εἶπεν, id est, *Demosthenes Demosthenis filius Paanius hac dixit.*

Pag. 732. Paris. 824.

Ὑπὲρ Ξόϊν καὶ Θμοῦϊν δεδουλευκότος.	*Qui super Xoin & Thmuim servitutem servierit.*

Ex hoc loco patet Lucianum traducere quendam rhetorem Ægyptium. Sunt enim Xois & Thmuïs urbium nomina in inferiore Ægypto, unde nomi duo Ξοΐτης & Θμουΐτης nominabantur.

Pag. 733. Paris. ibid.

Πρῶτον μὲν οὐκ ἔτι ποτεινὸς ὀνομάζομαι, ἀλλ' ἤδη τοῖς Διὸς καὶ Λήδας παισὶν ὁμώνυμος γεγένημαι.	*Primum igitur haud amplius desiderabilis appellor, sed jam Iovis & Ledæ filiis cognomine similis sũ effectus.*

Et ex hoc loco patet rhetorem, quem subsannat Lucianus, primum Ποθεινὸν (sic enim legendum, non ποτεινὸν) deinde Διόσκουρον vel Διοσκουρίδην vocatum fuisse.

In Hippia. pag. 742. Paris. 846.

Καὶ τὸν Κνίδιον Σώστρατον τὸν μὲν Πτολεμαῖον χειρωσά-	*Ac Sostratum illum Cnidium: quorum alter de Pto-*

μένον καὶ τὴν Μέμφιν αὐτὴν πολιορκίας ἀποστροφῇ καὶ διαιρέσει τοῦ ποταμοῦ.	*lemæo subjugato victoriam reportavit, ac Memphin sine obsidione fluminis intercepti aversione occupavit.*

Sostratus ille Cnidius fuit celeberrimus ille architectus, qui turrim in Pharo insula ædificavit, de quo Strabo lib. 17, Plinius lib. 36 cap. 12. Ipse vero noster Lucianus supra, lib. quomodo hist. scrib. pag. 426. Sed quod ait hoc loco Lucianus de Ptolemæo & Memphi capta per Nili diversionem, expecto, qui hoc me doceat: nullibi enim unquam legi eam historiam, & quis fuerit ille Ptolemæus, omnino me latet, & de ea Memphis rebellione silent historiæ. Tentabam me extricare legendo τῷ μὲν Πτολεμαίῳ χειρωσάμενον τὴν Μέμφιν, id est, *qui Ptolemæo subjecit Memphin.* Nam Ptolemæus Philadelphus, cujus tempore vixit ille Sostratus, & quo imperante & sumptus suppeditante extruxit illam celebrem turrim in Pharo insula, inter amicos habuit illum Sostratum Cnidium, nec unquam, quod sciam, nec ab illo nec ab alio captus est. De Ptolemæo Cerauno dicto incidit mihi quædam suspicio hæc intelligenda esse, sed sine auctoritate. Nam Ptolemæus ille Ceraunus dictus vir præceps fuit, & ad audacia facinora promptus, & qui cum major natu filiorum Ptolemæi 1 Soteris dicti esset, à minore natu Philadelpho supplantatus fuerat patre communi favente Philadelpho, non dubito, quin omnia tentaverit, ut Philadelphum expelleret. Itaque suspicor eum Memphin occupasse, in qua obsessus à fratre jam regnante fuit & captus. Sed tamen, si captus fuit, credendum est patre adhuc vivente Ptolemæo Sotere seu Lagi dicto id accidisse, scilicet jam privato & regnante Philadelpho, cui regnum reliquerat. Nam si patre jam mortuo rebellasset & captus fuisset, non est credibile Philadelphum eum vivum dimisisse, qui post patris mortem duos fratres Leontiscum & Argæum (quorum hic ultimus ex eadem matre Berenice natus erat) occidi curavit, non tam præcipitis audaciæ viros nec tanta injuria affectos. Si conjecturæ credendum est, ista hæc mea non est sine verisimilitudine. Si quis super hoc loco certiora docuerit, gratias agam lubentissime.

Pag. 747. Paris. 848.

Νομάδι λίθῳ διαχεχειλημμένος.	*Nomade lapide extructus.*

Sic vertit Opsopœus. De Nomade lapide in Latinis auctoribus nihil

nihil legi. *Numidico lapide* debebat credo vertere, nam *Numidæ* dicuntur Græce Νομάδες. Tum διακεκολλημένος male vertitur *extructus*, melius, si *incrustatus* dixisset.

Lib. adversus indoctum. Pag. 758. Paris. 866.

Ο δὲ ἵππον κλήσαιτο Μῆδον ἢ Κενταυρίδην ἢ Καππαφόρον.	*Hic vero centauro satum aut generosissimæ notæ equum.*

Per equum Centauridem intelligit credo Thessalum: nam & equi Thessali olim in pretio, & Centauri Pelium Thessaliæ montem & loca vicina habitabant. Cappophorum vero intelligit, cui inusta erat nota K: tales Aristophanes Κοππατίας vocabat in Nebulis pag. 123, ad quem locum vide Scholiasten.

Lib. de Domo. Pag. 811. Paris. 910.

Ωρίων φέρει τ Κηδαλίωνα.	*Orion portat Cedalionem.*

Quia hæc fabula non est vulgo nota, non erit credo ingratum meo lectori, si aliquid de ea dixero. Orion ab Oenopione, qui in Chio regnabat, excæcatus & in littus maris expositus, Cedaliona puerum fabrum rapuit, & humeris impositum eo ductore usus est, ut ad orientem solem ab eo duceretur, ubi solis calore visum recepit. Naxius autem fuit, & ei Juno Vulcanum tradidit, ut fabrilem artem eum doceret. De eo Eustathius ad Iliad. ξ, & Apollodorus lib. 1, qui tamen eum non nominat, sed hanc historiam narrat.

In Macrobiis. Pag. 822. Paris. 914.

Ὥσπερ Δημήτριός τε ὁ Καλλιστιανός.	*Sicut Demetrius Callistianus.*

Mendum est in nomine hujus Demetrii: nullibi enim de Callista urbe nec de historico illo Callistiano mentio facta est. Lege confidenter Καλλατιανός, de quo Dionysius Halicarnasseus περὶ συνθέσεως ὀνομάτων, Diogenes Laërtius in Demetrio, ubi ait eum scripsisse de Asia & Europa lib. 20, Theocriti Schol. ad idyllium 1, ubi eum de Siciliæ rebus scripsisse patet, alii plures. Calatis vero seu Calatia (nam utrumque invenitur) urbs fuit Thraciæ ad Pontum Euxinum, de qua Scylax, Diodorus, Strabo, Memnon, Steph. & alii.

Ibidem.

Τήρης δὲ ὁ Δρύσων βασιλεύς.	*Teres rex Drysorum.*

Sic legit Opsopœus interpres & vertit; at tu lector melius doctus lege Ὀδρύσων, & verte *Odrysarum rex*, conjungendo, quæ male divi-

 sa

ſa ſunt. Id notum eſt etiam mediocriter litteratis ex Herodoto, & ex Thucydide lib. 2 præcipue diſces, qui fuerint Odryſæ, & quis eorum rex Teres Sitalcis pater.

Pag. 827. Pariſ. 916.

Ὡς δὲ ἑώρα τοὺς ὑπὸ τῇ μάχῃ Σκριβωνίῳ προσθεμένους ἀποσχόμενος σιτίων ἐτελεύτησε.	*Qui ut animadvertit Scribonio rem militarem commendatam, cibo abſtinens diem ſuum obiit.*

Ita vertit interpres, quam bene, viderint alii; certe non id tinniunt verba Luciani, quæ ſic vertere debebat: *ut autem vidit eos, qui ſub ipſum pugnæ tempus ad Scribonium deſciebant.* Ea hiſtoria extat apud Dionem Caſſium lib. 54. Scribonius, qui ſe à Mithridate ortum gloriabatur, regnum Boſpori affectavit, & ut ex hoc loco colligitur, defectione militum ad anguſtias maximas redactus Aſander rex Boſpori inedia mortem ſibi conſcivit, in cujus locum regnavit Scribonius, qui expeditionis ſuæ & regni affectati Auguſtum auctorem mentiebatur. Sed paulo poſt à Boſporanis ipſis, qui dolum deprehenderant, cæſus eſt; & in ejus locum regnavit Polemo, quem Vipſanius Agrippa contra Scribonium adornaverat.

In Navigio. Pag. 859. Pariſ. 933.

Ἑβδομαῖος ἰδεῖν τὴν Ἀκάμαντα.	*Septimo die eo fuiſſe provectos, ut jam Acamantem viderent.*

Acamas mons eſt & promontorium Cypri occidentale, quod nunc Italis nautis *Capo di San Piphano* dicitur, quod à dextris videtur iis, qui Alexandria vel Ægypto verſus Rhodum & Aſiam tendunt.

In Deorum conſilio. Pag. 911. Pariſ. 1098.

Τίς γὰρ οὐκ οἶδε τὸν Ἀγχίσην καὶ τὸν Τιθωνὸν καὶ τὸν Ἐνδυμίωνα καὶ τὸν Ἰάσονα.	*Quis enim ignorat Anchiſen & Tithonum, & Endymiona & Iaſonem.*

Sic legit interpres, &, licet obvium ſit emendare, Jaſonem iis accenſet, qui dearum concubitu potiti ſunt, & Medeæ ἀποθέωσιν parat. Lege Ἰασίωνα, qui ob Cereris amores à Iove zelotypo fulminatus eſt. Homerus Odyſſ. ε.

[1] Ὡς δ᾽ ὁπότ᾽ Ἰασίωνι ἐϋπλόκαμος Δημήτηρ
ᾯ θυμῷ εἴξασα μίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ

[1] *Veluti quando Iaſioni cincinnata Ceres Suæ cupidini obſequens mixta & concubitu & lecto, In agro novali ter verſato, neque diu manſit ignorans Iupiter, qui eum occidit candenti fulmine.*

Νέῳ

Νείω ἐνὶ τριπόλῳ, ὐδὲ δίω ἦεν ἄπυςΘ·
Ζεῦς, ὅς μὶν κατέπεφνε βαλῶν δρῆῃ π κεραυνῷ.

In decreto. Pag. 921. Parif. 1011.

Ἐκείνοις δὲ τάφον χῶσαι τὴν πόλιν καὶ θύλω ἐπιςῆσαι αὐτὶ βωμοῦ.	*Illis autem urbs congesta terra sepulcrum accumulet & ara loco statuam reponat.*

Pro θύλω, quæ vox eſt nihili, manifeſtum eſt debere legi ςήλω. Sed interpres, qui ſtatuam vertit, neſcio quomodo legerit: nam licet ςήλη ab ἵςημι derivari videatur, ἵςημι vero ſit *ſtatuo*, tamen ſtatua Latinis dicitur Græce ἄγαλμα, ἀνδριάς, βρέτας, non vero ςήλη, quæ hoc loco *cippus* debebat verti.

AD TOMUM III.

In Dialogis mortuorum. Pag. 63. Pariſ. 151.

Ὁ δὲ Λάμπις δι' ἔρωτα Μυρτίυ τῆς ἑταίρας ἀποσφάξας ἑαυτόν.	*Lampis autem ob amorem Myrtii meretricis ſeipſum jugularat.*

Scortum nobile hujus nominis in deliciis habuit Ptolemæus Philadelphus, ut narrat Athenæus lib. 13. Sed puto non fuiſſe eandem illam meretricem, quæ Lampidi cauſa mortis fuit, ſi rationem temporum habuit hoc loco Lucianus, vel dicendum foret Ptolemæum vetulis fuiſſe delectatum. Nam commorientem Lampidi illi Diogenem facit Lucianus, qui ſimul ad inferos deſcendebant: Diogenes autem, ut ait Laërtius ex Demetrio in Homonymis, eodem tempore mortuus eſt, quo Alexander, hoc eſt, Olympiade 114: Philadelphus vero regnare cœpit circa Olympiadem 123. Computa & invenies non potuiſſe Myrtium illam Lampidis minorem fuiſſe annis 50 regnante Philadelpho.

In vitarum auctione. Pag. 103. Pariſ. 189.

Ἃ σὺ δοκέεις τέτταρα, ταῦτα δέκα εἰσὶ καὶ τρίγωνον ἐντελές.	*Decem ſunt ea, quæ tibi videntur quatuor, & perfectum trigonum.*

Quod vocat hoc loco τρίγωνον ἐντελὲς *triangulum perfectum*, nihil aliud eſt quam Triangulum æquilaterum: nam numerorum trigo-

nisimus sic procedit ab unitate 1 2 3 4 5 6 7, & sic ad infinitum hoc modo. ∴∵ decem numerus sic positus efficit triangulum æquilaterum arithmetice, cujus latera sunt quatuor.

Pag. 105. Paris. 190.

Ὁ τὴν πήραν ἐξηρτημένος ὁ ἐξωμίας.	*Peram dependentem habens ex humeris.*

Ita vertit interpres. quasi ὠμία inveniatur pro humero, & legisset deleto articulo ἐξ ὠμίας distinctim. Sed longe aberrat à vera interpretatione. Ὁ ἐξωμίας est, qui ἐξωμίδα habet & ea insignis est. ἐξωμὶς autem est vestis servilis, sic dicta, eo, quod humerum nudum & exertum ostendebat. Vide Gellium lib. 7 cap. 12, ubi eam vocem interpretatur. Vide Hesychium & Suidam in ea voce.

Pag. 111. Paris. 195.

Ὠνήσομαι γὰρ αὐτῷ παλάθας τῶν καρικῶν.	*Emam enim illi massas carycarum.*

Sic vertit interpres, male. Nam si scriptum invenerat καρυκῶν, debebat emendare & legere καρικῶν, & vertere *massas Caricarum*, seu *ficuum è Caria.* Nam & παλάθη teste Eustathio est τῶν καρικῶν ἐπισώθεσις, quod Gallice dicimus *un cabas de figues*: & de ficubus hoc loco agitur, nam dixerat [1] τὰ γλυκέα σιτεῖται καὶ μάλιστα τὰς ἰσχάδας, & infra in Reviviscentibus παλάθην ἰσχάδων dicit pag. 167. At Caryca fuit intritum quoddam vel condimentum ex sanguine aliis rebus admixto factum, de quo nulla hîc mentio: ficus vero è Rhodo & Cauno Caricis urbibus passim distrahebantur, & in Italiam usque portabantur, ut patet ex M. Crassi historia apud Ciceronem lib. 7 de divinatione. *Cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu Caricas Cauno advectas vendens Caunæ hàs clamitabat.* Sic & Chelidoniæ ficus à Chelidoniis insulis non longe à Cariæ littore sic dictæ. Ergo totus ille tractus Cariæ à Rhodo usque ad Chelidonias ficubus abundabat. Ideo & viliori pretio distrahebantur, & utiliores ad mancipia pascenda, quod hîc spectat emptor Diogenis. De ficubus autem è Rhodo, Cauno, & Chelidoniis vide Athenæum lib. 3 cap. 3. Plura possem congerere, sed hæc credo sufficiunt ad firmandam lectionem καρικῶν.

[1] *Dulcibus vescitur & præcipue ficubus aridis.*

In

In Lib. de Lapsu inter salutandum. Pag. 185. Parif. 270.

Πρῶτος δὲ αὐτὸ Φιλιππίδης ὁ ἡμεροδρομήσας.	*Trimus autem hoc Philippides is, qui uno eodemque die cursu itinere peracto.*

Erratum est sæpissime in nomine ejus viri: multo melius Herodotus lib. 6, qui eum Φειδιππίδην vocat. Nomen proculdubio ei impositum ob cursus celeritatem, utpote qui cursor eximius ἵππου ἐφείδετο, cui non opus erat equo. Sic enim Græcis nomina sæpe ab instituto & exercitatione imponebantur. Sic Πηνελόπη [1] ἀπὸ τοῦ λέπειν τὴν πήνην. Sic Ἠλέκτρα [2] διὰ τὸ πολὺν χρόνον ἄλεκτρον εἶναι. Sic Μελέαγρος [3] ὅτι αὐτῷ μέλει τῆς ἄγρας τοῦ Καλυδωνίου κάπρου. Sic Ἡρακλῆς [4] ὅτι διὰ τὴν Ἥραν κλέος ἔσχε. Sic Πολυίδος [5] διὰ τὸ μάντις ὢν πολλὰ ἰδεῖν. Sic Βελλεροφόντης [6] ἀπὸ τοῦ τοῦ Βελλέρου φόνου. Sic Ὑπερμνήστρα [7] ὅτι ὑπὲρ μνηστῆρος Λυγκέως ἐκινδύνευσε, & sexcenta talia.

[1] *Eo quod detexebat.*
[2] *Eo quod diu cœlebs fuit.*
[3] *Eo quod curam ceperat venationis apri Calydonii.*
[4] *Quod propter Iunonem gloriam adeptus est.*
[5] *Quod augur multa videbat.*
[6] *A Belleri cæde.*
[7] *Quod propter procum Lynceum periclitata est.*

In Herodoto. Pag. 201. Parif. 327.

Πλεύσας γὰρ οἴκοθεν ἐκ τῆς Καρίας.	*Cum enim relicta patria solvisset ex Caria.*

Cum Plinio non concordat Lucianus, nec Suidas cum Luciano. Nam Plinius lib. 12 cap. 4 de ebore hæc ait: *tanta erat eboris auctoritas urbis nostræ* CCCX *anno; Tunc enim auctor ille* (Herodotus) *historiam eam condidit in Thuriis in Italia.* Non igitur è Caria solvens adiit Græcos & conventum Olympiacum, ut historiam suam in ea celebritate recitaret (ut hoc loco scribit Lucianus) si eam tum demum scripsit, cum patria relicta factus est Thurius civis. At Suidas cum Plinio & Luciano pugnat. Sic enim scribit in voce Ἡρόδοτος: μετέστη δὲ ἐν Σάμῳ διὰ Λύγδαμιν τὸν ἀπὸ Ἀρτεμισίας τρίτον τύραννον Ἁλικαρνασσοῦ. ἐν οὖν τῇ Σάμῳ καὶ τὴν Ἰάδα ἠσκήθη διάλεκτον, καὶ ἔγραψεν ἱστορίαν ἐν βιβλίοις θ', id est, *secessit vero Samum propter Lygdamin tertium ab Artemisia tyrannum Halicarnassi factum. Sami igitur & dialectum Ionicam exercuit, & historiam scripsit in libris novem.* Quis eam litem dirimet? Plinius antiquior, Lucianus omnis Græcanicæ antiquitatis, si quis alius, callens. Suidas sua omnia ex antiquis auctoribus, qui suo tempore extabant, habet. Conjecturæ etiam utrinque militant. Ex laudibus, quibus abunde perfundit Artemisiam, videtur ea scripsisse, dum sub tyrannide Lygdamidis ejus fœminæ nepotis vivebat. At contra dialectus Ionica, qua exacte utitur, suadet eum non amplius Halicarnassum

licarnassum habitasse, quando historiam scripsit: nam Dorica dialectus ibi erat in usu. Itaque quando ἀπορία me torquet, (ut verbis Ciceronis utar) nullo præjudicio te onerabo lector, & integrum hoc σκέμμα tibi relinquam examinandum.

In Phalaride primo. Pag. 226. Paris. 467.

Ὡς τὸν μὲν κολάζεσθαι, σὲ δὲ τέρπεσθαι, μεταξὺ καταλεόμενον.	*Ita ut ille inter modulandum tormentis crucietur, tu vero singulari voluptate afficiaris.*

Hæc ultima vox in mendo cubat. Silet ad eam interpres, nec emendavit, vix exprimere tentavit. Καταλέω est molo, mola frango, qui significatus non convenit huic loco. Lege meo periculo καταχηλούμενον, id est, *delenitum*, sensu manifesto & apto.

In Imaginibus. Pag. 277. Paris. 594.

Παρεσήξη γάρ.	*Adductus demulceberis.*

Sic interpres vertit. Quomodo legerit nescio. Forte legendum est παρεξεσήση à παρεξίσαμαι, & erit, quod nos vernacula lingua dicimus, *tu feras ravi.*

In Parasito. Pag. 490. Paris. 774.

Ἀριστόξενος δὲ ὁ Μουσικὸς πολλοῦ λόγου ἄξιος καὶ αὐτὸς γε παράσιτος Νηλέως ἦν.	*Aristoxenus autem Musicus vir clarus atque memorabilis & ipse Nelei parasitus fuit.*

Quis fuerit ille Neleus, qui parasitum habuit Aristoxenum, discimus ex Strabone lib. 13: [1] ὁ δὲ Κορίσκου υἱὸς Νηλεὺς ἀνὴρ Ἀριστοτέλους ἠκροαμένος καὶ Θεοφράστου — πρῶτος ὧν ἴσμεν συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν. Non est mirum, si παράσιτον habuerit Aristoxenum. Nam viri divitis fuit bibliothecam adunare, & Aristoxenus eandem cum Neleo Philosophiæ sectam profitebatur. Aristotelis enim fuerat etiam auditor. De eo sic Suidas: [2] Ἀριστόξενος υἱὸς Μνησίου τοῦ καὶ Σπινθάρου μουσικοῦ, ἀπὸ Τάραντος τῆς Ἰταλίας, διατρίψας δὲ ἐν Μαντινείᾳ, φιλόσοφος γέγονε, καὶ μουσικῇ ἐπιθέμενος οὐκ ἠστόχησεν· ἀκουστὴς δὲ τοῦ πατρὸς, καὶ Λάμπρου τοῦ Ἐρυθραίου, εἶτα Ξενοφίλου τοῦ Πυθαγορείου, καὶ τέλος Ἀριστοτέλους. Multa deinde de eo subjungit, quæ videbis, & tandem addit συνετάξατο δὲ μουσικά τε καὶ φιλόσοφα: ex his patet eundem esse, de quo hic Lucianus.

[1] *Corisci filius Neleus vir Aristotelis auditor & Theophrasti — primus eorum, quos novimus, libros congessit, & docuit Ægypti reges libros adunare.*

[2] *Aristoxenus filius Mnesii, qui & Spintharus Musicus, Tarantinus, & Mantinea habitans, Philosophus fuit, & Musica deditus & successit auditor patris & Lampri Erythræi & Xenophili Pythagorici & tandem Aristotelis.*

Pag.

Pag 497. Parif. 777.

Μόνος δὲ τολμήσας ἐξελθεῖν εἰς τὴν ἐν τῇ πόλει μάχην ὁ σοφὸς αὐτῶν Σωκράτης, φεύγων ἐκεῖθεν ἀπὸ τῆς Πάρνηθος, εἰς τὴν Ταυρέου παλαίστραν.	*Solus autem ſapiens ex illorum numero Socrates ſumta fiducia in bellum, quod civitati fuit adverſus Lacedamonios, exire auſus, fuga inde ſaluti conſulens ex Parnet he in Taurei palaſtram.*

Mirum eſt neque interpretem neque commentatorem hunc locum emendaſſe, at mendum fœdum eſt, & manifeſtum: emendatio vero in proclivi. Quid enim eſt τὴν ἐν τῇ πόλει μάχην? quænam fuit ea pugna in urbe facta, in qua Socrates affuit? & quis deorum Parnethen montem à Bœotiæ finibus in Athenas ipſas tranſportaverat? Lege, lege meo periculo, τὴν ἐπὶ Δηλίῳ μάχην. Ea fuit, in qua Socrates ἠρίστευσε. Sed mira eſt hoc loco interpretis confidentia ſimul & ignorantia, qui de ſuo addidit *adverſus Lacedamonios*. At ea pugna contra Bœotos facta fuit, & quod dicit inferius ἀνδρεῖ Σπαρτιάτῃ, ad eam pugnam non debet referri. Plures de ea pugna & Socratis in ea ſtrenuitate loquuti ſunt, ſufficiet ad emendationis noſtræ confirmationem Plutarchus in Alcibiade: [1] ἐπεὶ δὲ τῆς ἐπὶ Δηλίῳ μάχης γενομένης καὶ φευγόντων Ἀθηναίων ἔχων ἵππον ὁ Ἀλκιβιάδης, τοῦ δὲ Σωκράτους πεζῇ μετ' ὀλίγων ἀποχωροῦντος οὐ παρήλασεν ἰδὼν &c. Vide & Laërtium in Socrate. Cæterum ex hoc loco credo Ortelius in ſuo lexico imaginatus eſt urbem in Attica vel pagum nomine Ταυρέου Παλαίστρα. Fuit enim in ipſa urbe Athenis is locus, & ipſe Taureas is fuit, cui Alcibiades colaphum inflixit, de choragio contra eum immodeſtius contendenti, ut ait idem Plutarchus in Alcibiade. Palæſtræ erant loca in urbibus, ubi juvenes exercebantur ſub quodam exercitationum magiſtro. Sic apud Theocritum Idyll. 2 Simætha Delphin Myndium ſuum amaſium arceſſit è palæſtra Timageti.

[2] — ἀλλὰ μολοῖσα
Τήρησον ποτὶ τὰν Τιμαγήτοιο παλαίστραν.
Τηνεὶ γὰρ φοιτῇ, τηνεὶ δέ οἱ ἁδὺ καθῆσθαι.

[1] *Sed & in pugna ad Delium cum fugerent Athenienſes, Alcibiades equo vectus non neglexit Socratem, cum eum videret cum paucis recedentem.*

[2] *—— ſed vadens Inſpice in Timageti palaſtram. Ibi enim vadit, ibi illi placet ſedere.*

In Philopſeude. Pag. 538. Pariſ. 827.

Ἀξιόπιστος ὁ Εὐκράτης ἐστὶ, καὶ	*Vir gravis Eucrates eſt, & ne-*

οὐδεὶς ἂν πιστεύσειεν, ὡς ἐκεῖνος οὕτω πώγωνα βαθὺν καθειμένος.	*mo certe crediderit illum tam promissa barba.*

Eucrates quidam Atheniensis olim fuit prolixa barba insignis, & eo nomine traducitur ab Aristophane in Concionantibus, dum inducit mulierem barbam factitiam afferentem & dicentem: [1] Κἀγὼ γ' Εὐκράτους οὐκ ὀλίγῳ καλλίονα. Ad quæ sic Scholiastes: [2] οὗτος εἰς δασύτητα κωμῳδεῖται, ἦν δὲ ῥήτωρ καὶ δημαγωγὸς οὗτος, μέγαν πώγωνα ἔχων ἐπεκαλεῖτο σακεσφόρος. Ergo si quendam Eucratem prolixa & ampla barba insignem suo tempore noverat Lucianus, & in nomine & in pilositate cum antiquo illo conveniebat. Nam illum antiquum non debuit inducere, quando in eo dialogo de Peripateticorum sectis & cum Eucrate differentem Cleodemum Peripateticum inducit. At Peripateticæ sectæ auctor Aristoteles post Aristophanem & Eucratem vixit.

[1] *Ego vero Eucratis non parum pulchriorem.*
[2] *Ille taxatur comœdia ob pilositatem: erat autem rhetor, & populi ambitor, & cum prolixam barbam haberet, vocabatur Scutiger.*

Pag. 553. Paris. 833.

Ἀλλὰ πάντες ἴσασι τὸν Σύρον τὸν ἐκ Παλαιστίνης, τὸν ἐπὶ τούτων σοφιστήν.	*Verum omnes noverunt, Syrus ille ex Palæstina, qui harum rerum artifex est.*

Non dubito, quin per Syrum illum è Palæstina intellexerit aliquem ex Apostolorum discipulis Christianum: iis enim, ut Dominus *Christus* prædixerat, subjecta erant dæmonia, & talia miracula passim fiebant in prima illa ætate Ecclesiæ.

In Pseudologista. Pag. 599. Paris. 887.

Τοὺς περιπετεῖς ἐσομένους τῇ σχολῇ τῶν ἰάμβων αὐτοῦ.	*Iis qui in jamborum ejus otium incurrerent.*

Sic legit interpres & vertit. Melius certe vertisset *scholam*, non *ocium*. Sed licet non omnino absurdus sit sensus, qui è vulgata lectione elicitur, non dubito, quin Lucianus scripserit τῇ χολῇ, & sic vertendum esse, *qui in ejus Iamborum bilem inciderint*. Nam bilis amaritudo propria est Jamborum.

Pag. 602. Paris. 888.

ὑπὲρ τὸν Ἀρίφραδην, ὑπὲρ τὸν Συβαρίτην Μίσθωνα, ὑπὲρ	*Supra Ariphraden adeò & supra Sybaritam Misthonem &*

τὸ Χίον ἐκεῖνον Βάσταν τὸ ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις σοφόν.	*& supra Chium illum Bastan, qui in iisdem rebus doctus & excellens fuit.*

De Ariphradis spurcitie & ἀσελγείᾳ plura imo nimia dixit Aristophanes in Equitibus, in Vespis, & in Concionantibus: de Mysthone vero Sybarita & Chio Basta solus forte Lucianus mentionem fecit, nihil de iis me legisse memini.

Pag. 609.

Πρὸς Πανδήμου καὶ Γενετυλλίδος καὶ Κυβίβης.	*Per Pandemum & Genetyllidem & magnam matrem.*

Legendum Κυβήβης, & est epithetum Veneris, ut & πάνδημος & γενέτυλλις, & intelligo *Pronam*, non vero ut interpres *magnam matrem.* Nam licet sciam hoc etiam nomine aliquando vocatam fuisse magnam matrem Cybelem, eo quod Gallos suos in furorem agebat, & κυβιστᾶν faciebat, id est, *capite prono in terram ruere.* Sed hoc loco non improperat furorem adversario, sed omne genus infanda Veneris. Ideo credo esse Veneris epithetum. Ea lucidius explicare pudor vetat.

In Dissertatione cum Hesiodo. Pag. 638.

Ὅμως δὲ οὐκ ἀπορήσω πρὸς σε καὶ ποιητικῆς ἀστρολογίας.	

Hæc verba non agnoscit interpres, vel, quod potius credo, eo quod illa non intellexit, de industria suppressit. Sed proculdubio legendum est ἀπολογίας.

In Tragopodagra. Pag. 646.

Φρυγίου κατ' ὄρεα Τμώλου.	*Phrygii super juga Tmoli.*

Omnes alii Lydiæ Tmolum montem adjudicant, & jure: fuit enim vicinus Sardibus ad meridiem; Sardes vero fuisse Lydiæ metropolin inter omnes Geographos & Historicos constat. Ut tamen aliquid pro Luciano dicam, usus est Phrygiæ nomine latissime sumpto, cujus confinia cum Lydia numquam fuerunt certa & stabiliter constituta. Nam sic Strabo lib. 13: [1] τὰ δὲ ἑξῆς εἰς τὰ νότια μέρη τοῖς τόποις τούτοις ἐμπλοκὰς ἔχει μέχρι πρὸς τὸν Ταῦρον, ὡς τὰ Φρύγια καὶ τὰ Λύδια καὶ τὰ Καρικὰ καὶ ἔτι τὰ τῶν Μυσῶν δυσδιάκριτα εἶναι, παραπίπτοντα εἰς ἄλληλα. Eum vide, ubi plures rationes reddit talis confusionis, & patet Lucianum promiscue Phrygiæ & Lydiæ nomina sumpsisse,

[1] *Quæ sequuntur vero, meridiem versus ab iis locis inflexiones habet usque ad Taurum, adeo ut ea, quæ sunt Phrygiæ & Lydiæ, & Cariæ & Mysiæ, discernere difficile sit, mutuo in se incidentia.*

ſumpſiſſe, quando ſubjungit in ſequenti verſu κῶμον βοῶσι Λυδοί.

In Syria dea. Pag. 716.

Ἠλικίην καὶ οἱ δὲ τριηκοσίων ὀργυιέων. | *Trecentorum etiam iſti circiter paſſuum.*

Numerus hic excedit fidem & eſt juſto major. Interpres ita vertit, neſcio quare, nam ὀργυιὰ eſt τετράπηχυς vel ἑξάπους: at quatuor cubiti vel ſex pedes multum excedunt unius paſſus menſuram. Pro τριηκοσίων credo legendum eſſe τριάκοντα, & ſic debere legi evincunt ea, quæ inferius ait de catena, qua homo in ſummitate Phalli poſitus, ea, quæ ſunt ad victum & alios uſus neceſſaria, veſtes, vaſa & alimenta, attrahebat. Nam nullius hominis nedum hominum quatuor aut plurium ſunt tantæ vires, ut poſſint catenam pedum mille & octingentorum tractare, & in tantam altitudinem attrahere.

Pag. 717.

Σειρῇ μακρῇ ἑωυτόν τε ἅμα καὶ τὸν φαλλὸν περιβάλλει, μετὰ δὲ ἐπιβαίνει, ξύλων προσφυῶν τῷ φαλλῷ, ὁκόσον ἐς χώρην ἄκρου ποδός, ἀνιὼν δὲ ἅμα ἀναβάλλει τὴν σειρὴν ἀμφοτέρωθεν, ὅκως περ ἡνιοχέων· εἰ δέ τις τόδε μὲν οὐκ ὄπωπε, ὄπωπε δὲ φοινικοβατέοντας ἢ ἐν Ἀραβίῃ ἢ ἐν Αἰγύπτῳ, οἶδε τὸ λέγω.

Catena longa ſe ipſum pariter & Priapum circumdat: deinde aſcendit in ligna quædam ex ipſo Priapo prominentia, ſpatio, quantum ad ſummum capiendum pedem ſufficit. Adſcendens autem pariter & catenam utrinque attollit, hanc perinde ut auriga habenas moderans. Quod ſi vero iſtud quiſpiam non vidit, vidit autem eos qui palmas conſcendunt ſive in Arabia ſive in Ægypto, intelligit, quod dico.

Hic locus apprime facit ad locum Plinii intelligendum, quem ſollicitavit, ſed infœliciter, ſummus vir Cl. Salmaſius in ſuis ad Solinum exercitationibus pag. 1329. Ut igitur emendetur ille Plinii locus, & illuſtretur hoc loco Lucianus, Plinii verba hîc apponam, extant in cap. 4. lib. 13, ubi de palmis loquitur; *Reliqua teretes atque*

procera

proceræ densis gradatisque corticum pollicibus auctioribus, faciles se ad scandendum Orientis populis præbent, utilem sibi arborisque induviis circulum mira pernicitate tum homine subeunte. Pollices auctiores vocat Plinius amputatorum vel decidentium ramorum reliquias eminentes & ex cortice protuberantes, ut pollex exertus ex manu. Id Gallice dicimus *chicots*. Hunc Plinii locum sane salebrosum & mendosum ita debere legi contendit Salmasius, *utilem sibi arborique inductis circulum*. Quæ lectio mihi videtur aliquid habere absurditatis, qua enim utilitate affici potest arbor tali circulo? Ego igitur pridem in margine nostri Plinii codicis emendaveram, *vitilem sibi arborique indutis circulum*, & ita censueram legi debere doctus à quodam nobili navarcho de modo, quo incolæ Palmiferæ regionis in Africa celeriter cum suo circulo scandunt excelsas palmarum arbores: scilicet induunt se una cum arbore ipsa circulo è vitili ligno facto, & pedibus in arboris pollicibus illis nitentes, & lumbis circulo innixi, manibus vero ambabus circulum gradatim & subsultim attollentes, celerrime usque ad arboris summum, ubi sunt rami & fructus, scandunt. Id sæpe facientes, ut lagenas suas ramis succisis appendeant, vel eas plenas vino palmeo reportent. Quod ut facilius intelligas, figuram hic appo-



sui hominis ita cum circulo suo scandentis. Quæ emendatio mea firmatur omnino ex hoc Luciani loco, unde non mediocriter gavisus sum. Expende rem accuratius lector candide, & confer cum nostra emendatione, & ut spero, non solū eam approbabis, sed plausū dabis.

Pag. 730.

Ἀλλ' ἐστὶν ἀλεκτρυὼν ἱρός. | *Sed gallus quidam sacer est.*

Mirum est profecto ἀλεκτρυὼν de homine dici, at supra pluries, ubi de Gallis Cybeles sacerdotibus castratis mentionem fecit, semper eos Γάλλους non ἀλεκτρυόνας vocat. Ea vox, ut puto, ex versione in textum irrepsit. Quidam sciolus putavit γάλλον non esse vocem Græcam, & gallum Latine dictum debere dici ἀλεκτρυόνα, & mutavit in eam vocem, quæ nunc in Græco legitur: vel forte scripserat Lucianus ἀλέκτωρ, quæ vox etiam de castrato potest usurpari, qui est sine lecto conjugali. Nam ut Ἠλέκτρα dicta est secundum Scholiasten Euripidis in Oreste à privativa α & λέκτρον, [1] διὰ τὸ πολὺν χρόνον ἄλεκτρον μεῖναι χόλῳ Κλυταιμνήστρας. Sic & ἀλέκτωρ potest dici castratus ab eodem etymo, quod videlicet cœlebs maneat. Ejus vocis in ea significatione reperiuntur exempla, sed duntaxat in fœminino, forte & in masculino Lucianus usurpavit, ut sit ὁ καὶ ἡ ἀλέκτωρ.

[1] *Eo quod diu cœlebs mansit ira Clytemnæstra.*

AD TOMUM IV.

In Dialogo Protesilai & Plutonis.

Pag. 47. Paris. 146.

Καὶ τὴν ὁμογνιῆ μου Ἄλκηστιν παρεπέμψατε.	*Et cognatam meam Alcestim emisistis.*

Si velis scire, lector, in quo gradu consanguinitatis fuerint Protesilaus & Alcestis, en tibi stemma ex Apollodoro, Didymo, Pindari Scholiaste, Plutarcho, Pausania & aliis.

Æolus.

Creteus	Deioneus
Pelias	Phylacus
Alcestis	Iphiclus.
	Protesilaus.

In Cataplo. Pag. 62. Paris. 224.

Μεγαπένθης Λακύδου τύραννος.	*Megapenthes Lacydæ F. tyrannus.*

De hoc Megapenthe tyranno nihil me unquam legisse memini, &

& alibi, credo, non invenitur mentio de eo facta. Ex nomine videtur Græcus; ex iis vero, quæ infra dicit pag. 64. ἐς τοσοῦτον ἐπιβιῶναι μέχρις ἂν ὑπαγάγωμαι Πισίδας, καὶ Λυδοῖς ἐπιθῶ τοὺς φόρους, videtur fuisse tyrannus cujusdam urbis in partibus Cariæ vel Ioniæ. Si quis de eo certiora docuerit, beabit: in eo enim fateor ignorantiam meam.

In Lib. de Saltatione. Pag. 113. Parif. 508.

Καὶ τῶν προσώπων αὐτῶν τὸ καταγέλαστον μέρος τοῦ τερπνοῦ αὐτῇ νενέμηκεν, οἷα δάων, καὶ τιβίων καὶ μαγείρων πρόσωπα.	*Partem personarum omnium maxime ridiculam & oblectationis plenam huic tribuit, videlicet lampadum & tibicinum & coquorum personas.*

Hæc ultima sic vertit bonus Opsopœus, supine sane, imo ridicule: putavit scilicet legendum δάδων, vel ex δάδων per crasim posse fieri δάων, ut ex κεράτων κεράων, sed sine exemplo. Tum quid foret *Lampadum personas?* meræ nugæ, & ægri somnia. lege cum majuscula Δάων καὶ Τιβίων. Servorum quippe sunt nomina, qui sæpe in comœdiis inducuntur ab origine & patria sic dicti. Nam Δάοι Herodoto sunt quædam gens in Persia pastoralem vitam agens. Τίβιοι vero sunt Phryges. Nam teste Suida Τίβια erat Φρυγία ὅλη. Universa Phrygia Tibia dicebatur. Terentius à nomine Δάος suum Davum formavit. Sunt igitur Carica nomina servorum, non lampades aut tibicines, ut somniavit Opsopœus.

Pag. 114. Parif. 509.

Ὅτι πόλις ἐν Ἰταλίᾳ τοῦ Χαλκιδικοῦ γένους ἡ ἀρίστη.	*Vt civitatem in Italia Chalcidici generis præstantissimam.*

Neapolim credo intelligit, quæ à Cumæis condita fuit. Cumæ vero Italicæ Chalcidem in Eubœa metropolin agnoscebant: & Neapolis utpote Græca scenicis & gymnicis exercitationibus dedita erat. Ideo à Nerone electa, ubi primum in scenam publice prodiret, ut notat Cornelius Tacitus Annalium decimo quinto. Itaque ex hoc loco colligere licet saltationem theatralem à Neapoli toti Italiæ traditam fuisse.

Pag. 142.

Pag. 142. Parif. 520.

Καὶ Ἡρακλέως ἐν αὐλήσει καλῶν.	*Et Herculis editarum in certamine virtutum.*

Lego ἐν ἀσκήσει, & fic etiam videtur legiffe interpres. Aliquis poffet etiam jure fufpicari legendum effe κακῶν, nam pugillatus, in qua plagas multas pati neceffe erat, potius videtur dici debere ἀσκήσις κακῶν.

Pag. 144. Parif. 521.

Τὰς γὰρ Διὸς γονὰς ὀρχούμενός τις.	*Quidam enim Iovis parentes faltans.*

Interpres fic vertit, & videtur legiffe τοὺς τοῦ Διὸς γονέας. Sed multo melior vulgata lectio γονάς, id eft, *nativitatem, natalitia.*

Pag. 149. Parif. 522.

Αἰτούντων γὰρ αὖθις τῶν συστασιωτῶν.	*Poftulantibus iterum æqualibus.*

Interpres rurfus ita vertit, fed male: συστασιώτων enim hoc loco aliud fignificat, & uno quidem verbo Latine dici vix poteft ejus vocis fignificatus, *fautor* tamen maxime accedit, fed generalius fumitur. Συστασιώτης ille eft, qui à partibus faltatoris ftat, qui illi favet, & eft ex ejus factione. Nam diverfæ erant in theatro, ut & in circo, factiones, alii Bathyllo, alii Mnefteri, alii Paridi favebant, & fæpe ea de caufa in theatro στάσεις fiebant, unde vox στασιώτης, & compofita συστασιώτης. Verte igitur *poftulantibus iterum partium ejus fautoribus.*

In Amoribus. Pag. 185. Parif. 563.

Εἰς ἃς τῶν μὲν ἀστικῶν σπανίως ἐπεφοίτων τινές· ἀθρόως δὲ ὁ πολιτικὸς ὄχλος πανηγύριζεν.	*In quas urbanorum quidem rari commeabant ulli, fed populi frequentes turba folenniter conveniebant.*

Mirum eft Lucianum opponere τοὺς ἀστικοὺς τῷ πολιτικῷ ὄχλῳ: nam πόλις & ἄστυ urbem fignificant, & fi hic locus bene fe habet, fateor me non intelligere eam differentiam. Credo fcripfiffe Lucianum τῶν μὲν ἀγροικῶν. Nam habitantibus in agris non tam placent trichilæ & arborum implexarum umbracula, quippe quibus talia quotidie in fuis fylvis, hortis & agris videntur. Urbium civibus vero, qui nihil aliud quam marmora & nudos lapides vident, jucundiora funt viridaria & hortorum amœnitates & arborum comæ luxuriantes.

xuriantes. Nam ut ait Satyra: — *voluptates commendat rarior usus.* Ideo in eo Veneris luco urbani frequentes festum illud agitabant.

Pag. 224. Parif. 579.

Καὶ πᾶς θεατὴς ἐπιτρίβων τοὺς γεγαμηκότας, ὧν ἐνίων οἱ κακοδαίμονες ἄνδρες οὐδὲ αὐτὰ ἴσασι τὰ ὀνόματα, κωλιάδας, εἰ τύχοι, καὶ γενετυλλίδας καὶ τὴν φρυγίαν δαίμονα.	*Et omnis ſpectator atterens atque enecans maritos. Quorum nonnullorum infelices viri ne ipſa quidem nomina norunt Coliadas, ſi fors ita ferat, & Genetyllidas, aut Phrygiam illam deam.*

Locus iſte eſt mutilus, ſi quid in his video, & poſt γεγαμηκότας ponenda eſt hiatus nota. Nam Κωλιάδαι & Γενετυλλίδες non ſunt nomina eorum ſpectatorum, qui miſeros maritos zelotypia conciant, ſed numinum cognomina, quorum lucos & templa frequentabant Græcæ mulieres. Deeſt igitur aliquid, ut ſi hæc deſint aut tale quid: [1] γεγαμηκότας, καὶ εἰς τὰ τεμένη φοιτῶντας τῶν θεῶν, ὧν ἐνίων, &c. Sic ſenſus conſtaret, qui nullus eſt, ut nunc legitur.

[1] *Et itiones ad templa deorum, quorum ne nomina, &c.*

Pag. 226. Pariſ. 580.

Κάτω κεκυφὼς καὶ μηδένα τῶν ἀπάντων ἐξ ἐναντίου προσβλέπων.	*Demiſſo in terram vultu, ac neminem ex omnibus ex adverſo intuens.*

Si quid mihi credis lector, leges τῶν ἀπαντώντων, non τῶν ἀπάντων, id eſt, *occurrentium*: meliore multo ſententia.

In morte Peregrini. Pag. 273. Pariſ. 995.

Ἐπὶ τὸν ἁρμοστὴν ἀπαχθῆναι τῆς Ἀσίας.	*Ad præfectum Aſiæ duceretur.*

Vox ἁρμοστὴς olim nomen fuit magiſtratus apud Spartiatas, qui mittebatur præfectus alicujus urbis aut regionis. At tempore Luciani pridem deſierat uſus ejus magiſtratus & vocis, nam ἀνθύπατος à Græcis, *Proconſul* à Latinis vocabatur magiſtratus, qui Roma miſſus Aſiam regebat. Nec video, quare hanc vocem à tanta antiquitate revocaverit Lucianus, ut deſignaret Romanum proconſulem, penes quem erat jus gladii ad punienda crimina.

Pag. 279. Parif. 998.

Εἶτα παρανομήσας τι καὶ εἰς ἐκείνους (ὤφθη γάρ τι, ὡς οἶμαι, ἐσθίων τῶν ἀποῤῥήτων αὐτοῖς.)	*Tandem admiſſo neſcio quo adverſus illos flagitio (ſiquidem viſus erat, ut opinor, aliquid ex interdictis comediſſe.)*

Impius Lucianus & qui Chriſtianos ſæpe ſuggillat, licet eos & eorum legem ſanctiſſimam non noverit. Hoc loco manifeſte confundit Judaicos ritus cum Chriſtianorum lege. Judæi enim erant ii, qui offendebantur quodam ciborum genere, at Chriſtianis (ut Petrus Apoſtolus docet) cibi nulli polluti exiſtimabantur.

Pag. 293. Parif. 1003.

Κατόπιν τοῦ τῶν κηρύκων ἀγῶνος.	*Relicto à tergo præconum certamine.*

Hunc locum ſollicitavit vir doctus, & contendit legendum eſſe κατόπιν τοῦ Κερκυραϊκῆς ἀγγᾶς. Ignoſcat, ſi non poſſum accedere ſuæ ſententiæ: locus enim Luciani ſanus eſt, nec minimam recipit mendi ſuſpicionem. Κηρύκων ἄγων locus erat, ubi præcones de artis excellentia & vocis contentione certabant. Teſtis Diodorus lib. 18, ubi de epiſtola regis Alexandri, quam miſerat, ut in Olympica celebritate recitaretur, ſic ait: ταύτην δὲ προσέταξεν ἐν τῇ πανηγύρει διὰ τοῦ νικήσαντος κήρυκος ἀναγνωσθῆναι, id eſt, *eam autem juſsit in publico cœtu legi à præcone, qui victoriam obtinuiſſet.* Julius Pollux lib. 4 cap. 12: πρότερον δὲ Ὀλυμπίασι τῶν ἐπιχωρίων κηρυττόντων, οἱ τῆς ἱερουργίας ὑπεδιηκονοῦντο, πρῶτος τῶν ξένων ἠγωνίσατο τὰ Ὀλύμπια Ἀρχίας Ὑβλαῖος καὶ τρεῖς ἐφεξῆς Ὀλυμπιάδας ἐνίκα, καὶ Πυθοῖ δὲ ἐνίκα, καὶ εἰκών τις ἦν αὐτῷ Πυθική.

Ὑβλαίῳ κήρυκι τόδ' Ἀρχίᾳ Εὐκλέος υἱῷ
Δέξαι ἄγαλμ' εὔφρων Φοῖβ' ἐπ' ἀπημοσύνῃ
Ὃς τρὶς ἐκάρυξε τὸν Ὀλυμπίας αὐτὸς ἀγῶνα
Οὐθ' ὑποσαλπίγγων, οὔτ' ἀναδείγματ' ἔχων.

Id eſt, *Primum autem Olympiæ, cum ſoli ejus regionis præcones, qui in ſacris miniſtrabant, admitterentur, Primus exterorum certavit Archias Hyblæus, qui tres continue Olympiadas vicit, & Delphis etiam Pythia vicit, & extat ejus quædam imago Pythica:*

Hyblæi præconis hanc Archiæ Eucleis filii
Accipe ſtatuam lubens, Phœbe, ob ejus incolumitatem,

Qui

Qui ter ipse certavit praeconio in agone Olympico,
Nec tubulum in ore habens nec circa collum ligacula.

Ex his patet praecones etiam de voce certasse, & inde sequitur fuisse illi certamini locum assignatum, de quo hoc loco fit mentio apud Lucianum. Videndus Georgius Syncellus pag. 208 post Olympiadem 88, ubi inveniuntur haec verba ex Africano: σαλπικτῶν καὶ κηρύκων ἀγὼν προσετέθη ἐν Ὀλυμπίᾳ, id est, *Tubicinum & praeconum certamen aliis certaminibus additum est Olympiae.* Videsis Josephi Scaligeri epistolam numero 448. Caeterum de interpretatione vocum ὑποσαλπίζων & ἀναδέγματα non contendam, si quis certiora docuerit, nam ex sola nostra conjectura eas interpretatus sum sine auctoritate, nisi quod Hesychius habet ἀναδέγματα ζώνας περὶ τραχήλοις, quod satis firmat nostram interpretationem, scilicet collum fasciis comprimebant, ne rumperentur nimia contentione arteriae, & ut sonus vocis elatior fieret. De voce ὑποσαλπίγγων, quam ex sola conjectura interpretatus sum, expecto, qui me doceat: alibi enim non reperitur. Hesychius in voce Σάλπιγξ haec habet: συγκοσάλπιγξ αὐτὶ ὁ κῆρυξ. Unde conjeci, praecones usos fuisse quodam tubulo argenteo vel aereo tamquam tuba, ut eorum vox major & clarior audiretur.

Pag. 297. Paris. 1004.

Δᾶδες ἦσαν τὰ πολλά. | *Crebrae faces praesto erant.*

Interpres sic vertit, longe certe ab auctoris mente, qui pyrae formam & materiam describit. Putavit interpres δᾶς non aliud significare quam *fax*. Sed est arboris species, quae Latinis *tada* dicitur, de qua Plinius passim, & ideo vertendum erat, *è tada ut plurimum constabat.*

In Fugitivis. Pag. 327. Paris. 1016.

Ἕβρος μὲν οὗτος, ἡ δὲ πόλις ἔργον Φιλίππου ἐκείνου. | *Hebrus est, civitas vero Philippi illius opus.*

Cum paulo supra dixerit de hac eadem urbe: ¹ καὶ τινὰς λόφους τρεῖς πάνυ καλοὺς ἀνεστηκότας, non est difficile divinare, de qua urbe loquatur; nimirum de Philippopoli, quae & Trimontium & antea Poneropolis & Pulpudena & Eumolpias, sita ad Hebrum inter Haemum & Rhodopen, quae Trimontium vocata est eo, quod tres montes suorum murorum ambitu complectebatur.

¹ *Et quosdam tres colles omnino pulchros excelsos.*

Pag. 332. Parif. 1018.

Τοιγαροῦν Κλεάνθην οὐκ εἰς μακρὰν αὐτὸν ὄψει, κρεμήσεται γὰρ ἀπὸ τοῦ πώγωνος.

Igitur non diu poſthac Cleanthem ipſum videbit: à barba etenim, cum jam ſceleſtus ſit, ſuſpendetur.

Nullum jocum video in voce Κλεάνθην, nec ullam alluſionem ad vocem κρεμήσεται. Ideo ſuſpicor non ita ſcripſiſſe Lucianum, & forte Χρέμητα ſcripſerat, ad quod alludebat κρεμήσεται, ut paulo ſupra, eo quod multum auri habebat in pera, ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ Χρυσίππιον eum vocavit.

In Dialogis meretriciis. Pag. 400. Pariſ. 971.

Βοιωτίας αὐλητρίδος Ἰσμενοδώρας, διηγουμένης τὰ Ἐφέστρια παρ' αὐτοῖς, ὡς γένοιτό τις ἐν Θήβαις ἐκ γυναικὸς ἀνὴρ, &c.

Ex Bœotia tibicina quadam Iſmenodora nomine, cum illa quæ Epheſtria apud ipſos dicuntur, enarret fuiſſe Thebis quendam ex muliere virum.

Quid intellexerit per τὰ ἐφέστρια, non eſt facile divinare, ea vox alibi non legitur. Nihil igitur certi à me expectes, conjecturas nudas tibi proponam. Si bene ſe habet ea lectio, videtur ab ἐφεστρίς ea vox deduci debere: eſt autem veſtis quædam ſpecies, quæ ſuperinduebatur. Suidas μανδύαν & βίρρον interpretatur, & ὕφασμα ἐξ αἰγείων τριχῶν, alii χλαμύδα, alii χλανὶς vertunt. Quidquid tamen fuerit, quoniam ab eo genere veſtis τὰ ἐφέστρια dicuntur, ſuſpicor eas veſtes texi ſolitas à mulieribus ſimul adunatis, quæ texendo fabulas lepidas ad vices narrabant, ut fallerent tempus & laborem, quæ ob id ἐφέστρια διηγήματα dicebantur. Sic noſtrates dicunt *les comtes du veilleri*. At forte mendoſa eſt ea vox, & legendum vel ἐφ' ἑστία disiunctim, & mutandum τὰ in τε, ſic, διηγουμένης τε ἐφ' ἑστία; id eſt, *ad lares, ad focum*, vel Ἡφαίστια ob eandem rationem, id eſt, *quæ ad ignem* hyeme narrantur, nam (ut notum eſt) Ἥφαιστος ſæpe pro igne ſumitur, & erant Ἡφαίστια fabulæ, quæ ad Vulcanum ſeu ignem aſſidentes fœminæ nendo vel texendo narrabant in Vulcani feſto, quod Athenis Ἡφαίστια, ut ex Andocide patet in ſermone de myſteriis. Hæc ego tentabundus ut in tenebris. Tu forte meliora lector cogitabis, utinam & nobis impertiaris.

In

In Philopatride. Pag. 470. Parif. 1123.

Οὐχὶ μῶ Αἰγίσθῳ.	*Annon AEgystho.*


Lego οὐ μοίχῳ Αἰγίσθῳ.

In Charidemo. Pag. 508. Parif. 1138.

Καὶ προῆλθε μέχρι τρισκαίδεκα νέων ὁ φόνος.	*Ac processit cædes ea, donec tredecim eorum juvenum interficerentur.*

Non concordat Pausanias de numero procorum ab Oenomao interfectorum, sexdecim enim ponit, quorum nomina videsis apud eum auctorem Heliacorum 2.





Jacobi Palmerii
A Grentemesnil,
Militis Cadomensis,

EXERCITATIONES
AD
THEOPHRASTVM,

A Daniele Heinsio emendatum & publicatum, editum Lugduni Batavorum ab Henrico Haestens, anno 1613.

Ad Lib. 1. de historia plantarum. Cap. 5. pag. 6.

Εἰώθασι δὲ καὶ τὰς ἐλάτας κοπάδας.	*Oleas quoque multifidas dimittere solent.*



ege τὰς ἐλαίας, ut bene legit interpres: nam abies est, si quæ alia, μονοστελεχὴς, & cæsa non repullulat.

Cap. 8. pag. 9.

Καὶ τὰ μὲν λοξὰ, οἷον τὰ τῆς ἀκτῆς, τὰ δὲ ὀζώδη.	*Alia item enodes, ut sambucus: alia nodosa.*

Lege τὰ μὲν ἄοζα, & τὰ δὲ ὀζώδη, & sic legisse videtur interpres.

Cap. 16. pag. 18.

Τὰ δὲ ὥσπερ ἀραιόφυλλα καθάπερ πεύκη, πίτυς, κέδρος.	*Alius rara, ut pino, abieti, cedro.*

Interpres vertit ἀραιόφυλλα *rara*. Sed non possum divinare, quomodo

modo legerit, aut quare sic interpretatus fuerit. Puto eum legisse πατανόφυλλα: nam σπαθόφυλλα potius significaret *densa*, quando σπάθη dicitur radius textorius, quo telam densant. Sed si qui legunt πατανόφυλλα, ii non mihi videntur unquam vidisse piceas aut pinus aut cedros, quæ arbores sunt satis densæ foliis. Lectio vulgata σπαθόφυλλα optime convenit, id est, *pectinata*, figuram habentia pectinis: nam σπάθη teste Polluce πτέρω ἐοικὸς ξύλον, τὸ καθαῖρον τὰς τρίχας, id est, *filici simile lignum, quo purgantur crines*, lib. 1 cap. περὶ ἱππικῶν ὀνομάτων. At eæ arbores habent eam foliorum figuram: acutæ enim sunt & angustæ, ut pectinis dentes, & utrinque dentatæ. Nec est dubium, quin Plinius perpetuus Theophrasti interpres σπαθόφυλλα legerit: nam vertit *insecta pectinum modo* lib. 16 cap. 24.

Ibidem.

Τὰ δ' οἷον σαρκόφυλλα — οἷον κυπάριττος, μυρίκη, μηλέα.	*Aliis veluti carnosa, ut cupresso, myricæ, malo.*

Facilius est damnare hanc lectionem μηλέα, quam meliorem substituere. Mendosam esse non dubito: nam quænam est species mali, quæ folium habeat carnosum, ut cypressus & myrica? nulla profecto. Quid autem reponendum sit, non succurrit. Plinius certe lib. 16 cap. 24, ubi de foliorum diversis figuris, & proprietatibus agit, & plura à Theophrasto, ut solet, accepit, carnosa folia tribuit cupresso, & tamarisco, & suo tempore videtur defuisse apud Theophrastum vox μηλέα, quæ jure exulare debet.

Ibidem.

Τὰ δ' ἢ περικαθίζοντα ἐκ τοῦ ἄκρου καὶ ἐκ τῶν πλαγίων.	*Quædam cum extremo tum lateribus sinuata considunt.*

Sic vertit interpres. Sed ea versio non mihi videtur convenire foliorum naturæ, quæ in lateribus possunt quidem sinuata considere, non vero in extremo folii acumine, qui nec sinuari nec considere potest dici. Itaque minima mutatione lego περικανθίζοντα, & vertendum *spinosa* vel *quasi spinosa*, & sic legendum esse liquet ex exemplis foliorum, quæ affert, scilicet ilicis, smilacis seu acuifoliæ, rubi & paliuri, quæ duo ultima infra inter ἀκανθώδη recenset, quod ad vocem δρυὸς attinet, non agnoscit eam Plinius hoc loco. Nam postquam dixit *aculeata acuifolio & ilicum generi*, tribus infra lineis addit *sinuosa toto ambitu robori*, quæ si à Theophrasto accepit, necesse est aliquid deesse, & forte περικανθίζοντα dixerat de sola quercu, quod Plinius

nius expressit per *sinuata toto ambitu*: περικαρδιζοντα vero de ilice & aliis, quas ob viciniam soni confuderunt, & dum putant bis idem male repetitum esse, quatuor ea foliorum genera sub eadem classe posuerunt. Sed quoniam id verbum περικαρδίζειν alibi non legitur, malo putare τὰ τῆς δρυὸς esse irreptitia. Cæterum postquam hæc scripsi, reperi apud Henricum Stephanum eandem correctionem, quam hic proponimus ab eo factam fuisse. Non ergo primus sum, qui ita legendum esse monui, reddatur illi suus honos, & contenti simus cum tanto viro eandem sententiam habere.

Cap. 17. pag. 19.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν σαρκῶν. | *Fructus quoque simili modo.*

Interpres legit ἐπὶ τῶν καρπῶν, optime.

Cap. 18. pag. 20.

Καὶ τὸ Εὐβοϊκόν. | *Et Euboicum.*

Subintellige κάρυον, id est, Castaneam glandem.

Ad Lib. II. Cap. 8. pag. 34.

Καὶ γὰρ ἐν Βαβυλῶν φησίν. | *Quippe apud Babylonem ajunt.*

Lege ἐν Βαβυλῶνι φασίν, id obvium est.

Ibidem.

Καὶ τῆς Συρίας δὲ τῆς κοίλης, ἣν Ἰουδαῖοι [illegible]λέγουσι τυγχάνουσιν ἔχοντες.	*In Syria quoque cava cognominata.*

Hæc ultima verba interpres non agnoscit, & ut opinor jure: videntur enim ἐπίσημα, & forte sunt scholium, quod in textum irrepsit.

Pag. 35.

Ὃ φασὶ γίνεσθαι πλεῖστον περὶ τὴν Αἰθιοπίαν, ὃ καλοῦσι κύκας.	*Quod plurimum gigni in AEthiopia fertur, Cycee vocatum.*

Monuit me vir doctissimus & nobis (de quo magnopere glorior) amicissimus Samuel Bochartus ὁ πάνυ, quem de Orientalibus vocibus sæpe consulo, legendum esse ex Hesychio κοίκας. Sic autem Hesychius: κοῖκες ἐν Αἰθιοπίᾳ, φοινίκων εἶδος, καὶ τὰ πεπλεγμένα ἐκ τῶν φύλλων τοῦ δένδρου σκεύη. Et in hac ultima significatione profert eam vocem Julius Pollux, ubi ea vox pluries legitur. Non est dubitandum,

dum, quin ex iis Theophrastus sit hoc loco emendandus. Gratias summo illi viro, qui nos id docuit ut & innumera alia.

Pag. 37.

Καθάπερ καὶ χαρτόδρας. | *Vt & chartodra.*

Plures ad emendandum hunc locum desudarunt. Budæus vult legi περιστέρας, nec sine magna ratione; nam verissimum est columbæ fimum esse omnium acerrimum & calidissimum, sed nimis differt à ductu literarum hæc emendatio. Alius apud eundem Budæum καὶ γὰρ ταῦτα ὁ ἄρτος δεῖ, quæ emendatio mihi videtur habere plus subtilitatis quam verisimilitudinis: nam & ταῦτα non convenit præcedentibus, & homo non vescitur pane solo, nec solus, nam & canes etiam pane vescuntur. Interpres Gaza, vel interpolator Heinsius nihil mutant, & de quodam animali sumunt hanc vocem. Vellem dixissent, ubi gentium χαρτόδρας animal invenitur; ibi non debet esse ferum nec rarum, quando ex eo fimus in domo accumulatur, & eo utuntur homines. Alii, si diis placet, de quodam auctore intelligunt, qui ita vocatus fuerit. Omnium optime meo quidem judicio Dionysius Petavius, qui legit καίπερ ἀκαθαρτοτέρα. Sed melius, si non mutasset, τὸ καθάπερ καὶ in καίπερ, & legisset καθάπερ καὶ ἀκαθαρτοτέρα, id est, *utpote immundior.* Nam male putavit Petavius immunditiem in fimo esse vitium. Nam fimus equinus, qui omnium aliorum est mundissimus & non pessimi odoris, est infirmus, & parum pinguescit, solo calore utilis: porcinus vero immundissimus pinguissimus est, & fere omnibus præfertur. Itaque legendum est καθάπερ καὶ ἀκαθαρτοτέρα.

Cap. 9. pag. 38.

Καὶ τὴν τῆς πτελέας κύπερον. | *Et ulmi folliculis.*

Monet nos Henricus Stephanus in hac voce quosdam legere κνιπέραν, quasi κνίπων πήραν, quæ lectio ex sequentibus apud Theophrastum satis astruitur. Certe κύπερις alibi non invenitur, ut nec κνίπερα. Posset etiam legi minori mutatione κνίπεριν ab eodem etymo, scilicet ἀπὸ τῶν κνίπων, sed etiam sine auctoritate. Talia poma seu receptacula infra cap. 14 κωρύκους vocat.

Ad Lib. 3. Cap. 3. Pag. 42.

Τὰ φίλυδρα καὶ παραποτάμια καὶ ἀλσώδη. | *Quæ aquas amant, secusque fluvios degunt, & in lucos assurgere solita.*

Interpres legit ἀλσώδη, melius: nam ἀσώδη hoc loco non convenit.

Cap. 4. pag. eadem.

πεύκη, πίτυς ἀγρία, φίλυρα.	*Pinastrum, picea, aquifolia, tilia.*

Dubitari potest & in hoc loco, & in aliis, ubi πίτυς ἀγρία occurrit, an intelligi debeant hæ voces conjunctim *pinus sylvestris* vel *agrestis*, an divisim *pinus*, *agria*. Nam cum infra hoc eodem lib. cap. 17 dicat eandem arborem, quæ Arcadibus dicitur φελλόδρυς, à Doriensibus vocari ἀγρίαν, non est sine dubio hic locus, & aliquis posset non sine ratione contendere legendum esse πίτυς, ἀγρία divisim. ut & Gaza interpres sine dubio legit, qui ἀγρία aquifoliam vertit. Sic & supra lib. 1 cap. 8, ubi legitur: τὰ δὲ παχύφλοια καθάπερ ἀγρία δρῦς. Et paulo post: τὰ δὲ τραχύφλοια καθάπερ ἀγρία δρῦς. Sic & infra cap. 6 legendum credo Ὀξύην, ἀγρίαν. divisim, non Ὀξύην ἀγρίαν, ut legitur, de quo paulo infra dicemus. Sed in hoc loco aliud notandum est, scilicet interpretem (sive ille sit Gaza sive Heinsius interpolator, quod magis credo) hoc loco πεύκη vertisse *pinastrum*: πίτυς vero *picea*, & sic semper ubique πίτυν *piceam* interpretatur. Infra vero cap. 8 pagina 47 πεύκη vertit *pinus*. At ego putabam πεύκην esse *piceam*, πίτυν vero *pinum*. Nam videbam Plinium ita intellexisse, dum ait lib. 15 cap. 10. *Pinea corona victores apud Isthmum coronantur*. At constat arborem, de qua coronabantur athletæ in agone Isthmico, à Græcis πίτυν vocatam fuisse. Testis Archias antiquus Poëta, cujus epigramma extat in ipso Anthologiæ limine:

Ἀρχίου εἰς τοὺς τέσσαρας ἀγῶνας.
Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Ergo πίτυς dicebatur Græcis arbos, ex cujus ramis coronabantur victores in agone Isthmico, eam arborem Plinius *pinum* vocat, quis dubitare potest πίτυν debere verti Latine *pinum*? Sed idem hoc Archiæ epigramma versibus Latinis reddidit Ausonius in eclogario, sic:

Quatuor antiquos celebravit Achaïa ludos.
Cælicolum duo sunt & duo festa hominum,

Sacra

Sacra Iovis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique.
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

Et hoc epigramma nos docet pinum esse Latinis eam arborem, quæ Græcis πίτυς dicebatur. Sed & audiamus Plinium in descriptione earum arborum lib. 16 cap. 10: *In Europa sex genera cognatarum arborum resinam ferunt, ex iis Pinus atque pinaster folium habent capillamenti modo pratenue longumque & mucrone aculeatum. — Pinaster nihil aliud est, quam Pinus Silvestris, mira altitudine & in medio ramosa, sicut pinus in vertice.* Et paulo post: *Picea rami pene statim ab radice modici velut brachia lateribus inhærent.* Pinum ait ramosam esse in vertice, quod apprime convenit arbori, quam nos Galli vocamus *un Pin.* Ait item piceam habere ramos statim ab radice: at in eo multum differt à pinu nostrate, unde aperte colligo, piceam non esse πίτυν, hoc est, *pinum.* Sed esse multum diversam ab ea arborem, licet congenerem & resinam ferentem ut & pinus. Ergo ubicunque apud auctores antiquos πίτυν invenies, intellige *pinum*, nil motus auctoritate recentiorum, qui Gazæ vel Heinsii interpretationem sequuti πίτυν per *piceam* reddunt: nam picea, ut puto, ea est, quæ πεύκη Græcis. Gorræus sequutus est Gazam sine examine & πίτυν semper *piceam* interpretatur: [1] ἐγὼ δ᾽ ἐκείνοις οὐ ταχυπειθής. Nam & Plinius ait, Piceam frigora & montes amare, Pinum vero hortis assignat. Virgilius & Pinetum, quod erat olim (nescio enim an adhuc extet) in loco arenoso pone Basilicam fontebellaquensem in calido satis climate & solo, nos docet Pinum non esse piceam, quæ amat montes, frigora & nives. Sed de hoc satis.

[1] *At ego non credulus illis.*

Ibidem.

Ὄστρυα, κύλαστρον. | *Ostrya, celastrus.*

Lege cum interprete κήλαστρον.

Ibidem.

Ἄκανθος ἣν μὲν ἐν τῷ ὄρει πεφυκυῖαν ζυγίαν καλοῦσιν.	*Spina, Acer, quam in monte carpinum vocant.*

Hîc evanuit vox σφένδαμνος, ut patet ex capite undecimo infra eodem hoc libro. Sic igitur lege: [2] ἄκανθος, σφένδαμνος ἣν μὲν ἐν τῷ ὄρει πεφυκυῖαν, & sic interpres legisse videtur.

[2] *Spina, Acer quam in monte natam, &c.*

Cap. 6. pag. 44.

Ἄρκευθον, ὀξύην ἀγρίαν, σφένδαμνον.	*Iuniperum, scissimam agrestem, acerem.*

Lego divisim Ὀξύλω, ἀγρίαν, σφένδαμνον. Nam infra cap. 10 ejusdem libri sic ait: [1] Ὀξύη δὲ οὐκ ἔχει διαφορὰς, ἀλλ' ἐστὶ μονογενής. Ideo quando non habet plures species ea arbor, non potest dici aliquam esse ἀγρίαν, alteram vero minime, & manifestum debere legi divisim ὀξύλω, ἀγρίαν, & esse duas diversas arbores.

[1] *Oxya non habet differentias, sed est unica.*

Ibidem.

Οἷον ἀνδράχνη, ἀβάρκη. | *Vt portulaca, apharca.*

Lege cum interprete ἀφάρκη.

Ibidem.

Ἄρια, πτεραγωῖνα. | *Aria, quadratoria.*

Infra pag. sequenti legitur γώνια arbor, quam vocem capite minutam esse indicat interpres, qui *quadratoria* vertit, ut & hoc loco πτεραγωῖνα etiam eodem nomine Latino expressit: unde suspicor, imo credo, hoc loco legi debere τετραγωνία, & interpretor de quadam specie arboris seu frutricis, cujus truncus & rami quatuor angulos videntur habere, & quæ fert semen inclusum in folle eximie rubente, referente figuram pilei quadrati corniculati, quem gerunt judices & advocati. Rustici nostrates in Normania eam fruticem vocant *unfovacier*, eo quod figuram referat panis, cujus superior pars in quatuor partes dividitur, quem vocant *une fovace*.

Pag. 45.

Ὀξύκαρπα δὲ καὶ κιττός. | *Serotina & hedera.*

Lege Ὀψίκαρπα, quod firmatur ex rei natura, & ex eo, quod paulo infra ait, [2] ἐκ δὲ τούτων ὀψικαρπότερα.

[2] *In his autem, quæ tardius fructum ferunt.*

Ibidem.

Γώνια, θύια, μίλος. | *Quadratoria, thuia, taxus.*

Lege cum interprete τετραγωνία, de eo paulo supra.

Ibidem.

Πᾶν γὰρ δὴ δένδρον ὅταν βλαστάνῃ, λιπᾷ.	*Omnis enim arbos, cum germinat squamas corticum spargit.*

Hæc sic vertit interpres. Ex qua versione patet interpretem legisse λοπᾷ. Sed melior est lectio λιπᾷ, id est, *humore radicali turgescit.* & ex Theophrasti sententia manifestum est debere sic legi: nam omnes arbores, cum germinant, λιπῶσι, non omnes vero λοπῶσι, *cortices spargunt*: multæ enim arbores cortices nunquam emittunt, ut fagus,

fagus, quam ſic vocamus, quæ Theophraſto eſt ὀξύη, & multæ aliæ. Suntetiam quædam, quæ cortices ſpargunt, ſed raro poſt plureis annos, at bis aut ter in anno unaquæque arbor λιπᾷ & βλαςάνῃ. Hoc dicimus Gallice *eſtre en ſeue*.

Cap. 7. pag. 47.

Τῆς ἐξ ἀρχῆς ἐπιδόσεως.	*Inter antecedentem obſtruſionem.*

Sic vertit interpres. Quod interpretamentum mihi videtur eſſe folium Sibyllæ. Lego, ἐπιδόσεως, id eſt, *à primo incremento, à primula germinatione*, & ſic omnino credo ſcripſiſſe Theophraſtum.

Ibidem.

Τῇ δὲ ἡρακλεωτικῇ μετὰ τὴν ἀποβολὴν τοῦ καρποῦ φύεται τὸ ῥυῶδες.	*Nuci avellana poſtquam fructus decidit, racematum quiddam emergit.*

Lego βρυῶδες *muſcoſum*, & credo interpretem ſic legiſſe, dum vertit, licet male, *racematum quiddam.* Nam eo quod βρύον aliquando ſignificat uvam, non quidem vitis fructum, ſed albæ populi nucamentum, putavit βρύον & racemum idem eſſe.

Ibidem.

Ἔστι δὲ καὶ τὰ μὲν εὐαυξῆ, τὰ δὲ δυσαυξῆ.	*Sunt præterea quædam auctu faciles, quædam difficiles.*

Hæc ita vertit Gaza ſeu Heinſius, quæ cum verbis Græcis videntur ſatis concordare, ſed cum ſententia Theophraſti pugnant è diametro: nam cum inter ea εὐαυξῆ poſtea numeret quercum, quam ait omnium εὐαυξέςατον, manifeſtum eſt non debere ſic intelligi, ut expreſſit interpres: omnium enim arborum nulla difficilius & tardius augeſcit. Ideo interpretor, *ſunt præterea quædam, quæ multum creſcunt, alia quæ parum*, & ſic optime convenit τὸ εὐαυξέςατον quercui, nulla enim arbor in tantam molem creſcit, niſi forte fagus.

Cap. 8. pag. 48.

Ὅταν δὲ κοπῇ ἢ κολουθῇ ὑπὸ πνεύματος ἢ καὶ ἄλλου τινὸς περὶ τὸ πλεῖον τοῦ στελέχους, ἔχει γὰρ μέχρι τινὸς λεῖον καὶ ἄοζον καὶ	*Cum enim præciſa vel aliquo pacto diminuta afflatu fuerit, circa levem partem ſui caudicis (habet enim quadantenus levem, enodem,*

 ſimi-

ὅμοιον ἢ. καὶ ἡλικὸν πλοίον.	*similem ac etiam æquiparandam naviculæ.)*

Hic locus medica manu indiget: est enim ulcerosus, & ab interprete nec sanatus nec intellectus. Et primum quidem περὶ τὸ πλεῖον manifeste mendum redolet. Ideo interpres legit λεῖον. Sed ita legendo mendacium ascribitur Theophrasto, cujus sententia cum natura pugnabit. Nam cum pars inferior abietum sit λεῖος, superior vero ramis densa & hirta in ipso cortice, certum est & experientia notum, abietes in parte inferiore stipitis cæsos vel fractos non reviviscere, in parte vero superiore fracto vertice sæpe surculum alium emittere. Itaque si legendum est λεῖον, & ita Theophrastus scripsit, non est dubium, quin pro περὶ legendum sit ὑπὲρ, & sic non male procedet sententia ὑπὲρ τὸ λεῖον τοῦ στελέχους. Sed si retinetur præpositio περὶ, putarem debere legi περὶ τὸ ἀλδνὸν, id est, *circa partem, ubi truncus est exilis & infirmus*: nam Hesychius ἀλδνὸν per ἀσθενὲς & λεπτὸν interpretatur. In posterioribus hujus loci verbis occurrit aliud mendum. Ea vertit interpres, *ac etiam æquiparandam naviculæ*, quod quid sit & quomodo intelligi possit, alii viderint, ego certe non video, quid simile sit naviculæ in abietis trunco. In proclivi tamen erat emendare vitium lectionis & legere φλοιὸν, & licet in vocibus ἢ καὶ ἡλικὸν sit aliquid obscuritatis, tamen sic videntur ea verba posse interpretari: *habet enim quadantenus levem, enodem, & sibi similem, quantus est, corticem.* Nisi forte aliquid desit, & legendum sit (ut pridem emendavit Constantinus) καὶ ἡλικὸν πλοίου ἱστῷ, id est, *similem, & æqualem navis malo.*

Pag. 49.

Ἔχει πυρῆνα ἐλαιώδη φύλῳ.	*Nuclei oleæ speciem ostendit.*

Lego ἐλαιηροφύλῳ, id est, *naturam oleaginosam habentem.*

Cap. 9. pag. 50.

Καὶ ἔνιοί γε δένδρους τὴν μὲν ἥμερον καλοῦσι, τὴν δὲ ἀγρίαν, οὐ τῇ γλυκύτητι τοῦ καρποῦ διαιροῦντες (ἐπεὶ γλυκύτατος ὁ τῆς φηγοῦ, ταύτην δ᾽ ἀγρίαν ποιοῦσι) ἀλλὰ τῷ μᾶλλον ἐν τοῖς ἐργασίμοις	*Et quidam obiter aliud urbanum aliud silvestre appellant: non quod fructus distinguant dulcedine (nam dulcissimus fago, quam reddunt silvestrem) sed quoniam cultis magis proveniat,*

φύεσθαι, καὶ τὸ ξύλον ἔχειν λειότερον, τὴν δὲ φηγὸν τραχὺ καὶ ἐν τοῖς ὀρεινοῖς.	*niat, lignumque lævius habeat. Fagus autem ſcabra montuoſiſque naſcens.*

Ex hoc loco & ex ſequentis capitis initio, ubi ait *φηγὸν τὰς στρογγύλας*, *fagum glandes rotundas* ferre, cogor concludere eas arbores, quas Græci *φηγοὺς* vocaverunt, non eaſdem eſſe arbores, quas Plinius & Latini *fagos*, nos ab illis mutuati *fauqs* & *fauteaux* vocamus. Igitur neſcio quo fato nomen *φηγὸς*, quæ ſpecies fuit quercus, à Latinis datum eſſe arbori, quæ & cortice & folio & fructu omnino à quercu differt. Caveant igitur medici & botaniſtæ & naturæ arborum contemplatores, ne *φηγὸν fagum* interpretentur, quod faciunt ubique Theophraſti interpretes: nam licet vox idem ſonet, res omnino alia eſt. Credo Latinos in ſuo Latio non habuiſſe *τὰς φηγοὺς*, & ideo id nomen alii arbori tribuiſſe. Noſtra fagus eſt lævitate corticis non dehiſcentis inſignis: at *φηγὸς* hoc loco dicitur *τραχὺς aſpera*. Fagus noſtra glandem habet triangularem, ut Plinius notavit: *φηγὸς* vero rotundam, ut ait expreſſe Theophraſtus initio ſequentis capitis. *Φηγὸς* & à Pauſania in Arcadicis & à noſtro Theophraſto ubique inter quercus ſpecies ponitur: fagus noſtra à quercu omnino differt & trunci & foliorum & glandis figura; quibus ſi addas, quod infra ſequenti capite dicit, [1] *ξύλον τῆς φηγοῦ ἰσχυρότατον καὶ ἀσηπτότατον*, omnino, credo, dabis manus; nam faginum lignum molle eſt & minime durabile.

[1] *Lignum fagi firmiſſimum & minime verminoſum.*

Pag. 51.

Ὅμοια γίνεται κοιλώματα τοῖς ἐπὶ τῶν ζώων.	*Concava perinde atque in animalibus relinquuntur.*

Sic legit etiam Gaza. Sed tu lege meo periculo *ἐπὶ τῶν ὠῶν*, & intellige de illo concavo, quod in ſummitate ovi conſpicitur.

Ibidem.

Ὃ δὲ καλοῦσι τινὲς φάσκον ὁμοίως τοῖς βραγχίοις ἡ αἰγίλωψ μόνη φέρει πελιὸν καὶ βράχιον.	*Quod autem penem quidem appellant branchiis ſimile, cerrus ſola producit canum mucoſumque.*

Pro *φάσκον* interpres videtur legiſſe *φαλλόν*, qui *penem* vertit: niſi forte, quod magis credo, typographus errans *penem* pro *panum* poſuerit. Nam Plinius *panos arentes* vocat id, credo, quod nos vocamus *barbes*

barbes de chieune. Non possum autem divinare, quomodo legerit πολιὸν καὶ βράχιον, qui *canum mucosumque* vertit, nisi legerit βρυώδη, quod multum recedit à ductu litterarum vulgatæ scripturæ, licet non recedat à rei veritate. Profecto illud καὶ βράχιον purum putum mendum est. Forte legendum τῷ βραγχίῳ. Sed id non placet: nam quando jam dixit ὁμοίως τοῖς βραγχίοις, vix credo usum fuisse Theophrastum insulsa repetitione. Putavi & κατὰ βραχίονα, id est, *brachii longitudine*, eo quod ait πηχυαῖον καταχρεμάννυται; nam quod habet cubiti longitudinem, est κατὰ βραχίονα. Sed ut verum dicam, hæc non mihi satis arrident; cedo alteri criticam lampadem.

Cap. 10. pag. 52.

Καὶ τὰ πολλὰ λαμβάνεσθαι περικεφάλαια. | *Magnaque ex parte caput tentari.*

Lego κεφαλαλγίᾳ & forte ita legit interpres, qui *caput tentari* interpretatur: nam de hoc περικεφαλαίας significatu nullum unquam vidi exemplum.

Cap. 10. pag. 52.

Μοχθηρὰ δὲ καὶ τὰ ξύλα πλεκηθέντα μὲν &c. | *Materies quoque improba, & dolata quidem.*

Laborat ab interpunctione hic locus. Lege cum Gaza μοχθηρὰ δὲ καὶ τὰ ξύλα, πλεκηθέντα μὲν ὅλως ἀχρεῖα.

Pag. 54. linea ult.

Καὶ διαξής. | *Auctu insignis.*

Interpres legit διαυξὴς, ut & Henricus Stephanus; &, ut puto, melius. Si error est, occurrit infra pluribus locis, de quibus sufficiat hoc loco te monere: διαξὴς tamen potest interpretari *fractu facilis*, ab ἄγω *frango*, & is significatus non male conveniret.

Pag. 55.

Τὸ μὲν ἄνθος καλυκῶδες περὶ τὸν τοῦ ξύλου μίσχον. | *Flos calicula intectus præter folii pediculum.*

Lege παρὰ τὸν τοῦ φύλλου μίσχον, & ita legit Gaza.

Cap. 11. pag. 56.

Τρίτον δὲ κλινότροχον. | *Tertium lectirotarium.*

Doctissimus Salmasius vult legi καὶ ἰνότροχον, cui libenter assentior.

Ibidem.

Ibidem.

Χαραγμὸν δὲ ἔνια ἔχοντα κύκλῳ καὶ ἐπικαθίζοντα.	*Et ambitu leviter serrata ac subsidentia.*

Credo legendum esse ὑπακανθίζοντα, id est, *veluti in aculeos figurata*, quod bene convenit fraxini foliis.

Pag. 57.

Πλὴν ἀπίου, καὶ μελίας, καὶ ἀχράδος.	*Præterquam pirus & fraxinus.*

Sic legit Gaza & vertit: τὸ ἀχράδος dissimulavit, credo, eo quod Latina lingua non habet ejus arboris nomen. Sunt tamen, qui pirum silvestrem vel pirastrum interpretentur. At Columella non ita, qui ipsam Græcam vocem retinuit, & dixit, *& aspera sylvis Achrados.* Unde colligo aliud esse ἀχράς, aliud vero pirus silvestris. Nam Columella, si vocem habuisset Latinam, non usus fuisset voce Græca. Sed in voce μελίας etiam erravit: debebat enim emendare mendum & legere μηλέας, & vertere *malus.* Nam sic legendum esse patet ex iis, quæ sequuntur: [1] ταῦτα δ' ἐν τῷ πεδίῳ κρείττω καὶ τῷ καρπῷ καὶ τοῖς ξύλοις. Nam fraxinus nullum fert fructum. Et rursus: [2] καὶ τὸν καρπὸν ἔχουσι γλυκύτερον καὶ σαρκωδέστερον, quæ fraxino non conveniunt, malo vero optime.

[1] *Ea autem in campo meliora & fructu & ligno.*
[2] *Et fructum habent dulciorem & carnosiorem.*

Cap. 12. pag. 59.

Ἐκ τῶν πλαγίων πτερυγοειδῶν.	*Modo alæ lateribus.*

Lego πτερυγοειδῶς, id est, *in modum seu speciem pennæ.*

Cap. 15. pag. 63.

Φέρει δὲ καὶ κωρυώδη τινὰ κοῖλα, καθάπερ ἡ πτελέα.	*Fert & ad nucis similitudinem quædam concava, ut ulmus.*

Gaza, qui sic interpretatur, proculdubio legebat καρυώδη. Sed frustra est; errorem mutavit, non emendavit. Lege confidenter κωρυκώδη. Nam supra capite præcedenti de ulmo sic scribit: [3] ἀλλὰ ἐν τοῖς κωρύκοις (vel ut legit Henricus Steph. κωρυκίοις) τὸ κόμμι καὶ θηρία ἄττα κωνωποειδῆ φέρει. Confer eum locum cum hoc, & proculdubio nostræ emendationi plausum dabis.

[3] *Sed in Corycis gummi & bestia quædam, quæ culicum speciem habens.*

Ibidem.

Ῥυτινῶδες.	*Resinosum.*

Lege ῥητινῶδες, & paulo post, ubi bis legitur ῥυτίνη & ῥυτίνης, lege

ῥητίνη & ῥητίνης: talia menda ab jotacismo neotericorum proveniunt,nec aliunde amplior mendorum messis in libris colligitur: Scriba enim, qui excipit ex ore dictantis, non capit, utrum η vel ῃ vel ι vel υ &c. scribi debeat.

Ibidem.

Ὁ μὲν λευκὸς καὶ ἄπεπτος ἐπὶ πλεῖον. | *Candidus probeque maturus supernatat.*

Lege ἄπεπτος ἐπιπολαῖος, & sic videtur legisse interpres.

Cap. 17. pag. 65.

Ταῖς λεπλαῖς εἰσί. | *Fibris.*

Lege λεπλαῖς ἶσι, & interpres, qui vertit *fibris*, sic proculdubio legebat.

Ad Lib. 4. Cap. 1. pag. 70.

Χαίρει δὲ σφόδρα καὶ ἡ μίλητος τοῖς παλισκίοις. | *Taxus quoque vehementer gaudet umbrosis.*

Lege καὶ ἡ μίλος, cum Gaza, qui *taxum* vertit.

Ibidem.

Θεία μὲν φύεται εἰς ὕψος. | *Montium cacuminibus thuia nascitur.*

Lege Θύα μὲν.

Cap. 4. pag. 75.

Τὸ οὖν Ὀφέλλου στρατόπεδον ἡνίκα ἐβάδιζεν ἐς Καρχηδόνα. | *Exercitum itaque Ophelli cum in Carthaginem proficisceretur.*

De hac historia, si vis, adi Diodorum lib. 20, & ex hoc loco supple ejus narrationem.

Cap. 6. pag. 80.

Καὶ ῥοιαὶ δὲ περισκεπαζόμεναι. | *Et punicæ amplæ opacitatis.*

Ita vertit interpres, unde videtur legisse περισκιαζόμεναι, quod tamen id non significat, nam περισκιαζόμενος non est, qui umbram præbet, sed qui est in umbra, & ab aliquo inumbratur. Puto probam esse lectionem περισκεπαζόμεναι, & intelligo *circumtectæ* vel *circumopertæ*, scilicet in regione Ponti, de qua loquitur, frigus nimium est, ut possint eæ arbores hyemes pati sine integumento, ut nec apud nos, ubi nunc magna cura eæ arbores coluntur, ut & citri & arauciæ integumentis opertæ per totam hyemem.

Ibidem.

Ibidem.

Πεύκη δὲ καὶ ἐλάτη καὶ πίτυς οὐκ ἐστὶν, οὐδ' ὅλως οὐδὲν ἔνδαδον. ὑγρὰ δ' αὕτη.	*Sed pinastrum, abies, atque picea desunt, & omnino quæ tædam in sese gerunt. Humida autem hæc.*

Hæc usque ad ἔνδαδον inclusive debent per parenthesin intelligi, & includi nota parentheseos, ut, quod sequitur ὑγρὰ δ' possit referri ad ὕλης, aliter videretur deesse aliquid ante ὑγρά.

Cap. 7. pag. 81.

Καὶ οὐδὲν ὑπερέχον ὡς εἰπεῖν τῆς ἐλάτης.	*Et nihil fere super mare emicat.*

Lego τῆς θαλάττης, ut optime legit interpres.

Ibidem.

Τοῦ γὰρ φύκους τὸ μὲν ἐστὶ πλατύφυλλόν τε πανοειδές.	*Nam alga quoddam genus folio lato.*

Legit Gaza una voce πετανοειδὲς, & vertit *folio lato*, vel potius dissimulat τε πανοειδὲς, nam *folio lato* est interpretatio vocis πλατύφυλλον. Salmasius vero in suis ad Solinum exercitationibus vult legi πανοειδὲς in eodem significatu. Ego vero non solum puto, sed contendo debere legi [1] ταινιοειδὲς. Sciunt quicunque maris litora frequentant, & diversas algæ species consideraverunt, quam bene quadret cum natura nostra emendatio: est enim quædam algæ species maxima, quam mare ad littus pellit, quæ omnino similis est tæniis latioribus. Earum sæpe observavi folia vel tænias, quæ duas ulnas excedebant, latas tres vel quatuor digitos, viridanti colore, parumper in quibusdam locis purpurascente: eam speciem piscatores nostrates in litore Baiocensi vocant *de la vaubare*, & eas agricolæ cum cura legunt, & in litore accumulant, & ad usum stercorationis agrorum reponunt, & ei bene convenit, quod ait Theophrastus ὃ δὴ καὶ πράσον καλοῦσι: nam & porri folia sunt ταινιοειδῆ, quidam vero, ut ait idem auctor, ζωστῆρα vocant, & non male assimulant zonæ.

[1] *Tæniæ similes.*

Ibidem.

Ῥίζαν δ' ἐχίνδασεῖαν ἔξωθεν, ἄνωθεν δ' λεπιδωτά.	*Radice hirta extrinsecus, squamata intrinsecus.*

Sic vertit interpres. Legebat igitur ἔνδοθεν δ' λεπιδωδῆ. At Salmasius vult legi ῥίζαν δ' ἐχίνδασεῖαν, ἔξωθεν δ' πυῤῥάν. Emendatio hu-

jus loci pendet à natura rei & ejus radicis curiosa inspectione, quam quoniam numquam vidi, non habeo, quod dicam.

Cap. 8. pag. 84.

Ἄνθος δὲ τοῖς οἴζοις.	*Florem violæ.*

Interpres legit τοῖς ἴοις, nam vertit *florem violæ*, & forte non male. οἴσοις magis accederet ad vulgatam, id est, *salicibus*.

Cap. 12. pag. 92.

Συμμύειν δὲ τὸ στόμα τῶν γλωττῶν ὃ πρὸς τὴν διακλοεῖαν εἶναι χρήσιμον.	*Sed ora linguarum comprimi, quod erat illis theatrorum moribus utilius.*

Hæc ultima sic vertit Gaza. Quomodo legerit, dubito: puto tamen legisse ὁ πρὸς τὴν δὲ θεωρείαν. Nam θεωρεία sæpe spectationem ludorum in theatro significat. Sed non dubito, quin διατορείαν scripserit Theophrastus, licet alibi forte non reperiatur ea vox, sed quæ optime & cum analogia formatur à διάτορος, unde adverbium διατόρως sæpe usurpatum, id est, *altè claro & contento sono*, quod optime convenit huic loco, ubi de tibiis agitur.

Pag. 93.

Τῷ μεγέθει μεγάλοι καὶ εὐπαχεῖς, ὥστε ἀκοντίαις χρῆσθαι.	*Magnitudine præstantes atque robustæ; ut vicem hastarum præbeant.*

Hodierna experientia eorum, qui in India peregrinati sunt, secundum eorum relationes typis mandatas nobis suadet legendum esse hoc loco pro ἀκοντίαις ἀκατίοις, quod pridem vidit vir summus Salmasius, & notavit in suis ad Solinum Exercitationibus, sed nimis timide contra suum morem: sic enim ille pag. 1017. *nisi constaret Plinium legisse in Theophrasti verbis* ὥστε ἀκοντίοις χρῆσθαι, *omnino apud eum legendum contenderem* τῷ μεγέθει μεγάλοι καὶ εὐπαχεῖς ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι. At non video, quomodo constet Plinium legisse ἀκοντίοις, imo omnino constat eum legisse ἀκατίοις: nam lib. 7 cap. 2 sic scribit de India. *Arundines vero tantæ proceritatis, ut singula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant.* Et lib. 16 cap. 36, *navigiorum etiam vicem præstant, si credimus, singula internodia.* Dixit equidem Plinius hoc eodem loco paulo supra de Indicis arundinibus: *hastarum vicem præbent additis cuspidibus.* Et is locus est, qui torsit Salmasium. Sed non animadvertit locum Plinii, ubi ait singula internodia navigiorum

rum vicem præbere, esse manifeste expressum ex hoc loco Theophrasti, quem tractamus; sic enim Theophrastus, ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι, φύονται δὲ οὗτοι περὶ τὸν Ἀκεσίνην ποταμόν. Sic autem Plinius: *navigiorum etiam vicem præbent singula internodia, circa Acesinem amnem maxime nascuntur.* Plinius igitur eum firmare debebat in ea emendatione, non inhibere.

Cap. 17. pag. 99.

Ἐγένετο δὲ πρότερόν τε πολλάκις ἤδη καὶ ἐπ' Ἀρχιππου δι' ἐτῶν πετταράκοντα.	*Hæc sæpe alias & Archippo Athenis magistratu anno quadragesimo facta.*

Legit interpres Ἀρχίππου optime, sed non correxit fœdum mendum in numero; nam pro πετταράκοντα legendum πεττάρων, idque sic demonstrare conabor. Theophrastus ipse infra lib. de lapidibus pag. 400 innuit se Praxibulo Archonte eum librum scripsisse, scilicet anno 2 Olymp. 116. Item Plinius de tempore Theophrasti sic ait lib. 13 cap. 16. *Theophrastus, qui primus ab Alexandri Magni ætate scribit, qua circa urbis Romæ quadringentesimum quadragesimum gesta sunt annum.* Et lib. 15 in initio: *Oleam Theophrastus celeberrimus è Græcorum auctoribus urbis Romæ circiter quadringentesimo quadragesimo.* Ex hoc Plinii loco scripsit Theophrastus hanc historiam plantarum A. V. C. 440, quibus si addas annos 22, qui fluxerunt à 1 Olympiade ad urbem conditam, exurget numerus 462, qui Olympiadas facit integras 115 & duos annos. Cadit igitur exacte Plinii calculus in annum 2 Olympiadis 116, quo Praxibulus fuit Archon auctore Diodoro: at Archippus, de quo hoc loco loquitur Theophrastus, fuit Archon anno 3 Olympiadis 115, eodem Diodoro teste. Ergo ab Archippo Archonte numeratur quartus annus currens sub Praxibulo, & inde demonstratur scribendum esse hoc loco πεττάρων, non vero πετταράκοντα, ut male legitur.

Cap. 19. pag. 101.

Πελέκησιν. | *Securim.*

Dolationem intellige, quæ fit securi, ut ex sequentibus patet. Gaza vertit *securim ita tolerant*, sed non satis rem explicat. Idem paucis lineis infra ἐπελέκησαν vertit *trunco securi luxato*, quod mirum est: neque enim unquam fando audivi, *luxare* significasse *dolare*; at tandem paucis lineis infra melius sapit, & περιπεπελεκημένη vertit *circumdolata*.

Ibidem.

Ἐκπεσούσης δὲ ὡς ἀπέκοψαν τοὺς ἀκρέμονας καὶ ἐπελέκησαν, ἀνεφύη νύκτωρ πλάτανος κουφισθεῖσα τοῦ βάρους καὶ ἀνεβίω.

Cum enim platanus procidisset ramis amputatis, truncoque securi luxato, resurrexit noctu levata onere atque revixit.

Ne quis fidem deroget hoc loco Theophrasto, libet narrare aliquid tale, non ex alterius relatione notum aut auditum, sed quod meis oculis ipse vidi. Militabam apud Hollandos voluntarius (ut ajunt) miles anno salutis 1624 & 1625 sub excellentissimo Mauricio principe Auriaco, qui dum Ambrosius Spinola Bredam obsidione premebat, Rosendalium castris occupaverat in Brabantino ducatu, ut inde hostilem exercitum pabulatu arceret. Ibi dum diutius per hyemem moramur, accidit, ut juxta quoddam molendinum, tribus aut quatuor stadiis à nostris castris dissitum, quercus, quæ truncum habebat longum 25 pedes aut circiter, crassum vero unius pedis aut paulo minus diametro, ventorum violentia dejecta & humi prostrata jacuerit per duorum mensium spatium: postea vero ramis amputatis onere levata denuo sponte resurrexit, & tamquam nihil passa viguit. Id fere omnibus miraculum videbatur, & multus fiebat ad eam arborem concursus, nobilium præcipue virorum. Ego vero postquam curiosius ejus arboris situm & radicum ordinem & loci naturam contemplatus sum, nihil in eo esse miraculi audacter reclamantibus fere cunctis pronuntiavi, & tandem in meam sententiam & inclytum ducem Bullionæum & Comitem Candalæum (nam & illi forte tum aderant) traxi. Causa naturalis erat, quod ea arbor in extremo angulo fundi sita, ubi duæ fossæ satis profundæ angulum rectum constituebant, radices nullas habebat ex iis lateribus, sed tantum ex interiori latere, ubi ager erat. Incubuit ventus in eam arborem ex anguli parte, ubi nullæ erant radices; cecidit arbor in latus, ex qua parte radices habebat, quæ crassæ & robustæ fractæ non fuerunt, sed arcuatim tantum inflexæ, eæ, quandiu arbor multorum ramorum pondere onerata fuit, eam erigere & seipsas explicare non valuerunt: postquam vero ramis amputatis facta est levior, tunc vim suam exeruere, & dum se in pristinam rectitudinem & naturalem situm reponere nituntur, una secum & arboris truncum erexerunt. Plures stolide superstitiosi ejus arboris corticem aut surculos tamquam

tamquam reliquias sacras aut amuleta in loculis reponebant: mille credo hominum adhuc vivunt, qui id testari possunt.

Ad Lib. 5. cap. 3. Pag. 106.

Καὶ φασὶν ἀρίστην μὲν εἶναι τὴν Μακεδονικὴν, λεία τε γὰρ καὶ ἀστραβὴς καὶ ἔχουσα τύϊον. δευτέραν δὲ τὴν Ποντικὴν. τρίτην τὴν ἀπὸ τοῦ Ῥυνδάκου. τετάρτην δὲ τὴν Αἰανικήν.	*Ajuntque optimam Macedonicam esse: levis enim est, obediens, & tyium nimirum continens. Secundam Ponticam tradunt. Tertiam Rhyndacicam. Quartam AEanicam.*

Vocem τύϊον, quæ alibi, credo, non invenitur, nec interpres intellexit, nec ego intelligo. Vox fuit proculdubio fabrorum propria lignariorum, de qua libri tacent. Τὴν Αἰανικὴν putabam primo debere intelligi, quæ ex Æa urbe Colchorum afferebatur: nam & Colchis lignis abundabat. Sed vir quidam doctus (quem non nominabo, quoniam ei assentiri non possum) in margine mei codicis scripsit hæc verba post meam notam, *non, sed ex Æane urbe Macedoniæ, de qua Stephanus.* Et darem equidem manus, nisi supra Macedonicam materiem omnibus prætulisset. Non enim convenit ei, qui primatum detulit Macedonicis lignis, statim ea quarto loco ponere. Tum ea urbs à solo Stephano & post eum à Suida, qui ex Stephano habet, memoratur. Ideo credendum est fuisse ignobile quoddam oppidulum, à quo denominari materies non debuit, quando cætera loca, à quibus eam denominavit Theophrastus, sunt regiones vel montes noti & celebres. Si ergo non placet id nomen deduci ab Æa Colchorum, quæ forte tempore Theophrasti non amplius extabat, putarem legi debere Αἰνιανικήν. Nam Ænianes Oetam montem incolebant arboribus refertum, ubi pyram sibi construi curavit Hercules. Fuit & Αἰνεία Acarnaniæ ad Acheloum. Fuerunt & aliæ, quas memorat Stephanus.

Ibidem.

Λόγιον ἦν ἁλῶναι καὶ διαρπασθῆναι τὴν πόλιν, ὥσπερ ἐγένετο Δημήτριος.	*Vrbem capi ac dirui oraculum erat, sicuti actum est.*

Hanc ultimam vocem non agnoscit interpres, & quidem vel exulare debet, vel legendum ὑπὸ Δημητρίου.

Ibidem.

Ibidem & pag. 107.

Καὶ ἄλλα ἄττα τῆς Ἀττικῆς κερμησὶ, ὅ ἐστιν ἐν κοτίνῳ.	*Et alia quædam Attici ritus.*

Ex his salebris facile se expedivit interpres, qui omisit ea, quæ non intelligebat: & sane non sine judicio id fecit, non enim est facile divinare, quid intellexerit Theophrastus; tamen ut aliquid tentemus, forte legendum est: καὶ ἄλλα ἄττα τῆς Ἀττικῆς κρέμασμα, ἅ ἐστιν ἐν κοτίνῳ, nempe, *quadam alia, quæ appendi solent ex Attica, quæ adhuc sunt in ea arbore.* nam postea addit, τούτου δὲ ἔπι μικρὸν τὸ λοιπὸν, nempe quando Demetrius Megaram cepit & vastavit. Plures sine dubio Athenienses erant in ejus castris, illi enim tunc maxime favebant Athenienses, qui ad eum Oleastrum celebrem in ea urbe quædam posuerunt monimenta Demetrii victoriæ. Nisi ita intelligendus sit hic locus & emendandus, aliis trado lampadem.

Cap. 5. pag. 109.

Μετὰ τὰ κυπαρίττινα καὶ τὰ θυμώδη.	*Post cupressum ac thuiam.*

Mallem legi θυώδη, id est, *odora.* Nam si de Thuia arbore intellexisset, dixisset θύϊνα.

Pag. 110.

Βραχέντος τοῦ βερέθρου.	*Obstrusis faucibus.*

Lege φραγέντος, ut & interpres legisse videtur.

Cap. 6. pag. ead.

Ὅταν δὲ τις ῥίψη πρὸς στερεότερον τόπον καταγίνεσθαι.	*Cumque in solidiora quisquam projecerit, fragilem.*

Interpres legit, κατάγνυσθαι, optime.

Ibidem.

Πάντων δὲ τὰ πρὸς τὴν ῥίζαν θᾶττον δύεται καθ' ὕδατος, καὶ ἐπινεῖ μᾶλλον.	*Quæ radici propiora sunt, citius descendunt, vel si fluitent, plus deorsum versus sane inclinantur.*

Hæc sunt ἀσύστατα, & proculdubio mendosa. Interpres aliter legisse videtur, qui sic vertit. Ideo videtur sic legisse, κἂν ἐπινεῖ μᾶλλον κάτω ῥέπει, & certe necesse est aliquid tale deesse.

Cap. 10.

Cap. 10. pag. 116.

Βέλτιστοι δ' εἰ οἱ τῆς ἐν ἀκμῇ τῆς μάλιστα οἱ τῶν κολάβων.	*Optimi, quos ætate vigens materies fecit.*

Omisit interpretari hoc ultimum membrum Gaza, nec supplevit Heinsius, qui Gazæ versionem interpolavit; ideo, quod ex hoc loco, ut legitur, commodus sensus non elicitur, sed puto mendosum esse, & legi debere τῶν κολόβων, & interpretor *& maxime eorum, qui decurtantur.* Id est, eorum, quorum rami per statos annos amputantur ad morem cæduæ sylvæ. Putaveram & οἱ τῶν κολώνων, sed mihi magis arridet altera emendatio prius posita.

Ad Lib. 6. Cap. 2. pag. 120.

Διὸ οὐδὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ γίνεται θύμβρα τε καὶ ὀρίγανον καίτοι τοιαῦτα πολλὰ καὶ πολλαχοῦ.	*Qua de causa nec in Arcadia Satyreia & origanum provenire possunt. Quanquam similia multa, multisque in locis.*

Laborat ab interpunctione hic locus, qui Gazam fefellit, qui ita vertit: quod pugnat ex diametro contra auctoris sententiam. Loquitur de Thymo, & ait aliquid habere particulare circa loca, non enim provenire, ubi spiritus seu afflatus maris non pervenit, & subjungit: διὸ οὐδὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ γίνεται, eo quod Arcadia mediterranea procul est à mari: at thymbra & origanum ibi plurima sunt & in pluribus locis nascuntur. Sic igitur lege & distingue: [1] διὸ οὐδὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ γίνεται. θύμβρα δὲ καὶ ὀρίγανον, καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰ καὶ πολλαχοῦ. Sic olim distinxisse Plinium videmus apud eum lib. 21 c. 10, ubi sic ait: *Ergo translatum est ex Attica thymum, & vix flore uti docuimus satum, sed alia ratio naturæ obsistit, non durante Attico thymo, nisi in afflatu maris feratur.* Hæc desumpta esse ex Theophrasto, unde pleraque desumpsit Plinius, non negabit, quisquis ejus verba in eo capite cum Theophrasto contulerit.

[1] *Ideo in Arcadia non nascitur. Satyreia vero & Origanum & alia id genus abundanter & ubique.*

Cap. 7. pag. 130.

Ὁ δ' ἕτερος ἄχρους, λευκός, ᾧ χρῶνται περί τε τάφους.	*Alterum decolor, album, quo in sepulcris uti mos est.*

Hunc locum ex Theophrasto lib. 6 de plantis citat Athenæus lib. 15. cap. 7, sed correctiorem: ideo ex eo licet hunc locum emendare sic legendo: [2] καὶ τὸ κρίνον (nunc legitur κνέινθον) ἢ ἴφυον

[2] *Et lilium & — &*

καὶ ἀμάρακος ὁ Φρύγιος, ἔτι δὲ ὁ πόθος καλούμενος. οὗτος δὲ ἐστὶ διττός, ὁ μὲν ἔχων τὸ ἄνθος ὅμοιον ὑακίνθῳ, ὁ δὲ ἕτερος ἄχρως, ἔκλευκος, ᾧ χρῶνται πρὸς τοὺς τάφους.

amaracus Phrygius, & etiam qui Pothus vocatur: ille autem duplex est, unus quidem hyacyntho flore similis, alter vero sine colore, subalbidus, quo utuntur in funeribus.

Ibidem.

Οὐ μόνον ἐπομβρίαις καὶ αὐχοῖς.

Non imbrium siccitatumque tantum ratione.

Lege καὶ αὐχμοῖς cum interprete.

Ad Lib. 8. Cap. 3. pag. 155.

Γίνεσθαι δὲ οὔτε ὄψιμα ταῦτα οὔτε πολλὰ παρ᾽ αὐτοῖς.

Sed hæc nec coctu facilia nec multa apud eos fieri traditur.

Hic locus & vitium sonat, & male expressus est Latine à Gaza, cum sic vertit. Peccat in pluribus interpres. ὄψιμα *coctu facilia* interpretatur: putavit credo ab ὀπτάω formari ὄψιμα, non vero ab ὀψὲ: at *serotina* debebat interpretari. Deinde dum sequitur errorem vulgatæ lectionis, *nec multa fieri* vertit: at id est omnino contra Theophrasti sensum, qui Melum insulam ab eximia fertilitate laudat. Legendum est proculdubio οὔτε φαῦλα, & sic interpretor, *sed hæc nec serotina nec evanida fieri apud eos.* Quicunque attente & præcedentia & quæ sequuntur considerabit, accedet ad nostram sententiam.

Ad Lib. 9. Cap. 11. pag. 181.

Ὡραῖος δὲ μετοπώρου, τοῦ δὲ ἦρος ἄωρος, ἀλλὰ πρὸς τὴν Πυλαίαν οἱ ἐκ τῆς Οἴτης συλλέγουσι, πλεῖστος δὲ ἐνταῦθα φύεται καὶ ἄριστος, μοναχοῦ δὲ φύεται τῆς Οἴτης περὶ τὴν Πυρὰν.

Tempestivus autumno, vere autem intempestivus. Verum Oeta montis incolæ prope Pylæam eo tempore legunt. Plurimus enim optimusque eo loco provenit. Non tamen ubique, sed parte una tantummodo Oetæ, quam Pyram vocant.

Interpres vertit πρὸς τὴν πυλαίαν *prope Pylæam*, quasi helleborus prope locum, ubi Pylæa conventus in ipsis Thermopylarum faucibus adunabatur, proveniret. At alia est mens auctoris. Nam cum dicat helleborum nasci præcipue in loco Oetæ montis, cui Pyra nomen est, si intelligendum esset de eo loco, Πυραίαν legendum foret, non Πυλαίαν.

Πυλαίαν. Tum locus *Pyra* dictus in Oeta monte fuit cacumen aut locus ſine oppido, ſine habitatoribus, ſic dictus eo quod Hercules ibi dicebatur ſe uſſiſſe, & qui non poterat dare nomen regioni. Tum de regione non dicitur πρὸς τὴν Ἀττικήν, ſed ἐν τῇ Ἀττικῇ. Itaque non de loco intelligit Theophraſtus, ſed de tempore, quo Pylaicus ille conventus celebrabatur. Duplex autem in toto anni tempore fuit Πύλαια, una, qua vere; altera qua autumno conveniebant Pylagoræ, teſte Strabone lib. 9: [1] τὴν δὲ σύνοδον Πυλαίαν ἐκάλουν τὴν μὲν ἐαρινήν, τὴν δὲ μετοπωρινήν. Ait igitur Theophraſtus helleborum non eſſe maturum vere, ſed tantum autumno circa tempus Pylaici conventus.

[1] *Conventum vero Pylæam vocabant unam quidem vernam, alteram vero autumnalem.*

Cap. 15. pag. 188.

Καὶ τὸ πιθύμαλλον, ἐξ οὗ τὸ ἱππομανές.	*Ad hæc lactaria, ex qua hippophaes.*

Salmaſius ad Solinum pag. 941 hunc locum ſollicitat, & vult legi ἐξ οὗ ὁ ὀπὸς μόνος, & ne illi objiciatur locus Theocriti idyllii 2. Ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι, id etiam mutat: quam bene ejus fautores viderint, ἐγὼ δέ τις οὐ ταχυπείθης.

Cap. 16. pag. 189.

Αὕτη δ' ἐστὶ κώμη τις τῶν Περιανδυνῶν.	*Is autem vicus eſt Periandynorum.*

Lege Μαριανδυνῶν, & malo credere eſſe mendum typographicum, quam Gazam & Heinſium accuſare tantæ ἀγεωγραφησίας vel ſupinitatis.

Cap. 20. pag. 194.

Ἐν Ἡρακλείᾳ δ', ὥς φασιν, τῆς Ἀρκαδίας.	*Apud Heracliam Arcadiæ, ut ferunt.*

Nulla fuit Heraclea in Arcadia. Stephanus ejus nominis urbes recenſet 23, earum nullam in Arcadia ponit. Ergo legendum vel Ἡρακλείᾳ τῆς Ἀκαρνανίας, vel Ἡραίᾳ τῆς Ἀρκαδίας. Et præferenda eſt hæc ultima emendatio Ἡραίᾳ τῆς Ἀρκαδίας ex auctoritate Plinii, qui ex Theophraſto proculdubio habet, quæ dicit lib. 14 cap. 18: *ſunt & in vino prodigia: dicitur in Arcadia fieri, quod fœcunditatem fœminis importet, viris rabiem.* In quo notandum eſt Plinium hoc loco legiſſe δυστεκνούσας, non, ut legitur, ἀτεκνούσας ποιεῖ. Mihi tamen magis arridet vulgata lectio ἀτεκνούσας: nam non tam facile notari poterat in eo fonte vis τοῦ δυστεκνούσας facere, quam ἀτεκνούσας.

Ad Lib. 1. de Causis plantarum. Cap. 13. pag. 213.

Τὰ δὲ τοῦ ἀέρος ἐπὶ τὸ πολύ.

Hæc verba non agnoſcit interpres, & quidem jure: nam & corrupta ſunt in voce ἀέρος, ubi legendum foret ἔαρος, & attento lectori videntur inſerta, & continuitatem ſententiæ Theophraſti diſſolventia. Eſt proculdubio gloſſema, quod in textum irrepſit: ſi mei arbitrii res foret, exulare juberem.

Cap. 21. pag. 224.

Ὃ ἐκλόςῳ ἔτει μυθολογοῦσι φέρειν καρπόν.	*Quæ anno centeſimo fructificare narratur.*

Legendum cum Gaza ἑκατοςῷ ex ſermonis conſequentia.

Cap. 26. pag. 229.

Τὰ μὲν θερμὰ ἐν τοῖς θερμοῖς, τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν τοῖς ψυχροῖς.	*Calida frigidis, frigida calidis.*

Quis ſciolus id ita mutavit? Nam Gaza aliter & optime legit, τὰ μὲν θερμὰ ἐν τοῖς ψυχροῖς, τὰ δὲ ψυχρὰ ἐν ταῖς θερμοῖς.

Ad Lib. 2. Cap. 2. pag. 233.

Διά τε τὴν ἀτροφίαν.	*Tum bonitate alimentorum.*

Lege εὐτροφίαν, ut & interpres legit, & ut patet eſſe legendum ex ſermonis conſequentia.

Cap. 4. pag. 235.

Τῶν χύχρων.	*Frigida.*

Lege ψυχρῶν.

Cap. 5. pag. 237.

Ἡ δὲ πίειρα πάμπαν οὐδενὶ ξυμφέρει φυτῶν, ξηραίνει γὰρ μᾶλλον τοῦ δέοντος.	*Solum tamen, quod pingue admodum eſt, nulli plantæ conducit.*

Niſi repeteret hanc ſententiam capite ſequenti, dubitarem de fide hujus loci: mihi enim videtur habere aliquid παράδοξον, ſed ſileo.

Cap. 9. pag. 243.

Ἡ γὰρ ἄποια κατὰ τὴν αἴθησιν ἀπόλλυσιν.	*Silens enim ſpiritus ſenſu conſpicuus eſt.*

Interpres, qui ita vertit, legiſſe videtur αἴσθησιν, non αὔθησιν, & pro

pro ἀπόλλυσιν aliud quid, quod nequeo divinare. Sed ſenſus Theophraſti planus eſt. Ait circa Tarentum oleis florentibus tranquillitatem & ventorum ceſſationem nocere, quoniam aduruntur flores nimio calore ſcilicet. Sed totus hic locus obſcurus eſt, & emendatione indigere videtur. Itaque denuo locum integrum hîc apponemus: ἡ γὰρ ἄπνοια κατὰ τὴν ἄνθησιν, ἀπόλλυσι. ἀποκαίεται γὰρ τὰ πολλά, καὶ ὅταν πνέῃ τοιοῦτον τὶ πνεῦμα πόντιον, ἡ τῇ ἄλμῃ τῇ ἐπιφερομένῃ κατεσθίει καὶ λυμαίνεται τὰ ἄνθη, δοκεῖ δὲ καὶ ὁμίχλη τις ἄνευ πνοῆς ἐκβαίνειν, ἣ ὅταν ἅψηται τῶν ἀνθῶν, ἀποκαίει, id eſt, *nam tranquillitas ſine vento florum tempore eas peſſundat: uruntur enim ut plurimum, & quando ſpirat talis aliquis ventus marinus, ſalſugine invecta corrodit & vitiat flores, videtur & nebula quadam ſine ſpiritu exire, quæ, quando flores attingit, adurit.* Hæc mihi videntur parvo negotio clara & ſententiæ auctoris convenientia fieri, ſi ita legantur: ἀποκαίεται γὰρ τὰ πολλά, καὶ ὅταν πνέῃ τοιοῦτον τὶ πνεῦμα ἐναντίον τῇ ἄλμῃ τῇ ἐπιφερομένῃ, οὐ κατεσθίει καὶ λυμαίνεται τὰ ἄνθη. *Comburuntur* (inquit) *flores oleæ: at ſi flat talis aliquis ventus contrarius ſalſugini, quæ à mari infertur, non corrodit atque corrumpit flores.* De ſententia non dubito, quin vera ſit, de verbis non contendo, quin forte alia fuerint.

Cap. 10. pag. ead.

Κατὰ συμβεβηκός. | *Per eventum.*

Sic vertit Gaza, ſed aliter loquuntur, quotquot ſunt Philoſophorum filii, qui ſemper Latine eam vocem ſic exprimunt *per accidens.*

Cap. 19. pag. 255.

Διὸ καὶ ἐπὶ τῶν συκίων ἐλέχθη πρότερον, ὅτι βρεχομένων ἐν γάλακτι τῶν σπερμάτων ἢ ἐν μελικράτῳ, γλυκύτεροι γίνονται.	*Quamobrem de cucumeribus dictum eſt, quod ſeminibus in lacte mulſove maceratis, dulciores redduntur.*

Lege ἐπὶ τῶν σικύων, ut manifeſtum eſt. De hoc loco plura diximus ſupra ad Athenæum lib. 2 pag. 68.

Cap. 23. pag. 258.

Καθάπερ ἡ ἰξία ἢ ἡ στελὶς καὶ τὸ ὕφεαρ.	*Vt viſcum, ſtelis, atque hyphear.*

Ex ſequentibus patet legendum eſſe, [1] καθάπερ ἡ ἰξία, ἢ καὶ στελίς, καὶ τὸ ὕφεαρ. Subjungit enim [2] ὧν τὴν μὲν καλοῦσιν Εὐβοεῖς, τὸ δ' ὕφεαρ Ἀρκάδες, ἡ δ' ἰξία κοινῇ φασιν, ubi tertius caſus κοινῇ nos monet ſub-

[1] *Quomodo ixia, quæ & ſtelis & hyphear.*

[2] *Quarum vocum hanc Euboenſes habent, hyphear Arcades, ixia communis dialectus.*

intelligendum esse διαλέκτῳ, & est Theophrasti sententia, ἰξίαν esse communem vocem, id est, communis dialecti: Eubœenses vero eam plantam vocare στελὶν, Arcades vero ὕφεαρ eam nominare.

Ibidem. pag. 260.

Εἰ γὰρ ἦν ἐκ διαφορᾶς τινός.	*Etenim si qua corruptione alicujus.*

Interpres legit διαφθορᾶς, multo melius.

Cap. 15. pag. 279.

Συνηυξημένων ἤδη καὶ συνεκτεθραμμένων, ὥσπερ γὰρ μιὰ φύσις ἐγεγένητο διὰ τὸν χρόνον * ὑμμένεων ὄντων εὐθὺς παρεῖλεν οὐχ᾽ ὅτι ἀνεφύανεν.	*Quæ simul creverint atque coaluerint, longinquum enim tempus quasi naturam unam ex ambabus confuderat. Nam si cum novella adhuc essent, alterutram quis evulsisset, reliqua non modo non pessum ivisset.*

Hunc locum ἕλκεσι βρύοντα & pluribus mendis deformatum sic restituere tentabo: συνηνωμένων ἤδη καὶ συνεκτεθραμμένων, ὥσπερ γὰρ μιὰ φύσις ἐγεγένητο διὰ τὸν χρόνον, καὶ εἰ μὲν νέων ὄντων εὐθὺς παρεῖλον, οὐ πότε ἂν ἀφηῦανεν, id est, *unitis jam & coalitis; una enim quasi natura facta fuerat propter temporis spatium, & si quidem cum novellæ erant, statim avulsissent, numquam forte aruissent.* Sententiam viderat interpres, & sensum expressit; & εἰ μὲν νέων ὄντων proculdubio legit, cætera verbis generalibus expressit.

Cap. 16. pag. eadem.

Ἔχει γὰρ ἡ μὲν μανὴ πολλὴν ἔχει μήτραν.	*Habet enim quæ soluta est, plus medullæ.*

In alterutro loco, ubi legitur ἔχει, legendum est ἐκεῖ, id est, ἐν τοῖς νεοῖς τῶν κλημάτων, de quibus loquitur.

Ad Lib. 4. Cap. 6. pag. 305.

Ἡ δὲ λεύκη τὸ μὲν ὅλον οὐ πόῤῥω τῆς αἰγείρου, καὶ τῇ ὅλῃ μορφῇ καὶ τοῖς φύλλοις, ἔτι ἀπογηράσκουσα δὲ ἐξομοιοῦται.	*Populus alba, quæ in totum nigræ dissimilis fronde formaque tota est; simillima efficitur in senecta.*

Aliter

Aliter videtur legiſſe Gaza, cum ſic interpretatur, & quidem melius. Sic igitur, ut puto, legebat: ἡ δὲ λάκη τὸ μὲν ὅλον πόῤῥω τῆς αἰγείρυ, καὶ τῇ ὅλῃ μορφῇ καὶ τοῖς φύλλοις ἐςὶ, ἀπογηράσκουσα δὲ ἐξομοιοῦται.

Ibidem.

Ἅμα τοῖς γινομένοις ὀργᾶν λέγει.	*Vna cum eis ipſis naſcentibus exoriri putaverit.*

Lego ὀργᾶν, id eſt, *germen habere*, *turgere*. Quomodo autem Gaza legerit, qui *exoriri* vertit, nequeo divinare.

Ad Lib. 5. Cap. 20. pag. 345.

Καθάπερ οἱ περὶ Λάρισσαν τὴν ἐν Θετταλίᾳ. τότε μὲν γὰρ ἐνεστηκότος ὕδατος πολλοῦ, καὶ λελιμνωμένου τοῦ πεδίου, παχύς ὁ ἀὴρ ἦν καὶ ἡ χώρα θερμοτέρα. τούτου δὲ ἐξαχθέντος.	*Vt apud Lariſſam Theſſaliæ. Prius enim quod aqua ſtagnante pigraque campus eſſet repletus, aër craſſus & calidior erat: poſtea vero cum aqua educta eſſet.*

Intelligit de palude Neſonide, quæ modo hominum arte exſiccata fuit, & poſtea à fluvio Peneo denuo repleta, ut narrat Strabo lib. 9, de quo ſupra ad Strabonem pag. 440.

Ibidem.

Σημεῖον τὸ περιγινόμενον.	*Argumentum, quod circa evenerat.*

Nullus ſenſus commodus elicitur ex his verbis, quæ non intellexit interpres: mendoſa enim ſunt. Sed lege meo periculo, ¹ τὸ ¹ περὶ ᵀ Αἶνον γινόμενον. Quod deprehenditur ex Hebri fluvii vicinia, de quo loquitur: eſt enim Ænus urbs Thraciæ non longe ab Hebri oſtio. *Quod circa Ænum fit.*

Cap. 21. pag. 346.

Ὅπου δὲ ἀπόῤῥυσις γίνεται, κἂν ἔχῃ βάθος, διαφθείρουσι μᾶλλον.	*Vbi tamen aqua poſſit effluere, licet alte ingurgitata melius tolerant arbores.*

Aliter & melius videtur interpres legere διαφέρουσι: vertit enim *tolerant*. In eo namque ſignificatu ſumitur quandoque διαφέρω, licet raro. Sic igitur intellige cum Gaza.

Cap. 7.

Cap. 7. pag. 360.

Καὶ ὥσπερ διηθομένου πλείονος ἀεὶ τοῦ ὑγροῦ.	*Ac velut articulato perfectius humore.*

Legit Gaza διηρθρομένου, & *articulato* vertit, nullo ſenſu. At tu lege διηθομένου, & ſic verte: *& quaſi colata ſemper humiditate pleniore*, vel, *humore nimio*, quod omnino quadrat cum auctoris ſententia.

Cap. 10. pag 363.

Ἢ ἐπὶ τῇ τοῦ ἄστρου ἐπιπολῆς παρακινήσῃ.	*Aut ſyderis ortu fuerit leviter per ſummaque immutatum.*

Cuique patet legi debere ἐπιτολῆς. At Gaza utrumque recipit, &, tamquam ſi legiſſet ἐπιτολῆς ἐπιπολῆς παρακινήσῃ, interpretatur, quæ nec Græca exprimunt, nec optimam exhibent ſententiam. Verte: *vel in ſyderis ortu id* (vinum ſcilicet) *male moveris*. Ex hoc loco diſcimus non eſſe movendum vinum eo tempore, quo ſidus, id eſt, Sirius oritur.

Cap. 12. pag. 365.

Τὸ μὲν τῶν Αἰγυπτίων καλουμένων ἐλαιῶν γένος, τῶν πολυσάρκων τε καὶ μεγάλων, ἀνέλαιόν ἐστι, θάτερον δὲ ἐλαιῶδες.	*Genus olearum, quod Ægyptium appellamus, ubertate ac magnitudine fructus excellit: reliquum abunde oleum fert.*

Omiſit Gaza hæc verba ἀνέλαιόν ἐστι, quæ tamen mihi neceſſaria videntur ad ſententiæ complementum: ἀνέλαιον eſt, *quod nihil olei reddit*.

Cap. 14. pag. 367.

Καὶ ἐν τοῖς συκίοις.	*Et cucumerum.*

Legit Gaza σικύοις, multo melius.

Cap. 22. pag. 377.

Καὶ γεωδεστέροις οὖσι μέμικταί τις ὑδατώδης δύναμις.	*Et in terrenioribus poſita ſunt. Quibuſque vis quædam aquoſa permiſta eſt.*

Lege, καὶ γεωδεστέροις οὖσι μέμικται, *quibus, cum terrena ſint, miſcetur* &c. Gaza videtur legiſſe ἐν γεωδεστέροις, qui vertit *& in terrenioribus poſita*, mira certe latinitate.

Cap. 23.

Cap. 23. pag. 378.

Πλὴν τὰ μὲν χλωρὰ μᾶλλον καὶ πόῤῥωθεν ὄζει. ταῦτ' οὐδὲ τὸ αἴτιον.

Virides tamen eminus redolent, sicca non nisi propius admotæ. Ratio.

Hunc locum perverso ordine & à mala interpunctione laborantem nec correxit Gaza, nec intellexit, qui sic vertit. In quo interpretamento non liquet, an de rosis an de violis intellexerit. At ego ita legendum & distinguendum puto: πλὴν τὰ μὲν, χλωρὰ μᾶλλον, καὶ πόῤῥωθεν ὄζει, ταῦτα δ' οὔ. τὸ αἴτιον ὅτι &c. Id est, *tamen ea quidem, viridia magis redolent, & è longinquo, hæc vero minime; causa est, quod &c.* Non opponit viridia siccis, ut putavit Gaza, sed violas rosis, & ait violas virides magis redolere, & è longinquo; rosas vero è longinquo non redolere, quod verum esse experientia docet: nam rosæ eminus non redolent, nec spargunt odorem, ut violæ, quæ suaviorem odorem spirant è longinquo, quam naribus admotæ.

Cap. 24. pag. 380.

Τοὺς διηθικοὺς τῶν οἴνων, λεπτότεροι γάρ.

Genus vini, quod morale vocatum est. Est etenim tenuius.

Gaza videtur legisse, τοὺς δ' ἠθικοὺς, nam interpretatur *morales*: sunt enim, puto, quædam vina, quæ ad bonos mores faciunt. Dii boni! id ne excidisse homini Græco? cui facillimum erat emendare, ut hic scriptum est, & vertere, ut decet, *vina colata*, vel, *quæ colari solent*. Non habet opus hæc interpretatio tibicine, satis per se stat, & primo aspectu sagaci lectori probabitur.

Cap. 26. pag. 383.

Τῶν δένδρων καὶ ὅλως τῶν ὑλημάτων εὔοσμα πολλὰ, ζώων δὲ οὐδὲν, εἰ μὴ τὴν πάρδαλιν.

In arboribus & ad summam in genere plantarum odorata permulta, animal nullum, nisi pardalum.

Nimis audacter hoc pronuntiavit Theophrastus, nam hodierna experientia contrarium docet: animal enim est quoddam ex Simiarum genere, quod ex longinquis Orientalibus regionibus affertur, odoratissimum & suaviter moschum redolens. Tale ego sæpius non solum vidi, sed & tractavi, cujus tanta erat suaveolentia, ut meæ vestes, in quibus recubuerat, cum suavem odorem per plures horas

exhalarent. Id animal erat nobilissimæ matronæ *Mariæ de Clermont*, uxoris Marchionis *de Courtomer*, qui dum peditum legioni præfectus in Hollandia militabat, id animal dilectissimæ conjugi dono miserat.

Cap. 29. pag. 388.

χειμῶνος μὲν γὰρ ὑγρὰ, ξηρανθέντα.	*Quippe hyeme nimis humida, æstate sicca immodice sunt.*

Deest manifeste aliquid. Lege θέρους δὲ ξηρανθέντα, ut necessario sententia requirit, & sic legit interpres, qui ita vertit optime.

Ad Lib. de Lapidibus. Pag. 395.

Καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι.	*Et in insula, quæ Carthagini adjacet.*

Salmasius ad Solinum pag. 717 hunc locum sollicitavit, & quidem jure: nam nihil certius est quam debere legi Χαλκηδόνι, ut censet. Et jam ante Salmasium Petrus Gillius apud Aristotelem eam vocem emendaverat, ubi mentio fit ejus insulæ, quæ *Demonesus* vel alio nomine *Chalcitis* appellatur. Ideo Salmasius dicto loco censet legendum καὶ ἐν τῇ Δημονήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Χαλκηδόνι. In ea voce millies erratum est apud excusos auctores, & unum pro altero scriptum est. Videndus omnino Petrus Gillius, qui lib. 3 de Bosporo Thracico cap. 14, de ea insula, cujus fuit inspector, pluribus tractat.

Ibidem.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ ἤλεκτρον λίθος, &c.	*Cum autem & succinum lapis sit.*

In his & iis quæ sequuntur, desunt quædam proculdubio, & aliquid muginaverat de Magnete, ut & interpres innuit. Si nihil deest, putarem debere legi pro τὸ ἤλεκτρον, τὸ ἡρακλεῖον, ut sic vocasset Theophrastus τὴν ἡρακλείαν λίθον, in neutro tamen genere me alibi legisse non memini.

Pag. 398.

Ἐν δὲ τῷ μικρῷ.	*In Lemno autem.*

Interpres legit ἐν δὲ τῇ Λήμνῳ, melius.

Pag. 399.

Τὰς δὲ ἑτέρας μιαθοῦσι.	*Nam alias commiscet.*

Lege cum interprete μιγνύουσι.

Pag. 400.

Pag. 400.

Οὐ παλαιὸν δὲ ἐστὶ, ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστα ἐννενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι.

Nec vetus adeo eventus hoc est: fuit enim LXXXX *annis ante magistratum Athenis Praxibuli.*

Ex hoc loco deprehenditur Theophrastum hæc scripsisse Praxibulo Archonte anno 2 Olymp. 116, quam vicit Demosthenes vel Dinomenes Laco: nam Græca ita debent intelligi, *nonaginta circiter annis ante Praxibulum Archontem Athenis*, & sic etiam vertit interpres.

Ibidem.

Σχεδὸν τρεῖς εἰσὶν ἢ τέτταρες, ἥ τε Μηλία, καὶ ἡ Κιμωλία, καὶ ἡ Σαμία, καὶ ἡ Τυμφαϊκὴ, καὶ τετάρτη περὶ ταύτας ἡ γύψος.

Tres fere aut quatuor numerantur: Melina scil. Cimolia, Samia & Tymphaica: vel gypsum præter has quarto loco.

Ut quadret secum Theophrastus, & cum enumeratione numerus enumeratorum, legendum est, καὶ ἡ Τυμφαϊκὴ τετάρτη περὶ ταύτας ἡ γύψος, *& quarta præter ipsas Tymphaica, quæ est gypsus.* Nam idem & unum esse γύψος & Τυμφαϊκὴ γῆ, nos docet Plinius lib. 35 cap. 17, his verbis: *Græcia pro Cimolia Tymphaico utitur gypso.*

Pag. 401.

Χρῶνται γὰρ πρός τε τὰ οἰκοδομήματα τοῦτον τὸν λίθον περιέχοντες.

Vtuntur enim in ædificiis hoc lapide aqua conspersо.

Lego, τούτῳ τὸν λίθον περιέχοντες, hoc sensu; gypso pro cæmento utuntur, quo lapides involvunt & glutinant: nam & quod sequitur, ita probat legendum esse, κἂν ἐν ἄλλο βούλωνται τοῦτο κολλῆσαι. At interpres videtur aliter omnino legisse, cum sic vertit. Ergo videtur legisse, ὕδατι τὸν λίθον περιβρέχοντες, vel potius βρέχοντες, nam περιβρέχω alibi non invenitur.

Ibidem.

Περὶ δὲ Ἰταλίαν καὶ εἰς τὸν οἰκεῖον, καὶ οἱ γραφεῖς ἔνια τῶν κατὰ τὴν τέχνην.

Et in condiendo vino & pictores in quibusdam, quæ ad artem faciunt.

Gaza pro οἰκεῖον legit οἶνον, sed ea lectio non arridet: nam Pli-

nius,

nius, qui tanta & tam varia de vino Italico scripsit, de eo tacet, & solis Afris eum usum attribuit lib. 14 cap. 19: *Africa (ait) gypso mitigat asperitatem, nec non aliquibus sui partibus calce.* Cur, si Italia eum usum habuisset, aut id de Italia dixisset Theophrastus, id tacuisset, qui Theophrastum identidem exscribit? Tum & idem Plinius, ubi de variis gypsi usibus tractat lib. 36 cap. 24, & plura ex hoc Theophrasti libro transtulit, de vino nullam facit mentionem. Sic igitur Plinius dicto loco: *Gypso madido statim utendum est, quoniam celerrime coït ac siccatur: tamen rursus tundi & in farinam resolvi patitur. Usus gypsi in albariis sigillis ædificiorum, & coronis gratissimus.* In quibus agnosce ea, quæ ex Theophrasti eodem hoc loco, quem tractamus, habet. Sic enim Theophrastus paulo ante: βρέχουσι δὲ διαχρῖμα πρὸς τὴν χρείαν, ἐὰν μικρὸν πρότερον, ταχὺ πήγνυται. Inde Plinius: *gypso madido statim utendum, quoniam celerrime coït ac siccatur.* Theophrastus ibidem: δύναται δὲ καὶ ὑφαιρουμένη πάλιν καὶ πάλιν ὀπτᾶσθαι καὶ γίνεσθαι χρησίμη. Inde Plinius, *tamen rursus tundi & in farinam resolvi patitur.* Et ex hac Plinii versione credo apud Theophrastum legi debere κόπτεσθαι, non ὀπτᾶσθαι: nam, ut audio, non rursus coquitur gypsus, sed tunditur. Deinde ait Plinius: *usus gypsi in albariis sigillis ædificiorum, & coronis gratissimus.* de sigillis sic Theophrastus ibidem: διαφέρειν δοκεῖ πρὸς τὰ ἀπομάγματα. Unde suspicor & de albariis aliquid dixisse Theophrastum, & sic, ubi scribitur hîc εἰς τὸ οἰκεῖον, non male quis reponeret εἰς τὸ λευκαίνειν; nam de vino non possum mihi persuadere eum loquutum fuisse ob causas supra dictas. Ergo totum locum sic lego: [1] περὶ δὲ τὴν Ἰταλίαν καὶ εἰς τὸ λευκαίνειν, καὶ οἱ γραφεῖς εἰς ἔνια τῶν πρὸς τὴν τέχνην. Præpositio εἰς ob finem præcedentis dictionis, quæ etiam in εις desinit, evanuerat, quæ omnino reponenda est.

[1] *Circa Italiam vero & ad dealbandum, & pictores ad quædam suæ artis.*

Ad Lib. de Ventis. Pag. 402.

Ἡ τῶν ἀνέμων φύσις ἐκ τίνων μὲν καὶ πῶς καὶ διὰ τίνας αἰτίας γίνονται, τεθεώρηται πρότερον.	*Ventorum natura quæ sit materies, quæ ortus ratio, quæ causæ, prius nobis traditum est.*

Ex his verbis manifestum est hunc librum præpostero ordine locatum esse ante eum, qui sequitur de Causis ventorum, qui præcedere debet.

Ibidem.

Ibidem.

Τὸ δὲ ἐφ' ἑκάτερον ῥέον.	*Quæ vero aut huc aut illuc vergunt.*

Lego ῥέπων, nam de locis cum loquatur, non potuit dicere ea ῥεῖν *fluere*, nisi improprie, imo absurde.

Pag. 415.

Οἱ μὲν οὖν Ὀλυμπίαν, οἱ δὲ Σκίρωνα, οἱ περὶ Σικελίαν Δερκίαν.	*Alii Olympium, alii Scironem nominant, Derciam Siculi.*

Sic legit Gaza. At Dercias ille ventus nulli unquam alii memoratus est. Sed cum Theophrastus fuerit Aristotelis discipulus, non aliunde melius expiscari possumus veram hujus loci lectionem, quam ex Aristotele. Is in libro περὶ σημείων sic ait: [1] κατὰ δὲ τὴν Μεγαρικὴν Σκίρρων ἀπὸ τῶν Σκιρρωνίδων πετρῶν, ἐν δὲ Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Κιρκίας διὰ τὸ πνεῖν ἀπὸ τοῦ Κιρκαίου. Ex hoc loco Aristotelis omnino persuadeor legendum esse hoc loco apud Theophrastum Κιρκίαν. Sed Salmasio mirum videtur Aristotelem putasse Κιρκίαν dici ἀπὸ τοῦ Κιρκαίου, eo quod commode ab ea voce formari non possit, & certe non sine causa miratur. Ideo si quis locus sit conjecturæ, putarem dictum fuisse Κιρκίαν vel ἀπὸ τῶν κίρκων *à circulis*, eo quod ob turbinum frequentiam sæpe videtur circulariter flare: Vel forte ἀπὸ τῶν κίρκων, à specie avium rapacium, eo quod vel rapaciter & violenter flat, ut illæ aves; vel potius, quod eo flante eæ aves in Siciliam feruntur, & tunc advolant. Vide Salmasium ad Solinum pag. 1259.

[1] *In Megarica autem Sciron à Scironidis petris, in Italia vero & Sicilia Circias, eo quod flat à Circao.*

Ad Lib. de signis pluviarum. Pag. 418.

Καὶ φρύνη λουομένη, καὶ βάτραχοι μᾶλλον ᾄδοντες, σημαίνουσιν ὕδωρ, καὶ ἡ σαύρα φαινομένη, ἣν καλοῦσι Σαλαμάνδραν.	*Et rubeta, si aqua mergatur: & ranæ præter solitum vocales pluviam significant: & lacerta, quæ Salamandra dicitur, si appareat.*

De Salamandra agitata est quæstio in Academico consessu virorum eruditorum Cadomi, utrum sit id animal, quod Cadomi & in tota Normania vocatur *un Mouron*, in Cœnomania *un sourd*, in Pictavis & Lemovicis *un Mirtil*, in Delphinatu & Sabaudia *une pluvine*, à Vasconibus verò & Pyrenæorum accolis *une Salimandre*, ab Anglis *Salmender*. Pleraque ea varia nomina recensentur à Petro Belone

Cœnomano in suis observationibus lib. I cap. 2. Rationes, quæ ab utraque parte allatæ sunt, non erit credo lectori injucundum hoc loco referre, ex quibus judicabit, utri melius divinarint, & quibus assentiendum sit. Qui pertendebant idem esse animal, hunc Theophrasti locum adducebant, unde probatur, primo, Salamandram esse ex lacertorum genere, quando eam *σαύραν*, id est, *lacertam*, vocat Theophrastus: at nostrum muronem seu surdum seu pluvinam lacerti speciem esse à nullo negari, & corporis figura id omnino evincit, & corporis mole lacertam plerunque non excedit, quam stellionem vocant; & ita censet Suidas: [1] Σαλάμανδρα ζῶον ὡς σαῦρα τὸ μέγεθος ψυχρότατον τὴν φύσιν, &c. Secundo, inter lacertos soli nostro muroni vel surdo convenit imbribus ingruentibus foras exire, & apparere, cum cæteræ lacertorum species prodeant ad solem, & in serenitate videantur muscas venantes in locis apricis & soli expositis, & id etiam de Salamandra notavit Plinius lib. 10 cap. 67 *Sicut Salamandra animal lacerti figura stellatum magnis imbribus proveniens & serenitate deficiens.* Et hoc habet ex Theophrasto. Afferebant etiam alium Theophrasti locum lib. de igne, ubi de Salamandra, quæ ignem extinguere dicitur: ψυχρὸν γὰρ τῇ φύσει τὸ ζῶον, καὶ ἡ ἀποῤῥέουσα ὑγρότης γλισχρά, καὶ ἅμα χυλόν τιν' ἔχουσα τὸν αὐτὸν, ὥστε διικνεῖσθαι ποῤῥωτέρω. σημεῖον δὲ ἡ τὰ ὕδατα ὀλέθρια γίνεσθαι, καὶ τοὺς καρποὺς ἐὰν καταμιχθῇ, καὶ μᾶλλον τεθνεῶτος. ἔτι δὲ καὶ τὸ νωθὲς τῆς πορείας συνεργεῖ, πλεῖον γὰρ χρόνον ἐπιμένον μᾶλλον σβέννυσιν, ἡ δὲ σβέσις οὐκ ἐξ ὁποσονοῦν ἐστὶ τὸ πῦρ, ἀλλ' ἐὰν σύμμετρον πρὸς τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν. Id est, ut Turnebus vertit, *nam bestia frigida est sua natura, humore, qui effluit, lento, eumque habente succum, qui penitus pervadat. Argumento est letales reddi aquas & fructus, si misceatur magisque ea mortua. Sed & incessus quoque languor confert, diutius morante, magisque restinguente, nec ignem quantumcunque restinguit, sed pro natura viriumque modo.* Hunc locum utrique ad suum sensum trahebant, & qui idem esse asserebant, notabant præcipue in hoc loco τὸ νωθὲς τῆς πορείας tamquam proprium accidens nostri muronis: tarditate incessus enim superat vel ipsam testudinem, cum cæteræ lacertorum species satis vivide moveantur. Item caudæ brevitate notatur Salamandra ab auctoribus, sed & noster surdus respectu aliarum lacertarum caudam habet brevem & crassam. Sed & idem animal esse putaverunt (ajebant) ii, qui Francisci primi Gallorum regis emblema publicaverunt; Salamandram enim finxerunt capite in humerum reflexo: at sic semper inveniun-

[1] *Salamandra animal ut lacerta magnum, frigidissimum natura.*

tur in suis latebris Murones seu Surdi nostri capite in humerum versus caudam reflexo. Tum qui Salamandræ figuram descripsit, eam omnino Muroni similem depingit. Opponebat is, qui contrariam tuebatur sententiam (solus enim erat) locum Plinii, ubi id animal stellatum vocat, quod non convenit Muroni, qui non stellis ut stelliones, sed tæniis oblongis à capite ad caudam pertinentibus notatur, & est virgatus, non stellatus. Opponebat etiam nostrum Surdum seu Muronem nullam habere vim restinguendi ignis, quam omnes antiqui in Salamandra notarunt. Item opponebat vim immensam veneni. Nam Plinius lib. 29 cap. 4 sic ait: *Salamandra scelus maximum est. — Salamandra populos pariter necare improvidos potest: nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit veneno, & eos, qui ederint, necat frigida vi nihil aconito distans.* At in nostro Murone (ajebat) non inest tanta vis veneni. Item opponebat & validissimo telo pugnabat ex loco Plinii, ubi dicitur Salamandra nihil gignere, nec habere sexum masculinum aut fœmininum. Constare autem nostros murones parere, & in iis masculos & fœminas notari, & id concedebatur ab adversariis. Ad hæc argumenta sic respondebant adversarii, & unus eorum asserebat se vidisse muronis vel Salamandræ speciem circa latera notis velut stellis compunctam: alius ajebat apud Plinium debere legi *Stelatum* cum unico *l*, nempe voce formata à *stela*, id est, cippo vel columna, qua voce utitur Plinius lib. 6 cap. 29; quæ solutio non admittebatur, eo quod *Stelatus* alibi non reperitur. Ad vim restinguendi ignis, quæ Salamandræ ab antiquis tribuitur, respondebant, id pridem pro fabula habitum & explosum fuisse. Nam & Aristoteles (ajebant) cum de ea vi loquitur, ait, *ὥς φασιν*, *ut ajunt:* & idem Plinius lib. 29 cap. 4 ait Sestium negare restingui ignem à Salamandra, & Theophrastus lib. de igne ait de eadem vi Salamandræ: [1] *ἡ γὰρ σβέσις οὐκ ἐχ̃ ὁποσονοῦν τὴν πῦρ, ἀλλὰ ἐὰν σύμμετρον πρὸς τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν.* Et ad eundem sensum Franciscus Rabelesius medicus ait ignem quidem ex palea levem & infirmum id animal non lædere, sed ignem validum id consumere. Quod ad veneni vim tam immensam, respondebatur id animal etiam hodie venenatissimum haberi apud nos, sed id in majus traditum fuisse, ut sæpe fit in talibus; forte & in quibusdam mundi partibus vim venenosam majorem inesse, quam in cœlo Gallico: tum de ea immensa vi Plinium nec auctoritatem nec exemplum adduxisse. Ad id quod Plinius dixit Salamandram non gignere nec habere sexum masculinum aut fœmi-

[1] *Extinctio autem non cessare facit ignem quamtumcumque: sed si proportionem habeat ad naturam animalis.*

fœmininum: detrectabant Plinii auctoritatem, qui id sine auctore tradidit, & in eo ut in multis aliis hallucinatus est, & contra naturæ legem esse, & Aristotelem de historia animal. lib. 3 cap. 1, & de gener. anim. lib. 1 cap. 3 lacertis instrumenta generationis tribuere: &, si constitisset, Salamandram, quæ species est lacertæ, non habere sexum, & nihil gignere, eam proculdubio excepisset ab eorum numero naturæ & generationis animalium curiosissimus scrutator, utpote mirum & notabile. Hæc sunt, quæ ab utraque parte dicta fuisse memini. Integrum, lector erudite, tibi judicium relinquo.

Ad Lib. de signis serenitatis. Pag. 440.

Ὁ τοῦ σχοίνου καρπὸς σημαίνει τοὺς ἀρότους.	*Lentisci fructus sationum tempora significat.*

Interpres legit σχίνου, melius: nam fructum non fert juncus. Millies erratum est in earum vocum similitudine, causa erroris in jotacismo, ut sæpe supra in aliis locis notavi.

Ad Lib. de odoribus. Pag. 446.

Ἀπ' ἀνθῶν μὲν οἷον τὸ ῥόδινον, καὶ τὸ λευκόϊον καὶ τὸ σούσινον (καὶ γὰρ τοῦτο ἐκ τῶν κρίνων.)	*E floribus, ut rhodinum, violaceum, susinum: hoc enim ex liliis fit.*

Puto legendum esse καὶ τὸ λευκόϊνον, nam λευκόϊον est ipse flos, unde μύρον λευκόϊνον debet formari. Cæterum ex hoc loco, ubi ait Susinum unguentum fieri ex liliis, licet suspicari lilia vocata fuisse Susina, forte à Susis urbe Persidis, & ab Arabibus Hispanos accepisse vocem suam, qua florem liliorum indigitant: eum enim vocant Hispanice *açuçena* eliso in articulo *al* elemento *l*, & pro *al çuçena açuçena* pronunciantes; sic enim aliquando ante *c* literam *l* elidunt ut in *açafran, açucar, açypres*, & aliis.

Ad Lib. de Ethicis Charact. In procœmio. Pag. 476.

Καὶ βεβιωκὼς ἔτη ἐνενήκοντα ἐννέα.	*Quippe qui annos* XCIX *jam vixerim.*

Hic locus non concordat cum Diogene Laërtio, ut notavit doctissimus Casaubonus, qui vult ex hoc loco corrigi numeros Laërtii, & putat errorem ex notis ortum, & ο' ϑ' perperam apud Laërtium scriptum pro ϱ' ϑ'. Sed non animadvertit doctus vir Laërtium non notasse annum, quo Characteres scripsit, sed quo mortuus est, ideo non potest error inde manasse: nam apud Laërtium dicitur vixisse

xisse ἔτη πέντε καὶ ὀγδοήκοντα, qui numerus in notis est π' ε', quæ notæ non accedunt ad ρ' ζ' aut ρ' θ'. Theophrastus autem ad Polyclem scribens, cui librum suum mittebat, ait se vixisse annos ἐννενήκοντα ἐννέα. Ideo nihil in eo decernendum puto. Et certe eo quod, ut notavit Casaubonus, nec Lucianus nec Censorinus nec alii, qui de longævis scripserunt, de eo meminerunt, credo potius ex Diogene Laërtio corrigendum hunc Theophrasti locum, quam ex hoc loco corrigendum Laërtium: nam & apud Theophrastum numerus ο' θ' facile mutari potuit in ρ' θ', & ita primum Casaubonus putaverat, nec video rationem, quare ab ea sententia discesserit: nam locus Hieronymi in epistola ad Nepotianum infirmum satis est argumentum, ubi *Themistocles* legitur, non *Theophrastus*.

Cap. de Adulatione. Pag. 478.

Καὶ σκώψαντι, πικρῶς ἐπιγελάσαι.	*Quod si quem ille sale aliquo perstrinxerit, eundem iste acerbe irridebit.*

Doctissimus commentator mutat distinctionem, & jure probat aliam lectionem, quæ habet σκώψαντι ψυχρῶς: est enim optima, & sic puto scripsisse Theophrastum. Sed ut habeat etiam lector, quod eligat (quando aliquid mutandum est) potest etiam retineri πικρῶς sic legendo, καὶ σκώψαντι, πικρῶς! ἐπιφωνῆσαι, ut sit acclamatio adulatoris πικρῶς! ut σοφῶς! Nam ii optimi sunt joci, qui aliquid habent amaritudinis. Sed mutatio major foret, τοῦ ἐπιγελάσαι in ἐπιφωνῆσαι, quam τοῦ πικρῶς in ψυχρῶς, ideo præfero doctissimi Casauboni emendationem.

Cap. de Garrulitate. Pag. 479.

Ποσιδεῶνος δὲ τὰ κατ' ἀγροὺς Διονύσια.	*Posideone vero quæ ruri agitantur Dionysia.*

Ad hæc sic commentatur Casaubonus: *hæc sunt, quæ minora Dionysia dicebantur*. Et hoc quidem optime; at quod addit, *nam majora mense Anthesterione peragebantur*, non quidem sine auctoritate dixit: habet enim Ulpianum auctorem in Scholio ad orationem Demosthenis contra Leptinem, ubi sic ait: [1] τοῖς δὲ μεγάλοις Διονυσίοις Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, πλείονος αὐτῷ γιγνομένης δαπάνης. Sed non videtur is Scholiastes solus satis idoneus testis, cum fuerint Διονύσια τὰ κατ' ἄστυ multo celebriora, quæ Elaphebolionis decimo sexto (quæ est ἑβδόμη ἱσταμένου) celebrabantur, ut elicitur in loco Æschinis contra

[1] *Magnis vero Liberalibus mense Anthesterione, cum plus ille impensarum fecisset.*

contra Ctesiphontem, ubi sic ait, & de Elaphebolione mense loquitur: *ἀλλ' εὐθὺς μετὰ τὰ ἐν ἄστει Διονύσια τῇ ὀγδόῃ καὶ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα.* Ideo Scholiastes Aristophanis duo tantum Liberalia recenset, nulla facta mentione *τῶν ἀρχαίων*. Sic enim ille ad Acharnenses, ad hæc verba, *οὑπὶ Ληναίῳ τε ἀγών*, sic ait: *ὁ τῶν Διονυσίων ἀγὼν ἐτελεῖτο δὶς τοῦ ἔτους, τὸ μὲν πρῶτον ἔαρος ἐν ἄστει, ὅτε οἱ φόροι Ἀθήναζε ἐφέροντο. τὸ δεύτερον ἐν ἀγροῖς ὁ ἐπὶ Ληναίῳ λεγόμενος*, id est, *Liberalia bis in anno celebrabantur, primum quidem vere in urbe, quando tributa afferebantur: secundo autem rure, & ad Lenæum vocabatur.* Et rursus ad fabulam *Aves*, ad hæc verba,[1] *ὦ φίλη, ὦ ξουθή*, ait: *ὅτι τῷ ἔαρι πλέουσι τὰ Διονύσια.* Ea Dionysia, quæ in urbe celebrabantur, *ἀστικὰ urbana* vocabantur, & erant celeberrima, eo quod tunc mari jam aperto tributa afferebantur Athenas ex insulis & aliis locis, & ideo extraneorum hominum turba tunc erat urbs referta, & comœdiæ & alia oblectamenta populo dabantur in Bacchi honorem. In antiquis vero Liberalibus non memini me legisse comœdias aut alia spectacula exhibita fuisse, postquam altera illa Liberalia *ἀστικὰ* & *τὰ κατ' ἀγροὺς* instituta fuerunt. Nec sufficit Ulpiani auctoritas, ut ab ea opinione me demoveat, apud quem forte male legitur *ἀνθεστηριῶνος* pro *ἐλαφηβολιῶνος*. Thucydides enim, cujus fides multo potior, Dionysia, quæ Anthesterionis die duodecima celebrabantur, *ἀρχαιότερα* vocat, non *μεγάλα*, cujus verba audire operæ pretium est: *καὶ τὸ ἐν Λίμναις Διονύσου, ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ ἀνθεστηριῶνι, ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσι*, id est, *& Bacchi* (templum) *quod est in Limnis, cui antiquiora Liberalia celebrantur duodecimo Anthesterionis mensis, ut & ab Atheniensibus oriundi Iones adhuc etiam observant.* His verbis innuit Thucydides hæc antiquiora Liberalia viluisse, & non mansisse celebria, ut olim apud Athenienses, quod contra evenerat apud Ionas, qui morem antiquum retinentes ea celebrabant. Nam si apud Athenienses celebria ut olim mansissent, non fuisset opus exemplo Ionum. Tum notandum est etiam in procemiis Comœdiarum Aristophanis nullam inveniri, quæ acta sit *ἀρχαίοις Διονυσίοις*, vel *ἐν Λίμναις*, sed semper vel *ἐν ἄστει* & *εἰς ἄστυ*, vel *ἐν πόλει*, vel *εἰς Λήναια*, & *ἐπὶ Ληναίῳ*, vel *ἐν Ληναίοις*. Bene igitur antiquus Scholiastes, qui dixit, ut supra citavi,[2] *ὁ τῶν Διονυσίων ἀγὼν ἐτελεῖτο δὶς τοῦ ἔτους.* Nam in illis antiquis Liberalibus nulli, ut credo, Aristophanis tempore committebantur *ἀγῶνες*. Et quando de Liberalium festo agitur, alterum Hesychii locum afferam, qui de

[1] *Eo quod vere in urbe celebrant Liberalia.*

[2] *Liberaliorum agon celebrabatur bis in anno.*

iis

iis agit, ſed maxime morboſum & medica manu indigentem, qui ſic habet: [1] Διονύσια ἑορτὴ Ἀθήνησιν ἡ Διονύσῳ ἤγετο, τὰ μὲν κατ' ἀγροὺς μηνὸς Ποσιδεῶνος, τὰ δὲ κλαῖα μηνὸς Ληναιῶνος· τὰ δὲ ἐν ἄστει Ἐλαφηβολιῶνος. Hujus loci caput & pedes ſani, media infirma ſunt, quæ ut ſanentur, poſt Ποσιδεῶνος legendum τὰ δ' ἀρχαῖα μηνὸς Ἀνθεστηριῶνος. Nam Ληναιὼν & Ποσιδεὼν erant unus & idem menſis, qui Ληναιὼν dicebatur eo, quod eo menſe Λήναια feſtum celebrabatur teſte Proclo ad Heſiodum: [2] ἐπειδὴ Διονύσῳ ἐποίουν ἑορτὴν τῷ μηνὶ τούτῳ. Ibidem ait eum menſem eſſe [3] ἀρχὴν χειμῶνος, & ad eundem Heſiodi locum Moſchopulus ſic ait: Ληναιῶνα, ὅς τις ἐστὶ Ἰανουάριος. Unde etiam patet eundem eſſe cum Poſideone menſem. Nam Plutarchus in Cæſare ait Poſideonem reſpondere Januario. Non ita igitur ſcripſit Heſychius. Sed quando certum eſt ex Thucydide ἀρχαῖα Διονύσια cadere in duodecimum diem Antheſterionis, ut ſupra citavimus, ut Demoſthenes etiam in oratione contra Neæram diſtricte ait, non dubium eſt, quin legendus ſit Heſychii locus, ut emendavi. Sed ut ad quæſtionem de Liberalibus redeam, quoniam de loco Demoſthenis contra Neæram mentionem feci, ejus verba apponam: faciunt enim ad propoſitum. Ait igitur: καὶ διὰ ταῦτα ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ τοῦ Διονύσου ἱερῷ ἐν Λίμναις ἔστησαν (de columna lapidea loquitur, in qua lex quædam inſculpta erat) ἵνα μὴ πολλοὶ εἰδῶσι τὰ γεγραμμένα, ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός, id eſt, *& propterea in antiquiſſimo Bacchi ſacello in Limnis erexerant, ne multi viderent, quæ ſcripta ſunt, ſemel enim in anno aperitur duodecima die menſis Antheſterionis.* Ex his verbis patet templum illud Bacchi in Limnis non amplius celebre fuiſſe, quando ſemel tantum in anno aperiebatur, ut antiquus mos defunctorie ſervaretur. Ideo non erant Liberalia magna, quæ in eo loco ex antiquo more agitabantur, ſed celebritatem omnem ad ſe attraxerant Liberalia Aſtyca ſeu κατ' ἄστυ & Lenæa. Sed nimis in eo argumento moramur.

[1] *Dionyſia feſtum Athenis, quod Baccho fiebat, unum in agro menſe Poſideone, Clæa vero menſe Lenæone, in urbe vero menſe Elaphebolione.*

[2] *Quoniam Baccho faciebant feſtum eo menſe.*

[3] *Initium hyemis.*

Cap. de Deſperatione. Pag. 480.

Ὀρχεῖσθαι νήφων τὸν κόρδακα.	*Saltare cordacem etiam ſobrium.*

Doctiſſimus Caſaubonus ad hunc locum ait, ſe putare, ad reſtim cordaca ſaltari, eo quod dicitur ἕλκειν & ἑλκύειν κόρδακα. Ego vero, ſi à tanto viro diſſentire liceret, putarem ἕλκειν dici de eo ſaltationis modo non ob funem quendam tractum, ſed quia erat fracta quædam

& elumbis ſaltatio, in qua videbantur ſaltatores magis ἕλκειν τὸ σῶμα, quam ἄλλεσθαι. Id Petronius dixit *exoſſam explicare ſaltationem.*

Cap. de Loquacitate. Pag. 481.

Προσδιηγήσασθαι δὲ καὶ τὴν ἐπ' Ἀριστοφῶντος ποτὲ γενομένην μάχην.	*Tum de eo prælio, quod prætore Ariſtophonte commiſſum eſt, longam narrationem contexet.*

Doctiſſimus Caſaubonus hunc locum intelligit de pugna ad Arbela, qua Alexander Darium vicit, quam fatetur accidiſſe uno anno, prius ſub Ariſtophane Archonte, ſed cujus fama in Græciam pervenit tantum Ariſtophonte Archonte. Sed ignoſcant mihi venerandi omnibus literatis tanti viri manes, ſi ab eo hoc loco diſſentio. Intelligo enim magnam illam & in tota Græcia celeberrimam pugnam, qua Agis Archidami filius rex Lacedæmoniorum cecidit heroice pugnans ad Megalopolin, ubi à Macedonibus & Antipatro victi Græci jugum Macedonicum ſubire coacti ſunt, & in ea pugna cum Agide una cecidit ſpes libertatis Græciæ. Ea pugna evenit Ariſtophonte Archonte teſte Diodoro lib. 17, & Plutarcho in Agide, & in Demoſthene, & de ea proculdubio multi fiebant in Græcia ſermones; fuit enim negotiorum Græciæ veluti κρίσις, & ultimus Græciæ ad libertatem aſpirantis & ſe erigere cupientis conatus. Quam celebris ea pugna fuerit, ſi ſcire cupis, vide Curtium initio libri 6. De ea etiam Arrianus lib. 2, & Juſtinus lib. 12.

Cap. de Impuritate. Pag. 485.

Φειδωνίῳ μέτρῳ τὸν πύνδακα ἐκκεκρουμένῳ.	*Phidonia menſura ſi quid metiatur, eam adhibet, cujus ſit fundum colliſum.*

Bene mihi videtur ſentire doctus commentator, qui vult legi εἰσκεκρουμένῳ vel εἰσκεκρουσμένῳ. (nam quod legitur in ejus notis εἰσκεκρουμένα & ἐγκεκρουμένα & εἰσκεκρουσμένα, eſt proculdubio error typographi, ut ex ipſis notis patet.) Quod autem ait ſe explicare non poſſe, quare menſura Phidonia dicatur, videtur eſſe viri illius magni μνημονικὸν σφάλμα. Nam Strabo, quem doctiſſimis commentariis illuſtravit, rationem reddit, quare ita vocata fuerit, lib. 8, nempe ab Argivorum rege Phidone, qui eam menſuram in uſum adduxit. Sed forte eſt etiam alia ratio, quare ea voce nunc utatur. Ludit enim in ea, & φειδώνια μέτρα vocat ea, quæ ſunt viri φειδωλοῦ, ἀπὸ τοῦ φείδεσθαι dicta,

dicta, quia φείδονται τοῦ σίτου, & minus, quam oportet, præbent, & ut id assequantur, τὸν πύνδακα εἰσκρούουσι, fundum modii intus impellunt, ut minor sit mensura modii.

Cap. de Diffidentia. Pag. 488.

Καὶ τὸ ἱμάτιον δεῖ ἐκδοῦναι δεινός.	*Vestem poliendam dealbandamque dare non solet.*

Omnino probo emendationem summi viri, qui vult legi ἐκδοῦναι, sed & sequentem vocem emendandam esse puto, & melius mihi videretur procedere sententia, si pro δεινὸς legeretur δειλός: nam proprium est diffidentis, ut timide omnia faciat, & sic legendo τὸ ἐκδοῦναι retineri posset.

Cap. de Sera Institutione. Pag. 493.

Τὴν κεφαλὴν καλεσχέναι.	*Caput deturpare.*

Hoc mendum sanat Casaubonus, & legit καλαισχῦναι, id est, *turpare* vel *dehonorare*. Ego vero mallem legi κατεαγέναι, id est, *fractam esse*.





JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
AD
DEMOSTHENEM
ET
EJUS SCHOLIASTEN.

Editionis Hervagianæ Basileæ anno 1532 *& anno* 1572.

AD OLYNTHIACAM III.

Prioris pag. 28. Posterioris 12.

Δημοσίᾳ μὲν τοίνυν οἰκοδομήματα καὶ κάλλη τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα κατεσκεύασαν.	*Publice igitur ædificia & ornamenta talia & tanta instruxere nobis.*

[1] Non de ædificiis loquitur, sed de donariis: eorum enim forte excessus sunt.



Ad hæc sic ait Scholiastes: [1] οὐ περὶ τῶν οἰκοδομημάτων λέγει, ἀλλὰ τῶν ἀναθημάτων, καὶ γὰρ τούτων εἰσὶν ἴσως ὑπερβολαί. Non video, quare Ulpianus non admittat hæc verba oratoris debere intelligi de ædificiis, sed tantum de donariis. Nam & magnifice ædificaverat Pericles Propylæa & Odæum,

dæum, usus opera Mnesicli Architecti, de quibus Plutarchus in Pericle, & de Propylæis quidem gloriabantur Athenienses; testis Æschines in oratione περὶ παραπρεσβείας: [1] ἀνιστάμενοι δὲ οἱ συντεταγμένοι ῥήτορες, περὶ μὲν τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδὲν ἐνεχείρουν λέγειν, ἀποβλέπειν δὲ εἰς τὰ προπύλαια τῆς πόλεως ἐκέλευον ἡμᾶς, καὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι πρὸς τοὺς Πέρσας ναυμαχίας μεμνῆσθαι καὶ τῶν τάφων καὶ τῶν προγόνων, &c. Et ob ejus ædificii magnificentiam in invidiam adducebantur à vicinis, testis idem Æschines in eadem oratione: [2] Ἐπαμεινώνδας στρατηγὸς οὐχ ὑποπτήξας τὸ μὲν τῶν Ἀθηναίων ἀξίωμα, εἶπε διαρρήδην ἐν τῷ πλήθει τῶν Θηβαίων, ὡς δεῖ τὰ τῆς Ἀθηναίων ἀκροπόλεως προπύλαια μετενεγκεῖν εἰς τὴν προστασίαν τῆς Καδμείας. Ex his patet, quantum hallucinatus sit Scholiastes, locum Demosthenis non debere intelligi de ædificiis; sed tantum de donariis περὶ ἀναθημάτων, tamquam si Minervam Phidiæ tantum & alia donaria sola digna admiratione fuisse censuisset. Nam & ipse Demosthenes infra contra Androtionem ædificia magnifica recenset, sic: [3] προπύλαια, ὁ Παρθενών, στοαί, νεώσοικοι.

Ad Philippicam 1. Pr. pag. 36. Post. 16.

Εἰς Πύλας. | *In Pylas.*

Ad hæc Scholiastes: [4] Πύλαι ἦσαν τῆς Ἑλλάδος μεταξὺ οὔσαι τε Παρνάσου καὶ τῆς θαλάττης ποδῶν εἰκοσιπέντε τὸ πλάτος. Ignorantiam suam in Geographicis prodit hoc loco Ulpianus; cave credas. Pro Parnasso debuit dicere Καλλιδρόμου vel τῆς Οἴτης.

Ibidem.

Ἐπιστολιμαίας ταύτας δυνάμεις. | *Conductitios illos exercitus.*

Intelligit (credo) minas per epistolas ad Philippum missas, de quibus infra ait: ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ.

Pr. pag. 37. Post. 17.

Ἰφικράτης καὶ Χαβρίας καὶ ἄλλοι τινές. | *Iphicrates & Chabrias & alii quidam.*

Ex iis aliis unus fuit *Callias Hipponici*, ut ex Xenophonte discimus lib. 4 Hellenicorum.

Ad orationem de Cherronneso. Pr. pag. 62. Post. 40.

Ἐν τῷ βαράθρῳ χειμάζειν. | *In barathro hibernare.*

Fuit proverbiale dicendi genus, ut arbitror, de iis dici solitum, qui in loco incommodo immorantur, & ad id etiam nos ducit Scholiastes, qui ἐν βαράθρῳ interpretatur metaphorice ἐν ὀλέθρῳ *in pernicie.*

Ad

[1] Surgentes autem rhetores ad id preparati, de urbis salute nihil dicere aggressi sunt, sed jubebant nos respicere Propylæa urbis, & naumachiæ ad Salaminem meminisse, & sepulchrorum majorum.

[2] Epaminondas dux exercitus non veritus Athenarum dignitatem dixit districte ad multitudinem Thebanorum, quod oportebat Propylæa, quæ in Athenarum Acropoli, transportare ad Cadmeæ vestibulum.

[3] Propylæa, Parthenon, Porticus, Navalia.

[4] Portæ erant Græciæ inter Parnassum & mare pedum 25 in latitudine.

Ad Philippicam 3. Pr. pag. 69. Post. 46.

Καίτοι προστάται μὲν ὑμεῖς ἑβδομήκοντα ἔτη καὶ τρία τῶν Ἑλλήνων ἐγένεσθε.	*Atqui patroni vos* LXXIII *annos Græcorum fuistis.*

Scilicet à Timosthene Archonte usque ad cladem in Ægospotamis acceptam Alexio Archonte.

Ibidem.

Προστάται δὲ τριάκοντα ἑνὸς δέοντα Λακεδαιμόνιοι.	*Patroni item undetriginta Lacedæmonii.*

Ab Alexio scilicet Archonte usque ad Calliam post Nausinicum Archontem, quo anno Græci fere omnes à Lacedæmoniis defecerunt. Sed annum inchoatum numerat pro completo; nam annorum 28 tantum completorum hoc spatium foret.

Pr. Ibidem. Post. 47.

Καὶ τετραδαρχίας κατέστησε.	*In quatuor præfecturas divisit.*

Putaveram debere legi δεκαδαρχίας, eo quod ea voce usus est supra Philippica 2 de iisdem Thessalis, de quibus hoc loco agitur: sed postea cum cogitassem Thessalos in quatuor regiones divisos fuisse, in Phthiotidem scilicet, Estiæotidem, Thessaliotidem, & Pelasgiotidem, & vidissem eandem vocem ab Aristide in hoc eodem argumento & ex hoc loco proculdubio usurpatam fuisse in oratione περὶ συμμαχίας, ἐπέχω. Vide supra ad Aristidis pag. 229.

Pr. pag. 78. Post. 54.

Φερρὰς.	*Pheras.*

Lego Φέρας: nam quinque aut sex urbes nomine Φέραι, nulla, quod sciam, Φερραὶ, & in aliis codicibus Φέρας legitur.

Pr. pag. 113. Post. 74.

Τῶν πρώτων, ἑκατὸν πέντε, καὶ τῶν δευτέρων ἑκατὸν πέντε, καὶ τῶν τρίτων, ἑκατὸν πέντε.	*Prima centuriæ quinque & secundæ centuriæ quinque & tertiæ centuriæ quinque.*

Laborat à mala interpunctione hic locus, ex quo non potest elici commodus sensus, ut scriptus est. Sic igitur interpunge: [1] τῶν πρώτων ἑκατὸν, πέντε. καὶ τῶν δευτέρων ἑκατὸν, πέντε. καὶ τῶν τρίτων ἑκατὸν, πέντε. ἑκάστῳ μέρει διδόντας. Intelligit tercentum triremes in quindecim classes dividi, quarum unaquæque habeat triremes viginti, & sic priores centum habebunt quinque classes seu partes, & alteræ cen-

[1] *Primi Centenarii quinque, & secundi quinque, & tertii quoque quinque, unicuique parti dantes.*

centum totidem classes quinque, & ultimæ seu tertiæ centum iterum partes quinque: & sic fit πεντεκαιδεκάταια, & sic etiam inveni hunc locum distinctum in editione Benenati.

De Rhodiorum Libertate. Pr. 126. Post. 81.

Οὐ δικαιοσύνην ἀλλ' αἰδείαν ἡγοῦμαι.	*Eam ego non justitiam, sed ignaviam existimarim.*

Ex anterioribus & subsequentibus manifestum est debere legi ἀλλ' ἀνανδρείαν ἡγοῦμαι, ut & habent alia exemplaria.

De pactis cum Alexandro. Pr. pag. 136. Post. 87.

Τοὺς μὲν ἐκ Λέσβου τυράννους οἷον ἐξ Ἀντίσσης καὶ Ἀιρέσου ἐκβαλεῖν.	*Quum Lesbii tyranni sint ejecti Antissa & Ereso.*

Lege καὶ Ἐρέσου, nam fuit urbs Lesbi insulæ Eressus.

Pr. pag. 137. Post. 88.

Χαίρωνα δὲ τὸν παλαιστὴν τύραννον ἐγκατέστησεν.	*Charone palæstrita tyranno imposito.*

Ex hoc loco emendavi Pausaniæ locum mendo fœdissimo corruptum. Vide supra ad Pausaniam pag. 235.

Ad Orat. de Corona. Pr. pag. 148. Post. 316.

Ἐπὶ Ἄρχοντος Μνησιφίλου. | *Prætore Mnesiphilo.*

Mnesiphilus Archon Eponymus, non invenitur in Olympiadum recensione, nec apud Diodorum. Sed hoc anno videtur Theophilus fuisse Archon Eponymus. At idem Mnesiphilus repetitur in alio psephismate infra pag. sequenti. Item pluribus in locis infra nomina Archontum præfixa decretis non concordant cum anno eponymorum. Ideo dubito, an nomina eponymorum præfigi solerent decretis ejusdem anni, an vero alterius Archontis nomen, qui præsidebat ecclesiæ & suffragiis: erant enim Archontes novem numero. Ideo ἐπέχω.

Pr. pag. 153. Post. 320.

Ἐν πυκνὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. | *In Pnyce pro concione.*

Millies erratum est in hac voce apud auctores, credo, eo quod forte crediderunt exscriptores ob multitudinem confertorum hominum & quasi πυκνότητος sic dictum eum locum fuisse. Sed quod scribendum sit πυκνὶ, non vero πυκνὶ, argumentum est rectus casus ἡ πνὺξ, à quo πυκνὸς & πυκνὶ & πύκνα inclinatur. Nam qualis foret

rectus casus dativi πυκνὶ? πὺκνξ nimirum non pronuntiabile. Ergo ubique & hic & in aliis auctoribus, reponendum semper πυκνὸς & πυκνὶ & πύκνα, quæ lectio etiam reperitur in melioribus editionibus.

Pr. pag. 164. Post. 327.

Ἐπ' ἄρχοντος Πολυκλέους. | *Pretore Polycle.*

Iterum hoc loco & infra pag. 166, ubi legitur ἄρχων Δημόνικος Φλυεὺς, nomina Eponymorum non concordant, unde augetur nostra suspicio, & sic in pluribus locis infra, quod notare supersedebo.

Pr. pag. 176. Post. 336.

Εὐθύδημος Φλιάσιος. | *Euthydemus Phliasius.*

Rescribe Φιλάσιος. Nam Φιλαιδαὶ fuit demus Ægeidis tribus: at Φλιοῦς urbs Peloponnesi, à qua formatur Φλιάσιος, ea nihil ad remp. Atheniensium pertinebat.

Pr. pag. 182. Post. 342.

Εἰ γὰρ ταῦτα πρόοιτο ἀκονητὶ. | *Nam si illa sine certamine abjecisset.*

Aliæ editiones exhibent ἀκονητὶ, sed legendum est ἀκονιτὶ. Vox est palæstrica, & metaphora ducta à luctatoribus, qui sine pulveris inspersione vincebant nullo antagonista in medium procedere auso.

Pr. pag. 191. Post. 350.

Ἐνθρυπτα, καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα. | *Placentas & scriblitas & recentes panes.*

Placentarum sunt species, quas habet etiam Athenæus Dipnosoph. lib. 14, & hunc locum citat.

Ibidem.

Σιμμύκκα καὶ Σωκράτη. | *Simmicca & Socrati.*

Notatur asterisco vox Σιμμύκκα, & jure: nam Harpocration hunc locum citans legit Σιμύλω καὶ Σωκράτη, eum vide in Σίμυλος, & testatur editio Benenati in margine sic legi in aliis codicibus.

Pr. pag. 196. Post. 354.

Εὐκαλπίδας, Ἀργείους, Μύρτις, Τελέδαμος, Μνασέας. | *Eucalpidas, Argivos, Myrtis, Teledamus, Mnaseas.*

Pro Εὐκαλπίδας Pausanias in Arcadicis habet Εὐκαμπίδας: Harpocration vero hunc locum citat in μύρτις, & legit Μύρτις, Τελέδαμος, Μνασίας, & ait Theopompum in 51 libro pro Μύρτις & Μνασίας

σίας habere Ἀμυέλαῖος & Πασίας. Sed forte apud Theopompum male legebatur: nam Ἀμυέλαῖος nomen est Ægyptium, Πασίας raro occurrit. Ideo puto legendum cum Harpocratione una litterula immutata, Μύρτις, Τηλέδαμος, Μνασίας.

Pr. pag. 198. Post. 357.

Ὑποκριτὴς ἄριστος, τραγικὸς, Θεοκρίνης.	*Optimus histrio tragicus Theocrines.*

Nisi Θεοκρίνης sit κύριον, nomen alicujus fabularum actoris tunc celebris, quod suspicor, videtur hæc vox, quæ alibi non occurrit, significare *à Deo electus*.

Ad Orationem περὶ τῆς παραπρεσβείας.

Pr. pag. 214. Post. 204.

Οὐδὲ Τιμαγόραν οὗ θάνατον κατεχειροτόνησεν ὁ δῆμος.	*Ne Timagoræ quidem, quem capitis damnavit populus.*

De hoc Timagora vide Plutarch. in Pelopida & in Artaxerxe.

Pr. pag. 240. Post. 216.

Οὗτος εἰς τὰ ἐπινίκια τῶν πραγμάτων, &c.	*Iste ad triumphales epulas.*

Lege ἔτος εἰς, τὰ ἐπινίκια, &c. id est, *hic solus epulatus est.* sensu plano: nam ut scriptum est, nec bene hellenizat oratio, nec bene procedit sententia.

Pr. pag. 256. Post. 225.

Συσσιτήσας.	*Communem mensam habuit.*

Id est, συμπεριδειπνήσας. Nam ut dixit supra, [1] οἱ πρυτάνεις θύουσιν ἑκάστοτε κοινῇ, καὶ συνδειπνοῦσιν ἀλλήλοις.

[1] *Prytanes sæpe sacrum commune faciunt, & simul mutuo cœnant.*

Pr. pag. 257. Post. ibid.

Τὸν υἱὸν τοῦ Φαιδίμου τοῦ τῶν τριάκοντα.	*Phædimi fil. unius è 30 tyrannis.*

Xenophon in recensione triginta tyrannorum Φαιδρίαν, non Φαίδιμον ponit.

Pr. pag. 255. Post. 230.

Τοῦτον μὲν τοίνυν οὐκ ἔκρινεν Αἰσχίνης.	*Hunc non accusavit Æschines.*

Ἔκρινεν hoc loco est κατηγόρησεν, *accusavit*, *reum detulit*, ut alibi etiam in eo significatu reperitur.

Pr. pag. 269. Post. 232.

Ψυχὴν τε φρόνημα καὶ γνώμην, πρὶν ἄν.	*Mentem tacitosque sensus pectoris, antequam.*

Ad complendum trimetrum deest particula καὶ. Sic ergo lege: ψυχήν τε καὶ φρόνημα, &c. & sic inveni in aliis editionibus.

Pr. pag. 275. Post. 237.

Ὅτι δῶρα λαβεῖν ἔδοξε πρεσβεύσας, μικροῦ μὲν ἀπέκτεναν.	*Quod in legatione munera accepisse visus fuit, parum abfuit, quin occidissent.*

At in Cimonis vita Plutarchus contrarium asserit, & Calliam, de quo hîc sermo, dicit multum honoris & reverentiæ adeptum fuisse ex hac legatione apud Athenienses. Cui credendum? utrique, ut credo. Callias accusatus vitæ periculum adiit: at crimine δωροδοκίας absolutus multum honoris adeptus est.

Pr. pag. 279. Post. 239.

Εἴς τι τὸ τίμημα. | *Et ad litis æstimationem.*

Lege εἴς τι τὸ βῆμα, sensu manifesto, & ita habet editio Benenati in margine asscriptum.

In Orat. contra Leptinen. Pr. pag. 306. Post. 367.

Ἐπικέρδης ὁ Κερκυραῖος. | *Epicerdes Cyrenæus.*

Si Scholiasti credimus, legendum Κυρηναῖος.

Pr. pag. 310. Post. 366.

Ἡ μεγάλη μάχη. | *Magnum illud prælium.*

Facta est ea pugna Diophante Archonte anno 2 Olymp. 96. eam satis fuse narrat Xenophon lib. 4 Hellenicorum.

Pr. pag. 311. Post. 369.

Οἱ παραδόντες ὑμῖν Θάσον. | *Qui Thaso vobis tradita.*

Extat hæc historia apud Diodorum Siculum lib. 13, qui huic lôco lucem dat, & ab eo vicissim accipit.

Pr. pag. 314. Post. 370.

Κατεναυμάχησε Λακεδαιμονίους.	*Navali prælio Lacedæmonios superavit.*

Naumachia ad Cnidum; extat historia apud Xenophontem lib. 4 Hellenicorum.

Pr. pag.

Pr. pag. 316. Post. 371.

Ἐνίκησε μὲν τοίνυν Λακεδαιμονίους ναυμαχίᾳ. | *Prælio igitur navali vicit Lacedæmonios.*

Ad Naxum insulam, de qua pugna navali vide Plutarchum in Camillo.

Pr. pag. 323. Post. 375.

Μετὰ τῶν ὁμοίων. | *Cum æqualibus.*

Ὅμοιοι apud Lacedæmonios aliud significabat, quam apud alios Græcos. Sic enim vocabant nobiles suos, ex quibus Senatus, ἡ γερουσία, constituebatur. Sic apud Xenophontem lib. 3 Hellenicorum de Cinadonis conjuratione: [1] οὗτος ἦν καὶ τὸ εἶδος νεανίσκος καὶ τὴν ψυχὴν εὔρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων.

[1] Ille vero erat & specie juvenis & animo firmatus, non tamen ex numero parium.

Ad Orat. contra Midiam. Pr. pag. 346. Post. 386.

Τῇ ὑστεραίᾳ ἐν Πανδίονι. | *Postridie Iovialia.*

Ex sequentibus paulo post verbis ejusdem Demosthenis videtur legi debere τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Πανδίων, id est, *postridie ludorum Iovialium.* Nam sic hæc verba legis explicat, ἐν Διονύσου μετὰ τὰ Πάνδια. Hoc festum, si Suidæ fides, fiebat post Dionysia (magna, ut puto) & sic incidebat in decimum octavum Elaphebolionis diem. Sed timeo, ne Suidas id acceperit ex hoc loco Demosthenis, &, eo quod ait ἐν Διονύσου, eum putasse id intelligendum esse de festo Liberalium, sed aliud est: nam intelligendum est de loco, non de tempore: ἐν Διονύσου (supple ἱερῷ, vel τεμένει) & sic intelligit Scholiastes. De hoc festo sic loquitur Etymologicum magnum: [2] Πάνδια ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἀπὸ Πανδίας τῆς Σελήνης, ἢ ἀπὸ Πανδίονος, οὗ καὶ ἡ φυλὴ ἐπώνυμος, ἢ ὅτι τῷ Διὶ ἄγονται τὰ Πάνδια. De Luna & Pandione frustra est: nam sine dubio dicuntur Πάνδια, ut Παναθήναια. Sed donec aliunde lux affulgeat, sequendus est Suidas, nam & quæ sequuntur apud Demosthenem, nihil contrarium tinniunt.

[2] Pandia festum Athenis, vel à Pandia Lunæ filia, vel à Pandione, cujus tribus nomen habet, vel quod Iovi celebrantur Pandia.

Pr. pag. 370. Post. 396.

Διόγνητος Θεωρίσκος. | *Diognetus Theoriscus.*

Lege Θορίκιος; nomen fuit Demi seu pagi Atticæ Θόρικος, gentile secundum Stephanum Θορίκιος.

Pr. pag. 383. Post. 401.

Πρὸς δὲ τῆς σεμναῖς θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα | *Prætereaque permiserit, ut sacerdos venerandis Deabus*

ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τρίτον αὐτὸν, καὶ καταρξάμενον τῶν ἱερῶν.

deligerer ex omnibus Atheniensibus, cum duobus collegis, victimamque ferirem.

Sollicitavit hunc locum Philippus Jacobus Maussacus doctus vir in suis ad Harpocrationem notis pag. 360, & adeo audacter pronuntiat eum esse corruptum, ut fere minetur plagas iis, qui contrarium sentiunt. Sed quibus viris? Ulpiano primum antiquo Demosthenis Scholiastæ, deinde Budæo, Sigonio, & omni ferme eruditorum catervæ. Operæ pretium est audire ejus verba. Sic igitur ille de hoc Demosthenis loco: *Quæ verba hactenus ita lacera & corrupta remanserunt, nec est ullus ex his, qui aliquid in Demosthenem contulerunt, qui non crediderit veram esse hanc hujus loci lectionem, & qui non concluserit cum Vlpiano ex horum verborum auctoritate tres tantum fuisse dearum illarum* ἱεροποιοὺς. *Vlpianus,* τρεῖς δ' ἴσως ὑπέστησεν, ἐπεὶ καὶ τρεῖς δοκοῦσιν εἶναι θεαί. *Eandem opinionem amplexati sunt viri doctissimi post illum; Budæus, Sigonius & omnis ferme eruditorum caterva. Nos primi monere volumus textum Demosthenis esse corruptissimum, & non tres tantum dearum illarum* ἱεροποιοὺς *tantum fuisse, sed decem. Togam compone lector, & te à regina veritate abduci patere. Verba Demosthenis sic corrigo:* περὶ δὲ ταῖς σεμναῖς θεαῖς ἱεροποιὸν αἱρεθέντα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, καὶ περὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν καταρξάμενον. *Ex* περὶ τὸν *fecerunt* τρίτον *notarii, & vocem* καιρὸν *prætermisere. Quæ cum ita se habeant, corruit omne fundamentum, quo suffulta videbatur sententia prior: ex verbis enim Demosthenis conjiciebant omnes tres tantum fuisse* ἱεροποιοὺς *Eumenidum. Sed non sufficit corruisse fundamentum, nisi tota domus aut ædificium susque deque vertatur & pessundetur. Superest probandum decem fuisse* ἱεροποιοὺς *venerandarum dearum, ut nostra melius adstruatur opinio, quod exequimur breviter, ne vadimonium videamur deserere. Nam fidejussorem dabimus Dinarchum, qui est solvendo, & in oratione* κατὰ Λυκούργου εὐθυνῶν, *quæ nobis periit, ita locutus est:* Καὶ τὰς σεμνὰς θεάς, αἷς ἐκεῖνος ἱεροποιὸς καταστὰς δέκατος αὐτός. *Quisquis ille erit, qui in posterum ibit inficias, & hæc negare audebit, næ cerritus ille, & qui ad Prætorem & cognatos amandetur, dignus erit.* Hæc Maussacus maximo verborum apparatu, & satis quidem pro imperio minis agit cum omnibus litteratis. Sed tandem modestius agat, & bacchari desinat, vel illi sua verba reddentur, & pro cerrito circumferri jubebitur, qui tam confidenter ex loco Dinarchi & oratione, quæ non extat, textum Demosthenis antiquissimis

quissimis Ulpiani Scholiis confirmatum & optimum sensum habentem mutare non erubescit, & ex τρίτον αὐτὸν facit καὶ περὶ τὸν αὐτὸν χορὸν sine necessitate, sine verisimilitudine, additis decem litteris. Sed dicat, si potest, quare potius Demosthenes ex Dinarcho, quam Dinarchus ex Demosthene corrigendus: nam multo facilius ex δέκατος fiet τρίτος, quam ex τρίτον αὐτὸν fiat καὶ περὶ τὸν αὐτὸν χορὸν, ut vult Maussacus. Sed demus Dinarchi locum non esse ex Demosthene corrigendum (quod facio lubens, utpote qui credam utrumque locum esse sanum) quis nobis præs est non variasse numerum τῶν ἱεροποιῶν, prout res exigebat, vel ex populi libitu, vel ex oraculorum monitis, vel ex vatum responsis. Quis denique negare potest, non potuisse ex illis decem, de quibus loquitur Dinarchus (si numerus ille fuit ordinarius & status, quod non probatur) populum tres eligere ἐξαιρέτους ad sacrificium quoddam vel ad θεωρίαν, id est, *sacram legationem*, vel aliud quod ministerium sacrum exequendum? Certe quod ait Demosthenes τρίτον αὐτὸν, non παρέλκει, sed ad ejus dignitatem augendam pertinet: nam quo pauciores fuerant, eo digniores videbantur: & phrasis τρίτος αὐτὸς manat ex puriore Hellenismo; ea usus est sæpe Thucydides. Sed & ipse Dinarchus in loco à Maussaco citato δέκατος αὐτὸς debebat monere eum, ut pruritum suum corrumpendi, non corrigendi, Demosthenis sedaret, & ab hoc loco manus suas contineret. Ego certe cum Ulpiano, Budæo, Sigonio malo cerritus vocari, quam esse Maussaci nimiæ confidentiæ hoc loco συνθιασώτης.

Pr. pag. 389. & 390. Post. 404.

Ἐπ' ἀστράβης δὲ ὀχούμενος ἐξ Ἀργούρας τῆς Εὐβοίας.	*Mulo vectus ex Argura Eubœæ.*

Ulpianus hoc loco non caret culpa, qui legit ἐξ ἀργυρᾶς, & sic ait: [1] τὸ γὰρ ἠργυρωμένην τὴν καθέδραν δεῖγμα ἦν τοῦ ἐπιτηδείου καὶ ἐντρυφῶντος τούτῳ τῷ εἴδει. Sed debebat meminisse paucis lineis supra Demosthenem dixisse: [2] περὶ δὲ τῶν συστρατευομένων ἱππέων εἰς Ἀργούραν, & infra hac eadem oratione: [3] ἐπειδὴ δὲ ὁ στρατηγὸς Φωκίων μετεπέμπετο τοὺς ἐξ Ἀργούρας ἱππέας. Itaque non fuit argentata cathedra, sed cathedra vehebatur in reditu ex Argura Eubœæ loco vel oppido, de quo Stephanus.

[1] *Nam cathedra argentata indicium erat viri, qui eo luxu delectabatur.*

[2] *De equitibus vero, qui adfuerint in expeditione ad Arguram.*

[3] *Quoniam Phocion dux advocaverat ab Argura equites.*

Pr. pag.

Pr. pag. 393. Post. 405.

Πρὸς δὲ μητρὸς Ἱππονίκου. | *Maternum ab Hipponico.*

Cum loquatur hoc loco Demosthenes de Alcibiade illo celeberrimo duce, non consentit cum Plutarcho, nec cum Andocide, qui in hoc negotio fide dignior, utpote qui contemporaneus fuerit Alcibiadis, & contra eum orationem composuerit, in qua ejus genus curiose recenset. Sed credo oratoria astutia Demosthenem de illo Alcibiade dixisse, quæ Alcibiadi juniori prioris illius filio conveniebant. Nam Alcibiades dux ille celebratus duxerat Hippareten filiam Hipponici & sororem Calliæ, ex qua genuerat Alcibiadem juniorem, quem accusans Lysias λιποταξίου. Ergo erat ille junior πρὸς μητρὸς Ἱππονίκου, quòd ait hoc loco Demosthenes de Alcibiade patre, cui mater erat Dinomache filia Megaclis Alcmæonidæ. Transtulit ergo stemma filii ad patrem, non credo ignoratione veri, sed eò quod ad propositum suum faciebat. Fallebat igitur Demosthenes vel falsus erat. En tibi, benigne lector, Alcibiadis stemma ex Herodoto, Lysia, Platone, Plutarcho, Pausania descriptum.

Alcmæon.

- Alcmæon.
  - Megacles, *Cylonii piaculi auctor.*
    - Alcmæon, *quem Cræsus auro donavit.*
      - Megacles, *Paralorum caput, Pisistrati socer.* — Agariste *Clisthenis Sicyonii filia.*
        - Hippocrates
          - Megacles *bis exul per ostracismum*
            - Euryptolemus
              - Isodice *uxor Cimonis*
          - Agariste, *cujus maritus* — Xanthippus
            - Pericles
              - Xanthippus,
              - Paralus
            - Dinomache *cujus mariti*
              - 1 Clinias *Alcibiadis bis exulis ostracismo filius*
                - Alcibiades *dux celebris.* — *ex alia conjuge* Hipparete
                  - Alcibiades *junior, quem Lysias accusavit.*
                  - Anonyma *ab Hipponico repudiata ob incesti cum fratre suspicionem.*
              - 2 Hipponicus *Calliæ ad regem Persarum legati filius, cui*
                - *ex alia conjuge* Hipparete
                - *ex Dinomache* Callias
                  - Hipponicus
        - Clisthenes, *qui Pisistratidas expulit, & remp. ordinavit.*
        - Cœsura, *uxor Pisistrati secunda & ἄπαις: fuerunt ejus item uxores*
          - 1 Anonyma *unde Hippias & Hipparchus*
          - 3 Timonassa *unde Sophon, Thessalus.*

Pr. pag. 395. Post. 406.

Ὃς δύο καὶ τριάκοντα ἔτη γέγονα.	*Qui annum ago alterum & trigesimum.*

Ergo Euthydemo, vel, ut Diodorus, Eudemo Archonte anno 4 Olymp. 106 egit hanc causam Demosthenes. Nam secundum Plutarchum in decem oratorum vitis natus fuit Dexitheo Archonte anno 4 Olymp. 98.

Pr. pag. 401. Post. 407.

Ὀρχεῖσθαι διὰ τῆς ἀγορᾶς. | *Per forum incedere.*

Melius legitur in aliis editionibus ὀχεῖσθαι.

Contra Aristocratem. Pr. pag. 454. Post. 218.

Scholiastes.

Ζητήσαιε δ' αὖ τις, πῶς ἐξετάζων τὸν νομικὸν κέφαλον.	*Quari autem potest, quo pacto in examinando legitimo capite.*

Lege [1] τὸν νόμον κεφαλαιωδῶς, vel τὸ νόμιμον κεφαλαιωδῶς. In editione Benenati legitur τὸ νόμιμον κεφαλαῖον nullo sensu.

[1] *Legem summatim, vel quod est secundum legem summatim.*

Pag. 455.

Στὰς ἐπὶ τῶν τομίων, κάπρου, καὶ κριοῦ, καὶ ταύρου. |

A Græcis igitur Romani acceperunt sua Suovetaurilia, ut & plerosque deos suos.

Pr. pag. 465. Post. 445.

Ἰφικράτην Ἐφιάλτου. | *Iphicrates Ephialtæ F.*

Dubito de fide hujus loci. Iphicrates dux ille celebratus coriarii filius audiebat. Ideo raro invenitur nomen ejus patris. Pausanias tamen in Bœoticis Timothei filium facit. In margine autem mei codicis scriptum inveni Φιλοκράτην Ἐφιάλτου manu alicujus non inerudíti viri, cujus olim fuit, unde habuerit nescio.

Pag. eadem.

Πύθωνα καὶ Ἡρακλείδην. | *Pythonem & Heraclidem.*

De his Diogenes Laërtius in Platone, quos discipulis Platonis accenset, sed Πίθωνα vocat, non Πύθωνα. Aristoteles vero politic. 5 cap. 10

cap. 10 sic habet: [1] Πάρων δὲ καὶ Ἡρακλείδης οἱ Αἴνιοι Κότυν διέφθειραν τῷ πατρὶ τιμωροῦντες. In tanta diversitate præfero hujus loci lectionem. Nam & repetitur hæc eadem pag. Πύθωνα, & rursus pagina sequenti Πύθων nominatur. De his jam supra diximus ad Diogenem Laërtium. [1] *Paron & Heraclides Ænii Cotyn occiderunt in patris eorum vindictam.*

Pr. pag. 476. Post. 447.

Κότυν ὅτι κηδεστὴς ἦν Ἰφικράτει.	*Cotym Iphicratis fuisse socerum.*

Duxerat enim Iphicrates Tarsen filiam Cotyis Thracum dynastæ vel regis, ut narrat Æmilius Probus vel Cornelius Nepos in Iphicrate.

Contra Timocratem. Pr. pag. 493. Post. 465.

Ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος πρώτης, ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας.	*Præsidente tribu Pandionia, undecimo senatus die.*

Ex hoc loco videtur colligi posse unamquamque tribum vel φυλὴν divisam fuisse in decem partes seu προεδρίας, & unamquamque obtinuisse, id est, præfuisse concilio unum diem usque ad ultimam vel decimam, & sic indigitari, Πανδίονις πρώτη, Πανδίονις δευτέρα, Πανδίονις τρίτη usque ad decimam, postquam prima recurrebat ad undecimum diem τῆς πρυτανείας, & sic deinceps. Ideo hoc loco præsidet prima Pandionis undecimo Prytaniæ die.

Pr. pag. 498. Post. 468.

Περὶ τούτων οὐδὲν ἐν Παραβύστῳ. | *Occulte.*

Ad hæc Scholiastes aliquis hæc mira commentatur: [2] ἐν παραβύστῳ, ἀντὶ τοῦ λάθρα, ἐκ μεταφορᾶς τῶν παραπληρωμάτων τῶν ἐκβαλλομένων ἐν ταῖς οἰκοδομίαις ἔνδον. Ex his doceri debemus non admittenda esse omnia, quæcunque in antiquorum auctorum Scholiis inveniuntur, & Scholia conflata esse ex variis auctoribus, quorum alii eruditi erant, alii vero scioli nullius pretii: quid enim dicere poterat hic Scholiastes, quo plus suam Græcæ antiquitatis ignorantiam manifestam faceret. Primum enim, dum ἐν Παραβύστῳ interpretatur λάθρα, eloquentissimo Demostheni ταυτολογίαν satis indecentem tribuit: nam dicit Demosthenes in eadem periodo, λάθρα τὸν νόμον εἰσενήνοχε! Sed ignorabat mirus ille Scholiastes cum sua metaphora Παράβυστον fuisse quandam Curiam Athenis ita dictam, quod [3] ἐν ἀφανεῖ πόλεως ἦν, καὶ ἐπ' ἐλαχίστοις συνήεσαν εἰς αὐτό, ut ait Pausanias in Atticis. Ideo arguit Timocraten, quod legem contra morem & consti-

[2] *In Parabysto, pro in secreto, clam, metaphora residuorum, quæ in ædificationibus intus ejiciuntur.*

[3] *In loco secreto urbis erat, & ad minora negotia conveniebant ibi.*

constitutiones tulerit in Curia, ubi parum frequentes erant Athenienses, non vero [1] ἐν πνυκὶ εἰς τὸν δῆμον, vel ἐν βουλευτηρίῳ εἰς τὴν βουλήν: nam & παράβυστον significative est infartum, inculcatum potius quam secretum. Ideo jure hoc Scholium dici potest παράβυστον, nam infartum & insertum est melioribus, nec credo esse Ulpiani. Sed & peccat locus Demosthenis male interpunctus: legendum enim est περὶ τούτων οὐδέν· ἐν Παραβύστῳ τῆς βουλῆς, &c.

[1] *In Pnyce ad populum; vel, in curia ad senatum.*

Pr. pag. 517. Post. 479.

Θρασύβουλον τὸν Κολυττέα. | *Thrasybulum Colyttensem.*

Cave confundas hunc Thrasybulum cum illo libertatis Atheniensium assertore celebri, qui dicebatur Θρασύβουλος ὁ Λύκου Στειριεύς. Hic tamen, de quo hoc loco agitur, fuit etiam de numero eorum, qui contra triginta Tyrannos pugnaverunt è Piræeo prodeuntes, & forte fuit Θρασύβουλος ὁ Θράσωνος, Alcibiadis inimicus, de quo Plutarchus in Alcibiade.

Contra Aristogitonem I. partis 2. Pr. pag. 9. Post. 503.

Καὶ ὅταν συκοφάντην καὶ πικρὸν καὶ ἔχιν τὴν φύσιν ἄνθρωπον ἴδητε.	*Etiam cum calumniatorem & acerbum & natura serpentina præditum hominem videritis.*

Manifestum est debere legi καὶ ἔχιν, & ita inveni scriptum in editione Benenati.

Contra Aphobum I. Pr. pag. 13. Post. 548.

Ἀργυρίου δὲ εἰς τάλαντον ἐπὶ δραχμῇ δεδανεισμένου.	*Argenti ad unum talentum drachmæ fœnore mutuo dati.*

Intelligo ἑκάστης ἡμέρας, ut talentum produceret drachmam unoquoque die, & sic erat mediocre fœnus. Nam annus Atticus erat dierum 360, qui numerus drachmarum pars est totius summæ capitalis $16\frac{2}{3}$, & sic centum nummi sex tantum annuos producebant. Sed paucis infra lineis pro τέτταρα τάλαντα καὶ πεντακισχίλια lege καὶ πεντακισχιλίας, supple δραχμάς, & sic erunt omnia plana, quæ aliter non possunt intelligi.

Contra

Contra Onetorem. Pr. pag. 29. Post. 569.

Ἐγὼ δὲ εὐθὺς μετὰ τὸν γάμον δοκιμασθείς. | *Ego vero statim post nuptias sumta virili toga.*

Hoc loco per δοκιμασθεὶς intelligo *tutela exemptus*, *vir judicatus*, *mei juris factus*, Gallice *passé aagé*.

Ibidem.

Μετὰ τοίνυν τοῦτον τὸν ἄρχοντα Κηφισόδωρος Χίων. | *Huic igitur in pratura successit Cephisodorus Chius.*

Lege distinctim Κηφισόδωρος, Χίων. Nam Χίων est nomen Archontis, qui successit Cephisodoro, & eum magistratum gesserunt annis tertio & quarto Olymp. centesimæ tertiæ.

Contra Apaturium. Paragr. Pr. pag. 37. Post. 580.

Τῆς τραπέζης ἀνασκευασθείσης. | *Mensa eversa.*

Id est, mensa è foro exempta, quod dicunt Itali *banco rotto*.

Pr. pag. 38. Post. 582.

Αἱ δὲ λήξεις τῶν δικῶν. | *Sortitiones autem judiciorum.*

Ne quis putet intelligi debere justitium, cessationem juris dictionis, non enim à λήγω hæc vox λῆξις, sed ab inusitato λήχω, τὸ λαγχάνω. Intellige igitur *causarum sortitiones*.

Contra Lacritum. Pr. pag. 46. Post. 592.

Ἐὰν δὲ μετ᾽ ἀρκτοῦρον ἐκπλεύσωσιν ἐκ τοῦ Πόντου ἐφ᾽ ἱερόν. | *Sin post Arcturum solverint è Tonto, templum.*

Doctissimus Samuel Petitus in suo de legibus Atticis utilissimo & laborioso opere vocem ἐφ᾽ ἱερὸν interpretatus est *locum sacrum*, *ubi incola non violent Athenienses*. Ingeniose certe, vellem tam vere. Firmat eam interpretationem ex eo, quod in eadem syngrapha dicitur infra: ὅπου μὴ συλάωσιν (sic vult legi) Ἀθηναῖοι, quod interpretatur, *ubi non violent Athenienses*. Sed legendum foret συλῶσιν, nam Atticorum sunt propriæ contractiones. Harpocration vero legit σύλαι ὦσιν, & videtur intelligere clarigationes seu, ut dicimus, *represailles*, quod commodum satis habet sensum, & sic sentit etiam Henricus Stephanus. At longissime aberravit Petitus à vera interpretatione hujus syngraphæ in voce ἐφ᾽ ἱερὸν: erat enim locus in ore Bospori septentrionali sic vocatus τὸ ἱερὸν, de quo Herodotus lib. 4: τοῦ δὲ Βοσπόρου ὁ χῶρος τὸν ἔζευξε βασιλεὺς Δαρεῖος, ὡς ἐμοὶ δοκέει, συμβαλλομένῳ μέσον ἐστὶ Βυζαντίου τε καὶ τοῦ ἐπὶ στόματι ἱροῦ. *Bospori autem locus*, *quem ponte jun-*

xit Darius, ut conjectura assequor, medius est inter Byzantium & Sacrum seu Templum, quod situm est ad os Ponti. Polybius lib. 4: [1] ἀρχὴ δὲ τοῦ στόματος ἀπὸ μὲν Προποντίδος τὸ κατὰ Χαλκηδόνα καὶ Βυζάντιον διάστημα, ὃ δεκατεσσάρων ἐστὶ σταδίων, ἀπὸ δὲ τοῦ Πόντου τὸ καλούμενον Ἱερὸν — ὃ κεῖται μὲν ἐπὶ τῆς Ἀσίας, ἀπέχει δὲ τῆς Εὐρώπης ἐπὶ δώδεκα στάδια. Et eodem lib. inferius de Prusia bellum inferente Byzantinis: [2] παρείλετο μὲν αὐτῶν τὸ καλούμενον ἐπὶ τοῦ στόματος Ἱερὸν, ὃ Βυζάντιοι μικροῖς αἰώτερον χρόνοις μεγάλων ὠνησάμενοι χρημάτων, ἐσφετερίσαντο διὰ τὴν εὐκαιρίαν τοῦ τόπου. Strabo lib. 7: [3] τοσοῦτον δὲ διέχει καὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Βυζαντίων, καὶ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Χαλκηδονίων, ὅπερ ἐστὶ τοῦ στόματος τοῦ Εὐξείνου τὸ στενότατον. Et lib. 12 de Sinope: διέχει δὲ τοῦ μὲν Ἱεροῦ τρισχιλίους, *distat à sacro ter mille stadia.* Ex his patet, quam parum feliciter intellexerit doctissimus alioqui vir hunc locum propter ἀγεωγραφησίαν, quam omnis doctus vitare debet, & de locorum situ bene intelligendo sollicitus esse, nisi velit sæpius in talibus impingere. Pluribus infra seculis de eo loco mentionem fecit Procopius lib. 1 de bello Vandalico, & de ædificiis Justiniani lib. 1. Sed & nunc etiam manet illud nomen antiquum. Turcis enim dicitur *Algiro*, quod est τὸ ἱερὸν; Arabice enim *al* est articulus antecedens. Hæc dicta sint cum bona venia manium Petiti doctissimi viri & de literis optime meriti & sine offensione amicorum ejus, cujus memoria mihi sancta & cara est. Sed veritas debet esse carior. In ejus vocis interpretatione erravit etiam Nicolaus Alamannus in notis ad Procopii ἀνέκδοτα pag. 105, ubi citat verba Theophanis de Jirene Imperatrice, quæ sic habent: τῆς Ἀβύδου καὶ τοῦ Ἱεροῦ τὰ λεγόμενα κομμέρκια ἐκούφισε, sic interpretatur: *Abydi & templi vectigalium, quæ commercia vocantur, modum statuit.* Et deinde addit: *templi Blacherniani scilicet, quod est ad ostia Euxini maris, ut supra dixi ad paginam 15.* Ostia autem Euxini intelligit Bospori in Propontidem defluentis os, ut videre est in ejus verbis ad paginam 15, ubi sic ait: *templum Dei matris, quod Byzantii sanctissimum fuit, erat ad ipsa urbis mœnia & ostia Euxini maris in Blacherniano.* Sed de eo templo non loquitur Theophanes, sed de loco ἱερὸν dicto, ubi vectigalia rerum, quæ è Ponto Euxino afferebantur, colligebantur; ut rerum, quæ ab Ægæo & meridionalibus partibus subvehebantur, vectigal solvebatur in Abydo. Ita intelligendum esse patet ex ejusdem Procopii Anecdotis pag. 109: [4] πορθμὼ δύο ἑκατέρωθεν Βυζαντίου ἐστὸν, ἕτερος μὲν ἐφ' Ἑλλησπόντου ἀμφὶ Σηστόν τε καὶ Ἄβυδον, ὁ δὴ ἕτερος ἐπὶ τοῦ στόματος τοῦ Εὐξείνου.

[1] Initium oris à Propontide est ad Chalcedonem & Byzantium, quod distat stadiis 14. à Ponto vero Sacrum vocatum, quod in Asia situm est: distat vero ab Europa stadiis duodecim.

[2] Abstulit autem iis, quod in ore vocatur Sacrum, quod Byzantini paulo ante magno pretio cum emissent, sibi acquisiverant, ob loci opportunitatem.

[3] Tantum abest à Sacro Byzantiorum, & à Sacro Chalcedoniorum, quod est angustissimum spatium oris Euxini ponti.

[4] Duæ maris angustiæ hinc & inde Byzantii erant, una ad Hellespontum circa Sestum & Abydum, alia ad os Euxini ponti, ubi Sacrum vocatur.

ξείνε καλεμδύε Πόντε ε̉ τὸ ἱερὸν ὀνομάζεται. Et paulo post: ¹ πλώνιον ¹ Telonium publicum constituit in duabus angustiis. δ̕ δημόσιον κατεσήσατο ἐν πορθμῷ ἑκατέρῳ. Tum Palatium Blachernarum, quod olim extra urbem erat, longe ab ostio Euxini maris, licet ostium illud intelligatur improprie, quomodo Alamannus intelligit. Itaque non potest vocari στενὸν, ibi enim non sunt angustiæ Bospori.

Ibidem.

Ἀντιφορτισθέντα. | *Coemptas.*

Lege ἀντιφορτισθέντα, eundem errorem habent & aliæ editiones.

Pr. pag. 47. Post. 593.

Συλλαλῶσιν. | *Pignora capere non licet.*

Lege cum Harpocratione σύλαι ὦσιν. Benenati editio habet in margine ascriptum σύλα ὦσιν, de voce σύλαι diximus paulo supra.

Pr. ibidem. Post. 594.

Ἐξ Ὑπαιτιέων. | *Hypateensis.*

Lege ἐκ Ξυπεταιών, vel Ξυπετιέων, nam ille Demus varie scribitur.

Pr. pag. 48. Post. 595.

Εἰσφορῶν δ̕ λιμδύα. | *Sed in furum portum.*

Disjunge & lege εἰς φορῶν δ̕ λιμδύα, & linea sequenti similiter εἰς φορῶν λιμδύα. Nam φορῶν λίμλω fuit Atticæ portus sic vocatus *furum portus*, eo quod Piratæ & decoctores, qui non audebant Piræum portum intrare, ibi appellebant. Sic ipse Demosthenes in hac ipsa oratione infra pag. 51, ἐν φορῶν λιμδύι.

Pr. pag. 49. Post. 596.

Κτησικλέυς Ξυμπεταίων. | *Ctesiclis F. Xypetaon.*

Lege Ξυπεταιέως, vel ἐκ Ξυπεταιών.

Ad Orat. in Pantænetum. In argumento. Post. pag. 623.

Ἐργαστήριον ἐν Μαρωνείᾳ μεταλλικόν. τόπ⊕ δ̕ ἐστ⊕ τ Ἀττικῆς.	*Officinam in Maronea metallicam (est autem is Attica locus.)*

Imperitus fuit situs Maroniæ & ἀγεωγραφητὸς ille, quicunque scripsit hanc hypothesin, qui eum locum in Attica ponit, si ita scripsit. Itaque si vox Μαρωνεία sana est, lege, τόπ⊕ δ̕ ἐστ⊕ τ Θρᾴκης.

Contra

Contra Bœotum. Pr. p 67. Post. 636.

Καὶ Μενεκλέα τὸν τὴν Νῖνον ἑλόντα ἐκεῖνον.	*Et Menecle illo, qui Ninum ream peregit.*

Idem scomma contra eundem Meneclem repetitur infra in oratione de dote contra eundem Bœotum. Sine ariolo difficile est dicere, quid significet τὴν Νῖνον ἑλόντα. Notum est Ninum fuisse olim urbem maximam Assyriorum regum sedem & regiam, forte ille Menecles habebat quoddam scortum nomine Νινώ, ideo ridebant de eo & dicebant eum τὴν Νῖνον ἑλεῖν, *Ninum cepisse.* Sed hoc est εἰκάζειν, quod in talibus solum licet.

Pr. pag. 68. Post. 638.

Ὡς ὁ πατὴρ αὐτοῦ δεκάτην ἐποίησεν ὥσπερ ἐμοῦ.	*Patrem pro se perinde ut pro me fecisse decimam.*

Ad hunc locum intelligendum & illustrandum facit omnino locus Suidæ in voce δεκάτην, ubi sic ait: ἔθος ἦν παίδων συγγινομένων ἐν τοῖς Ἀθηναίων ἀστοῖς τῇ δεκάτῃ τῶν νυκτῶν ἀπὸ τῆς γενέσεως συγκαλεῖσθαι τοὺς ἀπὸ πατρὸς καὶ μητρὸς οἰκείους, καὶ τοὺς ἐγγύτατα φίλους, καὶ παρόντων ἐκείνων τά τε ὀνόματα τοῖς παισὶ τίθεσθαι, καὶ καλλιερεῖσθαι τοῖς θεοῖς, ἔπειτα εὐωχεῖσθαι τοὺς συνεληλυθότας, καὶ τοῦτο ἦν ἡ δεκάτη, id est, *mos erat Atheniensibus, quando liberi nascebantur, decima à nativitate nocte convocare paternos & maternos cognatos & familiares amicos, & in eorum præsentia nomen infantibus imponere, & diis sacrificare, & convivio convocatos excipere, & hoc erat, quod decima vocabatur.* Sic Demosthenes infra pag. 76: τὸν πατέρα μου δεκάτην αὐτῷ ἑστιᾶσαι.

Pr. pag. 69. Post. 639.

Εἰς γὰρ Ἀκαμαντίδα ὁμοίως ἐξῆν σοι φοιτᾶν.	*Nam Acamanteam æque tibi frequentare libuisset.*

Supra dixit Mantiam patrem fuisse Thoricium. Thoricus autem fuit Acamantidis tribus. Ideo contra Bœotum concludit cum seipsum non existimasse fuisse Mantiæ filium, quando Hippothoontidi se accensebat.

Ad Macatartum. Pr. pag. 83. Post. 658.

Ἀγνία τῷ ἐξόιου.	*Agniæ Polemonis filio.*

Lege divisim τῷ ἐξ Οἴου. Fuit enim Οἶον nomen pagi seu demi Attici, & sic etiam corrige infra, ubi id nomen & is error sæpius repetitus est.

Pr. pag.

Pr. pag. 85. Post. 660.

Βὐσελος γὰρ ἦν ἐξοίνυ. | *Buselus Exœi filius.*

Lege ἐξ Οἴυ.

Pr. ibidem. Post. 661.

Ὁ γὰρ Φίλαγρος ἀδελφὸς ἦν Εὐβυλίδυ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Ἁγνίυ. | *Philager enim filius fuit Eubulidæ, fratris Hagniæ.*

Redundat vox ἀδελφὸς, ut ex tota oratione patet. Lege ὁ γὰρ Φίλαγρος υἱὸς Εὐβυλίδυ. Tum manifeste vitiosa est vulgata lectio: nam si Philagrus fuisset frater fratris Agniæ, fuisset etiam frater Agniæ, & frustra diceretur frater Eubulidis, de cujus hæreditate non agitur; sed dici debebat Agniæ frater, de cujus clero quæritur. Sed ut planiora hæc fiant & non laboret lector in legenda hac oratione, ecce tibi proponimus Agniæ stemma, ut ex ipsa oratione colligitur.

Buſelos ἐξ Οἴου

- Hagnias
  - Polemon
    - Hagnias de cujus ſucceſione lis eſt.
  - Philomache Philagro nupta.
- Eubulides
  - Philagros, cujus duæ uxores
    - 1 Philomache Hagniæ ex qua natus
      - Eubulides
        - Calliſtratus qui ex Habronis nepte matrem Soſithei genuit
        - Philomache, cui maritus, qui perorat, Soſiſtheus, Soſiæ F. & horum liberi
          - Soſias ab avo paterno dictus
          - Eubulides ab avo materno adoptatus, & contra Macartatum litem habens de Hagniæ ſucceſſione.
          - Meneſtheus
          - Calliſtratus
    - 2 Teleſippa ex qua
      - Meneſtheus
  - Euctemon ὁ βασιλεύσας
- Stratios cujus
  - Phanoſtrate.
    - Stratocles
    - Theopompus cui ex Apolexide filia Proſpaltii, Macartati ſorore
      - Macartatos qui in jus vocatur
  - Charidemus.
- Habron.
  - Filia
    - Neptis uxor Calliſtrati, qui parentes Soſithei
- Cleocritus

Pr. pag.

Pr. pag. 87. Post. 664.

Προσκλαίουσα ἔτι ζῆν Εὐκτήμονα ἐκ πατραδέλφων ἀδελφὸν ὄντα Εὐκτήμονι.	*Instituta, adhuc superstitem fuisse Euctemonem, fratrem patruelem Polemonis.*

Lege ἐκ πατραδέλφων ἀνεψιὸν ὄντα, aliter sensus absurdus foret.

Pr. pag. 88. Post. 665.

Τινὸς ὢν πατρὸς; Εὐβουλίδου τοῦ Ἁγνίου ἀνεψιοῦ. μητρὸς δὲ τινὸς; Φιλομάχης ἦν Ἁγνία ἀνεψιοῦ παῖς πρὸς πατρός· ὁ Εὐβουλίδης δὲ τινὸς ἦν πατρὸς;	*Quo patre natus? Eubulide Hagnia patrueli. qua matre? Philomache ex Hagnia patrueli fratre nata. Eubulides cujus fuit patris?*

Putaveram primo debere scribi pro Εὐβουλίδου τοῦ Ἁγνίου ἀνεψιοῦ Σωσιθέου τοῦ &c. Sed mutavi sententiam, nam puto se bene habere hanc lectionem. Nam quamvis Sositheus fuerit natura pater, tamen dixit supra eum dedisse filium Eubulidæ, & duxisse ad ejus gentiles. Sed puto aliquid deesse in sequentibus, & sic debere legi: μητρὸς δὲ τινὸς; Φιλομάχης, ἥτις ἦν τοῦ Ἁγνίου ἀνεψιοῦ παῖς πρὸς πατρὸς &c.

Contra Leocharin. Pr. pag. 93. Post. 671.

Δίκαια δὲ καὶ φιλάνα φανοῦνται λέγοντες.	*Sed æqua tamen & humana dicere videbuntur.*

Pro φιλάνα aliæ editiones habent φιλάνθρωπα, at ego mallem πιθανά.

Ibidem.

Λυσίου τοῦ Κελοσέως θυγατέρα.	*Lysippi Crioensis filiam.*

Lege meo periculo τοῦ Κρωέως, fuit enim Κρίωα Atticæ pagus vel demus.

Contra Stephanum de Falso Testimonio.

Pr. pag. 103. Post. 614.

Ἀπολλόδωρος Πασίωνος Ἀχαρνεύς, Στέφανος Μενεκλέος Ἀχαρνεῖ.	*Apollodorus Pasionis f. Acharnensis Stephanum Meneclis f. Acharnensem.*

Sic habent editiones; at legendum Στεφάνῳ Μενεκλέους Ἀχαρνεῖ, ut exigit formula.

Pr. pag. 106. Post. 617.

Καὶ ἣ τὰ καταχύσματα αὐτοῦ κατέχεε.	*Quæ enim initiarat.*

De hoc more affusionum, quæ fiebant, quando servos recenter emptos in domini domum recipiebant, vide Scholiasten Aristophanis ad fabulæ Plutus hæc verba actus tertii scenæ secundæ: Φέρε νυνὶ ἰοῦσα εἴσω κομίσω καταχύσματα, *age nunc intro ibo, & afferam catachysmata.*

Pr. pag. 108. Post. 621.

Ἐπὶ Νικοδήμου ἄρχοντος.	*Nicodemo prætore.*

Lege Νικοφήμου, ut supra pag. 86.

Contra Euergum & Mnesibulum. Pr. pag. 111. Post. 680.

Πολλοὶ περιέστηκασι ἐπακούοντες.	*Multi circumsistunt auscultantes.*

Sic habent editiones, mallem tamen παρέστηκασι, id est, adsunt, præsentes sunt.

Pr. pag. 112. Post. 681.

Ἵνα εἰδῆτε ὅτι οὐ μόνον ἐμοῦ ἀδίκως καταδικάσαιτο τῶν δικαστῶν ἀλλὰ καὶ ἐξαπάτησας τῆς βουλῆς ἅμα τῶν πεντακοσίων τῇ αὐτῇ ψήφῳ.	*Vt sciatis non me solum iniquo per eum judicio circumventum, deceptis judicibus, sed & senatum quingentorum eadem sententia esse condemnatum.*

Hæc luxata sunt & confusa. Editio Benenati habet ad marginem asscriptum sic: καταδικάσαιτο ἀλλὰ καὶ ἐξαπατήσας τῶν δικαστὰς καὶ τὴν βουλὴν ἅμα τῶν πεντακοσίων, quæ lectio multo melior est. Sed mihi venit in mentem altera lectio, quæ minimum recedit à vulgata, & meliorem sententiam exhibet. Nam non mihi arridet hæc phrasis: ἐμοῦ καταδίκασαιτο, quæ litiganti non convenit, sed judici: nam litigant partes, judex vero καταδικάζει *condemnat.* Itaque sic mallem legi: οὐ μόνον κατ᾽ ἐμοῦ ἀδίκως καταδεκάσαιτο τῶν δικαστὰς, ἀλλὰ καὶ ἐξαπατήσας ἅμα τὴν βουλὴν, &c. id est, *non solum injuste contra me judices corrupit, sed etiam &c.* Δεκάζειν optime convenit huic loco, & sumitur in proprio significatu. Sic Synesius epist. dixit, δεκάσαι τὰς ψήφους, *corrumpere suffragia*, in eodem sensu.

Ibidem.

Ibidem.

Τοὺς ὀφείλοντας παραλαβεῖν τὰ σκεύη.	*Eos qui armamenta deberent, recipere.*

Sensus mihi videretur planior & melior, si legeretur παραβάλλειν τὰ σκεύη, id est, *ii qui sunt debitores* (publico scil.) *deponere debent instrumenta.*

Pr. pag. 113. Post. 683.

Καὶ ἀκούων τὸν Θεόφημον τῶν πεπλησιακότων, οἷος εἴη περὶ τὰ διάφορα.	*Et audirem ex iis, quibus cum Theophemo res fuerat, quo esset in controversiis ingenio.*

Sic habent editiones, quæ mihi contigit videre: at nullum commodum sensum elicere licet ex his verbis, ut leguntur, quæ sic emendare tentabam: ὡς εἴη περὶ τὸ διαφορεῖν, id est, *quod erat attentus ad distractionem instrumentorum*, quod idem est ac si dixisset, *quod bona distrahebat.*

Pr. pag. 114. Post. 684.

Ἡ δὲ αἰκία, τοῦτ' ἐστὶν ὃς ἂν ἄρξῃ πρότερος χειρῶν ἀδίκων.	*Ea vero verberatio est, si quis prior per injuriam alteri manus attulerit.*

Si quid habeo acuminis, legendum est ἡ γὰρ αἰτία, id est, *controversia, quæstio, causa in eo vertitur, uter prior cœperit vim intentare.*

Pr. pag. 115. Post. 685.

Καὶ ὁ στρατηγὸς Ἀλκίμος.	*Quod Alcimus Imperator.*

Infra pag. 117 vocatur Ἀλκίμαχος: utrum nomen verius sit, dubium. Suidas Ἀλκίμαχον Ἀναγυράσιον στρατηγὸν habet, sed non est certum de hoc intelligi debere, tamen eo inclinat animus.

Pr. ibidem. Post. 686.

Ἐπὶ τοὺς οἰκέτας ἦξαν.	*In famulos impetum fecerunt.*

Legendum ἤϊξαν.

Pr. pag. 117. Post. 688.

Ὡς ῥᾷστα τῇ συμφορᾷ φέρειν.	*Quam æquissimo animo ferto calamitatem.*

Lege τὴν συμφοράν.

Contra Olympiodorum. Ad argumentum.
Pr. pag. 118. Post. 690.

Ὡς δὲ ἐπανῆλθεν ἀπὸ τῆς στρατιᾶς Ὀλυμπιόδωρος, πάλιν δι' ἐκεῖνα χρῆται.	*Vt autem è bello redit Olympiodorus, iterato judicio adversus victores utitur.*

Sic editiones. Sed absurdum sonat ea lectio. Puto legendum πάλιν διαδικασίᾳ χρῆται, optimo sensu, id est, *rursus experitur judicio.*

Contra Timotheum. Pr. pag. 125. Post. 698.

Ἐπειδὴ δὲ ἀπεχειροτονήθη ὑφ' ὑμῶν στρατηγός.	*Cum vero vestro suffragio improbaretur.*

Hæc historia extat, sed summatim, apud Xenophontem Hellenicorum 6 pag. 342, & ex hoc loco & tota hac oratione quædam addi possunt ad vitam Timothei, quam scripsit Cornelius Nepos.

Pr. pag. 126. Post. 700.

Καὶ καταγομένων εἰς τὴν οἰκίαν τὴν ἐν Πειραιεῖ, τὴν ἐν τῇ Ἱπποδαμείᾳ.	*Et in ejus ædes in Piræeo, quæ sunt in Equidomitorio.*

Ἱπποδάμεια vel Ἱπποδάμειος ἀγορὰ fuit, cujus mentionem fecit Xenophon Hellenicorum secundo, & Andocides in orat. de Mysteriis. Suidas in hac voce ait forum illud ita vocatum ab Architecto Hippodamo, qui Piræeum portum ædificaverat.

Pr. pag. 131. Post. 707.

Ὕστερον δὲ καταπλεύσας καταλαβεῖν.	*Et post reversus deprehendi.*

Sententia requirit, ut legatur κατέλαβεν.

Pr. pag. 135. Post. 712.

Ἀναβαίνει Κάλλιππος ὁ Φίλωνος ὁ ἐξωνιδῆς.	*Conscensa Callippus Philonis f. Æxonensis.*

Lege ὁ Αἰξωνιδῆς, à pago seu demo, qui Αἰξώνη vocabatur in Attica.

De Corona Trierarchiæ. In argumento.
Post. pag. 715.

Τὸν δὲ μὴ πρὸ τῆς ἕνης καὶ νέας — περιορμίσαντα τὴν	*Qui vero ante pridie Calendarum — navem ad vallum*

ναῦν ἐπὶ τὸ χῶμα τεθῆναι.	*lum non perduxisset, vinciretur.*

Melius editio Benenati exhibet δεθῆναι. Nam patet sic legendum esse ex ipsa oratione, ubi ait δῆσαι καὶ δικαστηρίῳ παραδοῦναι.

Pr. pag. 137. Post. 716.

Ὡς ἂν ἐπειρῶντο ἐμοῦ πρότεροι.	*Se ante me conatos esse.*

Lege conjunctim ἀνεπειρῶντο. Verbum est solenne in eo significatu, id est, *periculum fecerunt, num triremis bene instructa foret remigibus & catero instrumento.* Ea voce in eo significatu & alii.

Pr. pag. 138. Post. ibidem.

Ταῦτα τοίνυν εἰδότες ὄντοι πεπραγμένα.	*Cum autem isti sciunt se esse in delicto & crimine.*

Tolle accentum circumflexum, & lege τ᾽ αὐτὰ, id est, *eadem.*

Pr. pag. ibidem. Post. 717.

Προδικάζειν ἑτέρους ἀδικοῦς εἶναι.	*Cateros ad injuriam faciendam incitari.*

Sic & aliæ editiones; sed in margine Benenatianæ adscriptum est προδιδάσκειν, quod melius.

Contra Callippum. Pr. pag. 140. Post. 719.

Ἀρχεβιάδης Λαμπρεύς.	*Archebiades Lamprensis.*

Lege Λαμπτρεὺς ex nomine demi, cui nomen erat Λαμπτραί.

Contra Cononem. Pr. pag. 146. Post. 728.

Φανοστράτου τοῦ Κηφισιέως.	*Phænostrato Cephisiense.*

Lege τοῦ Κηφισιέως, cujus rectus Κηφισιεὺς à demo Attico, cui nomen Κηφισία.

Pr. pag. 147. Post. ibidem.

Κρατεῖν τοῖς ἀγκῶσι.	*Plangere cubitis.*

Benenatus habet τοῖς ἀγκῶσι, & in margine κροτεῖν, unde efficitur κροτεῖν τοῖς ἀγκῶσι, optime.

Pr. pag. 148. Post. 730.

Καὶ ὑγιὴς ἐξελθεῖν φορά δην ἦλθον οἴκαδε.	*Et sanus egressus domum reportarer.*

Male congruit sensus; credo Demosthenem scripsisse καὶ ὑγιαίνων ἐξελθών.

Ibidem.

Ibidem.

Εἰ γὰρ ἔτως τὸς ἑαυτῦ παιδὰς προσῆκε. | *Si enim sic educasset filios suos.*

Legendum προσάγει, vel προσῆγε, vel προσῆχε, *Instituit, educat* vel *educavit.*

Contra Theocrinem. Pr. pag. 172. Post. 516.

Ὑπὲρ ἧς Ἀριστοκράτης ὁ Σκελλιὰθιος. | *Pro qua Aristocrates Scelli f. avunculus.*

Lege ὁ Σκελλίου. De hoc Aristocrate Scellii filio & de demolitione Ectioniæ, de qua hic fit mentio, vide Thucydidem lib. 8.

Contra Neæram. Pr. pag. 181. Post. 528.

Ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγνυται τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. | *Quotannis enim semel aperitur pridie Idus Novembris.*

Scilicet hoc festum est, quod ἀρχαῖα Διονύσια dicebatur: triplex enim erat festus dies Dionyso dicatus Athenis, hic scilicet, de quo hîc sermo. Διονύσια Λήναια, qui & τὰ κατ' ἀγρὺς in fine mensis Posideonis celebrabantur: & Διονύσια τὰ κατ' ἄστυ, quæ & *magna Dionysia* dicebantur, & in decimum sextum Elaphebolionis diem cadebant.

Pr. pag. 183. Post. 531.

Περιτειχίσαντες δέκα ἔτη. | *Decennium muro circumdato.*

Peccat contra historiam hic numerus. Lege δύο ἔτη ex Thucydide & aliis.

Pr. pag. 187. Post. 534.

Λυσίμαχος Λυσίππυ Αἰγιαλεὺς. | *Lysimachus Lysippi f. AEgialensis.*

Lege Αἰγιλεὺς, vel Ἀγγελεὺς. Nam fuit Αἰγίλα pagus seu demus Antiochidis tribus, & Ἀγγέλη Pandionidis.

Ad Epitaphium. Pr. pag. 189. Post. 156.

Ἃς Ὑακινθίδας καλῦσιν. | *Quas Hyacinthidas vocant.*

Eo nomine dictæ sunt, quod una ex iis Lusia nomine filia erat Hyacinthi cujusdam. Ideo non omnes erant Erechthei filiæ. Hæc ait Stephanus in Λυσία.

JACOBI



JACOBI PALMERII

A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES

AD

GRÆCOS RHETORAS

IMPRESSIONIS ALDINÆ.

AD

ÆSCHINIS EXEGESIN

Ab Apollonio scriptam.

Pag. 4.

Ἦν δὲ καὶ ἕτερος ῥήτωρ Αἰσχίνης Ἐλευσίνιος.

Ex hoc loco dubium emergit, an corrigendus sit ex eo Ælius Aristides in oratione Platonica prima pro rhetorica, ubi legitur Αἰσχίνης ὁ Λυσανίου, & legendum sit ibi pro ὁ Λυσανίου Ἐλευσίνιος; an contra ex loco Aristidis corrigendus sit Apollonii textus, & legendum sit ὁ Λυσανίου pro Ἐλευσίνιος. Aliunde lux non affulget, & potuit esse idem Αἰσχί-

νης ὁ Λυσανίου Ἐλευσίνιος. Ideo nihil mutandum est, donec aliunde veritas emergat.

Ibidem.

Καὶ συμπαραπέμπων μετ' Ἀλκιβιάδου καὶ τῶν ξένων τὴν εἰς Φλιοῦντα πομπήν.

Quænam fuit hæc pompa? nulla, mendum est, repone ex ipso Æschine infra in oratione περὶ παραπρεσβείας pag. 50 τῶν ξένων τὴν εἰς Φλιοῦντα παραπομπὴν, id est, *deductionem*.

Pag. 5.

Μὴ δηγορεῖν.

Lege δημηγορεῖν.

Pag. 11.

Περεεῖ.

Lege Περαιεῖ.

Pag. 14.

Τὰς ἐξ ἀνθρώπων πληγάς.

Lege ἐξανθρώπους, id est, *inhumanas, crudeles*.

Ibidem.

Ἀρισοφῶντα τῷ Ἀξηνιεῖ.

Vel legendum est Αἰξωνεῖ, vel Ἀζηνιεῖ, quod ultimum præfero: sæpissime enim accidit, ut ζ & ξ unum pro altero ponantur. Ἀζηνιὰ demus est Hippothoontidis tribus, de quo Hesychius, Suidas, Harpocration, Stephanus, ipse Æschines infra pag. 26 & 70 & 77, ubi semper gentile Ἀζηνιεύς.

Pag. 15.

Ἡγήσανδρος Διφίλου Στειριεύς.

Repone Στειριεύς. Στειρία enim demus est Pandionidis, de quo Pausanias in Phocicis, qui Στειρίαν videtur nominare, Hesychius, Harpocration, Stephanus. Aristophanis Scholiastes ad Ranas habet Στιριεύς, in eo credo corrigendus. Inde domo fuit Thrasybulus ille decantatus, qui ubique Στειριεύς dicitur, ut apud Plutarchum in Alcibiade & aliis.

Pag. eadem.

Τιμάρχῳ ὁμιλῶν τῇ αὐτῇ ἀρετῇ ἢ καὶ τὸ πρότερον Λεωδάμαντι.

Puto

Puto legendum *τῇ αὐτῇ αἱρέσει*, id eſt, *eodem vitæ genere.*

Contra Timarchum. pag. 16.

Οὐδ' ἂν λαβεῖν αὐτοὺς ἠδυνήθητε. | *Riſu pene emortui eſſetis.*

Manifeſtum eſt debere legi, οὐδ' ἀναλαβεῖν ἑαυτοὺς, id eſt, *non potuiſtis vos recolligere & à riſu temperare.*

Pag. 17.

Ἠτιάσατο τινὰς εἶναι οἵπερ ἄρα ἐνεχείρουν σωδικάζειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τ' ἄλλα δικαστήρια. | *Conqueſtus eſt eſſe quoſdam qui inſtituerent corrumpere concionem cæteraque judicia.*

Ex hoc loco colligitur non licuiſſe Athenis privata judicia exercere, dum populus in Pnyce convocatus erat ad deliberandum de republicæ negotiis, & legem fuiſſe [1] Ἐκκλησίας γινομένης μηδένα δικάζειν, quod elicitur etiam ex Demoſthene contra Timocratem, ex his verbis: ἀδυνάτου δ' ὄντος αὐθήμερον ἐκκλησίαν ἅμα καὶ δικαστήριον γενέσθαι.

[1] Dum convocatio populi fit, litigare nemini.

Ad Orationem περὶ παραπρεσβείας. pag. 34.

Περὶ Πτολεμαίου, ὃς ἦν ἐπίτροπος καθεστηκὼς τῶν πραγμάτων. | *De Ptolemæo, cujus auctoritati ſumma rerum commiſſa fuerat.*

Ptolemæus ille erat, qui Alorites dicebatur, & Amynta rege necato regnum Macedoniæ occupaverat, & poſtea à Perdicca necatus eſt. Vide Diodorum lib. 16 & Plutarchum in Pelopida.

Ibidem.

Ὡς Περδίκκας εἰς τὴν ἀρχὴν καταστάς. | *Vt Perdiccas ſuſcepto regno.*

Lege καταστάθεις.

Ibidem.

Ἐψηφίσατο Ἀμφίπολιν. | *Decreviſſet Amphipolim.*

Ex ſequentibus patet legendum ἀπεψηφίσατο.

Pag. 38.

Οἱ τότε μὲν ταλαιπώρους νησιώτας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἑξήκοντα τάλαντα εἰσέπραττον. | *Qui à miſeris inſularibus quotannis LX talenta exigebant tributi nomine.*

Totus hic locus cum præcedentibus & ſequentibus non bene cohæret,

hæret, & videtur esse hiulcus; certe oratio non est perfecta, & deest quoddam verbum, & forte plura, ut sententia commoda perficiatur: at sine ope manuscriptorum, qui mihi desunt, suppleri non potest.

Pag. 42.

Καὶ δεκαταλάντους δίκας ἑαυτῷ τῶν ἐπιτρόπων λαγχάνων.	*Et in suos tutores denum talentum actiones instituisset.*

Lege δίκας κατὰ τῶν ἐπιτρόπων λαγχάνων, plano sensu.

Ibidem.

Βοιωτῶν τὰ χείχη.	*Bœotias civitates.*

Lege τὰ τείχη.

Pag. 43.

Λέγων ὅτι πέμψει ἡμᾶς Ἀθηναῖοι.	*Præfatus missos esse nos ab Atheniensibus legatos.*

Solœcisat hæc oratio. Lege ἔπεμψαν ἡμᾶς.

Pag. 44.

Κατηριθμησάμην ἔθνη δώδεκα τὰ μετέχοντα τοῦ ἱεροῦ Θετταλοὺς, Βοιωτοὺς, &c.	*Enumerabam porro gentes* XII, *quæ templi participes essent: Thessalos, Bœotios,* &c.

Diversus ab ea enumeratione est catalogus Pausaniæ, quem vide in Phocicis. Id non est mirum: nam ex eodem Pausaniæ loco disces aliquando mutationes in eo factas, & sublatis Phocensibus Macedonas insertos fuisse in eum numerum.

Pag. 45.

Ἀλπωνόν.	*Alponum.*

Herodotus in sexto Ἀλπηνὸν habet per η. Hellanicus vero vocaverat Ἀλπωνὸν, ut hic Æschines, si fides Stephano.

Pag. 49.

Εὐφιλήτου Κηφισέα.	*Euphileti f. Cephisiensem.*

Scribendum Κηφισιέα. Nam nomen Demi, à quo hoc gentile deducitur, est Κηφισία Erechtheidis tribus, à quo fit Κηφισιεὺς, ut Antiphon & alii innumeri.

Pag. 50.

Πρώτην δ' ἐξελθὼν στρατείαν	*Primum in militiam profectus sum,*

τὴν ἐν τοῖς μέρεσι καλουμένην.	*ſum, quæ Mereſiana nominatur.*

Quid ſit στρατεία ἐν τοῖς μέρεσι, non cuivis tam notum eſt. Olim putaveram quandam expeditionem ſic nominatam fuiſſe, & intelligebam de ea ad Phliuntem, de qua ſtatim loquitur: at ejus appellationis rationem excogitare incaſſum laborabam. Poſtea vero ex Suida aliquantum lucis affulſit, unde deprehendi fuiſſe corpus quoddam militiæ, quod componebant Tirones, qui nuper exceſſerant ætatem τῶν περιπόλων; ſic enim ille Grammaticus in voce Τερθρεία. Καὶ τὴν ἐν τοῖς μέρεσι καλουμένην μάχην, οἱ δὲ ὅτι ἔθος ἦν τοὺς ἐφήβους, μετὰ τὸ γενέσθαι περιπόλους τῆς χώρας, στρατεύεσθαι μὲν, εἰ συμβαίη πόλεμος, μὴ μέντοι μετὰ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἰδίᾳ ἐν μέρεσι τοῖς ἀκινδυνώοις τῆς μάχης, διὸ τὴν στρατείαν καλεῖσθαι τὴν ἐν τοῖς μέρεσι; id eſt, *& eam, quam in partibus vocant pugnam, alii dicunt, quod mos erat, ephebos, poſtquam circuitores regionis fuiſſent, in milites legi ſolere, ſi bellum ingrueret, non quidem cum aliis, ſed ſeparatim in tutioribus partibus totius aciei: ideo eam militiam vocari in partibus.* Hæc Suidas, quæ amplecti neceſſe eſt, cum nihil alibi inveniatur, & mirum eſt certe tam raram ejus rei apud auctores factam fuiſſe mentionem.

Ibidem.

Τὴν ἐν τοῖς ἐπωνύμοις καὶ τοῖς μέρεσιν ἐξῆλθον.	*Vt Eponymiana & Mereſiana interfui.*

Gratias quam maximas Harpocrationi lexicographo, qui locum Ariſtotelis ex Athenienſium republica nobis ſervavit, ex quo intelligere poſſumus, quid fuerit στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις, & qui fuerint iſti ἐπώνυμοι. Nam hic ſolus Æſchinis locus de iis mentionem fecit præter illum Ariſtotelis libri, qui non extat. Sic igitur Harpocration: τίς ἦν ἐν τοῖς ἐπωνύμοις στρατεία, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ λέγων. Εἰσὶ γὰρ ἐπώνυμοι δέκα ἐκ τῶν φυλῶν, δύο καὶ τετταράκοντα οἱ τῶν ἡλικιῶν. οἱ δὲ ἔφηβοι ἐγγραφόμενοι πρότερον μὲν εἰς λελευκωμένα γραμματεῖα ἐνεγράφοντο, καὶ ἐπεγράφοντο αὐτοῖς ὅ τε ἄρχων, ἐφ' οὗ ἐπεγράφησαν, καὶ ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ προτέρῳ ἔτει ἀποδεδημηκώς. νῦν δὲ εἰς τὴν βουλὴν ἀναγράφονται. Καὶ μετ' ὀλίγα· Χρῶνται δὲ τοῖς ἐπωνύμοις καὶ πρὸς τὰς στρατείας καὶ ὅταν ἡλικίαν ἐκπέμπωσι, προσγράφουσι, ἀπὸ τίνος ἄρχοντος Ἐπωνύμου μέχρι τίνος δεῖ στρατεύεσθαι. Hæc Latinè ſic redduntur: *quænam erat militia in Eponymis, oſtendit Ariſtoteles in Athenienſium rep. dicens. Sunt Eponymi decem quidem, qui tribuum dicuntur,*

quadraginta duo vero qui ætatum. Ephebi enim primum quidem in dealbatis tabellis inscribebantur, & adscribebatur Archon, sub quo inscripti fuerant, & Eponymus, qui primo anno erat in urbe; nunc vero in consilio inscribuntur. Et paulo post: Vtuntur autem eponymis ad expeditiones militares, & quando ætates foras mittunt, inscribunt à quonam Archonte eponymo, & usque ad quem debent militare. Ergo στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις dicebatur ea, quæ jam computabatur viro utiliter in numerum annorum 42, quibus ex lege tenebatur militare, & sic opponebatur τῇ στρατείᾳ τῇ ἐν τοῖς μέρεσι, & τῶν περιπόλων, & ideo eas conjungit Æschines, ut omne genus militiæ comprehendat. Eponymi igitur Archontes erant unicuique viro quadraginta duo ab anno octodecimo usque ad sexagesimum.

Contra Ctesiphontem. pag. 63.

Οὗτός ἐστιν, ὦ Ἀθηναῖοι, ὁ πρῶτος ἐξευρὼν Σέρριον τεῖχος, καὶ Δορίσκον, καὶ Ἐργίσκην, καὶ Μυργίσκην, καὶ Γάνος, καὶ Γανίδα, χωρία

Hic ille est, Athenienses, qui primus Serrium murum, Doriscum, Ergiscam, Murgiscam, Ganos, Ganidem reperit loca.

Vocem Μυργίσκην non puto debere aut tolli aut emendari, licet nullibi forte fuerit ea urbs seu castrum, & in proclivi foret reponere Μύρκιον. Sed eam Μυργίσκην finxit, credo, Æschines ridiculi causa ex locorum eorum communi ignoratione, quos recensuerat Demosthenes, ut Philippi usurpationes plures notaret, & sic nomina ignorabilia & non satis nota fingebat è sua memoria elapsa fuisse, & sic subsannabat Demosthenem, qui nullius nominis & momenti loca magni faciebat, ut populum Atheniensem deciperet, terreret, & contra Philippum irritaret.

Pag. 66.

Καὶ συναθροίσαντες δύναμιν ἱκανὴν ἐκ τῶν Ἀμφικτυόνων, ἐξηνδραποδίσαντο τοὺς ἀνθρώπους, &c.

Magno itaque ex Amphyctionibus exercitu comparato, belloque illato, eos in servitutem redegerunt.

In hac expeditione narranda dissentiunt Strabo & Pausanias. Ille enim lib. 9 hujus expeditionis ducem facit Eurylochum Thessalum: Pausanias vero in Phocicis Clisthenem Sicyoniorum tyrannum cum Solone Atheniensi nulla Eurylochi facta mentione. Polyænus vero Stratagematum lib. 6 Eurylocho tribuit stratagema, quod ab aliis Soloni

Soloni tribuitur, hellebori scilicet mixturam aquæ, qua utebantur obsessi. Sic variant in rebus tam antiquis auctorum testimonia.

Ibidem.

Τοῖς Ἀμφισσεῦσιν.	*Amphissensibus.*

Lege τοῖς Ἀμφισσεῦσιν.

Pag. 67.

Δελφῶν ὅσοι ἐπιδόντες ἡβῶσιν.	*Quotquot è Delphis pubertatem superassent.*

Lego, ὅσοι ἐπιδημοῦντες, id est, *quotquot erant tunc in urbe puberes.*

Pag. 70.

Θράσων ὁ Ἀρχιεὺς.	*Thraso Archieus.*

Lege Ἐρχιεύς. nam Ἔρχια vel Ἐρχία demus fuit Atticæ tribus Ægeidis multis auctoribus memoratus.

Pag. 73.

Λακεδαιμόνιοι μὲν καὶ τὸ ξενικὸν ἐπίτυχον μάχῃ.	*Lacedæmonii & externus exercitus secundum fecerant prælium.*

Forte legendum ἐπέτυχον.

Pag. 76.

Ἐστί που τὸ τῶν στρατηγῶν ὄνομα· οὐδαμοῦ, ἀλλὰ τὸ τοῦ δήμου.	*Estne hic usquam ducum nomen literis expressum? nusquam, sed est populi.*

Si quis velit discere, quis fuit ille dux seu στρατηγὸς, cujus nomen suppresserunt hæc epigrammata, sciat fuisse Cimonem Miltiadis filium, & adeat Plutarchum in ejus vita.

Pag. 77.

Ἔναυλον γὰρ ἦν ἔτι τότε πᾶσιν.	*Hærebat enim etiam tum in auribus atque animis omnium.*

Elegans locutio & satis rara; est autem metaphora sumpta ab iis, quibus post tibiarum sonum aures adhuc personant. Id est, *notum est & inculcatum auribus ut tibiarum sonus.*

Pag. 81.

Ἐλθὼν εἰς τὰ ἔνναta.	*Quum ad sacrificia novendialia venerit.*

Ἔνναta

Ἔνναθ᾽ puto fuisse novendiale epulum, quod post novem dies à cadavere condito dabatur consanguineis.

Pag. 85.

Absoluta oratione contra Ctesiphontem aliquid de tempore, quo perorata fuit, dicendum est, quando ea oratio ansas quasdam nobis præbet, unde aliquid decernere possumus de anno, quo factum est id celebre certamen judiciale. Dixit Æschines supra pag. 84. [1] ἡμερῶν μὲν ὀλίγων μέλλει τὰ Πύθια γίνεσθαι. Unde necessario colligimus hoc judicium incidisse in tertium alicujus Olympiadis annum. Nam Pythicus agon semper in tertium Olympiadis annum recurrebat. Rursus ait supra pag. 73: [2] ὁ δὲ Ἀλέξανδρος ἔξω τῆς ἄρκτου καὶ οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν πάσης μεθειστήκει. Loquitur autem, ut ait ibi, ὑπὲρ τῶν νυνὶ καθεστηκότων, id est, *de statu rerum, ut tunc erat*. Hæc autem tam longinqua Alexandri expeditio evenit anno post pugnam in Arbelis pugnatam, quæ incidit in annum, quo Aristophanes erat Archon Athenis mense Pyanepsione, ut nos docet Arrianus lib. 3. Post Aristophanem vero Aristophon fuit Archon. Ergo Aristophonte Archonte orationem hanc oravit Æschines, & concordat is annus cum iis, quæ dixit de Pythiis imminentibus. Nam Aristophon fuit Archon anno 3 Olympiadis 112. Pythia autem Mæmacterione mense vel circiter celebrabantur, ut conjicitur ex Demosthenis oratione de Corona, & oratione de vitiosa legatione simul collatis. Nam in oratione de Corona recitat decretum mense Mæmacterione factum, dum Philippus Phocenses evertebat: oratione vero de falsa legatione ait ob eas turbas non potuisse Athenienses mittere Theoros ad Pythia. Ex supra notatis igitur necessario concluditur hanc orationem contra Ctesiphontem pronuntiatam fuisse Aristophonte Archonte anno tertio Olympiadis centesimæ duodecimæ, mense Pyanepsione finiente vel Mæmacterione incipiente. Hæc scripseram, cum incidi in locum Plutarchi in Demosthenis vita, & maxime gavisus sum, cum eum vidi meam sententiam firmare: ait enim expresse Aristophonte Archonte hoc judicium factum fuisse.

[1] *Post paucos dies incidebant Pythia.*

[2] *Alexander autem extra ursam & terram habitabilem fere omnem exierat.*

AD

AD LYSIAM.

DE ERATOSTHENIS CÆDE.

Pag. 94. Et edit. Hanoviensis 1615. pag. 511.

Πανδημεὶ γέραν εἰ κατέλαβον. | *Vniversi simul Geraniam occupaverunt.*

Lego Γερανεῖαν κατέλαβον: est autem Γερανεῖα mons & angustiæ, per quas Corintho Athenas itur.

Ibidem. Han. 513.

Ἀπολλυμένων γὰρ τῶν νεῶν ἐν Ἑλλησπόντῳ. | *Navibus enim omnibus in Hellesponto perditis.*

In pugna scilicet ad Αἰγὸς ποταμοὺς, de qua Xenophon & alii.

Adv. Simonem. pag. 96. Han. 25.

Ὑπὲρ ὧν ἐγὼ αἰσχυνόμενος, εἰ μελλοίεν πολλοί μοι συνείσεσθαι. | *Ob quæ ego pudore suffusus, quam plures hujus turpitudinis mihi habere conscios.*

Legendum εἰ καὶ μέλλοιεν, ut sensus constet.

Pag. 99. Han. 39.

Καὶ καταγεὶς τὴν κεφαλήν. | *Capiteque obtrito.*

Licet τὸ καταγεὶς bene inclinetur ab ἄγω *frango*, secundum leges, tamen non est in usu, & alibi me legisse non memini, & credo legendum κατεαγώς.

Pag. 101. Han. 48.

Ἢ ἐγὼ πρότερον τοῦτον μετέπταξα. | *An ego prior percusserim.*

Illud μετέπταξα est à mala manu, & non convenit huic loco, ἐπάταξα sensu plano.

Contra Andocidem. pag. 102. Han. 58.

Ἐκ τοῦ ῥόπτρου τοῦ ἱεροῦ. | *Ex ipso forium templi annulo.*

Acephalus est hic sermo, ut & præcedens colurus & in fine mutilus. Hæ sunt reliquiæ orationis κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας, ut ex ipsis

reliquiis constat; quod etiam olim notavit Canterus Novarum Lectionum lib. 8 cap. 4. Cæterum ex Harpocratione licet tria tantum verba addere, sic enim ille in voce ῥόπτρον: [1] Λυσίας κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας, ἔδησε τὸν ἵππον ἐκ τοῦ ῥόπτρου τοῦ ἱεροῦ.

[1] *Alligavit equum ad sacram clavam.*

Pag. 103. Han. 59.

Τὰ μὲν ἐν τῷ ἐνθάδε ἐν Ἐλευσῖνι, τὰ δὲ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ ἱερῷ.	*Tum hic Eleusine, tum in Eleusiniorum templo.*

Hæc sonant vitium. Lege τὰ μὲν ἐν τῷ ἐνθάδε Ἐλευσινίῳ, τὰ δὲ ἐν τῷ Ἐλευσῖνι ἱερῷ. Fuit Athenis locus sacer Eleusinium dictum, ut notum est ex Thucydide lib. 2, ex ipso Lysia pag. 106, ex Andocide infra pag. 15, ex Plutarcho περὶ φυγῆς, ex Philostrato in Herode & aliis. Ubicunque ergo occurrit Ἐλευσίνιον, de loco, qui Athenis erat, intelligi debet, ubi etiam fiebant sacra Cereri, ut ex hoc loco colligitur. Aliud igitur fuit τὸ Ἐλευσίνιον, aliud τὸ Ἐλευσῖνι ἱερόν. Illud Athenis erat, hoc vero Eleusine.

Ibidem. Han. 62.

Φάσκων τὸν Ἀρίστιππον ἀσεβεῖν περὶ τὸν Ἑρμῆν τὸν αὐτοῦ πατρῷον· ὁ δὲ Ἄρχιππος ἀντιδίκει — ὅμως μὲν τοι ἵνα μὴ ὑπὸ τούτου τοιούτου ὄντος πρᾶγμα ἔχῃ, δοὺς ἀργύριον ἀπηλλάγη.	*Cum diceret Archippum Mercurialem violasse statuam sibi gentilitiam; contradiceretque Archippus — ne ab hoc viro tanto periculum sibi crearetur, pecunia data se redemit.*

Primum in hoc loco notanda est diversitas nominis, & primo loco pro Ἀρίστιππον legendum est Ἄρχιππον, vel secundo pro Ἄρχιππος Ἀρίστιππος. Deinde notandum est Andocidem movisse litem de Herme sive statua Mercurii, quasi sua & à suis majoribus posita: at contra Æschines & Plutarchus in Andocide ajunt eam statuam non fuisse majorum Andocidis ἀνάθημα, sed Ægeidis tribus, sed eo quod erat sita in vicinia domus Andocidis, sic vocatam fuisse: adde & forte eo, quod in jus vocaverat Archippum sive Aristippum propter hujus statuæ mutilationem. Ideo magis vocata est Andocidis Hermes. Sed mirum mihi videtur hoc loco Lysiam non notavisse hominis vanitatem, si ea statua non fuit majorum suorum donarium, ut volunt Æschines & Plutarchus. Forte id ignorabat, & sequebatur communem errorem.

Pag. 105.

Pag. 105. Han. 72.

Τῆς δὲ ἀρχῆς καὶ τῶν κακῶν ὑμεῖς αἴτιοι ἐστε.	*Vosne tumultus & malorum ullam præbuistis causam.*

Lego τῆς δὲ προαρχῆς meliore sensu; ea voce usus est paulo supra, ἀπαλλάξας δέους καὶ προαρχῆς τῆς τότε.

Pag. 106. Han. 76.

Αὐτὸν σωθέντα	*Quod sit servatus.*

Hæc verba nec præcedentibus, nec sequentibus jungi possunt. Hic locus est proculdubio mutilus; sed sine ope melioris codicis vix sanari poterit hoc ulcus, aut impleri hæc lacuna.

Ibidem. Han. 78.

Ἐπιδείκνυσι τοῖς ἀμελυήτοις.	*Ostendit profanis.*

Lege audacter τοῖς ἀμυήτοις.

Pag. 107. Han. 86.

Ἐπὶ Συνιάδου ἄρχοντος.	*Suniade Archonte.*

Apud Diodorum Λυσιάδης hic Archon nominatur, non Συνιάδης.

Pag. 108. Han. 89.

Ἔπι τοίνυν εἰ τῶν εἰκότων παρεστήκοι μοὶ μηδὲν φροντίζειν.	*Præterea etsi nihil horum, quæ timere par erat, veritus essem.*

Hæc mendosa sunt. Lege [1] ἔπι τοίνυν εἰ τῶν οἰκετῶν παρεστήκοι μοι.

[1] *Tum si mihi sedebat domesticos servos nihil curare.*

Ad Familiares obtrect. Pag. 110. Han. 102.

Ἵνα μή τις ὑμῶν, τάχα δὲ βοηθῶν οἷς ἡμάρτηκε, πρόφασιν πειράσηται τῆς ἁμαρτίας.	*Ne quis peccati excusationem comminiscens sua studeat ex tempore delicta diluere.*

Imperfecta est hæc enunciatio, & deesse videtur ἔχοι, ut legatur πρόφασιν ἔχοι πειρᾶσθαι; vel si nihil deest legendum πειράσηται, & erit aoristus primus medius subjunctivi.

Ibidem.

Καίτοι οὕτως ἐνοχλεῖ, ὥστε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, ἢ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν. ὧ δὲ ἔλεγε, ταῦτα μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι.	*Idque eo studio, ut incertum reddatis magisne me tueri an prodere videri velitis. At non facile commemoravero omnia, quæ ipsi dixistis.*

Hæc emendatione indigent; laborant enim & à mendo & à mala interpunctione. Lege καίτοι οὗτος ἐνοχλεῖ, ὅς τε περὶ πλείονος ἐποιήσατο δοκεῖν ἐμοῦ κήδεσθαι, ἢ μᾶλλον ἐμοῦ κατειπεῖν· ἃ δὲ ἔλεγε, πάντα μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι, id est, *nam & ille turbam facit, qui multo pluris fecit videri mei curam agere, quam contra me aliquid dicere: quæ vero dixit, omnia non dicam.*

Ad Orat. de Milite. Pag. 12. Han. 114.

Γεγραφότες εἰς λεύκωνα. | *In tabulis descriptam.*

Patet legendum esse λεύκωμα sensu manifesto.

Contra Theomnestum. Pag. 114. Han. 123.

Ἐμοὶ γὰρ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ἔτη εἰσὶ τριάκοντα.	*Sum enim, judices, nunc* XXXII *annorum.*

Lege δύο καὶ τριάκοντα ex iis, quæ sequuntur, & ex secunda oratione infra pag. 116, ubi calculus bene procedit, sic enim habet: [1] ἔτη γὰρ ἐστί μοι δύο καὶ τριάκοντα, ἐξ οὗ δ' ἡμεῖς κατήλθετε, εἰκοστὸν τοῦτο, φαίνομαι οὖν δωδεκέτης ὤν, ὅτε ὁ πατὴρ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἀπέθνησκεν.

[1] *Triginta duo enim annos natus sum, à vestro vero reditu vigesimus currit annus. Itaque mihi videor duodecennis fuisse, quando pater à triginta viris occisus est.*

Pag. 115. Han. 129.

Ἀλλ' εἰ μὴ σίδηρον ἐστὶν οἴομαι αὐτὸν εὔνουν γεγονέναι.	*Sed nisi sit plane ferreus, existimo ipsum facile perceptu-rum.*

Lego ἀλλ' εἰ μὴ σιδηροῦς ἐστὶν, οἴομαι αὐτὸν ἔννουν γεγονέναι, id est, *sed nisi ferreus est, credo eum intellexisse*, &c.

Ibidem. Han. 130.

Πολὺ μεῖζον κακὸν ἐστιν ἀκούσαντι τὸν πατέρα ἀποβεβληκέναι.	*Longe gravius esse exprobrare, quod patrem abjecerit.*

Hic locus est mutilus, nec dubitandum est sic legendum esse: [2] ἀκούσαντα τὸν πατέρα ἀπεκτονέναι, ἢ τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκέναι. Id omnino patet ex sequentibus.

[2] *Multo majus malum est audire parricida, quam scutum abjecisse.*

Ibidem. Han. 131.

Καλὴν ἐκείνην δῶρον. | *Insigni facilitate.*

Manifestum est legi debere δωρεάν.

Contra Eratosthenem. Pag. 118. Han. 148.

Τετρακοσίους Κυζικηνοὺς, καὶ ἑκατὸν Καρικοὺς.	*Quadringentos Cyzicenos & centum Daricos.*

Puto legendum καὶ ἑκατὸν Δαρεικοὺς. Fuerunt enim Δαρεικοὶ aurei nummi

nummi notissimi sic vocati ob Darii Persarum regis effigiem, quam impressam habebant: at Caricorum non memini aliquem fecisse mentionem.

Pag. 120. Han. 161.

Πέντε ἄνδρες ἔφοροι κατέστησαν ὑπὸ τῶν καλουμένων ἑτέρων.	*Quinque viri Ephori à vocatis sociis sunt constituti.*

Lego ἑταίρων, ut & infra pag. sequenti, ubi legitur ἕτεροι μὲν ἦσαν οἱ λέγοντες καὶ πράττοντες. Lego ἑταῖροι, & hæc emendatio firmatur & ex ipsa sensus ἀκολουθία, & ex ipsis Lysiæ verbis infra eadem pag. 121, ubi de Critiæ & Chariclis ἑταιρεία loquitur. Habebant enim quadringenti & eorum etiam singuli suas ἑταιρείας & factiones, quibus opprimebant rempublicam, & iis utebantur ad sua privata emolumenta. Thucyd. lib. 8: [1] ἐλθόντες οἱ τετρακόσιοι μετὰ ξιφιδίου ἀφανοῦς ἕκαστος, καὶ οἱ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν μετ' αὐτῶν Ἕλληνες νεανίσκοι (οἷς ἐχρῶντο εἴ τι που δέοι χειρουργεῖν.) Quos autem hic Lysias vocat ἐφόρους, Thucydides eodem libro videtur vocare πρυτάνεις.

[1] *Advenientes quadringenti cum pugione latente unusquisque, & centum viginti cum eis juvenes Graci, quibus utebantur, ubi manu opus erat.*

Pag. 121. Han. 164.

Ὅτι ἐκεῖνα τε αὐτῷ ὡς ἤρεσκε.	*Quod omnia illa grata ipsi fuerunt.*

Lege, ut necesse est, ἐκεῖνα τε αὐτῷ ἤρεσκε.

Pag. 123. Han. 176.

Καὶ τῷ καλλίστῳ ὀνόματι χρώμενος.	*Qui honestissimo quidem orationis genere utebatur.*

Innuit agnomen, quod Therameni vulgo tribuebatur, κόθορνος scilicet, quod ei nomen inditum fuit ob ejus mutationes, & parum constantem in partibus animum, eo quod cothurnus species erat calceamenti tragici, quod utrique pedi accommodabatur.

Contra Agoratum. Pag. 125. Han. 191.

Ἐπειδὴ γὰρ νῆες αἱ ὑμέτεραι διεφθάρησαν.	*Navibus vestris perditis.*

In pugna scilicet ad Ægospotamos, ubi universa fere classe amissa Athenienses à Lysandro victi sunt, & res eorum omnino depressæ.

Pag. 126. Han. 193.

Νομίζων διαθεὶς ὑμᾶς ἀπόρως.	*Existimabat, si in summam vos desperationem adduxisset.*

Lego [1] νομίζων εἰ διαφθείη ὑμᾶς ἀπόρους optimo sensu.

[1] *Putans, si vos fecisset indigentes.*

Pag. 129. Han. 211.

Καὶ Ξενοφῶν ὁ Καρειδύς. | *Et Xenophon Carius.*

Nullus fuit demus Καρεία in Attica, unde gentile formari possit Καρειδύς. Tu lege meo periculo Ἰκαρειδύς, à pago seu demo Ἰκαρεία, à quo gentile Ἰκαρειδύς invenitur apud Demosthenem contra Cononem, & de illo demo, quem alii Ἰκάριον, alii Ἰκαρίαν vocant, marmoris Arundeliani Chronicon loquitur pag. 3 linea 55. Tum Harpocration, Stephanus, Suidas, & alii.

Pag. 131. Han. 218.

Φρύνιχον ἀπέκτεινε. | *Phrynichum occidit.*

Confer cum hoc loco Lycurgum contra Leocratem infra tomi secundi pag. 146, ex eo hanc historiam de morte Phrynichi licebit melius noscere.

Pag. 132. Han. 223.

Ἐπειδὴ δὲ πρὸς ταῖς φύλαις ἦσαν.	*Cum autem portis jam appropinquarent.*

Lege ταῖς πύλαις, ut patet esse legendum ex superioribus.

Pag. 133. Han. 227.

Οὐδένα γὰρ ὅρκον οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐν ἄστει ὤμοσαν.	*Nullo enim jurejurando, qui in Piraeo fuerunt, obstricti sunt his, qui una cum ipsis in Piraeo fuerunt.*

Non ita scripserat proculdubio Lysias, nam omnino falsam sententiam exhibet hæc lectio: sed aliquis corrector non satis expensis superioribus, nec satis intellecta rhetoris sententia ita mutavit. Lege confidenter lector & meo periculo, οἱ ἐν Πειραιεῖ τοῖς ἐν Πειραιεῖ. Audio debere (inquit) Agoratum in sua defensione proponere fœdera sacramento sancita inter eos, qui Athenis erant, & eos, qui Piræeum occupabant, & iis nititur, quasi contra jus sacramenti & fœderum accusaretur. At si ille quidem tunc Athenis fuisset, nos vero Piræeo, tunc aliquid coloris haberet ea defensio: sed fuit in Piræeo nobiscum, & omnes alii, qui eum ulcisci cupiunt. Non vetant igitur ea fœdera, ne jus nostrum contra Agoratum persequamur. Non enim ii, qui Piræeo erant cum iis, qui etiam Piræeo erant, quicquam pacti sunt, nec inter eos ulla fœdera facta. Hæc est

Lysiæ

Lysiæ manifesta sententia, qua intellecta probabis credo nostram emendationem.

Contra Alcibiadem. Pag. 134. Han. 237.

Ὅτι καταλεγεὶς ὦ πατὴρ οὐκ ἐπεξῆλθεν μεθ' ἡμῶν.	*Quod gravis armaturæ miles delectus vobiscum non excurrerit.*

Dele voces ὦ πατὴρ, quæ turbant sententiam, & tenebras affundunt huic loco; aliter ea mutare in melius non possum sine ope correctioris codicis.

Pag. 136. Han. 245.

Παρ' Ἀρχεδήμῳ τῷ γλάμωνι.	*Apud Archedemum lippum.*

Hunc Archedemum in Theatro traduxit Aristophanes, ut in Ranis pag. 231. Traducitur autem ut extraneus, & lippus, ut malus etiam, & qui funditus perire debebat pag. 240, de eo etiam Xenophon Hellenicorum 1.

Ibidem.

Ὅστις κἀκείνῳ τῶ χρόνῳ ταῦτα ἐπιτηδεύων διεβέβλητο ὡς τοὺς ἄλλους ταῦτ' ἐδίδασκε.	*Qui eo tempore hujusmodi studiis deditus etiam alios, ut ferebatur, talia docebat.*

Sensus claudicat, nisi legatur διαβεβληκὼς τοὺς ἄλλους ἐδίδασκε.

Ibidem. Han. 246.

Τελευτήσαντος δ' ἐκείνου, ἐραστὴς γενόμενος Ἀλκιβιάδης, ὡς υἱὸν ἐλύσατο.	*At illo mortuo amore hujus captus Archibiades, ut filium redemit.*

Tenebricosus locus & obscurus, si sic legatur. De Theotimo quidem intelligo, quæ dixit supra: [1] πρότερον μὲν ὕβριζεν αὐτὸν ὡραῖον ὄντα & quæ sequuntur, sed si pro ἐραστὴς γενόμενος legatur ἐγκρατὴς γενόμενος, omnia erunt plana. Sic igitur intellige. Alcibiades junior, de quo hîc agitur, proditione cum quodam Theotimo ordita illi tradidit Oreos locum circa Chersonesum, quem muniverat pater suus Alcibiades (nam eum sibi munivisse castella quædam circa Bisanthem & Cherronesum in Thracia scribit Plutarchus in ejus vita) & amasius etiam illius Theotimi factus est. Sed ille Theotimus metuens (ut est verisimile) ne qui patrem suum prodiderat, etiam eum proderet, Alcibiadem habuit in vinculis sperans insuper se à patre accepturum pecuniam pro filii redemptione. At pater iratus negavit

[1] *Primum quidem eo abutebatur, qui pulcher erat & in flore ætatis.*

negavit se vel ossa mortui requisiturum, postea vero Theotimo mortuo Alcibiades pater Oreos recuperavit, & ejus loci factus dominus id est ἐγκρατὴς, Alcibiadem juniorem utpote filium liberavit. Sic intelligendus est meo quidem judicio hic locus, & ex eo emendandus Constantini Porphyrogenetæ locus Themate Occidentali primo, ubi sic legitur: [a] ἐπαρχία Θράκης ἤγουν Εὐρώπης ὑπὸ Κονσιλιαρίων, τοῦτ' ἐστὶ βουλευτῶν πόλεις ιδ'. Εὐδοξία πόλις, Ἡράκλεια, Ἀρκαδιούπολις, Βιζύη, Πάνιον, Ὄρνοι, Γάνος, &c. Legendum est autem Βιζαύθη, Πάνιον Ὄρεος, Γάνος &c. ut pluribus probamus in nostra Græcia.

[a] *Præfectura Thraciæ vel Europa sub consiliario urbes 14 Eudoxia urbs, Heraclea, Arcadiopolis, Bizya, Panium, Orni, Ganos, &c.*

Pag. eadem. Han. 247.

Καὶ ταῦτα υἱὸς ὢν Ἀλκιβιάδου, ἔπεισε μὲν Δεκέλειαν.	*Præsertim cum filius esset Alcibiadis, cujus consilio Decelian.*

Deest aliquid ad sententiæ intelligentiam. Sic lego, υἱὸς ὢν Ἀλκιβιάδου, ὃς ἔπεισε &c. & sic legendum esse cogit historia.

Pro Mantitheo. Pag. 140. Han. 267.

Ὅτε τὴν συμμαχίαν ἐποιήσατε πρὸς τοὺς Βοιωτοὺς.	*Societate cum Bœotiis inita.*

De hac societate Atheniensium cum Bœotis vide Xenophontem Hellenicor. 3.

Ibidem. Han. 269.

Ὕστερον ἀνεχώρησα τοῦ σεμνοῦ Στειριέως.	*Tandem cessi, gravi illo Stiriaco.*

Thrasybulum proculdubio intelligit, qui domo erat Stiriensis, & sic ab aliis ejusdem cum eo nominis distinguebatur Θρασύβουλος ὁ Στειριεύς.

Pro fratre Niciæ. Pag. 143. Han. 284.

Ἀλλ' εἰς τοῦτ' ἀρετῆς ἦλθεν, ὥστε μᾶλλον ὠργίζετο τοῖς εἰς ὑμᾶς ἡμαρτηκόσιν, ἢ τοῖς αὐτῷ τῆς καθόδου αἰτίοις γεγενημένοις.	*Sed eo probitatis pervenerat, ut eis magis succenseret, qui in vos delinquerent, quam qui ipsi causa discessus fuissent.*

Hæc verba, ut leguntur, nullum commodum sensum exhibent: itaque emendatione indigent, vel additione verbi. Nam si pro καθόδου legas φυγῆς, sententia exurget plana & recta, Sed si vis retine-

re

re καθόδου, necesse erit aliquid addere ad perficiendam enunciationem, veluti[1] ἢ τοῖς αὐτῷ τῆς καθόδου αἰτίοις γεγενημένοις, ᾔδετο, vel χάριν εἴδετο, vel tale quid.

[1] *Quam gratiam habebat iis, qui causa fuerant ejus reditus.*

Ibidem.

Λαβὼν τὸν Νικηράτου. | *Sumto Nicerati filio.*

De Nicia juniore intelligo: fuit enim moris Atheniensium nomina avorum in nepotibus repetere, & sæpe duo nomina sic alternatim imponebantur in una familia. Sic Callias Hipponici filius & rursus Hipponicus Calliæ, & rursus Callias, & iterum Hipponicus. Sic in gente Miltiadis Cimon & Miltiades alternabantur. Sic in Alcmæonidarum gente Alcmæon & Megacles invicem sibi succedebant. Sic itaque in Niciæ domo Νικίας ὁ Νικηράτου dux ille celebratus, quem oppressit clades in Sicilia: ejus filius fuit rursus Niceratus, quem occiderunt triginta Tyranni: hujus filius fuit alius Nicias, (ut conjicio) de quo hic sermo fit, & de quo mentionem fecit Aristophanes in Concionantibus, forte etiam de eo Ælianus variæ hist. lib. 4 cap. 23.

Pro Aristophane. Pag. 145. Han. 300.

Ἀλλὰ τὴν μὲν Φιλομήλῳ τῷ Παιανιεῖ .... τὴν δὲ πένητι γεγενημένῳ.	*Sed unam quidem Philomelo Pæaniensi ....: alteram viro ad paupertatem redacto.*

Deest nomen viri, & apponenda est nota hiatus sic: τὴν δὲ ...... πένητι γεγενημένῳ. Ex posterioribus autem videtur debere poni sic: τὴν δὲ Ἀριστοφάνει πένητι γεγενημένῳ, *Aristophani in paupertatem delapso.*

Pag. 147. Han. 310.

Ἐλάττω ἐὰν ἐξ αὐτῶν λάβοι τὴν ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους γεγένηται.	*Pauciora fortassis recipiatis, quam ab Aristophane ad vos pervenerunt.*

Hæc turbata sunt & divulsa. Lego: ἐὰν ἐλάττω ἐξ αὐτῶν λάβοιτ' ἢ ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους.

De Donorum acceptione. Pag. 153. Han. 344.

Ἡ ναῦς ἀρίστα μοι πλεῖστα πάντων τῶν στρατοπέδου.	*Navis fuit mihi totius classis optima.*

Manifestum est debere legi [a] ἀρίστα μοι πλέουσα. non eget confirmatione ea emendatio. [a] *Optime navigans.*

Pag. 154. Han. 346.

Κάλεσον δὲ καὶ Λυσίμαχον.	*Vocetur autem & Nausimachus.*

Ex inferioribus & superioribus liquet debere legi Ναυσίμαχον.

Ibidem. Han. 350.

Καὶ ὢν Κινησίας οὕτω διακείμενος πλείους στρατείας ἐστράτευται.	*Et cum ipsi minus Cinesiâ, qui corpore ita est affecto & mutilo, rempub. bello juverint.*

Adducit in comparationem Cinesiam, eo quod vulgo habebatur parum virilis & mulierosus, & eo nomine traducitur ab Aristophane in Lysistrate.

Contra Nicomachum. Pag. 171. Han. 452.

Ἐπειδὴ γὰρ ἀπολομένων τῶν νεῶν, ἡ μετάστασις ἐπράττετο, Κλεοφῶν τὴν βουλὴν ἐλοιδόρει φάσκων συνεστάναι, καὶ τὰ βέλτιστα βουλεύειν τῇ πόλει.	*Postquam enim navibus amissis reipubl. commutatio adornabatur, Cleophon graviter apud Senatum offendebat, eum diffidentes conciliare studeret, & reipub. optima suadere.*

Per μετάστασις ἐπράττετο intellige de statu quadringentorum. Hæc mutatio facta fuit secundum Diodorum Callia Archonte anno 3 Olympiadis 93. In posterioribus hujus loci lineis deest negatio, & sic legendum est: φάσκων συνεστάναι, καὶ τὰ βέλτιστα μὴ βουλεύειν τῇ πόλει, id est, *dicens conspirationem fecisse, & non bene consulere urbi.*

Ibidem.

Σάτυρος δὲ Κηφισεύς.	*Satyrus vero Cephisius.*

Lege Κηφισιεύς.

Ibidem.

Πείθουσι Νικομαχίδην.	*Suadent Nicomachicam.*

Lege Νικόμαχον.

Ibidem. Han. 453.

Καὶ ὅτι Σάτυρος καὶ Κλεοφῶν οἱ τῶν τριάκοντα γινόμενοι, οὐχ ὑπὲρ ὑμῶν ὀρ-	*Et quod Satyrus ac Chremon, qui ex XXX viris fuerunt, non vestri commodi causa ad*

γιζόμθμοι, Κλεοφῶντα κατηγόρουν.	*ad Cleophontem accusandum.*

Adverte Lector, si bene se habet is locus. Duo fuere Cleophontes, & diversarum partium, alter popularis, alter unus è triginta tyrannis. Sed in numero triginta tyrannorum, quem nobis dedit Xenophon, non inveniuntur hi duo, Satyrus & Cleophon. Substituti ergo fuerant iis, qui decesserant, vel ex eorum albo deleti fuerant, ut delevit Critias Theramenem. Cæterum de hoc Cleophontis negotio, aliquid mussitat Aristophanes in Ranis, & de Nicomacho, & eos ut malos & brevi perituros à Plutone arcessi fingit.

AD

ANDOCIDEM

ORATIONE DE MYSTERIIS.

Pag. 6. & Edit. Hanoviensis 1619. pag. 184.

Καὶ ἐάν τις ἐλέξῃ με ὅτι ψεύδομαι.	*Et si quis mentiri me convincet.*

Lege ἐλέγξῃ με.

Pag. 11. Han. 211.

Ἡ τῶν ἐφεσῶν.	*At prafectorum.*

Lege ἐφέτων. Nam ἐφέται fuerunt Athenis, qui de cædibus judicabant numero quadraginta.

Ibidem. Han. 212.

Καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις.	*Et ut mutuarum injuriarum memoria deleretur, visum est.*

Verbum solenne fuit in eo negotio usurpatum μνησικακεῖν. Ita enim edictum fuerat post reditum exulum è Piræeo, ut narrat Xenophon in fine lib. 2 Hellenicorum: [1] καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ πολιτεύονται.

[1] Et jurejurando sancientes se memoriam malefactorum non servaturos: usque ad nunc simul in urbe vivunt & gubernantur.

Pag. 15. Han. 229.

Ἀναστὰς Καλλίας ὁ Ἱππονίκου τὴν σκευὴν ἔχων, λέγει ὅτι	*Callias Hipponici f. assurgens, habitu sacerdotali indutus*

ἱκετηρία κεῖται ἐπὶ τοῦ βωμοῦ.	*Iceteriam in altari jacere dixit.*

Quænam fuit hæc στολὴ & habitus, quem habuit Callias Hipponici? Proculdubio vestis sacra τοῦ δᾳδούχου, id est, ejus qui facem præferebat mysteriis Cereris: fuit enim id sacerdotium in Calliæ familia πατροπαράδοτον. Jam à primo illo Callia, qui Laccoplutus ob divitias dicebatur, & δᾳδοῦχος etiam ex officio vocabatur, ut videre est apud Plutarchum in Aristide, & apud Scholiasten Aristophanis ad Nubes, cujus verba hic apponam, quoniam ad rem faciunt maxime: [1] Καλλίας δ᾽ ὁ δᾳδοῦχος προσελθὼν ἐν τῇ ἱερᾷ στολῇ κατὰ Περσῶν ἐν Μαραθῶνι, καὶ ἀριστεύσας κατὰ βαρβάρων, καὶ τρίτον Ὀλύμπια νικήσας ἅρματι τὸν υἱὸν Ἱππόνικον ὠνόμασε. Quam vestem appellat Scholiastes ἱερὰν στολὴν, Andocides hoc loco alio nomine σκευὴν vocavit.

[1] Callias tædifer autem cum sacra veste contra Persas in Marathone procedens, & egregie pugnans contra barbaros, & cum ter vicisset Olympia curru, filium suum Hipponicum nominavit.

Pag. 17. Han. 239.

Εἷς ἐγένετο τῆς πεντηκοστῆς τρίτον ἔτος.	*Vnus fuit anno tertio quinquagesimæ Olympiadis.*

Per εἷς τῆς πεντηκοστῆς intelligo πεντηκοστολόγος, id est, *publicanus*, qui scilicet hoc tributum redemerat à publico, & à singulis exigebat. Semper autem male audierunt tales homines, & probrosum existimatum est id officium, nec injuria in sacris scripturis cum ethnicis & infidelibus conjunguntur.

De Pace cum Lacedæmoniis. Pag. 24. Han. 275.

Τότε μὲν ἐν Κορίνθῳ πάντας πανδημεὶ τοὺς συμμάχους παρόντας.	*Tunc circa Corinthum cunctis auxiliaribus præsentibus.*

Pugnam intelligit, quæ μεγάλη μάχη dicta est, de qua Xenophon lib. 4 Hellenicorum, quæ pugnata est Diophanto Archonte anno 2 Olymp. 96.

Pag. 26. Han. 286.

Καὶ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ ἐν ὀγδοήκοντα καὶ πέντε ἔτεσιν ἡμῖν ἐγένετο.	*Hæcq; nobis per annos* LXXXV *prospera perdurarunt.*

Exacte computat: nam à pugna Marathonia, quæ facta est Phænippo Archonte, usque ad pugnam navalem in Ægospotamis, quæ finem imposuit potentiæ Atheniensium, & evenit Alexia Archonte, intercedunt anni 85.

Contra

Contra Alcibiadem. Pag. 30. Han. 305.

Τῇ προτέρῳ τῆς ὁσίας.	*Vtensilium prima die.*

Fœdum mendum, quod nullum sensum exhibet, & totam sententiæ connexionem solvit & turbat. Tentabam τῇ πρώτῃ καὶ τῇ ἐπιούσῃ, ut sit prima & secunda die Mysteriorum: nam ἡ ἐπιοῦσα est dies, quæ aliam sequitur, unde forte secundus à primo Mysteriorum ἡ ἐπιοῦσα dicebatur. Sic nos Gallice *le lendemain de la feste.* Alcibiades petierat commodato vasa sacra tamquam iis usurus, antequam iis opus foret publico, & urbi in festo mysteriorum: at ea non reddidit [1] βουλόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις. Erant autem quinque dies Mysteriorum, quorum ultimo pompa ducebatur, quæ vocabatur Ἴακχος.

[1] *Cum vellet die sequenti primus in urbe uti aureis lancibus.*

Pag. 32. Han. 312 & 313.

Καίτοι τυγχάνω νενικηκὼς ἐν ἀνδρείᾳ λαμπάδι καὶ τραγῳδοῖς.	*Insuper in certaminibus fortitudinis, lampadum & tragædiarum.*

Vox Ἀνδρεία mihi suspecta est, & de eo agone nihil unquam legi. Λαμπαδηφορία ἀγὼν celebrabatur in Academia, & ibi Lampas accendebatur in altari Cupidinis, unde dubito, num Andria vox irrepserit pro Academia, quæ vox forte per abbreviationem quandam scripta fuerat.

AD ISÆUM, DE DICÆOGENIS HÆREDITATE.

Pag. 49. Han. 441.

Τῇ μὲν φυλῇ εἰς Διονύσια χορηγήσας τέταρτος ἐγένετο, τραγῳδοῖς δὲ καὶ πυῤῥιέταις ὕστατος.	*Dionysiacis sumptum pro tribu faciens, quartus fuit, in tragædiis vero & anniversariis choreis postremus.*

Vox πυῤῥιέταις ne hilum quidem valet. Lego πυῤῥιχίσταις, *iis, qui Pyrrhicam saltabant.* Fuit enim species saltationis πυῤῥίχη, qua

armati saltabant, cujus plures imagines nobis luculenter exhibuit Xenophon lib. 6.

Pag. 50. Han. 444.

Δικαιογένης τοῦ Μενεξένου τοῦ ἐμοῦ πάππου πατὴρ στρατηγῶν ὅτε ἡ ἐν Ἐλευσῖνι μάχη ἐγένετο.

Dicæogenes Menexeni proavi mei pater, dux exercitus, quando in Eleusina pugnatum est.

De ea in Eleusini pugna, in qua Dicæogenes dux fuit, nihil invenio. Ex temporis ratione suspicor esse unam è pugnis, quas narrat Diodorus lib. undecimo, factis inter Megarenses & eorum socios Athenienses cum Corinthiis, qui de finibus cum Megarensibus litem habebant. Sed Myronidem ducem fuisse ait: at plures sæpissime in eadem expeditione erant duces, & forte Dicæogenes poterat fuisse una cum Myronide dux copiarum: temporis spatium certe satis congruit. Nam quando Menexenus ejus filius periit in Spartolo, quæ pugna commissa est Epaminone Archonte anno 4 Olymp. 87: bellum vero, de quo supra dixi, gestum Myronide duce incidit in Bionem Archontem anno 3 Olymp. 80, spatium intercedit annorum 29 inter mortem patris & filii, satis congruens rationi. Eleusis certe fuit in finibus Megarensium sita, & in itinere, qua itur Athenis Corinthum, & ideo locus etiam non abhorret ab ea conjectura. Sed & forte in hoc loco fuit Andocidis καύχησις, qui avum suum στρατηγὸν vocat, qui tantum fuit ὑποστρατηγός. Hæc ego velut in tenebris tentabundus, si quis certiora docuerit, lubens amplectar.

Ibidem.

Φυλάρχων τῆς Ὀλυζίας ἐν Σπαρτώλῳ.

Dux tribus Olysiæ in Spartalo.

Quid sit Φυλάρχων τῆς Ὀλυζίας, fateor me ignorare; nulla fuit Ὀλυζία φυλὴ Athenis. Si quæ fuisset ejus nominis in Spartolo, non habuisset Phylarchum Atheniensem: est enim tribulis, non extranei, officium τὸ φυλαρχεῖν. Incassum laborabit, quicunque hanc lectionem tueri contendet. Lege meo periculo τῆς Ὀλυνθίας ἐν Σπαρτώλῳ, & interpunge post Φυλάρχων. Menexenus suæ tribus ductor erat, & occubuit in pugna ad Spartolum, qui locus fuit in Olynthiorum ditione. De ea pugna, quæ facta est ad Spartolum non longe ab Olyntho, adi Thucydidem lib. 2, & proculdubio dabis manus nostræ emendationi.

De

De Philoctemonis clero. Pag. 52. Han. 453.

Λημνίαν σκεψάμενον. | *Lemniam defendens.*

Subintellige βουλὴν, id est, audax & omnino præceps consilium cepit. Omnibus notum est, quid sint Λημνία κακὰ, & Λεμνία δίκη ex Suida.

Ibidem. Han. 454.

Ἐστὶ δύο καὶ πεντήκοντα ἔτη ἀπὸ Ἀριμνήστου ἄρχοντος.	*Anni duo & quinquaginta fluxerunt ab Arimnesto prætore.*

Ex hoc loco colligitur hanc causam actam fuisse Chione vel Timocrate Archonte circa Olympiadem 104. Nam Arimnestus Archon fuit Olymp. 91; unde sequitur, si annos completos intelligit, hoc judicium factum fuisse Timocrate Archonte Olympiade 104. Si vero quinquagesimum secundum annum currentem & affectum tantum intelligit, Chione Archonte anno 4 Olymp. 103.

Pag. 53. Han. 458.

Ἀλλ' ἀπηνέχθη τὸ κούρειον. | *Sed puer ablatus fuit.*

Hæc vox κούρειον raro occurrit. Fuit autem, ut ex hoc loco conjicio, codex seu liber publicus τῶν φυλετῶν καὶ φρατέρων, ubi inscribebantur nomina adolescentium, qui in quaque familia ex legitimo matrimonio nati, à patre vel aliis agnatis, consentientibus & approbantibus ex eadem gente propinquis, in album τῶν φρατέρων inserebantur: nomen factum à vocibus κοῦρος & κούρη, quæ adolescentulum & adolescentulam, puerum & puellam significant. Lycurgus rhetor infra alium codicem vocat τὸ ληξιαρχικὸν, quod est juvenum epheborum, qui inter viros censendi erant, & eos, qui jam ad functiones publicas petendas admittebantur, [1] ἀπὸ τοῦ λαγχάνειν τὰς ἀρχάς. [1] *Ab eo quod magistratus sortiebantur.*

Ad Orat. de Cironis clero. Pag. 62. Han. 503.

Πρὸς Διοκλέα τὸν Φιλέα. | *Contra Diocleum illum Phileum.*

Lege, si mihi credis, τὸν Φλυέα à pago seu demo Φλυεῖς, à quo gentile Φλυεύς. Nam à Φυλὴ alio demo fit Φυλάσιος, non Φυλεύς, teste Stephano.

Pag. 63.

Pag. 63. Han. 505.

Ναυσιμένῃ λοχαργεῖ. | *Nausimeni agminis præfecto.*

Lege, Χολαργεῖ cum Meursio, qui pridem id ulcus sanavit in suis populis Atticis, quibus litteratos omnes beavit.

Pag. 64. Han. 514.

Οὐδένα λεῖον ἐμοῦ πω ποιουμένου. | *Ne verbum quidem me facientem.*

Lege οὐδένα λόγον.

Pag. 65. Han. 517.

Τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἂν ἄλλοι γενόμενοι παῖδες. | *Bonorum autem, non etsi alii filii nati fuissent.*

Lege & distingue, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ, ἀλλ' οἱ γενόμενοι παῖδες, sensu optimo.

De Astyphili clero. Pag. 68. Han. 530.

Οὐχ' ἡγούμενος δ' ἂν αὐτὸν πολεμῆσαι ἢ ψεύσασθαι. | *Non tamen mihi persuadens, illum aliquid mentiri ausurum.*

Lege τολμῆσαι τι ψεύσασθαι.

Pag. 69. Han. 535.

Ὡς δὲ ταῦτ' ἐστιν ἀληθῆ, ἴσως μὲν καὶ ῥαφηνίων, καὶ πολλοὶ τῶν τότε συγγεωργούντων μαρτυρήσαιεν ἄν. | *Hæc autem vera esse & Rafenio & multi alii ex eis, qui tunc agrum colebant, testes mihi essent.*

Ut hæc scripta sunt, videtur ῥαφηνίων esse nomen proprium viri. Sed mendum est. Lege confidenter, [1] ἴσως μὲν καὶ Ἀραφηνίων οἱ πολλοὶ τῶν τότε συγγεωρ. Ἀραφὴν demus fuit Atticæ, de quo Demosthenes in oratione contra Macartatum, & Ἀραφηνάδε adverbio ad locum usus est Harpocration, & Stephanus & Suidas de eo demo meminerunt.

[1] *Forte & Araphenio-rum plures, qui tunc cum eo arabant.*

Contra Xenænetum. Pag. 72. Han. 549.

Ἀρίσταρχος γὰρ ἦν ὦ ἄνδρες στυπαλλήτιος. | *Aristarchus erat, judices, Stitypalletius.*

Lege Συπαλλήτιος ex Diogene Laërtio in Zenone, Hesychio & Stephano.

Ibidem

Ibidem. Han. 550.

Ἐπιλέσας.	*Cogitans.*

Lege μελήσας.

AD DINARCHUM CONTRA ARISTOGITONEM.

Pag. 94. Han. 66.

Πονηρίαν γὰρ ἀρχομένην μὲν κωλῦσαι τάχα τις κολάζων δυνηθείη· ἐγκαταγεγηρακυῖαν δὲ καὶ γεγωνημένην τῶν εἰθισμένων τιμωριῶν ἀδύνατον εἶναι λέγουσι.	*Malum enim nascens facile quis in illud animadvertens prohibere potest; senescens vero & validis præsidiis firmatum, non facile tolli posse asserunt.*

Manifestum est deesse aliquid ad sententiæ perfectionem. Puto legendum: καὶ γεγωνημένην τῶν εἰθισμένων τιμωριῶν κρείττω ἀδύνατον &c.

Pag. 95. Han. 74.

Ὡς δ' οὐδ' ἐνερετίᾳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τελευτήσαντος.	*Vt neque in Erytria genitore suo morte absumpto.*

Lege ἐν Ἐρετρίᾳ.

Pag. 96. Han. 77.

Ἄρθμιον τὸν Πυθώνακτος, τὸν Ζελείτην κομίσαι τὸ χρησίον ἐκ Μήδων.	*Arthmium Pythonacti Zeleutensem aurum ex Medis adducere.*

Lege κομίσαι τὸ χρυσίον. De eo negotio vide Demosthenem in oratione de Cherronneso, & de vitiosa legatione, & Æschinem contra Ctesiphontem in fine, Plutarchum in Themistocle & alios.

Contra Philoclem. Pag. 98. Han. 86.

Ἀπεχειροτόνησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς τ ἐφήρων ἐπιμελείας.	*Eum epheborum cura abrogarunt.*

Lege τῶν ἐφήβων sensu plano, & sic legendum esse nos docent, quæ præcedunt.

AD
ANTIPHONTEM,

In Accusatione de Cæde sine nomine.

Pag. 104. Han. 32.

Τοῦτο μόνον ἔφη τῶν παρόντων γνῶναι αὐτοὺς.	*Hoc tantum dixit inter præsentes eos cognoscere.*

Hæc obscura sunt & sine recto sensu videntur esse. Forte legendum τοῦτο μόνον ἔφη τῶν παρόντων γνῶναι αὐτὸν, id est, *id solum eum hoc novisse eorum, qui aderant.* Sic sensus foret clarus & manifestus.

Περὶ τοῦ Χορευτοῦ. Pag. 128. Han. 145.

Καὶ τοῦ ὅρκω τοῦ ἀκούουσιν.	*Et eum, qui jusjurandum accepit, audiunt.*

Junge, quæ male disjuncta sunt, & lege τοῦ ὁρκωτοῦ. Est enim ὁρκωτὴς ille, qui ad jurandum adigit, & ea voce usus est Xenophon Hellenicorum.

AD

AD LYCURGUM CONTRA LEOCRATEM.

Pag. 135. Han. 118.

Φιλόμηλος Χολαρεὺς, καὶ Μενέλαος ὁ πρεσβεύσας πρὸς βασιλέα.	*Philomelus Cholarensis & Menelaus is, qui legatione ad regem functus est.*

Lege Φιλόμηλος Χολαργεὺς, καὶ Μενέλαος ὁ πρεσβεύσας. Fuit pagus seu demus Atticæ Χόλαργος vel Χόλαργον, quibusdam etiam Χολαργεῖς. Ejus demi mentionem fecerunt Aristophanes in Acharnensibus & ibi Scholiastes, Demosthenes contra Androtionem, Æschines supra contra Timarchum, Plutarchus in Pericle, Hesychius, Stephanus, Suidas.

Ibidem. Han. 120.

Εἰς Ἑλλάδα ἐσιτήγει, καὶ ἐκεῖθεν ἐς Κόρινθον.	*In Graciam frumentum vexit.*

Ex anterioribus puto legendum esse, εἰς Μέγαρα ἐσιτήγει &c. Quid enim foret εἰς Ἑλλάδα καὶ ἐκεῖθεν ἐς Κόρινθον; quasi Corinthus non fuisset ἐν Ἑλλάδι. Sed εἰς Μέγαρα optime convenit ei, qui Megara habitabat non longe à Corintho.

Pag. 141. Han. 150.

Οὐδεμίαν ἀνάσταντο ποιήσω.	*Nullam sedibus pellam.*

Lege ἀνάστατον. Tacuit Herodotus de hoc sacramento in narratione belli, quod ad Platæas contra Persas gestum est, quod mirum videtur, cum tam exacte & sigillatim omnia narraverit.

Pag. 143. Han. 158.

Φορᾶς δὲ οἶμαι προσγινομένους καὶ αὐτὸς ἐγκαπλήφθη.	*Onere autem, ut opinor, ingravescente, cum patre istic filius fuit.*

Lego ῥοθίου δ' οἶμαι προσγινομένου καὶ αὐτὸς ἐγκαπλήφθη. Nam ῥό-

 θιον

ῥίον nomen est aptissimum, quod violentiam, impetum & strepitum etiam undarum significat.

Ibidem. Han. 159.

Γυναῖκα ἔχοντα Πραξιθέαν τὴν Κηφισοῦ θυγατέρα.	*Conjugem habuisse Praxitheam Cephisi filiam.*

Aliter Apollodorus deducit Praxitheam Erechthei uxorem à Cephiso: non enim ejus filiam facit, sed neptem per matrem Diogeniam Cephisi filiam & Phrasimi uxorem.

Pag. 146. Han. 171.

Ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τοῦ βίου.	*Apud vitæ terminos.*

Vox τοῦ βίου non intellecta nobis, mendosa credo est. In proclivi foret reponere τοῦ Ῥίου minima differentia ductus litteræ ρ & β, sed non memini me legisse circa Thermopylas fuisse Ῥίον. Nihil certe melius succurrit, & ῥίον est etiam vox significativa, eminentiam & præcipitem locum significat, & non solum appellativa. Sed hoc loco videtur κυρίως & appellative sumi. Si quis melius quid cogitaverit, plausum dabo.


Ad Herodem de Politia. Pag. 161. Han. 223.

Τὸν διάλογον γὰρ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν.	*Vix enim conciliatorem invenias.*

Hæc lectio videtur absurda. Lego τὴν διαλλακτὴν, sensu obvio, plano, & manifesto: at legendo διάλογον, ut scriptum est, nullus inde emerget commodus sensus.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

SUPPLEMENTA ET NOTÆ
AD
CHRONICUM MARMORIS ARONDELIANI,
A CLARISSIMO
SELDENO
Publicati.

Hactenus in auctoribus antiquis, olim notis & publicatis, emendandis & illustrandis opellam nostram contulimus, lector erudite: nunc antequam Poëtas aggrediamur, pro mantissa addere proponimus auctorem ante 33 annos ignotum, cujus autographum marmoreum studio & impensis illustrissimi Comitis Arundeliani in Asia è terra erutum & Smyrna in Angliam asportatum Londinii in horto palatii Arundeliani nunc jacet, antiquissimum omnium, quotquot extant, autographum (excepta Duilliana inscriptione) Chronica-

rum Epocharum collectionem continens ab ipso Deucalione deductam. Sed quod multis lacunis deformatum magis dolere licet, quam sanare & in integrum restituere. Id descripsit & publicavit clarissimus vir & nostro præconio major Johannes Seldenus, commentariis doctissimis mehercule & omnis reconditæ eruditionis refertis illustravit, sagacissimis conjecturis multa supplevit, plura ut desperata non attigit, quædam vero ultro (credo) hiulca reliquit, vel ut crucem figeret literatis, vel potius ad exercenda aliorum ingenia, scilicet ut aliquod spicilegium lectoribus relinqueret, & eos in partem suæ gloriæ vocaret. Nam & ipse sic in proœmio suo: *& qua fieri potuit, justam hiatuum & lacunarum proportionem exhiberi, ut tum facilior esset lectori, & sua de iis supplendis conjectura.* Quando igitur ipse Clarissimus Seldenus hortatur suos lectores ad eas lacunas suis conjecturis supplendas, non erit ejus manibus, credo, ingratum, vel mihi invidiosum, si aliquid super eo tentare aggressus fuero, non ut paria facere cum tanto viro audeam, absit à nobis talis καύχησις, sed ut ad ejus invitationem respondeam, & pro virili parte aliquid etiam de meo conferam ad tale κειμήλιον exornandum, & in pristinum nitorem restituendum. Si in quibusdam à vero forte non aberravit nostra conjectura, si in aliis non saltem à verisimili, tuum erit, lector, judicium. Ipsum marmor nobis vidisse numquam contigit: ætas enim ingravescens & morbi ingruentes me cupientem id vetarunt; quod si licuisset, forte excitasset ipsius marmoris inspectio alias conjecturas. Nam licet in eo multam curam adhibuerit Seldenus, multa sunt in eo lapide quadratarii, multa in ejus exemplo excusso typographi errata, cujus sæpe ignorantia & contumacia pugnat cum auctoris ingenio. Certe lacunarum spatia, non ubique bene expressa fuisse ex quibusdam locis manifesto deprehenditur, duo tantum exempla afferam: unum in linea 56, ubi post vocem ἄρχοντος lacuna sequitur, cujus spatium descriptum vix sufficit ad unam litteram, cum tamen necesse sit ibi scriptum fuisse ΑΘΗΝΗΣΙ secundum perpetuum Marmoris ordinem: alterum est in linea 70, ubi cum ex Seldeni sententia & verissima conjectura supplendum sit σΑΙΝΟΥΝΤΙΟΣΕ νίκησεν, spatium lacunæ, quod debebat esse undecim litterarum, vix sufficit ad tres vel ad summum quatuor litteras. Sed id non erit mirum ei, qui cogitabit id genus impressionis typographis non fuisse usitatum, & ut omnia bene quadrassent, opus fuisse, ut operarum diligentia, & cum exercitatione sagacitas doctissimi publica-

publicatoris ingenio obsecundassent, quod vel numquam vel raro accidit. Cæterum hoc qualecunque nostrum ἐπιχείρημα ipsi Seldeno examinandum mittere propositum fuit una cum epistola, quam hîc adscribere lubet, ut sciant omnes, quo animo & qua adversus publicatorem Seldenum reverentia id opus aggressus fuerim. Ea sic habebat.

VIRO CLARISSIMO

SELDENO,

JAC. PALMERIUS à GRENTEMESNIL

S. P. D.

VIR CLARISSIME,

Non dubito, quin statim ac nomen meum in capite hujus epistolæ legeris, veniat tibi in mentem illud Homericum:

Τίς πόθεν εἰ ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

Novum nempe & inauditum tibi videbitur ab ignoto non solum epistola compellari, sed etiam quodam officii genere, quod non nisi in notos conferri solet; sollicitari: fateor me audaculum esse. Sed quocunque modo in amicitiam tuam irrepere decrevi, & ut illud obtineam, aliquid insolitum & παράβολον audendum pridem in animo statueram jam ab eo tempore, quo eximium tuum & aureum à doctis omnibus jure nuncupatum de diis Syris libellum mihi contigit legere. Verum dico, ut vidi, ut stupui: & ex illo tempore Seldenus mihi in ore multus, in animo vero perpetuus incola fuit. Postea vero mihi in manus venerunt tua marmora Arundeliana; dignus tali patre fœtus & θεόσπορόν τι κύημα. Quem libellum dum sæpius retracto, ordinem, quo omnia, quæ complectitur, tam apte disposuisti, & tuam in supplendis lacunis εὐστοχίαν & in notis & canone πολυμάθειαν demiratus sum. Enimvero illam Spartam adeo excoluisti, ut fateri cogantur vel invidi tui vel æmuli, si quos habes, magnas ex eo labore gratias ab universa litteratorum republica tibi deberi. Sed cum in tuis prolegomenis dixeris, qua fieri potuit, justam hiatuum & lacunarum proportionem curavisse exhiberi, ut tū facilior esset lectori & sua de his supplendis conjectura, *non ingratū tibi fore putavi, si tuæ tam humanæ invitationi responderem, & aliquid etiam de meo supplere, & aliquod spicilegium post tuam amplissimam*

mam messem facere tentavero. Id spicilegium cum in tuo fundo factum sit, qualecumque tandem sit, tibi deberi non invitus fateor. Accipe ergo munusculum ab ignoto viro, sed tuæ famæ amantissimo, & dotum tuarum miratore, & tuere quod tuum est. Id enim tibi do consecroque; tuere inquam in locis, ubi tibi videbor veritati litasse. In quibusdam certe locis spero me non aberrasse à vero, in cæteris saltem non à verisimili. Unum in tuo marmoris exemplo me torquet, super quo requiro tuam sententiam. Non capio, quomodo fiat, ut in trapezio ejusdem ubique latitudinis, in quo lineæ sine ulla verborum aut periodorum distinctione procedunt, quædam lineæ sint litterarum centum viginti duo, ut linea 72, quæ in tuo antigrapho implet duas lineas integras cum quadrante, quod faciunt etiam lineæ 58, 59, 61, 62, 69, 70, & 71, aliæ vero lineæ impleant tantum in eodem antigrapho spatium unius lineæ cum dimidia, ut lineæ 8, 9, 10, 11, 12, 13, &c. Sed cum ipsum marmor non viderim, tibi, qui id accurate vidisti, & benigne publicasti, & cui quotidie id revisere licet, omnia ea examinanda relinquo, & tuæ censuræ nostram opellam suppono: si quæ minus apte nobis exciderunt, utere obelo vel spongia, damna, muta, confirma, dabo ego manus, & mihi satis erit ad mutandam sententiam dicere αὐτὸς ἔφα: cave enim putes me tibi supparem fore in animum induxisse, aut ex hoc tantillo labore aliquam gloriolam adipisci velle, cujus tu non sis fundus & auctor præcipuus. Si nostræ conjecturæ tibi placuerint, ab aliis laudari non recusem, neque enim mihi cornea fibra est: si eas respuis, non renuo, quin ab omnibus rejiciantur. Nam ex hac opella in notitiam & amicitiam tuam insinuari præcipuum mihi fuit propositum. Quod ut bene & fæliciter tibi & mihi cedat, faxit Deus omnipotens, quem ut tibi omnia bona, & cum fide & pietate πολυχρονίαν largiri velit, pronus obtestor & oro. Vale.

Hanc epistolam una cum meo autographo Londinium ad Seldenum miseram, sed hei mihi! tardius quam oportuit. Nam dum intensissimis calculi laboribus corpus vexatum ab ea cura animum aliquantum avocavit, & commoditatem navis & ventorum expectavi, non accepit nostrum munusculum Seldenus, sed & epistola & meum autographum Londinium missum ad me sine responso rediit: fato enim functus fuerat vir ille incomparabilis & omnibus litteratis lugendus. Itaque mutato proposito δόξαν πρὸς πολλοὺς fuit id cum aliis nostris criticis exercitationibus edere. Tu lector, utere fruere hac qualicunque opella nostra; si quid male nobis excidisse videbitur, placido animo corrige, & parce humanitati: ea vero, quæ nos fugerunt, tu felicioribus conjecturis supple, & literatos juva.

JACOBI




JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD CHRONICVM MARMORIS ARUNDELIANI,

à JOHANNE SELDENO PVBLICATVM.

Impressum Londini apud Joannem Billium, Anno 1629.



Ad lineam 7, ubi sic se habent lacunæ: ΠΡΟ...ΟΝ ΚΑΙΤΟΥΔΙΟ..ΤΟ...Δ...ΜΤΟΥΤΟΙΡ..ΟΝΙΔ.....Ο.. ΤΑΣΩΤΗΡΙΑ. Sic suppleo: ΠΡΟΤΕΡΟΝΚΑΙΤΟΥ ΔΙΟΣΠΑΥΤΟΜΕΝΟΥΣΔΙΕΑΥΤΟΥΤΟΙΡΩΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΜΗΣΑΤΟΚΑΙΤΑΣΩΤΗΡΙΑ, & sic procedet tota sententia: καὶ Δευκαλίων τοὺς ὄμβρους ἔφυγεν ἐκ Λυκωρείας εἰς Ἀθήνας πρότερον καὶ τοῦ Διὸς παυομένου δι' ἑαυτοῦ τὸ ἱερὸν Ἀπόλλωνι δομήσατο καὶ τὰ σωτήρια ἔθυσεν, i.e. *& Deucalion imbres effugit ex Lycoreia Athenas primum, & Iove cessante per seipsum templum Apollini ædificavit, & ob salutem sacra fecit.* Nunc conjecturæ nostræ firmandæ sunt & ea-

rum ratio explicanda, & de voce ΠΡΟ [illegible] ΡΟΝ nihil eſt credo dubii: nam ea ſæpe uſus eſt auctor marmoris in eo uſu. ΔΙΟΣ Π Λ ΤΟ [illegible] ΝΟΙ optime dicitur pro ὄμβρων πανομένων: cuilibet enim notum eſt Græcis Δία & Latinis Iovē ſæpiſſime ſumi pro imbre. In Δ [illegible] ΤΟΥ monendus eſt lector literam Μ, quæ eſt in marmore immediate ante Τ, ibi deſcriptam fuiſſe vel errore quadratarii vel exſcriptoris vel operarum in antigrapho. Non enim patitur Helleniſmus litteram Μ ante Τ unquam poni. Nam in una voce non poſſunt ſic copulari, & Τ quidem ante Μ aliquando ponitur, ut in voce τμῆμα; nunquam autem invenietur vox Græca in antiquo Helleniſmo, in qua Μ ante Τ immediate ponatur. Nec in duabus vocibus, quarum primæ Μ eſſet finalis, ſequentis vero prima litera foret Τ, id fieri poteſt: litera enim Μ nunquam eſt finalis in Helleniſmo, niſi aliquando in Ionica dialecto, quando Ν finalis mutatur in Μ ob ſequentem Β vel Μ vel Π vel Φ, ut ſupra hoc eodem marmore, ἐμ Πάρῳ pro ἐν Πάρῳ. Aliter numquam invenietur Μ in fine dictionis. His poſitis neceſſe eſt mutare eam litteram, quæ vel errore quadratarii poſita eſt in marmore, vel tractu temporis quodam accidente mutata, vel ab exſcriptore male excepta, vel denique typographorum incuria male excuſa, & excogitare, quæ littera præceſſerit ΤΟΥ. Ea meo judicio fuit Υ, quæ impactis duabus fiſſuris mutata fuerit in Μ, & ideo ſupplevi Δ [illegible] ΤΟΥ, id eſt, *ſuis manibus, per ſe ipſum, nullo miniſterio uſus* vel ex voto, vel quod verius videtur, eo quod omnes opifices diluvio perierant, quod cenſet Ovidius, dum canit Metamorph. I.

Jupiter ut liquidis ſtagnare paludibus orbem,
Et ſupereſſe videt de tot modo millibus unum,
Et ſupereſſe videt de tot modo millibus unam.

ΤΟΙΡ [illegible] ΟΝΙΔ [illegible] Ο [illegible] ΤΑ &c. aliquis forte id ſupplementum non admittet, eo quod τὸ ἱρὸν vox eſt Ionica. At licet ſæpius utatur dialecto communi marmor, ſæpe etiam Ionicam dialectum ſectatur, ſive id fecerit auctor Chronici, ſive quadratarius, qui, ut ratio ſuadet, fuit Ion, quando ea marmorum fragmenta inventa ſunt Smyrnæ, quæ civitas erat inter Ionicas inſignis. Sic ſupra dixit ἕως Ionice pro ἕως, & ἐμ Πάρῳ pro ἐν Πάρῳ & ἐγ Λυκωρείας pro ἐκ Λυκωρείας. Unum reſtat; quod cum non inveniatur apud ullum antiquū auctorem, Deucalionem Apollini templum ædificaſſe, id illi nullo auctore per meum ſupplementum tribuo, cum inveniatur Deucalionem Iovi Φυξίῳ aram poſuiſſe, non Apollini. Id fateor. Sed Φυξίῳ

Iovi

Iovi aram posuit Athenis ob fugam tempestivam & evitatum diluvium. Nam Δία Φύξιον interpretatur Tzetzes ad Lycophronem, [1] τὸν δυνάμενον ποιῆσαι φυγεῖν τὸ κίνδυνον. Et postea: [2] φυγὼν γάρ τις ἐπικαλεῖται Φύξιον Δία. Sic Phryxus novercam fugiens, postquam Colchos pervenit [3] Διὶ Φυξίῳ τὸ δέρος ἀνιέρωσεν, ut ait Pindari Schol. ad Pythiorum 4. & ita cogunt supplere marmoris reliquiæ, quæ ONIΔ habent. Nam Κρονίωνι & Κρονίδῃ voces sunt poëticæ & periphrasticæ, quibus non utitur marmor, sed vocibus in soluta oratione usurpari solitis, & fuit magis rationi consentaneum, ut Deucalion reversus Apollinem veneraretur, qui nubes discutit, & serenitatem facit, quam Jovem, qui νεφεληγερέτης dicitur *nubium coactor & adunator*, & imbres mittit, quibus sedatis post multos dies Sol non visus serenitate reducta tamquam salvator & sospitator apparuit. Ideo non tam Iovi debuit rem sacram facere Deucalion, quam Soli vel Apollini. Quod si nullus antiquorum id dixit, cogita, quam pauci libri ex antiquis illis usque ad nos ex immensa copia pervenerint, quam fuerint variæ veterum in tanta antiquitate opiniones: adde, quod cum non inveniatur apud antiquos, quis primus Delphicum templum ædificaverit, cujus fuit tanta antiquitas, ut dicatur primum ex Lauri ramis implexis ædificatum fuisse casulæ pastoritiæ more (quod ait Pausanias in Phocicis) cui melius tribuetur id subitaneum ædificium, quam Deucalioni antiquissimo, & qui solis suis manibus usus non poterat illud ex materia, quæ magis ad manum esset & faciliori struere, &, ut credere est, ex eo tempore Deucalion Parnassum suum Apollini dicavit, qui antea vel Terræ, vel Themidis dicebatur esse. Nec mirum, si in re tam antiqua conjecturis ago, quando nullus auctor dixit, quis primus cum montem Apollini dicaverit, & ara & templo ædificato consecraverit ei numini. Itaque non sine multis probabilibus conjecturis supplevi Ἀπόλλωνι δομήσατο, augmento ε in ἐδομήσατο Ionice abjecto.

[1] Qui potest facere, ut periculum fugiamus.

[2] Fugiens vero aliquis invocat Iovem Phyxium.

[3] Iovi Phyxio pellem sacravit.

Linea octava optime à docto Seldeno suppleta est.

Ad lineam 9, ubi sic se habent lacunæ. Ω.. ΜΑΣΕΝΑΜΦΙΚΤΥΟΝΑΣ ΚΑΙΠ....... ΝΟΥ.. ΚΑΙΝΥΝΕΤΙΘΥΟΥΣΙΝΑΜΦΙΚΤΥΟΝΕΣ. supplevi ΠΥΛΑΙΑ ΝΟΜΙΕΡ ΚΑΙ &c. Notum est omnibus mediocriter literatis Πύλαιαν vocatum fuisse Amphictyonum conventum ad Thermopylas. Ideo inter Π & Ν nihil mihi videtur commodius suppleri posse, quam nomen illius conventus, quod supplevi, quando de eo conventu agitur: in Ω.. ΜΑΣΕΝ optime supplevit Seldenus ὠνόμασεν.

 Ad

Ad lineam 11. in ultima lacuna, ubi literæ ΩΙ præcedunt literas numerales, est proculdubio error exscriptoris, qui non bene excepit marmoris reliquias accisas. Nam in toto marmore nullo excepto loco, literas numerales semper præcedit vox ΕΤΗ. Ideo ex reliquiis ejus vocis ΞΤΗ fecerunt ΩΙ ωι, ut puto. Ergo totam hanc lacunam sic expleri posse existimo ΚΑΙΤΟΝΑΓΩΝΑΠΑΝΑΘΗΝΑΙΑΕΘΕΣΑΝ ΕΤΗ. &c.

Ad lineam 12. ubi ita lacuna se habet: ΑΦΟΥΚΑΔΜΟΣΑΓΗΝΟΡΟΣ ΕΙΣΘΗΒΑΣΑΦΙΚΕΤΟ.......... ΕΚΤΙΣΕΝΤΗΝ ΚΑΔΜΕΙΑΝ. supplevi ΑΦΙΚΕΤΟ ΚΑΤΑ ΧΡΗΣΜΟΝ ΚΑΙ ΕΚΤΙΣΕΝ &c. Sic ex historia vel fabula supplevi, in qua antiqui consentiunt: scilicet Cadmo consulenti Delphicum oraculum responsum fuisse, ut bovem signatam Lunula alba in utroque latere sequeretur viæ ducem, & ubi tandem illa flexis genibus cubaret, ibi urbem conderet. Si vis ipsa oraculi verba legere, ea inveniuntur apud Scholiasten Euripidis ad Phœnissas, & apud Scholiasten Aristophanis ad Ranas. Est enim plurium versuum & prolixius, quam ut his notis brevibus inseri deceat.

Ad lineam 13 hac lacuna deformatam ΑΦΟΥΑΓΗΝΟΡΙΔΑΙΦΟΙΝΙΚΗΣΕΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝ, & probabit ut spero doctus publicator hoc supplementum. Nam & ipse in suis notis de Phœnicia, & Cadmo & Phœnice optime divinavit. At Cadmus & Phœnix Agenoris filii Agenoridæ unica voce bene dicuntur, & ad lacunæ spatium satis accommodata.

Ad lineas 14 & 15 ubi tales lacunæ videntur: ΑΦΟΥΝΑΤ......... Η .... ΩΝΕΞΑΙΓΥΠΤΟΥ .. ΙΣΤΗΝΕΛΛΑΔΑΕΠΛΕΥΣΕΚΑΙ ΩΝΟΜΑΣΘΗΠΕΝΤΗΚΟΝΤΟΡΟΣΚΑΙΑΙΔΑΝΑΟΥΘΥΓΑΤΕΡΕΣ..........ΩΝΗ. supplevi in prima & secunda lacuna ΑΦΟΥΝΑΥΣ ΠΡΩΤΗ ΑΙΒΥ ΩΝ. Aliquis forte putaret suppleri debere Αἰγυπτίων, sed prætuli Λιβύων duabus de causis: prima, quod lacunæ spatium non videtur posse recipere septem litteras ΑΙΓΥΠΤΙ, & quatuor ΑΙΒΥ melius conveniunt: secunda, quod ante Ægyptum Beli filium non videtur Ægyptus tale nomen habuisse, sed à nomine regis fluvius primum Ægyptus dictus fuit, & postea à fluvio tota regio. Sed pars, quæ Ægypto evenerat, Arabiæ censebatur, ea nempe, quæ erat ab oriente fluvii; pars vero occidentalis, quæ Danao obvenerat, Libyæ accensebatur, & Libya nuncupabatur. Belus pater inter libe-

ros

ros ita diviserat ditionem suam. Itaque cum Danaus à fratre Ægypto pulsus in Græciam venit, ex sua ditione, quæ tunc Libya dicebatur, profectus est. Si non mihi credis, en Apollodori verba. Δάναον μὲν οὖν Βῆλος ἐν Λιβύῃ κατῴκησεν. Αἴγυπτον δ' ἐν Ἀραβίᾳ, ὃς καὶ καταστρεψάμενος τὴν Μελαμπόδων χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ ὠνόμασεν Αἴγυπτον, id est, *Danaum quidem igitur Belus in Libya locavit. Ægyptum vero in Arabia, qui cum Melampodum regionem evertisset, à suo nomine Ægyptum vocavit.* Sed etiam Herodotus Græcos ait putasse partem Ægypti unam esse Africæ, aliam vero Asiæ. Pausanias certe & cum eo alii dixerunt Danaum ab Ægypto profectum in Græciam navigasse. Sed hoc dixerunt κατὰ πρόληψιν, & secundum sui temporis nomen. In lacuna lineæ 15 ΚΑΙΔΑΝΑΟΥΘΥΓΑΤΕΡΕΣ ΑΜΥΜΩΝΗ, quoniam ea fuit ex Danai filiabus notissima, & reliquiæ, quæ extant non patiuntur aliquem de eo dubitare. Vide Hyginum fabula 169.

Ad lineam 16, quæ lacunam habet ejusmodi: ΑΠΟΚΛΗΡΩΘΕΙΣΑΙ ΥΠΟΤΩΝΛΟΙΠΩΝ..............ΑΝΤ...... quoniam linea videtur multo brevior, quam cæteræ lineæ, quas æquales fuisse puto, multa verba deesse videntur post tres illas literas ΑΝΤ. & si hoc est, sic ex Apollodoro suppleo: ΛΟΙΠΩΝΙΔΡΥΣΑΝΤΟ ΛΙΝΔΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΑΓΑΛΜΑ, vel brevius, ΛΙΝΔΙΑΝ ΑΘΗΝΑΝ. Quod si fallor, & spatium marmoris respuit talem litterarum numerum, tunc erit δεύτερος πλοῦς, ut ajunt, aliud supplementum ΤΔΡΕΥΣΑΝΤΟ. Nam & idem Apollodorus, ad id nos ducit, dum sic ait de Danao: τὰς θυγατέρας ὑδρευσομένας ἔπεμψε, μία δὲ αὐτῶν Ἀμυμώνη ζητοῦσα ὕδωρ &c. Ideo eam ὑδροφόρον notat Propertius lib. 2 elegia 25.

Testis Amymone, latices cum ferret in arvis,
Compressa.

Linea 17 duabus lacunis laborat, quarum prima sic est: ΕΘΥΣΑΝ ΕΠΙΤΗΣΑΚΤΗΣΕΜΠΑΡΑ .. ΑΔΙΕΝΛΙΝΔΩΤΗΣΡΟΔΙΑΣ. Duo occurrunt supplementa, quorum neutrum præfero, electionem integram tibi, lector, relinquere decrevi. Unum est ΕΜΠΑΡΑΛΙΑΔΙ, ut fuerit regiuncula maritima παραλίας dicta, eo quod erat ad littus maris prope Lindum vel in ipsa Lindo, ubi in ipso littore sacra fecerunt Danaides illæ. Alterum est ΕΜΠΑΡΑΣΤΑΔΙ, in porticu quadam, vel ad antes templi cujusdam, quoniam scilicet erat clausum templum, ideo coactæ fuerunt extra id ἐν παραστάδι sacra facere. Hæc putavi, forte tu meliora. Ultima lacuna, quæ est ad finem lineæ, debuit magis extendi: manifesto enim debuit post ΒΑΣΙΛΕΥ continere ΟΝΤΟΣ

ΑΘΗΝΗΣΙ, & poſtea nomen regis, quod fuit proculdubio vel Ἀμφικτύονος vel Ἐριχθονίου. Sed quoniam Petavius & cum eo omnes fere Chronologi cenſent Amphictyonem decem tantum annos regnaſſe, linea vero 10 noſtri marmoris ponitur jam regnaſſe anno ab Epocha retro 1258, hujus vero lineæ epocha eſt 1247, quæ undecim annorum ſpatium ab altera notat, præferendum videtur Ἐριχθονίου, nam ille annus 1258 non fuit forte primus annus Amphictyonis. Sic igitur ſuppleo ultimam lacunam lineæ 17 ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΕΡΙΧΘΟΝΙΟΥ ΑΦΟΤΕΡΙΧ.

Ad lineam 18, ubi ſic legitur. ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΟΥΣ .. ON .... AI.. .. ſic ſupplendum eſſe arbitror ΑΘΗΝΑΙΟΥΣ ΜΕΤΟΝΟΜΑΣΕ ΚΑΙ ΕΔΟΣ ΤΗΣ: & in linea ſequenti, ΘΕΩΝ ΜΗΤΡΟΣ &c. Et quod ad primum ſupplementum, licet non habeam ad manum auctorem, qui id tribuerit Erichthonio, tamen ea nominis impoſitio præcipue convenit ei, qui primus in acropoli Minervæ Ἀθηνᾶς ſimulachrum conſtituit, & Panathenæorum celebritatem ad certos terminos ſolennes deduxit, & legibus poſitis firmavit, & qui ſi non Minerva natus, ab ea educatus fuit, & cui cauſa nativitatis fuit ſecundum fabulam, dum Vulcanus Minervam attentavit. Ideo immortalem eum facere cupiebat, & in ſuo templo educari curaverat. Ideo Minervæ tantorum beneficiorum vicem rependere volens, populos, quos regebat, antea Cecropidas dictos à Minerva vel matre vel educatrice Minervios, hoc eſt, Ἀθηναίους mutato nomine vocavit: nec credo aliter fuiſſe ſcriptum in marmore. De his vide Apollodorum lib. 3. Iſocratem in Panathenaico, Pauſaniam in Atticis. Quod ad litteram O attinet, dico proprium eſſe Ionicæ dialecti augmenta detrahere, & ideo μετωνόμασε mutant in Μετονόμασε. In ſecundo ſupplemento ejuſdem lineæ, ΚΑΙ ΕΔΟΣ ΤΗΣ ΘΕΩΝ ΜΗΤΡΟΣ, prætuli vocem ἕδος, eo quod magis convenit ad lacunæ ſpatium, cum tamen lacuna ſit ad finem lineæ; ſi debuit longius extendi, tunc ἄγαλμα ſupplendum foret. Quod autem de ſimulachro Matris deorum intelligendum ſit, docent nos, quæ ſequuntur, ΕΦΑΝΗ ΕΝ ΚΥΒΕΛΟΙΣ. nam Κύβελα mons, à quo Cybele dicta eſt, Δίνδυμον, unde Dindymene, montes ſunt Phrygiæ, qui Sangario flumini & Peſſinunti urbi imminent teſte Strabone lib. 12. At ſimulachrum matris deûm φανῆναι, ſubito apparuiſſe, ibi de cœlo delapſum tradiderunt Phryges teſte Herodiano, cujus verba hîc apponam, ut intelligatur hoc loco marmor. Sic igitur ille lib. 1 de eo ſimulacro: αὐτὸ δὲ τὸ ἄγαλμα διοπετὲς (ὥς λέγουσιν)

λέγουσιν) οὔτε δὲ τὴν ὕλην οὔτε τεχνιτῶν ὅστις ἐποίησεν ἐγνωσμένων, οὐδὲ ψαυστὸν χειρὸς ἀνθρωπίνης, τοῦτο δὲ πάλαι μὲν ἐξ οὐρανοῦ κατενεχθεῖσαι λόγος ἐς τινα τῆς Φρυγίας χῶρον, Πεσινοῦς δὲ ὄνομα αὐτῷ, τὴν δὲ προσηγορίαν λαβεῖν τὸν τόπον ἐκ τοῦ πεσόντος ἀγάλματος ἐξ οὐρανοῦ καὶ πρῶτον ἐκεῖσε ὀφθεῖσαι, id est, *id autem ipsum simulachrum è cælo delapsum ajunt, neque materia ejus neque artifice, qui fecit, cognitis: neque hominis manu tractatum, sed olim è cælo delapsum sermo est in quendam Phrygiæ locum, qui Pessinus dicitur: hanc autem appellationem accepisse eum locum ab eo simulachro è cælo delapso, & primum ibi visum fuisse.* En rationem, quare dixit marmor ἐφάνη ἐν Κυβέλοις, non vero ἐποιήθη.

In linea 19 hiant hæ lacunæ. ΥΑΓΝΙΣΟΦΡΥΞΑΥΛΟΥΣΠΡΩΤΟΣ ΗΥΡΕΝΕΓΚ .. ΑΝΝΑΙ ...... ΣΦΡ. Sic suppleo. ΕΓΚ ΕΛΑΙΝΑΙ Σ ΤΗΣ ΦΡΥΓΙΑΣΚΑΙΑΡΜΟΝΙΑΝΚΑ. & in linea sequenti ΛΟΥΜΕΝΗΝ. Supplevi igitur ΕΓΚΕΛΑΙΝΑΙΣΤΗΣΦΡΥΓΙΑΣ, quo nihil commodius potest excogitari: nam pro NN in autographo non dubium est, quin reponendum sit IN, & est error quadratarii vel exscriptoris, ut patebit ex iis, quæ afferam. Hyagnis fuit Marsyæ pater, ut nos docet Plutarchus l. de Musica, Strabo l. 12 & Nonnus Dionysiacorum l. 10. nam quod solus Apollodorus Olympi filium facit Marsyam, id vetant nos credere auctores supra citati, & Pausanias, qui in Phocicis antiquæ tabulæ pictæ argumenta referens inter cætera Marsyam ibi pictum fuisse narrat in petra sedentem & juxta eum puerum formosum Olympum, qui tibias inflare discebat. Fuit igitur Olympus Marsyæ discipulus, & id etiam Plutarchus asserit eodem libro de Musica. Ideo non fuit ejus pater, sed Hyagnis. At quando in confesso est, Marsyam fuisse Celænis oriundum, necesse est & Hyagnim Celænis habitasse, quæ fuit antiqua urbs Phrygiæ. Tum Clemens apud Eusebium præp. euang. lib. 10 id probat, si bene legatur, & quando emendatione indiget is locus, eum asscribam: Φασὶ δὲ καὶ τὴν πλαγίαν σύριγγα Σάτυρον εὑρεῖν τὸν Φρύγα, τρίχορδον δὲ ὁμοίως καὶ τὴν διάτονον ἁρμονίαν Ἄγνιν τὸν καὶ αὐτὸν Φρύγα· κρούματα δὲ Ὄλυμπον ὁμοίως τὸν Φρύγα, καὶ τὴν μιξοφρύγιον καὶ μιξολύδιον Μαρσύαν τῆς αὐτῆς ὄντα τοῖς προειρημένοις χώρας &c. Lege, καὶ τὴν διάτονον ἁρμονίαν Ὕαγνιν τὸν καὶ αὐτὸν Φρύγα, & quando Hyagnim & Marsyam ait fuisse ejusdem patriæ, concludere licet Hyagnim fuisse Celænis oriundum, unde domo fuit Marsyas. Sic autem Latine redditur locus Clementis: *Ajunt autem & obliquam tibiam invenisse Satyrum Phrygem: trichordam vero & diatonicam harmoniam, Hyagnim & ipsum Phrygem, Cru-*

mata

mata vero Olympum similiter Phrygem, & mixophrygium & mixolydium modum Marsyam eadem patria natum. Supplevi postea καὶ ἁρμονίαν καλουμένην &c. Nam sic & apud Aristotelem & alios dicitur ἡ Φρυγιστὶ ἁρμονία, ἡ Δωριστὶ ἁρμονία. Ideo non dubito, quin ita scriptum fuerit in marmore, & ita etiam suppleri debere judicavit doctissimus publicator, quem, postquam hæc scripseram, consului.

Ad lineam 20 & 21, in principio extat hæc lacuna: ΚΑΙΑΛΛΟΥΣ ΝΟΜΟΥΣ.ΜΗΤΡΟΣΔΙΟΝΥΣΟΥΠΑΝΟΣΚΑΙΤΟΝΕΠ................ ΕΤΗ. &c. Suppleo ΚΑΙΤΟΝΕΠ ΙΧΩΡΙΟΝΗΡΩΩΝ, & forte, si lacuna finalis patitur, ΕΠΙΧΩΡΙΩΝΘΕΩΝΚΑΙΗΡΩΩΝ. Nam postquam majores deos memoravit, ratio & mos requirebat, ut ad minores deos & heroas deflecteret oratio, & est verisimilis conjectura: nam ΕΠ non potest esse principium nominis dei alicujus. Sic Athenæus lib. 14. ὕμνους καὶ παιᾶνας, οἷς ἕκαστοι κατὰ τὰ πάτρια τοὺς ἐπιχωρίους ἥρωας καὶ θεοὺς ὑμνοῦσι.

Lineæ 21 talis est lacuna finalis. ΑΦΟΥΜΙΝΩΣ..ΠΡ....ΒΑ.... .... Sic suppleo. ΜΙΝΩΣΤΟΠΡΟΤΕΡΟΝΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕΚΑΙ, & si lacuna finalis id pateretur, ΕΒΑΣΙΛΕΥΣΕΚΡΗΤΠΣΚΑΙ.

Lineæ 22. lacuna in lineæ principio superioris lineæ supplemento conjungenda sic habet: Δ.... ΑΟΝΙΑΝΩΙΚΙΣΕ. ubi optime Seldenus judicat supplendum esse ΑΠΟΛΛ ΟΝΙΑΝ, vel ΚΥΔΩΝΙΑΝ. Sed mihi videtur omnino præferendum ΑΠΟΛΛΟΝΙΑΝ: nam & Δ videtur esse residuum τοῦ Α & Cydoniæ nomen posterius est Minoe, si vera memorant historiæ, quæ Cydoniam conditam fuisse dicunt à Samiis exulibus tempore Polycratis tyranni. Secunda lacuna sequitur: ΣΙΔΗΡΟΣΗΥΡΗΘΗΕΝΤΗΙΙΔΗΕΥΡΟΟΤΩΝΤΩΝΙΔΑΙΩΝΔΑΚΤΥΛΩΝΚΕΛΜΙΟΣΚ......., quam sic suppleo. ΚΑΙΔΑΜΝΑΝΕΩΣ, vel ΔΑΜΝΑΜΕΝΕΩΣ (nam diverse scribitur) ex Phoronidis auctore vetustissimo.

[1] Κέλμις Δαμναμενεύς τε μέγας καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων
Οἱ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος Ἡφαίστοιο
Εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις ἰόεντα σίδηρον.

Et ex Clemente apud Eusebium præparationis Euangelicæ lib. 10, & ipso Clemente in Stromatibus [2] Κέλμις τε αὖ καὶ Δαμναμενεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων δακτύλων πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ. Celmin etiam & Damnaneum conjungit Nonnus lib. 14. Sed eos inter Telchinas recenset in eo diversus ab aliis:

[3] Ἦλθε Λίκος, καὶ Σκέλμις ἐφέσπετο Δαμναμενῆϊ

In

[1] Celmis & Damnaneus ingens & superbus Acmon, Qui primi artem multiscii Vulcani Invenerunt in montium profunditatibus ferrum rubiginosum.

[2] Celmis rursus & Damnaneus Idæorum Dactylorum primi ferrum invenerunt in Cypro.

[3] Venit Licus, & Scelmis sequebatur Damnamenеum.

In ea linea numerus annorum deest, quod supplere tentare nimis audax foret, cum Pandion regnaverit annos 40.

Ad lineam 23. ubi finales lacunæ notantur. ΔΗΜΗΤΗΡΑΦΙΚΟΜΕΝΗΕΙΣΑΘΗΝΑΣΚΑΡΠΟΝΕΦΥ...ΥΕΝΚΑΙΠΡ....ΠΡΑ......ΩΤΗΔ. Non dubito, quin de inventis frugibus & victu hominum civiliore intelligendæ sint hæ reliquiæ. Ideo suppleo: ΕΦΥΤΕΥΕΝ ΚΑΙΠΡΙΝΑΓΡΙΟΝΕΠΡΑΥΝΕΤΟΝΒΙΟΝΠΙΩΤΗΔΙΑΤΡΙΠΤΟΛΕΜΟΥ. Vel si lacuna brevior est, quam ut ΠΡΙΝΑΓΡΙΟΝ inseri possit, suppleri potest ΚΑΙΠΡΙΝΙΝΟΝΕΠΡΑΥΝΕ. Elige lector, qui ipsum marmor videre potes, quid melius conveniat ad lacunarum spatium. Πρίνιν© βί© optime de iis dici potest, qui glande vescebantur, quarum feraces οἱ πρῖνοι.

Ad lineam 24 in fine & initio lineæ 25, ubi reliquiæ manent. ΑΦΟΥΤΡΙΠΤΟ................ΕΣΠΕΙΡΕΝ. Supplendum est ΤΡΙΠΤΟΛΕΜΟΣΚΑΡΠΟΝΕΣΠΕΙΡΕΝ, & ad hoc nos ducit doctus publicator in suo canone.

Ad lineam 25, ubi numerus annorum est hiulcus sic, ΕΤΗΧ..ΔΔΔΔΠ, supplenda est litera numeralis Η Sic: ΕΤΗΧΗΔΔΔΔΠ, & in fine lineæ supplendum est nomen regis, ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΩΝΕΡΙΧΘΕΩΣ, quod non potest, quin sit verum: nam & in superiore linea & in inferiore Epochæ ad Erichtheum referuntur, & ex nomine Erichthei bene concluditur unicum Η deesse in litteris numeralibus. Nam cum in linea 21 notetur epocha sub Erichthonio 1242, Pandion vero, qui inter Erichthonium & Erichtheum numeratur, regnaverit annos 40, necesse est Epocham hujus lineæ 25, quæ Erichtheum regnantem habet, non posse recipere Η Η duo centenaria.

Ad lineam 26 & initium 27. Deest proculdubio antiquissimi Poëtæ & ejus patris nomen, qui Proserpinæ raptum & Cereris errores scripserat, cujus nomen nunc non succurrit, nisi forte fuerit, ut Seldenus suspicatur, Eumolpus: fuit enim teste Suida Orphei discipulus, & Homero antiquior Poëta, & qui sacrorum Cereris ritus & cerimonias & Mysteriorum traditionem scripserat. Forte ea fuit poësis, quæ Eumolpias dicebatur, quam tamen quidam Musæo tribuunt, & nomen suadet fuisse potius Eumolpi gestorum narrationem ab alio, quam ab Eumolpo factam, quam Eumolpi ipsius opus: poëmatum enim tituli non sumebantur ab auctoribus, sed à rebus, de quibus agebat poëma. Sic Ilias & Odyssea, non ab Homero au-

 ctore,

ctore, sed ab Ilio urbe & ad Ulysse Heroë. Sic Æneis non à Marone, sed ab Ænea, Thebais, Achilleis, & alia poëmata numquam ab auctoribus denominata sunt. Itaque Eumolpiadem puto potius à rebus gestis ab Eumolpo dictam fuisse. Cæterum tempus satis concordat. Nam Eumolpus & Erechtheus contemporanei fuerunt, ut videre est apud Pausaniam in Atticis. Si tamen quis hæc non recipiat, videat, an intelligi debeat de Pampho vetustissimo Poëta, & qui, ut idem Pausanias ait, Atheniensibus vetustissimos hymnos composuit. Ille enim de Cereris erroribus & raptu Proserpinæ scripserat, testis idem Pausanias in Atticis pag. 37, & in Bœoticis pag. 306. cum autem Poëtam Narcisso antiquiorem facit ibidem. Narcissus autem fuit Cephisi filius secundum Ovidium & Hyginum. Cephisus vero fuit Erichtheo antiquior: ejus enim filiam duxit Erichtheus secundum Lycurgum, vel neptem secundum Apollodorum. Ergo Pamphos ille fuit vel antiquior vel contemporaneus Erichthei, & quadrat satis tempus, si quis velit suspicari de eo loqui marmor. Hæc tamen omnia meræ sunt conjecturæ, & quæ vel admitti vel respui me judice possunt: verisimilia enim tantum, non vera esse contendo. De Musæo hoc loco mentionem factam fuisse non puto, quoniam duabus lineis inferius de eo loquitur marmor.

Ad lineam 27 in lacuna finali, quæ hiat post ΕΡΙΧΘΕΩΣ, sic eam supplendam esse existimo: ΑΦΟΥΚΑΥΚΩΝΟΣ: & postea in principio lineæ 28 quæ sic incipit .....ΝΟΥ. sic persequor, ΚΕΛΑΙΝΟΥ. & sic continuatur supplementum: ΑΦΟΥΚΑΥΚΩΝΟΚΕΛΑΙΝΟΥΤΑΜΥΣΤΗΡΙΑΑΝΕΦΗΝΕΝΕΝΕΛΕΥΣΙΝΙ. Caucon fuit Eleusinius filius Celæni, qui primus orgia magnarum dearum, quæ & mysteria dicta sunt, usque ad Messenem in extremam Peloponnesum intulit. Id nos docet Pausanias in Messenicis non longe ab initio:

[1] Adeam Messenem orgia ferens magnarum Dearum Caucon ex Eleusine venit Celæni filius Phlui nepos.

[1] παρὰ ταύτην τὴν Μεσσήνην τὰ ὄργια κομίζων τῶν μεγάλων θεῶν Καύκων ἦλθεν ἐξ Ἐλευσῖνος ὁ Κελαινοῦ τοῦ Φλύου, &c.

In medio lineæ 28. & deinceps tales sunt lacunæ: ΚΑΙΤΑΣΤΟΥ.. ..... ΟΥΣΑΙΟΥΠΟΙΗΣ .. ΣΕΞΕΘΗΚ. Quæ ita suppleri debere puto. ΤΑΣΤΟΥΠΑΛΑΙΟΥΜΟΥΣΑΙΟΥΠΟΙΗΣΕΙΣΕΞΕΘΗΚ[illegible]....ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΕΡΙΧΘΕΩΣ. Hujus supplementi rationem ut reddam, dico Musæum fuisse antiquum Poëtam Eleusinium Eumolpi filium secundum Diogenem Laërtium in procemio: at secundum Acesodorum antiquissimum auctorem à Sophoclis Scholiaste in Oedipo ad Colonum citatum filius Antiphemi

phemi filii Eumolpi. Addidi vero πυλαιὸν, ut lacuna requirit, eo quod teste Suida plures fuerunt Musæi, at antiquissimus ille omnium Eleusinius, qui Eumolpia scripsit, & Titanographiam & morborum curationes & Hymnum in Cererem, testibus Pausania in Atticis & in Phocicis, & Eustathio in procœmio. Ultimum supplementum ubi posui ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΝΕΡΙΧΘΕΩΣ, non eget fulcimento. Nam sequitur ex perpetuo marmoris ordine ita supplendum esse, ut etiam ea, quæ paulo ante supplevi ΕΤ..... .. .... cæteras litteras numerales nec supplere tentavi, nec, ut credo, quisquam exacte supplere potest.

Ad lineam 29. ubi in principio desunt quatuor aut quinque litteræ, ut ex lacunæ spatio conjicio, sic supplevi: ΕΡΙΧΘΕΩΣ, quod infert necessario id, quod sequitur ΤΟΥΠΑΝΔΙΩΝΟΣ. Nam Pandionis fuit filius & successor Erechtheus. Ad cæteras lacunas lineæ 29 manū non admovebo, ea vulnera Pæona vel ipsum Apollinem requirunt. Suspicor tamen in secunda lacuna, ubi legitur: ΑΦΟΥΚΑΘΑΡΜΟΣ ΠΡΩΤΟΝΕΓΕΝΕΤΟ.. ... ΟΥ, debere suppleri ΦΟΝΟΥ. Putat tamen doctissimus publicator hunc locum debere intelligi non de homicidii expiatione, sed de lustratione urbis Athenarum, quæ fiebat mense Thargelione, & ejus auctoritas me raperet, ut ita cum eo censerem, nisi & ipse id dubitans proposuisset. Sed contra eam sententiam pugnat ratio temporis. Nam ea urbis lustratio cœpit fieri propter pestem, quæ ob mortem Androgei Athenas desolabat, ut ait Helladius apud Photium, quem citat ipse vir summus. At Epocha de Androgei morte & calamitatibus, quibus Athenæ vexatæ fuerunt ob id piaculum, notatur infra linea 34. Non ergo agitur hoc loco linea 29 de ea lustratione, quæ pluribus lustris postea instituta est. Hæc ratio me cogit hoc loco à doctissimo commentatore dissentire, qui tamen id non omnino asserit, sed nobis dubitandi & inquirendi ansam præbuit, dum in notis historicis utitur voce *forsan*.

Inter lineam 29 & 30 notandum est nullam in marmore epocham notari regnante Cecrope, quem tamen volunt Chronologorum filii regnasse annos 40, & id præcipue notabile est, eo quod ille Cecrops ab Eusebio ex Castore antiquo auctore dicitur Erechthei frater, Pausaniæ vero & aliis Erechthei filius. Idem Pausanias ait in Atticis pag. 5 eum Eubœam secessisse, nec dubito, quin secessus causa fuerit bellum contra eum motum à Metione & Orneo Erechthei filiis, ob regni successionem. Fuit enim olim sæpe controversa inter

filios & fratres superstites regis defuncti de regno quæstio, & ideo forte nulla in hoc marmore Epocha ab eo notatur, eo quod ejus regnum controversum fuit, nec unquam satis firmum aut stabilitum.

Ad lineam 30 (in cujus initio desunt numerales litteræ, quas supplere non tentabo, quia nihil certi dare posse me existimo) ubi lacunæ duæ sunt ejusmodi: ΑΦΟΥ..ΝΕΛΕΥΣΙΝΙΟΓΥΜΝΙΚΟΣ............. ΑΦΟΥ....... & continuata serie cum linea 31. sic .... ΑΙ .. ΤΑ. Sic ego resarciendas lacunas existimo. ΟΓΥΜΝΙΚΟΣΑΓΩΝΕΘΕΘΗ (ut nobis ad id viam monstravit Seldenus in suis notis) & postea ΑΦΟΥΑΝΘΡΩΠΟΘΥΣΙΑΙΚΑΙΤΑΛΥΚΑΙΑΕΝΑΡΚΑΔΙΑΕΓΕΝΕΤΟ. Sic suppleri puto debere ex Pausania in Arcadicis non longe ab initio, ubi de Lycaone: καὶ Δία ὠνόμασε Λυκαῖον, καὶ ἀγῶνα ἔθηκε Λυκαῖα. Et paucis lineis inferius: Λυκάων δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Λυκαίου Διὸς βρέφος ἤνεγκεν ἀνθρώπου καὶ ἔθυσε τὸ βρέφος καὶ ἔσπεισεν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τὸ αἷμα. Sed Hyginus & Suidas non ipsi Lycaoni antiquo tribuit eam immanitatem, sed ejus filiis. Ovidius tamen primo Metamorphoseon ipsum Lycaonem id piaculum commisisse ait, & ideo à Jove mutatum in lupum fuisse. Quicquid sit, non est dubium, quin de hominum mactatione mentio facta fuerit in marmore, & quæ supplevi, satis congruunt ad spatium lacunarum. Sed objicietur hanc epocham multum recedere ab aliorum Chronologorum calculo, qui Lycaonem multo antiquiorem faciunt, & Cecropi τῷ διφυεῖ coævum. Sed proculdubio fuerunt plures Lycaones, ut ego pridem notaveram, & ex hoc marmore in ea sententia confirmatus sum. Itaque ea impia sacra non erant tribuenda antiquissimo illo Lycaoni primo secundum Pausaniam, secundo secundum Halicarnasseum, cujus secundi stemma deducit cum tanta cura Pausanias, sed alteri multum inferiori tempore & paucis lustris tempora Herculis antecedenti. Primus ille vel secundus Lycaon filius fuit, si bene memini, Pelasgi & Deianiræ, quæ filia fuit antiquioris Lycaonis, qui fuit Æzei filius, ut Dionys. Halicarnasseus. Æzeus vero & Phoroneus antiquissimi Peloponnesi habitatores, & multum ante tempora diluvii, ut idem Dionysius asserit. Ideo falsus Ovidius, qui antiquissimo illi Lycaoni ante diluvium regnanti ea immania sacra tribuit. Fuit proculdubio alius Lycaon, qui talis impietatis legem & ordinem instituit, quod hoc loco marmor nos docet. Sed Poëtarum proprium est multa fingere, non vera narrare.

Eadem linea 31. tertia lacuna, quæ talis est. ΚΑΙΑ .. ΚΚΕ ..... ΛΥΚΑΟΝΟΣ

ΚΑΟΝΟΣΕΔΟΘΗΣΑΝ. Si bene deſcripta eſt, nihil nobis ſuggerit, quod ſuppleri poſſit. Viderint ingenioſiores: ego libenter iis lampadem trado. Proculdubio de ſacris ritibus & cærimoniis, quæ in Lycæorum πανηγύρει fiebant, legem quandam vel ſcriptum edictum vel poëma publicaverat ille Lycaon, de quo loquebatur marmor. Sed nomen ejus operis divinabit alius, non ego. In cæteris ejuſdem lineæ lacunis, quæ ſic deſcriptæ ſunt, ΕΔΟΘΗΣΑΝ..ΤΟΙΣΕΛΑ..ΣΙ.. ..Η..Ν..ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ, in proclivi eſt ſupplere, ΕΝ ΤΟΙΣ ΕΛΛΗΣΙΝ ΕΤΗ Χ. Sed in ultima hac lacuna, ubi annorum numerus ex more perpetuo Chronologi debet præcedere βασιλεύοντος, littera N proculdubio vel errore quadratarii vel exſcriptoris culpa pro alia irrepſit.

Ad lineam 32, ubi de Hercule aliquid ſcriptum fuerat, non habeo quod dicam, perſpicacioribus id ulcus ſanandum relinquo.

Ad lineam 33 & 34, quæ ſic deſcriptæ ſunt, lacunæ, ΑΦΟΥΑΘΗΝΗΣΙ.... ΣΤΩΝΚΑΡΠΩΝΕΓΕΝΕΤΟΚΑΙΜΑΝΤΕΥΟΜΕΝΟΣ..ΑΘΗΝ ....ΑΛΩΝΕΝΗ........ΣΥΠΟΣΧΕΝ..Α..ΑΜΜΙΝΩΣ ΑΞΙΩΣΕΙ, ſic à me ſuppleri debere exiſtimantur. ΑΦΟΥ ΑΘΗΝΗΣΙ ΣΠΑΝΙΣ ΤΩΝ ΚΑΡΠΩΝ ΕΓΕΝΕΤΟ ΚΑΙ ΜΑΝΤΕΥΟΜΕΝΟΣ ΤΟΙΣ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣ ΑΠΟΛΛΩΝ ΕΝΗΚΕΝ ΔΙΚΑΣ ΥΠΟΣΧΕΙΝ ΑΣ ΑΜΜΙΝΩΣ ΑΞΙΩΣΕΙΗ. Primum ſupplevi ΣΠΑΝΙΣ, quod mihi videtur magis convenire ad lacunæ ſpatium mediocre, quàm ΣΤΕΙΡΩΣΙΣ, ut ſupplebat doctiſſimus Seldenus, quæ vox etiam non tam proprie dicitur de terræ fructibus, quam de fœtura & ſterilitate animalium. In litteris, quæ tertiam lacunam ſequuntur, non eſt dubium, quin A poſitum fuerit male pro Δ facili lapſu manus vel quadratarii vel exſcriptoris: ea vero ſupplementa quadrant cum hiſtoria Minois & Androgei. Unicum adducam Apollodorum, quoniam cum hoc loco apprime facit. Is igitur lib. 3 de Minoë, qui ob Androgei filii mortem Athenienſibus bellum inferebat: χρονιζομένου δὲ τοῦ πολέμου, μὴ δυνάμενος ἑλεῖν Ἀθήνας, εὔχεται Διῒ παρ' Ἀθηναίων λαβεῖν δίκας. γενομένου δὲ τῇ πόλει λοιμοῦ τε καὶ λιμοῦ, τὸ μὲν πρῶτον κατὰ λόγιον Ἀθηναῖοι παλαιὸν τὰς Ὑακίνθου κόρας, Ἀνθηΐδα, Ἡρθηΐδα, Λυταίαν, ἐπὶ τὸν Γεραίστου τοῦ Κύκλωπος τάφον κατέσφαξαν. τούτων δὲ ὁ πατὴρ Ὑάκινθος ἐλθὼν ἐκ Λακεδαίμονος Ἀθήνας κατῴκει, ὡς δὲ οὐδὲν ὄφελος ἦν τούτου, ἐχρῶντο περὶ ἀπαλλαγῆς, ὁ δὲ θεὸς ἀνεῖπεν αὐτοῖς Μινωῒ διδόναι δίκας, ἃς ἂν αὐτὸς αἱρῆται, id eſt, *Bello vero in moras tracto cum non poſſet Athenas capere, petiit à Jove, ut pœnas ſibi darent Athenienſes: ingruente vero peſte & fame in urbem, primum quidem ex antiquo oraculo Athenienſes Hyacinthi filias, Antheidem, Enthenidem, Lytæam ad Gereſti Cyclopis tumulum mactaverunt:*

runt: earum vero pater Hyacinthus Lacedæmone veniens, Athenas inhabitabat. Cum autem hoc nihil juvisset, oraculum consuluerunt super liberatione. Deus autem edixit eos dare pœnas Minoi, quas ipse elegerit. Post hæc, credo, lector de meo supplemento non dubitabis, dabo tibi tamen auctarii vice Diodorum lib. 4. καὶ ὁ αὐχμὸς παρὰ μὲν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν ἐπαύσατο, παρὰ δὲ τοῖς Ἀθηναίοις μόνοις διέμενεν, οὗ δὴ χάριν ἠναγκάσθησαν οἱ Ἀθηναῖοι τὸν θεὸν ἐπερωτῆσαι περὶ τῆς τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆς, εἶθ' ὁ μὲν θεὸς ἔχρησεν, ἐὰν τοῦ Ἀνδρογέω φόνου τῷ Μινῷ δίκας δῶσιν ἃς ἂν ἐκεῖνος δικάσῃ, id est, *Et siccitas quidem apud alios Græcos cessavit, & apud Athenienses solos remansit: cujus gratia coacti sunt Athenienses, deum interrogare super malorum liberatione. Inde deus responsum dedit, si de Androgei cæde pœnas darent, quas Minos eis constituet.* Cæteræ duæ lacunæ lineæ 34 in versione Seldeni optime suppletæ sunt.

Ad lineam 35. in lacuna finali, quæ extat post litteras Α Π Ρ Ε Ω, ob corruptum ejus vocis principium nihil suppleri potest: non enim ex ἄπρεω aliquis unquam vocem Græcam eliciet. Ideo subtilioribus ingeniis id examinandum relinquo.

Lineæ 36 prima lacuna videtur continuisse Thesei non amplius monarchæ, sed reipublicæ moderatoris officium, seu officii nomen, ut ΝΟΜΟΓΡΑΦΟΣ ΑΘΗΝΩΝ, vel ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΣ, vel aliud quid tale. Ultimæ ejus lineæ lacunæ videntur aliquid de Hammonis fani prima constructione muginasse.

Ad lineam 37. in prima lacuna suppleri proculdubio debent litteræ numerales 𐅅 HHHH. ut sit tota summa 𐅅 HHHH ΔΔΔΔΙΙ, quando proxime superior numerus eas habet, quod etiam censet Seldenus in suo canone. Secundam lacunam ΑΡΓΕΙΟΙΝΕΥΑΔΡΑΣ.. ... ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝ. Sic supplendum & emendandum puto ΑΡΓΕΙΩΝ ΕΥ ΑΔΡΑΣΤΟΣ ΚΑΙ ΑΜΦΙΑΡΑΟΣ Ε. ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΝ. Quin de Adrasto loquatur, non est dubium ex reliquiis nominis; pluralis vero numerus ἐβασίλευσαν cogit alterum adjungere, & quidem unum ex iis, qui septem ad Thebas dicti sunt, quoniam statim subjungit de agonis institutione: prætuli Amphiaraum, nam is solus ex aliis cum Adrasto rex erat, ille ex Melampodis, hic ex Biantis progenie; ex Anaxagoridis vero tunc Iphis regnabat, teste Euripide in Supplicibus. Cæteri Capaneus, Hippomedon, Tydeus, Polynices, Parthenopæus reges non erant Argis. Ideo solus Amphiaraus hoc loco Adrasto jungi potest, licet spatium lacunæ videatur angustum ad id nomen recipiendum. Sed ut supra notavi, non semper

per

per ita exacte ad fidem repræsentata sunt ea spatia. Libenter sustulissem duas literas ΕΤ, quæ redundare videntur ante nomen ΑΔΡΑΣΤΟΣ. Sed aliquis forte eas retinendas esse censeret, ut significent καλῶς: nam & Adrastus & Amphiaraus inter bonos numerantur. Quinque ultimas lacunas. ΚΑΙΤ Ο ΝΑΓΩΝΑ.Ν..Α...ΗΘ..ΑΝ... Sic suppleo: ΤΟΝΑΓΩΝΑ ΕΝΝΕΜΒΑ ΣΤΝΗΘ ΔΕΥΣΑΝ ΠΡΩΤΟΙ, ponendo scilicet ultimas litteras ΤΟΙ in principio lineæ 38 ante ΕΤΗ. Hæc supplementa credo satis arridebunt lectori non maligno, quando cum historia Thebanæ expeditionis omnino concordant, nec mihi videntur egere tibicine. Non dissimulabo tamen doctissimum Seldenum suspicari de agone Olympico posse intelligi: de sua tamen æquitate spero eum non improbaturum nostram conjecturam.

In linea 38 post lacunam in capite lineæ jam suppletam monendus est lector in literis numeralibus redundare unum Δ, & delendum esse, ut sint tantum ⊞ΗΗΗΗ⊡ΔΔΔΠΙΙ. Quod necessario sequitur, ex eo, quod superior numerus in linea 36 est ⊞ΗΗΗΗ⊡ΔΔΔΔΠ, quo minor debet esse hujus lineæ numerus, qui eum sequitur: cæteras lacunas optime supplevit doctissimus Seldenus in suis notis.

Ad lineam 39 nihil habeo, quod dicam: omnia enim secundum Seldeni emendationes & supplementa ita se habent, ut non possit melius. Vide ejus versionem & notas historicas.

Ad lineam 40, in qua prima lacuna suppleta est à Seldeno, occurrunt aliæ quinque lacunæ, quarum ultima finalis continuatur cum ea, quæ est in capite sequentis lineæ 41, in qua sequuntur aliæ plures lacunæ, quarum duæ priores sunt in eadem periodo, & complebant sententiam. Ideo uno tenore eas omnes absolvemus. Eæ sic habent: ΑΦΟΥΟΡΕΣΤΗ..ΙΟΙΑΙΤΩΝΑΥΤΟ.......ΙΓΙΣΘΟΥΘΥΓΑΤΡΙ.....ΟΝ..... ΓΙΣΘΟΥΚΑΙΑΥ........ ΑΘΕΝΑΡΕΙΩΙΠΑΓΩΙΗΝΟΡΕΣΤΗΣΕΝΙΚΗΣΕΝ......ΩΝ:...ΕΤΗ. &c. in his lacunis prius emendanda sunt, quæ sic, ut leguntur, cum hellenismo non concordant, & postea lacunæ supplebuntur. Primum igitur occurrit post primam lacunam ΙΟΙΑΙ, ex quibus literis, si quis vocem Græcam elicere aut componere possit, erit mihi magnus Apollo: proculdubio ea corrupta sunt, & à tempore exesa, male, ut puto, descripta. Puto primam literam Ι ex Τ exesis duobus apicibus factam fuisse, & Τ degenerasse in Ι, quod facile accidere potuit. Idem dicendum de litera Ο, quæ sequitur: in eam enim litteram degeneravit Θ deleto per vetu-

vetustatem medio obelo. Ergo pro ΙΟΙΑΙ legendum est ΤΘΙΑΙ. Sic post quintam, quæ prima est lineæ 41, ΑΟΕΝ proculdubio peccat, & cum litteræ Α Ο sint hoc loco finales cujusdam vocis (nam quæ sequuntur, id arguunt) non possunt in prosa oratione consistere, & componuntur eæ vocales in fine dictionis in versu tantum, dum terminant genitivum Ionicum, ut Αἰακίδαο. Ideo hæ finales vocales corruptæ fuerunt, & male exscriptæ: pro ΑΟ lego ΤΟ, & sic totum locum suppleri debere existimo: ΑΦΟΥΟΡΕΣΤΗΣΕΝΣΚΥ ΘΙΑΙΤΩΝΑΥΤΟΥΜΑΝΙΩΝΙΑΣΘΗΚΑΙΑΙΓΙΣΘΟΥΘΥΓΑΤΡΙΗ ΡΙΓΟΝΗΤΗΑΙΓΙΣΘΟΥΚΑΙΑΥΤΩΔΙΚΗΕΓΕΝΕΤΟΕΝΑΡΕΙΩ ΙΠΑΓΩΙΗΝΟΡΕΣΤΗΣΕΝΙΚΗΣΕΝΙΣΩΝΨΗΦΩΝΟΥΣΩΝΕΤΗ. Nunc ratio reddenda est horum supplementorum. Primum igitur supplevi ΕΝΣΚΥΘΙΑΙΤΩΝΑΥΤΟΥΜΑΝΙΩΝΙΑΣΘΗ, quoniam nihil celebrius est in tota Orestis historia, quam ejus furor à tragicis decantatus; quod autem eo furore liberatus sit in Scythia, testis Euripides in Iphigenia in Tauris, cujus auctoritatem sequutus est auctor Chronici, ut potiorem aliis, qui alibi eum desiisse furere scripserant. Sic igitur Orestes apud Euripidem dicto loco alloquens Iphigeniam sororem in Scythia Taurica.

[1] ΦΟΙΒΟΣ μ' ἔπεμψε δεῦρο, διοπετὲς λαβεῖν
Ἄγαλμ', Ἀθηνῶν τ' ἐγκαθιδρῦσαι χθονὶ,
Ἀλλ' ἰὼ περ ἡμῖν ὥρισεν σωτηρίαν,
Σύμπραξον· ἂν γὰρ θεᾶς κατάσχωμεν βρέτας,
Μανιῶν τε λήξω, &c.

Ex sententia igitur Euripidis Orestes furore liberatus est, postquam Dianæ simulachro potitus est in Scythia, quem sequitur noster Chronologus. In lacunis 3 4 & 5 supplevi ΑΙΓΙΣΘΟΥΘΥΓΑΤΡΙΗΡΙΓΟΝΗΤΗΑΙΓΙΣΘΟΥΚΑΙΑΥΤΩΔΙΚΗΕΓΕΝΕΤΟ. Nam quando de Ægisthi filia est sermo, certum est ejus nomen adscriptum fuisse, cujus literæ ΟΝ partem faciebant. Fuit autem Ægistho filia nomine Erigone, teste Cynæthone auctore antiquo apud Pausaniam in Corinthiacis, his verbis: [2] τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν. Ex quo patet tandem reconciliatis odiis Orestem cum ea Erigone, postquam rerum potitus est, rem habuisse. Doctissimus Seldenus Helenam hoc loco suppleri debere suspicabatur, ex Ptolemæo Hephæstionis apud Photium, qui Helenam ex Ægistho & Clytemnæstra natam ait. Sed cum pace sua liceat mihi hoc loco aliter sentire. Nam & elementa

[1] Phœbus me huc misit, ut è cœlo lapsum accipiam Simulachrum, & id collocem in Athenarum terra Sed quam mihi definivit salutem Mecum operare. nam si dea habuerimus simulachrum Furere desinam.

[2] Penthilum autem Orestis nothum Cinathon in suis versibus scripsit Erigonem Ægisthi filiam peperisse.

ON

ON non cadunt in nomen Helenæ, tum ea Helena, si vixisset, junior fuisset, quam ut in judicio sisti potuisset. Sed non vivebat, si fides est eidem Ptolemæo: ait enim eam ab Oreste necatam fuisse, quod non accidit, nisi una cum matre. Nam furiis agitatus bis non dicitur homicidiis se polluisse. Nec Argos post Clytæmnestram necatam reversus est, nisi postquam in Areopago absolutus fuit. Tum Orestes erat illius Helenæ frater uterinus. Ideo multo magis conveniebat ea actio, quam Erigonæ, quæ non erat ex Clytæmnestra nata, sed ex priore Ægisthi conjuge, quod sequitur ex eo, quod ex Erigone Penthilum nothum genuit Orestes. At nefas erat Græcis cum sorore materna seu uterina rem habere. Ideo non erat ex Clytæmnestra Erigone, sed ex alia priore conjuge, cujus nomen ignoro: cujus si forte initium fuit ΑΥ, sine dubio id exhibebat marmor post ΑΙΓΙΣΘΟΥΚΑΙ, & id suadet nominis Αἰγίσθου iteratio in marmore, qua opus non erat, nisi etiam matrem nominasset. Quod supplevi ΔΙΚΗΕΓΕΝΕΤΟ, satis manifestum est in Æschylo in Eumenidibus & ex Euripide in Iphigenia in Tauris, & ne te morer, fere omnibus antiquis, qui de eo consessu scripserunt, qui omnes Orestem ajunt in Areopago causam dixisse de cæde matris & Ægisthi; at nulli melius eam accusationem persequi conveniebat, quam Erigonæ contra patris occisorem, omissis de Eumenidibus fabulis. In ultimis lacunis supplevi ΙΣΩΝΨΗΦΩΝΟΥΣΩΝ, vel, si videtur spatium lacunæ angustius, ut tot literas recipere non possit, ΙΣΩΝΟΥΣΩΝ, quod idem est, & sic loquebantur sæpe Athenienses ex sui juris formula. Sic Aristophanes in Ranis, ὡς ἀπολεῖται κἂν ἴσαι γένωνται. Sic & Aristides oratione in Minervam, cujus locum, quoniam facit maxime ad confirmandum nostrum supplementum, apponam: [1] οἱ περὶ Ὀρέστην λόγοι μαρτυροῦνται, οὐ φυγόντα μὲν ἐξ Ἄργους Ἀθήναζε, φεύγοντα δὲ Ἀθήνησι δίκην ὑπ' Εὐμενίδων ἴσων τῶν ψήφων γενομένων, προσθεμένη τὴν παρ' αὐτῆς σώζει, καὶ τοίνυν ἔτι νῦν σώζει πάντας, ἐὰν ἴσαι γένωνται. Addam ad hunc Aristidis locum id in judicio Areopagitarum de Oreste solenne & notabile fuisse, quod calculi damnantes & absolventes fuerint æquales, locum Æschyli in Eumenidibus, ubi Minerva sic loquens inducitur de eo judicio:

[2] Ἀνὴρ ὅ γε ἐκπέφευγεν αἵματος δίκην,
Ἴσον γάρ ἐστι τ' ἀρίθμημα τῶν πάλων

& non multo post

[3] —— ἀλλ' ἰσόψηφος δίκη

[1] Sermones, qui fiunt de Oreste, testantur, non quidem fugientem ex Argis Athenas, sed reum factum ab Eumenidibus Athenis, calculis æqualibus addito suo suffragio Minervam eum salvum fecisse.

[2] Vir iste pœnam sanguinis effugit. Æqualis enim est numerus calculorum.

[3] Sed æqualium calculorum Judicium exiit vere.

Ἐξῆλθ' ἀληθῶς ——

Et apud Euripidem in Iphigenia in Tauris Orestes suas fortunas recensens sic ait:

† —— ἴσας δέ μοι
Ψῆφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ,
Νικῶν δ' ἀπῆρα φόνια πειρατήρια.

† Æquales autem mihi Calculos enumeravit Pallas ex ulnis. Victor vero evasi tentationes mortales.

Ex his locis, credo, satis patet nostram conjecturam cum iis, quæ de Orestis judicio ab antiquis tradita sunt, omnino concordare. Cæterum quod Seldenus vult emendari in ipso marmore Ἀρείῳ πάγῳ, optime censere mihi videtur.

In linea 41 in fine & linea 42 optime lacunam finalem & capitalem continuatas supplevit Seldenus in suis notis, quas vide: optime etiam de Neleo putavit debere intelligi secundam lacunam ΝΗ.. ΕΥΣ, & de migratione Ionica in cæteris cum literis tum lacunis sermonem factum fuisse. Viam monstravit, eam insistam & cætera misere deformata, emendare & restituere conabor. Sic igitur describuntur eæ lacunæ: ΑΦΟΥΝΗ .. ΕΥΣΩΙΚΙΣ...... Γ.... ΑΛΑΗΧΑΡ... ΣΙ.. & in secunda linea 43 continuata lacuna ...... ΑΝΕΦΕΣΟΝΕΡΥ ΘΡΑΣΚΑΛΑΖΟΜΕΝΑΣΤ.. ΗΝΚΑΤΑΓΡΟΝΟΝΥΠΟΚΟΛΟΦΩΝΑ .. ΙΥΟΥΝ ΤΑ.... Α ..... ΣΑΜΟΝ...... ΤΑ .. ΙΩΝΙ.. ΕΓΕΝΕΤΟΕΤ....... eæ prius considerandæ sunt, & reliquiæ, quæ restant, emendandæ. Primum occurrit ΑΛΑΗΧΑΡ, vox vel voces proculdubio corruptæ, quod sic, ut puto, accidit. Prima litera Α est finalis vocis præcedentis. ΑΑΗ ΧΑΡ vox est barbara, quæ in Græcas voces non potest dividi aut componi. Scriptum fuerat, ut suspicor, ΑΑΘΝΑΓ, in illis reliquiis impactæ sunt fissuræ injuria temporum in Θ transversalis, quæ Ο mutavit in Η, in Ν vero decussavit fissura, quod reliquum erat literæ Ν, & sic ex Ν factum est Χ, ultimum vero Γ facile fuit lapide exeso formare in Ρ, & sic factum est ΑΑΗΧΑΡ ex ΑΑΘΝΑΓ. Hæ sunt nostræ conjecturæ, quæ nisi marmor omnino repugnet, non recedunt à verisimili. Post secundam lacunam lineæ 43, si non erravit descriptor in spatio lacunæ exprimendo, necesse est mutare Η in Ω; ut cum præcedente Τ fiat ΤΕΩΝ. Literæ ΚΑΤΑΓΡΟΝΟΝ, quæ sequuntur, sunt proculdubio mendosæ. Nam cum nullam in cæteris urbibus mentionem faciat Chronologus locorum, in quo sitæ fuerant, cur de Teo, quæ ad mare jacebat, dixisset κατ' ἄγρον ὂν, quod & solœcum foret. Nam Τέως est fœminini generis, non neutrius. Sic ut puto corruptela irrepsit. Forte hæ sunt in marmore reliquiæ:

ΚΑ-

ΚΑΤΑΓΡΟΝΟΝ, unde descripserunt ΚΑΤΑΓΡΟΝΟΝ, cum legere deberent, ΚΑΙΛΕΒΕΔΟΝ, quod omnino suadet receptus ordo in auctoribus, qui fere semper Teum & Lebedon conjungunt, utpote vicinas urbes. Ideo in ea voce supplenda audacior fui. Post voces ΥΠΟΚΟΛΟΦΩΝΑ puto errore quadratarii omissam fuisse vocem ΚΟΛΟΦΩΝΑ, eo quod credidit, male repetitum fuisse ejus urbis nomen. Nam si non redundat ΥΠΟ ipsius Colophonis mentio non fieret. Ergo vel omittendum est ΥΠΟ, vel repetenda & vox ΚΟΛΟΦΩΝΑ, & legendum Τέων καὶ Λέβεδον ὑπὸ Κολόφωνα, Κολόφωνα, Μυόυντα, &c. Certum est igitur in marmore enumerationem factam fuisse urbium duodecim, quæ in transmigratione Ionum à Neleo & sociis conditæ fuerunt. Itaque sic totum locum restituo. ΑΦΟΥΝΗΛΕΥΣΟΙΚΙΣΙΜΙΛΗΤΟΝΕΓΚΑΡΙΑΙΛΑΟΝΑΓΕΙΡΑΣΙΩΝΩΝΟΙΕΚΤΙΣΑΝΕΦΕΣΟΝΕΡΥΘΡΑΣΚΛΑΖΟΜΕΝΑΣΤΕΩΝΚΑΙΛΕΒΕΔΟΝΥΠΟΚΟΛΟΦΩΝΑΚΟΛΟΦΩΝΑΜΥΟΥΝΤΑΦΩΚΑΙΑΝΠΡΙΗΝΗΝΣΑΜΟΝΧΙΟΝΚΑΙΤΑΠΑΝΙΩΝΙΑΕΓΕΝΕΤΟΕΤΗ &c. Consule, ô quicunque voles super his reliquiis aliquid certius meditari, an hæc supplementa possint cum marmore quadrare. Certe cum historia concordant, quam tractavit abunde Herodotus lib. 1, Strabo lib. 8 & 14, & Pausanias in Achaicis. ibi videbis Neleum condidisse Miletum in Caria, & Ionum multitudinem secum duxisse, unde ea regio Asiæ, ubi eæ urbes conditæ fuerunt, Ionia vocata fuit: cæteras omnes urbes, quæ hoc loco recensentur conditas fuisse à filio, fratribus & sociis Nelei, & sic verisimiles esse, si non veras, nostras conjecturas. In fine lineæ 43 & principio sequentis 44 numerales literas supplere audax foret inceptum, cum in rege postea notato error fœdissimus nostrum marmor inquinaverit, quem notavit Seldenus. ego certe non dubito, quin ex errore quadratarii in ea linea 44 male repetita sint hæc verba ex linea 39. ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣΑΘΗΝΩΝΜΕΝΕΣΘΟΣ (lege Μενεσθέως) ΤΡΙΣΚΑΙΔΕΚΑΤΟΥΕΤΟΥΣ, ubi ea ipsissima verba leguntur, quæ huic lineæ non conveniunt.

Linea eadem 44 optime supplevit summus vir Seldenus reliquas lacunas, nec est, quod addi possit.

Sic & in linea 45 secundam & tertiam lacunam optime supplevit, de quarta & finali tacuit, & ego tacebo, nam ea historia τῆς δημιόστως, non extat, quod sciam, apud auctores, & quid fuerit illud quod per ΕΤ incipit, non possum conjectura assequi.

Ad lineam 46. puto in prima lacuna supplendum esse ΚΑΙ ΜΕΤΡΑ ΕΣΚΕΥΑΣΕ, cujus supplementi duæ aut tres literæ forte ad finem superioris lineæ referri debent. In fine ejusdem lineæ & in principio sequentis 47, ubi nomen fuit regis Athenarum suppleo ΦΕΡΕΚΛΟΥΣ, quoniam & Diognetum, quem linea 45 notavit, immediate sequitur in ordine regum Medontidarum, tum quod nullus alius post Diognetum in ea serie circa ea tempora regnavit, cujus nomen possit formare genitivum in ΟΥΣ; cæteras lacunas ejusdem lineæ supplevit Seldenus, ut oportuit.

In linea 48. recte Seldenus supplevit primam lacunam: in secunda vero, ubi in suis notis ponit ΗΡΗΘΗ, puto aliter paululum suppleri debere: nam literæ, quæ restant EN, respuunt illud ΗΡΗΘΗ. Nam sic se habent lacunæ ΑΦΟΥΚΑΤΕΝΙΑΥΤΟΝΗΡ.. ΕΝ.. Ρ.. ΩΝ ΕΤ.. Η. quod sic suppleo ΗΡΞΕΝ ΚΡΕΩΝ, nam quando alios omnes proprio nomine indigitat, præfero nomen proprium ejus, qui primus Archon annuus factus est, quamvis Ο ΑΡΧΩΝ, quod ponit Seldenus, etiam bene congruat. Creontem vero primum Archontem annuum fuisse asserit Vellejus Paterculus, & post eum Eusebius. Cæteras ejusdem lineæ lacunas, quæ cum prima lacuna lineæ 49 continuantur, nec possum supplere, nec quisquam credo supplere potest, cum nullæ fere sint reliquiæ.

Ad lineam 49. monendus est lector vocem ΑΥΣΙΑ videri mendosam. Nam Αυσίας in genitivo facit Αυσίυ, & eum Archontem Τλήσιαν vocat Pausanias in Messeniacis, cujus nominis si forte genitivus fuit Τλήσια, ut ὁ Πύλας ꙋ Πύλα, non est dubium, quin reponendum sit Τλησία pro Αύσια. In eadem linea non erat, quod dubitaret summus vir de voce ΔΕΡΔΕΝΕΟΣ, eo quod fuit Antissæus patria Terpander; non est enim nomen patriæ Terpandri, sed patris, cujus nomen fuit Δερδενεύς. In finalibus lacunis, quæ sic descriptæ sunt, ΤΟΥΣΝΟΜΟΥΣΤΟΥ..... Α ... ΩΝ... Δ. ΟΥΣΘΑΙΑΥΛΗΤ.. mendum est in hoc ultimo membro: non enim aliquid, quod hellenismum sapiat, ex eo eliciet quis. Proculdubio reponendum ΟΥΣΚΑΙΑΥΛΗΤ, & sic totum locum restituere tentabo. ΤΟΥΣΝΟΜΟΥΣΤΟΥΣΛΥΡΑΣΚΑΙΑΥΛΩΝΕΔΙΔΑΞΕΙΟΥΣΚΑΙΑΥΛΗΤΑΣΕΣΤΗΣΑΛΗΣΕ, quod ultimum est in capite lineæ 50. Credo hæc satis per se stare, & literarum reliquiis & lacunarum spatio satis accommodari. Posui λύρας, eo quod Suidas de eo Terpandro dixit eum primum νόμυς λυρικὺς scripsisse. De hoc Terpandro operæ pretium est videre

Pollucem

Pollucem & eum castigare, eo quod putat eos errare, qui νόμους αὐλητικοὺς illi tribuunt, at eos non errare asserit hoc loco marmor.

In linea 50 multum laboravit, & ingeniose multa excogitavit, ut solet, doctissimus Seldenus, ut aliquem sensum commodum tribueret lectioni, quæ extat in voce ΕΜΠΡΟΣΘΕΜΟΥ. Sed incassum se torquebat vir summus: est enim mendosa, & unius literæ transpositione laborat, & proculdubio sanabitur, si legas ΤΗΝΕΜΠΡΟΘΕΣΜΟΥΔΙΚΗΝΜΕΤΕΣΤΗΣΕΝ. προθεσμία Hesychio est καιρὸς, ὅρισις (ubi forte legendum καιροῦ ὅρισις) διορία, ὅρισμα. Inde ἐμπρόθεσμος dicitur, qui ad tempus adest, qui ad horam præstitutam aliquid agit. Cum autem de Musica hîc agatur, ἐμπροθέσμου δίκη, lex rythmi, quam nos vernacule *Cadence, cadentiam*, vocamus, eo quod manus vel pes debet una cum sono quodam cadere. Itaque Terpander hoc loco dicitur antiquum rythmi morem mutasse, & quum olim requireretur, ut exacte ad ἄρσιν vel θέσιν caderent soni, eam antiquæ Musicæ simplicitatem mutasse, & introduxisse alium morem licentiorem, sed gratiorem, & sonos aliquando extendisse vel contraxisse ultra vel citra momenta τῆς ἄρσεως vel θέσεως (quod nunc Syncopas facere vocant, eo quod vox canentis, cum cessat in momento τῆς θέσεως ubi exspectatur ab audiente, videtur Syncopen pati.) Sic ego puto hunc locum intelligendum. Ego memini in adolescentia mea nullum usum fuisse earum extensionum ultra præstitutum cadentiæ momentum, quas Syncopas vocant in cantilenis aut chorearum modis, sed eas paulo post introductas vidi, & placuisse. Si quis tamen certiora docuerit, amplectar lubens.

Lacunas finales lineæ 50 Seldenus optime supplevit. pro Λύδων tamen ob elementum O, quod restat, mallem legi ΛΥΔΟΣ, & ad spatium lacunæ descriptum magis conveniret ΑΡΔΥΣ, sed epocha forte nimis recederet: regnavit enim secundum Herodotum annos 49.

Ad lineam 51. ubi de Sapphus fuga & ejus causa videtur aliquid scriptum fuisse, reliquiæ nimis accisæ nihil suggerunt.

In linea 52 præter lacunam, quæ lineam incipit, quam supplevit in sua versione Seldenus, notandus est error quadratarii, qui duas proculdubio literas vel oblitus est notare, vel (quod magis puto) sponte omisit, eo quod putavit eas redundare. Sic igitur scriptum est ΕΝΣΥΡΑΚΟΥΣΑΙΣΔΕΤΩΝΟΜΟΡΩΝΚΑΤΕΧΟΝΤΩΝΤΗΝΑΡΧΗΝ. ubi luce clarius est debere legi ΤΩΝΓΙ ΟΜΟΡΩΝ. Putavit sculptor marmoris, ignorans, quinam forent illi γεώμοροι, particulam γε divi-

sim

ſun legendam redundare ob particulam δὲ ante poſitam. Legebat enim ἐν Συρακούσαις ἢ τῶν γε ὁμόρων (ὅμοροι autem ſunt contermini, vicini) & ſuſtulit γε ut ſuperfluum, at legendum erat τῶν γεωμόρων, qui quidem erant optimates, nobiles ab iis geniti, qui cum Archia Corinthio Syracuſas condiderant, & territorium circumvicinum inter ſe diviſerant, unde γεωμόροι. In reliqua linea ſunt duæ lacunæ finales, quas dividunt literæ duæ T O, ſi forte litera T male occupat locum literæ Υ, quod facile fieri poteſt, quod viderint marmoris αὐτόπται, tunc audaculus forem & ita ſuppleri debere crederem, ΑΦΟΥ ΑΜΦΙΚΤΥΟΝΕΣ ΕΝΙΚΗΣΑΝ ΕΛΟΝΤΕΣ ΚΥΡΡΑΝ. Hoc enim eſt ex hiſtoria. Æſchines contra Cteſiphontem de eo negotio: καὶ συναθροίσαντες δύναμιν ἱκανὴν ἐκ τῶν Ἀμφικτυόνων ἐξηνδραποδίσαντο τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τοὺς λιμένας ἔχωσαν, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν κατέσκαψαν καὶ τὴν χώραν αὐτῶν καθιέρωσαν κατὰ τὴν μαντείαν, id eſt, *& cum copias ſufficientes collegiſſent ex Amphictyonum ditionibus, viros in ſervitutem redegerunt, & portus obſtruxerunt, & urbem eorum diruerunt, & eorum regionem Deo ſacram fecerunt ſecundum oraculum.* Pauſanias in Phocicis ſatis fuſe eam hiſtoriam narrat, & tandem ait: [1] Ἀμφικτύονες δὲ ὡς εἷλον τὴν πόλιν ἐπράξαντο ὑπὲρ θεοῦ δίκας παρὰ Κιρραίων. Polyænus lib. 6. Ἀμφικτύονες Κίρραν ἐπολιόρκουν &c. plura poſſem congerere, ſed hæc ſatis ſunt ad fidem faciendam noſtræ conjecturæ.

[1] *Amphictyones autem poſtquam urbem ceperunt, pœnas à Cirrhæis pro deo exegerunt.*

Ad lineam 53. cujus penultimam lacunam, ubi nomen Simonis ſcriptum fuerat, recte ſupplevit publicator, nihil eſt quod agam.

Lineæ 54. prima lacuna ab eodem ſummo viro reſtaurata eſt; cæteras, quæ ſic habent, ΑΦΟΥ ΕΝΑΘ . . . ΑΙΣΚΩΜΩ . . . . Ρ . . . ΕΘΗ . . . . . ΣΑΝΙ . . ſic ſuppleo: ΑΦΟΥ ΕΝ ΑΘΗΝΑΙΣ ΚΩΜΩΔΙΑΙ ΠΡΩΤΟΝ ΕΚ ΕΘΗΚΗΣ ΣΑΝΙΣΙ. Id eſt, ſcena tumultuario opere ex aſſeribus compacta, nondum ſcilicet theatro extructo.

In linea 55 lacunas partim ſupplebimus, partim hiantes relinquemus, quæ ſic reſtant: ΤΩΝ ΙΚΑΡΙΕΩΝ ΗΥΡΟΝΤΟΣ ΣΟΥΣΑΡΙΩΝΟΣ ΚΑΙ ΔΟΛΟΝ . . ΤΕΘ . . ΠΡΩΤΟΝ ΙΣΧΑΔ . . . . . ΑΡΣΙΧΟ . . . . . ΝΟΙΝΟΥ . . . . ΕΡ . . . . ΟΣ . . . . . Quæ, antequam ſuppleantur, videntur emendatione indigere hæc verba, τῶν Ἰκαριέων ηὑρόντος Σουσαρίωνος καὶ Δόλον. ſolœciſſat enim hæc oratio, & legendum eſt ηὑρόντων. Δόλον enim fuit principium nominis ejus, qui cum Suſarione comœdiam invenit, vel qui fuit ejus ὑποκριτής. Itaque credo ſupplendum eſſe nomen Δόλωνος, & dona poſtea recenſebantur, quæ acceperant ex publico illi Icarienſes ex Icaria Atticæ pago ſic dicti, quod addo, ne quis de

Icaria

Icaria insula cogitet. Hæc dona domum auferebant curru quadrijugi, ut ex his reliquiis colligitur, & sic suppleri debere videntur: ΚΑΙΔΟΑΟΝΟΣΤΕΘΡΙΠΠΩΤΟΝΙΣΧΑΔΩΝΑΡΣΙΧΟΝΠΙΘΟΝΟΙΝΟΥ. Cætera divinet alius, & fateor nihil me legisse de talibus præmiis. Sed reliquiæ omnino suadent ita scriptum fuisse. In fine nomen Archontis & numerus annorum deesse videtur.

In linea 56 palam est erratum esse in spatio lacunæ describendo, quæ sic perperam descripta est: ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΙΚ...ΟΥ· nam cuivis patere debet ex marmoris perpetuo ordine post vocem ἄρχοντος sequi debere Ἀθήνησι. Ergo spatium describi debebat tale, ut recipere posset sex literas ΑΘΗΝΗΣ, ut legatur ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙΚΩΜΙΟΥ. Nam Plutarchus in Solone nos docet, Pisistratum, de quo fit hîc sermo, Tyrannidem occupasse Archonte Comio, & in eadem linea ex quatuor numeralibus ΔΔΔΔ delenda est una, ut patet ex numero sequente, ut numerus sit 287, non vero 297, ut scriptum est. Cæteræ lacunæ, quæ cum linea 57 continuantur, sic habent. ΑΦΟΥΚΡΟΙΣΟΣ..ΑΣΙΑΣ....ΔΕΛΦΟΣΑ........ΔΔΔΔΙΙ. Quæ sic emendanda & supplenda existimo. ΑΦΟΥΚΡΟΙΣΟΣΕΞΑΣΙΑΣΕΙΣΔΕΛΦΟΥΣΑΠΕΣΤΕΙΛΕΝΕΤΗΗΗ𐅄ΔΔΔΔΙΙ. In eadem linea fœdum est mendum, quod fraudem fecit summo viro, ut ΤΟΥΔΗΜΟΥ verteret *populo*, quasi hic annus sine Archontibus fuisset & populus Atheniensis sine regimine. At legendum est ΕΥΘΥΔΗΜΟΥ, qui fuit Archon Olymp. 56, ut notat Olymp. anagraphe, à qua Olympiade ad nostri marmoris epocham numerus 292, quem optime supplendum censet Seldenus, apprime convenit. Cæteras lineæ 57 lacunas ΚΑΙΚΡΟΙΣΟΝΥΠΟ......ΗΣΣΦΑΛ.......Sic suppleri posse censeo. ΚΡΟΙΣΟΝΥΠΟΠΥΘΙΗΣΣΦΑΛΛΟΜΕΝΟΝΕΖΩΓΡΗΣΕ. Quæ omnino concordant cum historia Crœsi, de qua Herodotus & plures alii.

In linea 58 restituenda optimam navavit operam doctus publicator: nihil habeo, quod addam, nam lacunas ΠΟΙΗΤΗΣ..... ΑΧΙ... ΟΣ. quas non attigit, nec ego attingam. Suspicor in reliquiis quædam esse mendosa.

Lineæ 59 lacunas quasdam supplevit Seldenus, alias hiantes reliquit, quas nec me restituere posse fateor, excepta secunda, ubi suppleo numerum annorum ΗΗ𐅄ΙΙΙ. id est, 253, ut ex reliquiis & sequentibus numeris colligitur.

Ad lineam 60 in prima lacuna manifestum est deesse primas litteras nominis ΙΠΠΑ ΡΧΟΝ, quod Seldenus vidit: in secunda vero, quam non attigit, videtur suppleri debere ΑΠΟΓΟΝΟΝ, sumendo eam vocem in lata significatione pro oriundo, non vero nepote, filii filio, nisi quis malit ΑΜΦΙΓΟΝΟΝ, id est, natum ex secunda uxore, ut interpretatur Hesychius, quod tamen de eo nullibi, credo, invenitur. Posset etiam quis supplere ΑΘΗΝΑΙΟΝ. Eligat lector, quod convenientius illi videbitur. In tertia lacuna quæ sic habet ΠΕΙΣΤΡΑΤΟΥΑ.......ΟΝΚΑΙΑΘΗΝΑΙΟΙΣ..Ρ..ΗΣΑΝΤΟΥΣΠΕΙΣΙΣΤΡΑΤΙΔΑΣΕΚΙ.....ΚΛΑΣ..ΙΟΥΤΕΙΧΟΥΣ. Pro ΠΕΙΣΤΡΑΤΟΥ manifestum est debere legi ΠΕΙΣΙΣΤΡΑΤΟΥ, & est manifestus error quadratarii. In cæteris credo auctorem Chronici ab Herodoto ea, quæ de Pisistratidis dixit, accepisse, & usum esse eadem voce, qua usus est in eo negotio Herodotus, qui sic lib. 5. παρέσησαν ἢ ἐπὶ μισθῷ τοῖσι τέκνοισι, ἐπ' οἷσιν ἐβούλοντο οἱ Ἀθηναῖοι ὥστε ἐν πέντε ἡμέρῃσιν ἐκχωρῆσαι ἐκ τῆς Ἀττικῆς. Ideo sic suppleo ΑΘΗΝΑΙΟΙΣΥΜΠΑΡΕΣΤΗΣΑΝΤΟΥΣΠΕΙΣΙΣΤΡΑΤΙΔΑΣΕΚΧΩΡΕΙΝΠΕΛΑΣΓΙΚΟΥΤΕΙΧΟΥΣ. Incuria marmorarii omissa est littera K in voce Πελασγίκ: nam semper dictum est apud antiquos Πελασγικὸν τεῖχος, nunquam Πελάσγιον. Quod si quis dubitet de supplemento vocis ἐκχωρεῖν, eo quod in marmore legatur ΕΚΙ, quod videtur non posse esse reliquum vocis ἐκχωρεῖν, poterit supplere ΕΚΒΑΙΝΕΙΝ, ut sit I reliquum τοῦ B exesi. Videant accuratius ipsius marmoris inspectores. In ultima lacuna, quæ in sequenti linea continuatur, nomen Archontis deest, quod potest suppleri ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙΚΛΕΙΣΘΕΝΟΥΣ. Omnes enim historici in eo concordant, Clisthene scilicet Archonte Pisistratidas ejectos fuisse, & operæ pretium est asscribere locum Plutarchi in Pericle, ubi de Clisthene: [1] ὃς ἐξέλασε Πεισιστρατίδας καὶ κατέλυσε τὴν τυραννίδα γενναίως, καὶ νόμους ἔθετο. Sed videtur Chronologus confundere hoc loco duas epochas, & mortem Hipparchi eodem anno ponere, quo ejecti sunt Pisistratidæ contra fidem historicam. Nam teste Herodoto lib. 5 & Thucydide lib. 6 post Hipparchi cædem Hippias tyrannidem exercuit per tres annos, & quarto ejectus fuit. Ideo annis quatuor prius evenit Hipparchi mors scilicet Panathenæis magnis anno 3 Olymp. 66. Nam tertio Olympiadis anno celebrabantur Panathenæa magna, ut bene notavit Scaliger lib. 1 de Emendatione temporum. In numeralibus literis hujus lineæ videtur redundare unum I, ut quadret numerus cum superioribus & inferioribus epochis,

[1] *Qui Pisistratidas ejecit, & tyrannidem dissolvit strenue, & leges posuit.*

Lineæ

Lineæ 61 primas lacunas resarcivit optime Seldenus: eam vero, quæ est in numeralibus literis, non est difficile supplere. Nam Isagoras, qui hoc loco Lysagoras dicitur, in Olympiadum recensione ponitur Olympiade 68, duobus post ejectos Pisistratidas annis, & ne aliquis auctoritatem ejus recensionis in dubium revocet, idem firmatur à Dionysio Halicarnasseo lib. 1. Ideo licet hîc supplere litteras numerales ΕΤΗΗΗΔΔΔΔΠ, & dum canonem Seldeni retracto, video idem sentire eum summum virum: cæteras ejusdem lineæ non attingo, in iis enim nihil video certi.

In fine lineæ 62 & initio lineæ 63 lacunæ tres manent hiantes hoc modo: ΠΡΟΣΤΟΥΣΠΕΡΣΑΣ... ΑΡΙΕΝΤΕΑΣ.... ΩΝΔΑΡΕΙΟΥΑΔΕΛ... ....ΝΤΟΝΣΤΡΑΤΗΓΟΝ, quas sic restitui debere existimo. ΚΑΙ ΑΡΙΕΝΤΕΑΣΑΤΡΑΠΗΝΔΑΡΕΙΟΥΑΔΕΛΦΙΔΕΟΝΤΟΝΣΤΡΑΤΗΓΟΝ, vel, si spatium lacunæ patitur (quoniam in voce Σατςάπλω muto ω in η) ΣΑΤΡΑΠΗΝΤΩΝΔΑΡΕΙΟΥΑΔΕΛΦΙΔΩΝ. Vocem Σατςάπλω in eo loco convenire nemo, credo, negabit: at eum ducem Persarum, qui in pugna Marathonia Persas cum Datide rogebat, Ἀρταφέρνλω vocant. Sed in eo consentiunt, quod erat Darii ἀδελφιδὺς. Herodotus quidem in Erato eum [1] Ἀρταφερνέα τὸν Ἀρταφέρνεως παῖδα ἀδελφιδεον ἑωυτῦ vocat, ubi forte ex hoc marmore reponendum Ἀριεντέα τὸν Ἀρταφέρνεως. Nam raro nomina patrum in filiis repetebantur, sæpissime in nepotibus, & error in Herodoti exscriptore fuit facilis, ut nomen, quod auribus insedebat, repeteretur.

[1] *Artaphernem Artaphernis filium ejus consobrinum, vel nepotem ex fratre vel sorore.*

Linea 63, cujus prima lacuna restituta est, habet adhuc tres lacunas, quæ sic habent, ΑΡΧΟΝΤΟΣΑΘΗΝ...... ΔΕΥΤΕΡΟΥΦ ... Ν. ΕΝ ΜΑΧΗ, quas sic integras facio. ΑΘΗΝΗΣΙΤΟΥΔΕΥΤΕΡΟΥΦΑΙΝΙΠΠΟΥ ΕΜΜΑΧΗ &c. Plutarchum habeo fidejussorem & auctorem hujus supplementi: is enim in Aristide pugnam Marathoniam evenisse ait Phænippo Archonte, & reliquiæ in marmore concordant.

In lineæ 64 principio lacuna extat, quæ proculdubio continebat ætatem Æschyli, ideo eam, quæ sic habet, ΑΙΣΧΥΛΟΣΟΠΟΙΗΤΗΣ... ...ΔΔΔΠ. sic suppleo, ΠΟΙΗΤΗΣΕΤΩΝΗΗΔΔΔΠ. Quod ad numerales literas, puto nullam excidisse eo quod in Æschyli vita dicitur fuisse contemporaneus Pindaro, qui natus fuit Olympiade 65, quod congruit cum marmore. Nam ab Olympiade 65 ad annum tertium Olymp. 72, quo pugnatum est ad Marathona, intersunt an-

 ni

ni triginta, nullum aliud argumentum firmius habemus. Nam & annus nativitatis Æschyli, qui memoratur in ejus vita, numerum habet corruptum, & cætera pugnantia & incerta.

In linea 64, cujus prima lacuna jam repleta est, consideranda est secunda, quam omnino credo descriptam esse angustiori spatio, quam oportuit, quod & in aliis lineis jam notavimus accidisse. Ea igitur talis est : ΑΦΟΥΣΙΜΩΝΙΔΗΣΣΙΜΩΝΙΔΟΥΠΑΠΠΟΣΤΟΥ ΠΟΙΗΤΟΥΠΟΙΗΤΗΣΩΝΚΑΙ . . . . ΝΗΣΙ. Eam lacunam necesse est sic suppleri debere, ΠΟΙΗΤΗΣΩΝΚΑΙ ΑΥΤΟΣΕΦΑΝΗ ΑΘΗΝΗΣΙ. Ipse Seldenus videtur supplere αὐτὸς in sua versione, vox ἐφάνη solita usurpari in hoc marmore apposite locatur ante Ἀθήνησι. literæ, quæ restant ΝΗΣΙ, manifeste arguunt Ἀθήνησι scriptum fuisse. Ego certe non video, quomodo aliter suppleri possit: in lacuna finali deest ΕΤΗ, quæ vox semper præcedit literas numerales.

In capite lineæ 65 recte supplevit Seldenus literas numerales secundum marmoris reliquias, sed suspicor unum Ι deesse inter Π & Δ, ut numerus sit ΗΗΔΔΠΙ. Nam pugna Marathonia notata est supra anno 227. Aristides vero teste Plutarcho in ejus vita fuit Archon immediate post Marathoniam pugnam. Ergo debet cum Aristide Archonte notari annus 226. Sed manum de tabula, dum Seldenus ipse ait incertum esse, num in marmore scriptum fuerit Π vel ΠΙ, ideo proculdubio legendum est ΔΔΠΙ. Cæterum mihi mirum videtur hanc lineam, quæ excepta prima lacuna in capite integra est, implere in hoc Seldeni antigrapho duas lineas integras & plus, ut & infra lineam 68, & lineam 70 & 71 supra vero esse plures lineas, quæ non implent unam lineam cum dimidia in eodem antigrapho. At cum marmor descriptum sit à Seldeno, habens latitudinem pedum 3 & pollicum 5, & scripturæ lineas utramque oram contingentes, inde sequi videtur omnes lineas in eo marmore fuisse æquales, & lacunæ finales debuerunt describi adeo, ut pares sint omnes lineæ. Id equidem me turbat, viderint ipsius marmoris inspectores, quomodo eæ lineæ se habeant. Restat notare in fine hujus lineæ necesse esse deesse literas ΕΙΣ, vel in capite lineæ, quæ sequitur, ut sensus quadret, sive oblitus fuerit eas notare opifex, sive notare lacunam exscriptor.

Linea 66 duas tantum habet lacunas. Prima sic est : ΕΙΣΤΗΝΕΛ ΛΑΔΑΑ . . . ΟΕΤΗ. Proculdubio scriptum fuit ΕΙΣΤΗΝΕΛΛΑ

ΔΑ

ΔΑΑΦΙΚΕΤΟ. Nam Stesichorus, de quo sermo fit, non fuit Hellen, sed natus Himeræ in Sicilia: ideo notat tempus, quo in Græciam venit, & in ea innotuit. Secunda lacuna non est tam facilis, eo quod sequentes literæ, ut puto, in mendo cubant: quid enim potest fieri ex ΕΝΑΙΝ, in hellenismo est terminatio genitivi vel dativi dualis, qui casus non possunt accommodari ad rem, de qua agitur, nisi scriptum fuerit ΚΑΙΕΛΛΗΝΩΝ. cedo alterius medici manum, quæ hoc ulcus sanet.

In capite lineæ 67 manifestum est ex præcedentis lineæ fine ΕΝ ΘΕΡΜΟ debere suppleri ΠΥΛΑΙΣ, ut sit ΕΝΘΕΡΜΟΠΥΛΑΙΣΜΑΧΗ. In secunda lacuna optime Seldenus legit ΚΑΛΛΙΑΔΟΥ, quæ lectio firmatur testimonio Herodoti in Urania, qui diserte ait Καλλιάδεω ἄρχοντος, & ejus testimonium præponderat omnibus aliis auctoribus, quos citavit vir doctissimus: ab eo enim, ut par est credere, acceperunt & Diodorus & Dionysius & Laertius.

Lineæ 68 primum hiatum resarcivit perquam optime Seldenus in suo canone. Ultimam etiam, quod ad significatum: sed ut ea conjectura firmetur, emendandæ sunt litteræ præcedentis lacunæ ΕΡΥΗΚ &, legendum ΕΡΙΥΗΚΕΝΕΝΣΙΚΕΛΙΑ, nisi dicamus unum Ρ ο Ionice detractum, quippe augmentum.

Ad lineam 69. in lacuna secunda, ubi desunt literæ numerales, eas proculdubio optime suppleverat vir summus, sed mendum typographicum ei fraudem fecit; dum in Canone suo pag. 107 linea 8 pro notis numeralibus ΗΗΔΠΙ, quæ habuit in mente & scripserat, exhibetur numerus ΗΗΠΙ, cui numero litera Δ una scilicet decas deest. Lacuna tertia etiam bene restituta est in Canone, ubi intelligit de Gelone Dinomenis filio: nam in versione δεινόμεν© videtur interpretari de gravi tyrannide: in voce ΔΕΙΝΟΜΕΝΟΣ deest Υ, & legere oportet ΔΕΙΝΟΜΕΝΟΥΣ, sive sit error opificis, seu typographi. Lacuna 4, quæ & ultima est ejus lineæ sexagesimæ nonæ, ubi videntur hæ reliquiæ, & sic legitur: ΔΕΙΝΟΜΕΝΟΥΣ..........Ε ΤΥΡΑΝΝΕΥΣΕΝ. sic supplendum censeo, ΕΝΓΕΛΑΙΕΤΥΡ &c. Nam spatium lacunæ non videtur satis extendi, ut putemus scriptum fuisse ΕΝΣΥΡΑΚΟΥΣΑΙΣ sive ΣΥΡΑΚΟΥΣΩΝ. Nam Gelo prius factus est Gelæ Tyrannus, postea vero etiam Syracusarum. Sed hæc Epocha, ut optime notavit Seldenus, non consonat cum cæteris Chronologis.

Ad lineam 70 nihil addi poteſt iis, quæ docte & optime ſupplevit & commentatus eſt Seldenus.

Lineæ 71 lacunas etiam explevit idem ſummus vir in ſuo canone. Sed in litteris numeralibus videtur deeſſe unum I, ut ſit numerus ΗΗΠΙΙΙΙ, & quadret cum ſuperioribus & inferioribus. Nam cum ſupra Timoſthene Archonte ponat marmor numerum 215, infra vero Apſephione Archonte 206, neceſſe eſt, ut Charete Archonte ponatur numerus 209. Sic enim eorum ordo procedit ſecundum Diodorum & Olympiadum recenſionem, *Timoſthenes*, *Adimantus*, *Phædon*, *Dromoclides*, *Aceſtorides*, *Menon*, *Chares*, *Praxiergus*, *Demotion*, *Apſephion*, *Theagenides*. Si *Timoſthenis* annus refertur ad annum 215, Apſephionis vero ad annum 206, Theagenidæ vero ad 205, neceſſe eſt, ut Charete Archonte notetur annus 209. Ergo addenda unitas, ut dixi, & addendum eſt unum I, ſic, ΗΗΠΙΙΙΙ Ι. Cæterum ex hoc marmore ut ex aliis auctoribus emendandus Diodorus, qui pro *Apſephion* habet *Phædon*, male repetito *Phædonis* nomine ex ſuperioribus, niſi forte Phædon fuerit ſuffectus.

Lineæ 73 lacunæ à doctiſſimo Seldeno reſtitutæ ſunt.

In linea 74 notæ numerales, quæ primum occurrunt, videntur redundare uno I. Nam ſi Theagenidis annus fuit 205, Calliæ vero annus 193, Euthippo vel Euippo debet tribui annus 198, nam ita recenſentur & apud Diodorum & in Olympiadum recenſione: *Theagenides*, *Lyſiſtratus*, *Lyſanias*, *Lyſitheus*, *Archidemides*, *Tlepolemus*, *Conon*, *Euippus*, *Phraſiclides*, *Philocles*, *Bion*, *Mneſithides*, *Callias*. Sed hæc Chronologis accuratius examinanda relinquo. Eadem linea lacuna finalis, quæ cum capite ſequentis lineæ continuatur, & ſic deſcribitur: ΕΤΒΛΕΥΤΗΣΕΝΕΛ.... ΑΙΤΗΣ... ΚΕΛΙΑΣ. ſic reſtitui poteſt: ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝΕΝ ΓΕΛΑ ΤΗΣ ΣΙΚΕΛΙΑΣ. ibi enim (ſcilicet Gelæ) in Sicilia diem ultimum clauſiſſe dicitur Æſchylus: caſu teſtudinis ab aquila raptæ occiſum teſtatur Plutarchus lib. de exilio, & auctor ejus vitæ anonymus, ſed antiquus.

In linea 75 & 76. conſiderandus eſt Chronologis annus, quo viciſſe dicitur Euripides annos natus 43. Nam quum auctor vitæ Sophoclis dicat Sophoclem natum fuiſſe Philippo Archonte annis 24 ante Euripidem natum. Thomas vero magiſter in Euripidis vita, dicat Euripidem natum eſſe Calliade Archonte, quo anno ad Salaminem cum Xerxe pugnatum eſt, cum neutro eorum concordat hæc noſtri marmoris epocha, ſed cum ſeipſo quadrat marmor. Nam ſu-

pra

pra linea 65 dixit Euripidem natum Philocrate Archonte ab epocha marmoris retro annis 222, id exacte cum hoc numero concordat. In lacuna finali numerum 179 vellem poni uno anno minus, quam putat debere poni doctissimus vir.

Lineæ 76 lacunas impletas à Seldeno non est opus attingere. In secunda tamen post nomen Archontis, quod supplevit Seldenus in suo canone, credo legi debere ΕΒΙΩΣΑΝ. In lacuna finali puto annum scriptum fuisse 157 uno anno plus, quam censet summus ille vir.

Lineæ 77 primam lacunam supplere erat in proclivi. Ultimam, quæ cum capitali lacuna lineæ 78 continuatur, ita suspicor debere suppleri. ΑΦΟΥΕΥΡΙΠΙΔΗΣ ΒΙΩΣΑΣΕΤΗ ΔΔΠΙΙ ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ. Nam quod doctissimus Seldenus in suo canone posuit: *Euripides Poëta moritur septuagenarius*; id puto dixit ἁπλῶς, & rotunde, ut ajunt, non exacte: vel sequutus est auctoritatem Thomæ magistri, qui in vita Euripidis ait eum esse mortuum annum agentem septuagesimum. Sed ut quadret secum marmor, necesse est eum, qui Philocrate Archonte natus fuit, anno ab epocha marmoris retro 222, & mortuus est Antigene Archonte anno ab eadem epocha retro 145, vixisse annos 77, & fortasse apud Thomam magistrum excidit vox *septimum*. nam & Suidas marmori fere consonat, & ait ἔτη δὲ βιῶναι αὐτὸν οε΄.

Lineæ 78 jam prima lacuna non hiat, ut nec secunda, nec tertia, quas supplevit Seldenus, ut & quartam in notis numeralibus. Sed in ultima finali, ubi supplevit ΑΝΕΒΑΙΝΕΝ, mallem reponi ΑΝΕΒΗ. Nam in toto marmore non usus est auctor tempore præteriti imperfecti. Sic igitur se habet lacuna finalis cum sequentis lineæ capitali continuata: ΚΑΙΚΥΡΟΣΑΝΕΡ........ΟΝΤΟΣΑΘΗΝΗΣΙ &c. quam sic suppleri posse & debere existimo: ΚΑΙΚΥΡΟΣΑΝΕΒΗΠΡΟΤΕΡΟΝΕΤΗΗΔΔΔΔΠΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣ &c. numerum annorum ita supplevit Seldenus in suo canone. Quod ad dubium de mortibus Euripidis & Sophoclis, quas in idem tempus coincidere ait idem doctissimus vir apud plerosque, certe Suidas aliter sentit, qui Sophoclem sex annis supervixisse Euripidem asserit, quod tamen cum nostro marmore non convenit, & jure queritur Seldenus non quadrare has epochas cum Archontum serie, quam tamen falsi arguere non audeo. Ideo mihi liceat cum doctissimo viro ἐπέχειν. Quod vero ad Cyri ascensionem, de qua etiam dubitat, cum sexennio inferius sub

Archonte Exæneto ponatur, non est, quare dubitet. Duplex enim fuit Cyri ascensio. Prima, quando à patre Dario evocatus est jam decumbente seu morbum fingente, ut ait Xenophon initio lib. 2 Hellenicorum, quæ prior ἀνάβασις cadit exacte in annum notatum hoc loco in marmore. Secunda vero, qua cum exercitu ascendit, ut bellum inferret fratri, quæ proprie dicta est Xenophonti ἀνάβασις, accidit quinto vel sexto post hanc primam anno. Cavendum est igitur, ne hunc marmoris locum de secunda ascensione accipiamus.

In linea 79 vox ΠΡΟΤΕΡΟΥ non caret suspicione mendi, & timeo, ne eam pro ΔΕΥΤΕΡΟΥ posuerit quadratarius, nisi hoc sit, certe mirum videri potest eundem Calliam, qui fuit Archon Olymp. 81, durasse usque ad annum 3 Olympiad. 93. Nam consentaneum est credere Archontas illos eponymos non solitos esse fieri, antequam jam viri forent ætate maturi & rebus agendis idonei & jam experti, nec rursus, cum jam effœti sine corporis & animi vigore forent. Tamen quoniam id, licet rarum, non sit impossibile, ut vir octogenarius sit adhuc ad tractanda negotia idoneus, ἐπέχω, & nihil decerno. In eadem linea nomen Archontis ΜΙΚΩΝ apud Diodorum est Μίκων. Lacuna finalis, quæ cum sequentis lineæ capitali continuatur, debuit, ut puto, longior describi: nam ea talis est: ΑΦΟΥ...... ΑΚΥΡΟΥΑΝΑΒΑΝΤΕΣΚΑΙ. At necesse videtur eam sic supplere ΑΦΟΥ ΕΠΑΝΕΛΘΟΝΟΙΜΕΤΑΚΥΡΟΥ&c. Hoc enim historia docet, & teste Xenophonte totum tempus expeditionis in ascensu & reditu fuit unius anni & trium mensium, ascensus fuit sub Xenæneto Archonte teste Diodoro. Ergo consequens est, ut sub Lachete, qui Xenænetum excepit, reditus acciderit.

Lineæ 80, cujus initialem lacunam cum finali superioris lineæ conjunctam jam supplevimus, secunda, tertia & quarta lacunæ sic describuntur: ΣΩΚΡΑΤΗΣΦΙΛΟΣΟΦ ...... ΣΑΕΥΤ ...... Ο .. ΕΤΗ. Quas sic suppleo: ΣΩΚΡΑΤΗΣΦΙΛΟΣΟΦΟΣΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ ΒΙΟΥΣΕΤΗ. Hæc supplementa, spero, in dubium non revocabuntur, & id postulant numerales ætatis notæ, quæ sequuntur. In finali lacuna post ΛΑΧΗΤΟΣ sequebatur sine dubio ΑΦΟΥ: post id vero multa exciderunt, quæ divinare non aggrediar, temerarium enim foret, quando Diodorus nos nihil juvat, eo quod in eo anno nullum negotium, quod Athenis gestum fuerit, narravit, cum tamen sequentis lineæ initium ... ΑΘΗΝΗΣΙ innuat de rebus Atheniensium in ea linea tractatum fuisse.

Ad

Ad lineam 81 nihil habeo certi, quod dicam: pauca elementa, quæ restant in lacunis, nullam ansam præbent nostris conjecturis.

In linea 82 non dubito, quin causam habuerit vir doctissimus, cur notaret in suo Canone ad hanc lineam *Philoxenus sexagenarius moritur*, cum in marmore numerus sit expressus ΠΠ, id est, quinquaginta quinque. In proxima lacuna manifestum est supplendum esse ΕΤΗ ΗΔΠΙ. Nam numerus 116 quadrat cum Pythea Archonte in lacuna finali, quæ (ut suspicor) pluribus punctis notari debuit: de Anaxandridis Comœdi victoria fiebat mentio ita censente Seldeno. Itaque sic supplenda est finis ejus lineæ ΑΦΟΥ ΑΝΑΞΑΝΔΡΙΔΗΣΚΩ ΜΩΔΟΠΟΙΟΣΕΝΙΚΗΣΕΝΕΤΗΗΔΙΙΙΑΡΧΟΝΤΟΣ. quadrat is numerus cum superiore epocha. Nam Callias fuit Archon tribus annis post Pytheam, cujus annus notatus est supra numero 116, & consentit Seldenus in suo canone.

Linea 83 pro ΚΑΛΛΕΟΥ, quod legitur in marmoris antigrapho, errante forte typographo legendum est ΚΑΛΛΙΟΥ. Hic fuit Callias Hipponici, quem Xenophon δᾳδοῦχον vocat l.6, & quem caput & coryphæum fuisse ait legationis, ad Thebanos missæ de pace cum Lacedæmoniis tractanda, cujus vitam & matrimonia plura vide in Andocide. Cæterum eadem linea optime supplevit Seldenus Ἀσιάς, & ex eo loco emendavit Aristotelem. Quod ad ultimam lacunam finalem, optime, ut mihi videtur, intelligit ἡ ΚΑΤΕΚΑΗ de Cometa seu Lampade, de qua Aristoteles meteorologic. 1 cap. 6. Certe non video, quid melius possit excogitari. Nam & de eo Cometa mentionem facit Diodorus lib. 15. Sed quod supplevit ΚΑΤΕΚΑΗ ΑΕΤΟΤΕΚΑΙΟΥΡΑΝΟΣ dubito, an bene conveniat, & an ita scriptum fuerit in marmore: nam καταχαῆναι bene dicitur de rebus, quæ igne consumuntur, ut de domo, de templo, de silva, de urbe, sed de cælo puto non posse dici, nisi abusive id καταχαλῶσι, cum cometes in eo fulsit. Diodorus sic ait de eo cometa: ὤφθη μὲν γὰρ κατὰ τὸν οὐρανὸν ἐπὶ πολλὰς νύκτας λαμπὰς μεγάλη καιομένη ἀπὸ τοῦ σχήματος ὀνομασθεῖσα πυρίνη δοκίς. Mallem igitur vel ex Diodoro supplere: ΚΑΤΕΚΑΗΔΕΤΟΤΕΚΑΙΠΥΡΙΝΗΔΟΚΙΣΕΝΟΥΡΑΝΩ, vel cum Aristotele, ΚΑΙΟΔΟΣΕΝΟΥΡΑΝΩ, nam & ὁδὸν vocatam fuisse ait eam Lampadem.

Lineæ 84 prima in capite lacuna, quæ (credo) ex fine præcedentis lineæ continuata est, habuit proculdubio ΑΦΟΥΜΑΧΗΕΓΕΝΕΤΟ, ut censet marmoris publicator, & de Leuctrica pugna optime intel-

intelligit ex Pausania, cui addi potest & antiquioris Polybii auctoritas, qui lib. 2 ait Elicen & Olenum absorptas fuisse paulo ante Leuctricam pugnam, ubi puto (imo firmiter credo) eum memoria lapsum posuisse *Olenum* pro *Bura*, earum autem urbium calamitas tunc evenit, quando magnus ille cometes, de quo linea superiore dictum est, fulsit teste Aristotele loco supra citato meteorol. 1 cap. 6. Eadem linea 84 in lacuna finali suppleo: ΑΦΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, quod cum linea sequente ΒΑΣΙΛΕΥΕΙ conjungitur, & ita suppleo, eo quod de solis Persarum & Macedonum regibus habet rationem marmor eo tempore (nam de Lydiæ regibus egit etiam superioribus seculis) & hic annus est, quo Amynta mortuo successit Alexander, ut notavit Diodorus ad annum tertium Olymp. 102.

Lineæ 85 lacuna finalis, quæ proculdubio multo majus spatium occupare debet, quam pauca puncta antigraphi nobis describunt, sic se habet: ΚΑΙΩΙΚΙΣΘΗΜΕΓΑΛΗΠΟΛ........ eam sic repleri debere censeo: ΜΕΓΑΛΗΠΟΛΙΣ ΕΤΗ ΗΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙ ΔΥΣΚΙΝΗΤΟΥ. Nam ut ordo perpetuus marmoris servetur, sequi debet numerus annorum negotium narratum, & nomen Archontis sequitur semper annorum numerum. Nunc videndum, an bene & numerum annorum & Archontis nomen posuerimus. Pausanias certe in Arcadicis ait Megalopolin conditam fuisse paucis post Leuctricam pugnam mensibus Phrasiclide Archonte, sed puto eum non exacte perpendisse eam epocham, & posuisse Phrasiclide Archonte, eo quod notum erat eo Archonte pugnam Leuctricam commissam fuisse. Nam quod marmor non habuerit Ἄρχοντος Φρασικλείδου, colligo ex totius marmoris ordine, in quo numquam bis ponitur ejusdem Archontis nomen, sed semper omnia, quæ sub eodem Archonte evenerunt, simul enumerat, ut optime notavit doctissimus Seldenus, quem vide in suo canone. Itaque de epochæ hujus veritate & utrum Phrasiclide an Dyscineto Archonte condita fuerit ea urbs, accuratius viderint Chonologi. Sed certo certius est ex ordine marmoris debere scribi Δυσκινήτου. Cæterum de conditu Megalopoleos dissentire videtur Diodorus lib. 15, qui Megalopolin conditam ait Nausigene Archonte duobus annis posterius, quam & nostrum marmor & alii. Ut concilientur eæ diversæ auctorum sententiæ, puto Arcadas Epaminondæ monitu urbis mœnia & circuitum notavisse, forte & mœniorum fundamenta jecisse: sed tum demum habitari cœpisse,

cœpiſſe, poſtquam victis Arcadibus in ea pugna, quæ Magna vocata eſt, timor eos coëgit, ut conferti habitarent, & eam urbem munirent, & frequentarent, ut eo propugnaculo adverſus Lacedæmonios uterentur. Ideo ad eum annum ejus urbis natalia retulit Diodorus, alii vero ad primam ejus delineationem.

In linea 86 duæ lacunæ finales ita deſcriptæ ſunt ΚΑΙΑΑΕ ... Ν ... lacuna finalis debet magis extendi, quod fere in omnibus lacunis finalibus accidit. Eas ita hiantes ſic expleri debere puto: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΕΛΕΥΤΗΣΑΝΤΟΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΕΙ. Id omnino cum hiſtoria convenit. Nam Ptolemæus Alorites ſeu filius ſeu gener Amyntæ regis (nam in eo variant auctores) occiſo per fraudem Alexandro rege, qui Amyntæ ſucceſſerat, eodem hoc anno regnum Macedoniæ occupavit teſte Diodoro lib. 15, cujus locum in numero annorum ejus regni corruptum emendavimus ſupra pag. 50 in notis ad eum auctorem.

Linea 87 in hiatu ad finem mentio proculdubio fiebat de expilatione templi Delphici à Phocenſibus duce Philomelo facta: jure tamen in eo æſtuat doctus vir, quod certum ſit cum ex teſtimonio Pauſaniæ, tum aliis certiſſimis conjecturis (quarum præcipua ducitur ex regno Philippi Macedonis) eam expilationem factam fuiſſe novennio poſt hunc Cephiſodorum vel ſaltem octennio Philippo jam regnante, & quidem ſecundum Pauſaniam Agathocle Archonte. Ego non dubito erraviſſe auctorem Chronici Marmorei. Cauſa erroris fuit Archontum homonymia, & ambiguitas in vocibus Cephiſodori & Cephiſodoti, qui ſæpe confunduntur. Nam cum Cephiſodotus Archon immediate præceſſerit Agathoclem, facile credo quandam in eo apud Hiſtoricos fuiſſe diverſitatem, ut alii Archonte Cephiſodoto, alii Agathocle id negotium notaverint, dum alii forte à belli initio, alii ab ipſa expilatione templi tempora computabant. Inde auctor noſtri Chronici deceptus ſimilitudine nominis ad primum Cephiſodotum retulerit, quæ ad ſecundum vel ad Cepiſodorum debebant referri. Ideo non dubito, quin lacuna illa finalis lineæ 87 ſic repleri debeat: ΤΟ ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ ΙΡΟΝ ΕΣΥΛΕΥΣΑΝ ΕΤΗ Η ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΘΗΝΗΣΙ.

Linea 88 curta eſt, & credo inter eam & lineam 89 plura deeſſe.

Lineæ 89 lacunas optime ſupplevit doctiſſimus Seldenus.

In cæteris præter duo nomina Archontum imperfecta, quæ ſupplevit idem ſummus vir in ſuo canone, nihil ſuppleri poteſt ob nimis

 accisas

accisas reliquias, nec nobis aliud suppetit, quam dolere, imo lugere, talis thesauri tam exiles reliquias ad nos usque pervenisse. Quod ad alterum marmor, quo continentur Smyrnæorum decreta, & fœdus cum Magnesiis, in eo supplendo & illustrando tam fœliciter laboravit summus ille vir, & omni laude dignus Seldenus, ut in eo ne minimum quidem ïota mutare aliquis possit, nec nobis superest aliud agendum, quam illi gratias agere, & plausum dare, quod facere debent omnes literati.



JACOBI



JACOBI PALMERII
A GRENTEMESNIL,
MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES
IN ANTIQUOS
AUCTORES GRÆCOS.

PARS SECUNDA.

Post antiquos auctores Græcos, qui pedestri sermone scripserunt, quantum in nobis fuit, emendatos & illustratos, propositum nobis fuerat & alterum volumen Criticarum Exercitationum in antiquos Poëtas, cum Epicos (excepto Homero quem Didymus, Eustathius & alii satis illustrarunt) tum Dramaticos, Elegiographos, Lyricos, Bucolicos, & Epigrammatistas componere, & tuo judicio, erudite lector, summittere. Nec ab eo proposito omnino destiti. Sed vergens ætas & ingruentes morbi Spem nos vetant inchoare longam. *nobis enim opus est tempore, & sano corpore, ut ea, quæ sparsa jacent in meorum librorum marginibus, breviter annotata extendere, & compilare liceat. Igitur quas solas paratas ha-*

 beo

beo in Aristophanem & Theocritum exercitationes, eas volumini præcedenti adjungo: cætera forte aliquando daturus, si Deus vitam & vigorem largiri non dedignetur, & ultimam manum Græciæ antiquæ nostræ, quæ me ab aliis studiis avocat, imponere permittat. Quod faxit ille Deus misericors & omnipotens, ut amicorum desiderio, publicæ expectationi, & tuæ utilitati, lector Philellenista, opus illud qualecunque est, in lucem dare & publicare possim. Interim paratis fruere, & nostra munuscula animo grato accipe. Vale.



AD



AD
ARISTOPHANEM
ET EJUS
SCHOLIASTAS.

Editionis Caldorianæ, Genevæ anno 1607.

De Comœdiarum Aristophanis vero ordine.

Quantum in auctoribus priscis intelligendis prosit notitia temporis, quo unumquodque opus scriptum fuit, nullus eorum, qui in iis evolvendis & enucleandis curam adhibuerunt (ut arbitror) ignorat. Verum si in universis hoc verum est, id potissimum in priscæ comœdiæ auctoribus & Satyrographis verissimum deprehenditur. In iis enim multa obscura, imo ænigmatica inveniuntur, quæ non possunt intelligi, nisi historia ejus temporis, quo scripta illa fuerunt composita, Oedipi vice fungatur, & iis tenebris lucem afferat. Idcirco antequam ad ipsum Aristophanis textum accedamus, non erit (credo) inutile, ordinem, quo ejus dramata vulgata sunt, omnino præposterum & turbatum, ad verum & genuinum τῶν διδασκαλιῶν ordinem revocare, & unicuique comœdiæ natalium suorum tempus assignare. Id si præstiterim, nec ne, tuum erit, lector, judicium. Nam de omnibus id affirmare non ausim, in plerisque tamen me non aberrasse confido, ut ex notis infra ad unamquamque comœdiam positis tibi patebit. Eum autem laborem lubentius suscepi, eo quod videbam eam temporis ignorationem causam fuisse, ut perperam quædam interpretati sint Scholiastæ, quos sine examine sequuti sunt viri hujus seculi illustres in litteris. Ideo aliquem inde fructum bo-

narum litterarum cultores decerpturos spero; quod si ita evenit, satis superque præmii accepero. In id argumentum pridem insudavit doctissimus vir Samuel Petitus, & de literis optime meritus, cujus memoria mihi sancta & veneranda est: ideo ab eo insectando tam longe abesse desidero, quam qui maxime, & si ab ejus sententia discedo aliquando, id veritate cogente faciam, & si viveret ὁ μακαρίτης ille, facile mihi permitteret, quod sibi permitti ab aliis summis viris ipse volebat: nam, ut ipse alicubi dixit, τῆς ἀληθείας ἐπὶ πολὺ φροντιστέον. Itaque τὸ δὲ νικάτω, & in eo quidem multam laudem meruit: in plerisque enim fœliciter pronuntiavit, & subtilibus conjecturis suam munivit sententiam, non tamen ubique litavit τῇ ἀλη-θείᾳ, & à vero, ut credo, aberravit aliquando: homo enim fuit, ut & nos. Itaque in iis, ubi bene censuisse mihi videtur, multo tibicine illius fulciemus sententiam: in iis vero, ubi sequiorem profert opinionem, ab eo abire non reformidabimus. Tali igitur ordine (meo quidem judicio) debent locari Aristophanis Comœdiæ, quæ extant. Prima sit Ἀχαρνῆς. 2ª Ἱππεῖς. 3ª Νεφέλαι. 4ª Σφῆκες. 5ª Εἰρήνη. 6ª Ὄρνιθες. 7ª Θεσμοφοριάζουσαι. 8ª Λυσιστράτη. 9ª Βάτραχοι. 10ª Ἐκκλησιάζουσαι. 11ª & ultima Πλοῦτος, quem ordinem secundum tempora τῶν διδασκαλιῶν verum esse vel saltem verisimilem ex infrascriptis notis æquo lectori me suadere posse confido.

Α Χ Α Ρ Ν Η Σ.

Anno 3. Olympiadis 88 & anno sexto belli Peloponnesiaci, Euthydemio post Euclidem vel secundum alios Euthymene Archonte.

In Argumento pag. 365.

Ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου.

Hunc Archontem vocat Εὐθύδημον Diodorus Siculus, quem sequitur Olympiadum anagraphe. Uter melius difficile est decernere: nam & fuit alius Εὐθυμένης Archon anno 4 Olympiadis 85, & alius etiam Εὐθύδημος anno 2 Olymp. 87. Ideo miror, sive scripserit Εὐθυμένης, sive Εὐθύδημος, cur non addiderit ὁ μετ' Εὐκλείδην, ut solet fieri, quoties idem nomen pluries occurrit in Archontibus.

Cæte-

Cæterum optime hic Scholiastes natalia ejus fabulæ notat, & concordant argumenta, quæ ex ipsa fabula accipiuntur, ut patebit infra, & nugatur Frischlinus, qui argumentum Latinum huic fabulæ prætexuit, dum putat post Lamachi interitum prodiisse hoc drama, & Poëtam *totius belli incommoda proposito Lamachi interitu demonstrare:* nam nec in ipsa fabula de Lamachi interitu fit ulla mentio, & pluribus annis ante cladem Siculam & Lamachi interitum prodiisse demonstrabimus, & Græci argumenti veritatem firmabimus.

Pag. 370. ad hæc verba προσδοκῶν τὸν Αἰσχύλον.
Sic commentatur Scholiastes.

Ἀντὶ τοῦ Αἰσχύλου τραγωδίας, ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ἔχοντες τὰ Αἰσχύλου, Αἰσχύλον λέγομεν ἔχειν, οὐ γὰρ ἔζη κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον, ἐπελεύτησε γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίου τοῦ μετὰ Μνησίθεον τούτοις πρότερον ἐνιαυτὸν.

Si credendum foret huic scripturæ, & annis 30 prius, & forte ante natum Aristophanem caderet hujus fabulæ διδασκαλία. Sed vitium scripturæ sanandum est, & pro ἐνιαυτὸν rescribendum ἐνιαυτῷ λ΄, quod optime concordat: triginta enim exacte sunt anni à Callia post Mnesitheum ad Euthydemum vel Euthymenem post Euclidem.

Pag. 373.

Ἐπέμψαθ᾽ ἡμᾶς ὡς βασιλέα τὸν μέγαν,	*Misistis hinc nos ad regem ter maximum,*
Μισθὸν φέροντας δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας	*Duabus instructos drachmis, stipendio*
Ἐπ᾽ Εὐθυμένους ἄρχοντος. Δι. οἴμοι τῶν δραχμῶν.	*Diurno. DI. væ duabus drachmis: væ mihi.*

Ad quæ sic Scholiastes. πρὸ ιβ΄ ἐτῶν ἦρχεν ὁ Εὐθυμένης Ἀθήνησιν. Optime hic Scholiastes: bene etiam alter, qui sic ait: οὗτος ὁ ἄρχων, ἐφ᾽ οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα, τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου, καὶ ἰσχυ-

ἴσχυσεν ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν, καὶ δύο ἔτη ἑξῆς, Ἐπιγένους τε καὶ Θεοδώρου, μεθ' οὓς ἐπ' Εὐθυμένους κατελύθη. Hæc optime quadrant, sed correctione indigent. Nam pro Ἐπιγένους rescribendum Γλαυκίδου, ut ex Diodoro patet, cui consentit Olympiadum catalogus. Aristophanes autem à bello deterrere volens Athenienses, magnitudinem sumptuum iis repræsentat simul, & taxat Atheniensium primores & demagogos, qui dum legati mittuntur, producunt legationis tempus, ut pecunias lucrentur. Ideo ridicule introducit legatos dicentes se missos ad magnum regem ante annos duodecim præmium habentes duo drachmas in diem, ad quod Dicæopolis exclamat, *hei mihi ob drachmas illas*, scilicet ob immensum illum numerum drachmarum. Quando igitur Euthymenes fuit Archon annis undecim completis ante Euthydemum, quo Archonte duodecimus currebat annus ab Euthymene, sequitur Euthydemo Archonte duodecimo post Euthymenem anno prodiisse hoc drama, anno 3 Olymp. 88. Nam Euthymenes fuit Archon anno 4 Olympiadis 85.

Pag. 376.

Βάμμα Σαρδιανικόν. *Tinctura Sardiniaca.*

Jam olim incerta erat hujus loci lectio: Suidas videtur legisse Σαρδωνικόν[1]; nam ex hoc loco proculdubio habet, quæ dixit de purpura Sardiniæ insulæ, & ex Scholiaste, qui sic ait: [1] Σαρδιανικόν· ἀντὶ τοῦ ἐρυθρὸν, φοινικοῦν. Σαρδὼ γὰρ νῆσός ἐστι τῶν ἑπτὰ — ἐν ταύτῃ γὰρ γίνονται πορφυραῖ διάφοροι καὶ ὀξύταται. Ego vero nihil motus auctoritate Suidæ, nec Scholiastis, qui dubitat de eo, quod dixit (ait enim postea, [2] ἢ ὅτι εἰς τὴν Σαρδὼ τῆς Λυδίας πυῤῥὰ βάμματα γίνεται) contendo debere legi Σαρδιανικόν, ut infra in comœdia Εἰρήνη pag. 710. Nam tempore Aristophanis parum erat commercii inter Athenienses & insulæ Σαρδὼ habitatores; at multum inter Lydos & cæteros Asiaticos cum omnibus Græcis & præcipue Atheniensibus. Purpura ex insula Sardo nullis antiquis auctoribus laudata. At Lydi molles & curiose purpuram eximiam tingebant, ut fatetur hic Scholiastes, & ad locum fabulæ Εἰρήνης dictum ad easdem voces βάμμα Σαρδιανικόν sic vel idem vel alius Scholiastes commentatur: διαφέρουσι γὰρ αἱ Κυζικηναὶ βαφαί. Cyzicus autem & Sardes Asiæ urbes non admodum remotæ. Sed ut pressius agamus, purpuræ tingendæ artificium Lydis Sardes habitantibus tribuitur à Plinio lib. 7 cap. 56. Item Hesychius in voce βάμμα sic habet: [3] βάμμα Σαρδιανικόν τὸ φοινικοῦν. διάφορα γὰρ ἦν τὰ ἐν Σάρδεσι βάμματα. Unde etiam Sardiani

[1] *Sardiniacum pro rubro, Phæniceo: nam Sardo insula una est ex septem — in ea enim nascuntur purpuræ optimæ & acutissimæ.*

[2] *Vel quod Sardibus Lydiæ rubræ tincturæ fiunt.*

[3] *Tinctura Sardianica Phœnicea: optimæ sunt enim Sardibus tincturæ.*

diani ψιλοτάπιδες in magno pretio erant apud Persas, ut ait Athenæus lib. 11. Inde etiam Lydi mercaturam purpuræ exercebant in Græcis urbibus, ut illa Lydia Thyatiris nata mercatrix purpuræ apud Philippenses, de qua Lucas in Actis Apostolorum cap. 16. Ideo concludo certum esse hunc locum debere emendari ex loco fabulæ Εἰρήνης, ubi legitur Σαρδιανικὸν, non autem illum ex hoc, & sic sentire videtur Bisetus.

Pag. 377.

Ἤρα φαγεῖν ἀλλᾶντας ἐξ Ἀπατουρίων.	*Cupiebat farcimina edere ex Apaturiis.*

Ad hunc locum Scholiastæ & doctus Bisetus nullum alium jocum agnoscunt, quam ex allusione ad vocem ἀπάτη, quæ fraudem significat. Vetus Scholiast. [1] χαριέντως ὡς ἐξαπατωμένων τῶν Ἀθηναίων. Bisetus: [2] ἀλλ' ἴσως τοῦτο διὰ τὸ ἀπάτης ὄνομα, κατὰ παίγνιον οὕτως εἴρηται. At ego aliter puto, & potius alludere comicum ad vocem ἀπάτωρ, & salse innuere filium Sitalcis cupere esse sine patre, ut rex scilicet fieret.

[1] *Festive tamquam deceptis Atheniensibus.*
[2] *Sed forte ob nomen ἀπάτη, fraus ludendo hoc dicitur.*

Pag. 381.

Ἠκολούθουν Φαΰλλῳ τρέχων.	*Consequebar Phayllum in fuga.*

Hic Phayllus celeberrimus fuit pernicitate & alacritate. Ideo fuit ter Pythionices, ut ait Herodotus in Urania. Scholiastes eum etiam facit Olympionicem, quod non credo: nam id decus non tacuisset Herodotus, qui eum triremi Crotoniatum præfuisse ait, quæ in auxilium Græcorum missa fuerat adversus Xerxem in pugna Salaminia. Epigramma à Scholiaste citatum ait, eum quinquaginta pedum spatium saltu superasse, quod difficile est credere, si de unico saltu in plano intelligamus.

Pag. 384.

Φαλῆς ἑταῖρε Βακχίου.	*Phales, amice Liberi*
— ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖπον ἐς	*-- Sexto nunc anno te alloquor,*
Τὸν δῆμον ἐλθὼν ἄσμενος.	*Vt vicum adeas meum lubens.*

Iterum ex hoc loco colligitur hoc drama prodiisse anno sexto belli Peloponnesiaci. Nulla enim alia potuit esse causa, cur sex annos à visenda sua villa abstinuerit, quam bellum. Ad quæ verba vetus Scholiastes: [3] ἕκτον γὰρ ἦν λοιπὸν ἔτος, ἀφ' οὗ ὁ πόλεμος Ἀθηναίοις

[3] *Sextus enim erat reliquus annus, ex quo inter Athenienses & Peloponnesios bellum incepit fieri.*

πρὸς Πελοποννησίους σπονδάς. Sextus vero ejus belli annus cadit exacte in Euthydemum post Euclidem Archontem anno 3 Olymp. 88.

Pag. 395.

Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, οὑπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.	*Nam soli sumus, & Libero ludus agitur.*

Ille agon, qui & κατ' ἀγρὺς dicebatur, hieme committebatur, & ideo soli erant Athenienses: nam mare tunc erat clausum, & inde colligunt Scholiastæ hieme prodiisse hoc drama.

Pag. 399.

Ὁρῶν πολιὺς μὲν ἄνδρας ἐν ταῖς τάξεσι,	*Quod canos in acie video viros,*
Νεανίας δ', οἵυς σὺ διαδεδρακότας.	*Et juvenes, qualis tu es, tergum dare hostibus.*

Male vertit interpres διαδεδρακότας *tergum dare hostibus.* Comparatio eorum cum Lamacho fortissimo viro absurda fuisset. Verte *huc illuc cursitantes,* quæ interpretatio ex sequentibus firmatur.

Pag. 400.

Ἀλλ' ὁ Κοισύρας καὶ Λάμαχος.	*Sed Cæsiræ gnatus & hic Lamachus.*

Ex hoc loco, ut puto, somniavit Suidas Lamachum fuisse Cœsuræ filium, & videtur legisse sine particula καὶ, ὁ Κοισύρας Λάμαχος. Sed Lamachi matrem non fuisse eam Cœsuram, ob luxum & magnificentiam celebratam, patet ex eo, quod noster Aristophanes infra in Thesmophoriazusis eam ut modestam fœminam & non affectantem τὰς περιδείας describit. Nam pro ea indignatur, quod mater Hyperboli juxta eam sederet. Tum Cœsura fuit Alcmæonis uxor, pater vero Lamachi fuit Xenophanes, ut ait Scholiastes supra pag. 385. Ergo nisi aliunde firmetur Suidæ sententia, nollem eam sequi.

Pag. 408.

Δι. ἅλας ἐν φέρεις; Μεγ. οὐχ' ὑμὲς αὐτῶν ἄρχετε.	*Di. Salemne fers? Me. Annon vos domini estis salis.*

Ad hæc ita commentatur Scholiastes: [1] ἐν Νισαίᾳ τῇ Μεγαρίδι ἅλες πήγνυνται, ἦν δὲ ὁ τόπος ὑπήκοος τῶν Ἀθηναίων. Male hic Scholiastes: nam eo tempore nondum erat Nisæa sub Atheniensium potestate, quæ octavo tantum anno belli Peloponnesiaci sub eorum imperium venit, ut narrat Thucydides lib. 4. Multo melius alius

[1] *Nisææ Megaridis sales condensantur: erat autem locus Atheniensibus subjectus.*

alius Scholiastes, qui veriorem reddit causam, [1] Διὰ τὸ θαλαττοκρατεῖν τοὺς Ἀθηναίους ἔφη, ὑμεῖς αὐτῶν ἄρχετε. Ad quod addo, quod quamvis Athenienses nondum Nisæam haberent, tamen non erat liberum Megarensibus salium negotium, eo quod Minoam insulæ Nisææ vicinam & portui imminentem tenebant præsidio, ut ait idem Thucydides lib. 3.

[1] Eo quod Athenienses in mari dominabantur, dixit, vos eorum domini estis.

Pag. 413.

Σκέψασθε παῖδες τὴν ἀρίστην ἐγχέλυν.	— Videte hanc optimam Anguillam, quæ toties optata cum foret,
Ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην.	Vix demum sexto anno advenit.

Rursus his versibus Aristophanes indicat quo tempore prodierit drama Ἀχαρνῆς. Nam Copaïs lacus, unde anguillæ laudatæ afferebantur Athenas, erat in Bœotia. Bœoti vero cum Peloponnesiis conjurati bellum gerebant cum Atheniensibus. Ideo non viderant Copaïdas anguillas Athenienses à sex annis interrupto inter eos & Bœotos commercio. Nam bellum jam in sextum usque annum Euthydemo Archonte duraverat, ut dictum est.

Pag. 418.

Τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται. | *Harmodion accinet.*

Ad ea Scholiastes: [2] ἐν ταῖς τῶν πότων συνῳδοῖς ᾖδον τὸ μέλος Ἁρμοδίου καλούμενον, οὗ ἡ ἀρχὴ, Φίλταθ' Ἁρμόδιε οὔ τί πυ τέθνηκας. Consentit Aristides in funebri super Eteone oratione: [3] καλὸν ᾖ καὶ ἐν σκολιοῖς, ὥστε Ἁρμόδιον ᾄδειν οὔ τί πω τέθνηκας λέγοντας. Ex Aristide igitur corrigenda sunt verba Scholiastis, & pro οὔ τί πυ scribendum οὔ τί πω. multo melius.

[2] In compotationibus cantabant Harmodii cantilenam vocatam, cujus initium erat, Amicissime Harmodie, nondum mortuus es.

[3] Bonum me est in scoliis Harmodium canere, dicentes nondum mortuus es.

Pag. 425.

Ὅν γ' ἔτ' ἐπίδοιμι τευθίδος	*Hunc ego aliquando videro*
Δεόμενον, ἤδη δ' ὀπτημένην	*Panis inopem, qui coctus &*
Σίζουσαν πάραλον.	*Iam nunc maritimus.*

Quid sibi velit interpres nescio, qui hæc ita vertit. Invenit forte apud Hesychium [4] τευθὶς πέμμα πλακουντῶδες, & ideo panem maritimum interpretatus est. O hominis acumen! τευθὶς piscis est species, qui dum frigitur in patella, σίζει, id est, stridorem edit, & eo, quod è mari venit, eum vocat πάραλον.

[4] Coctum quid placentæ specie.

AD

FABVLAM ΙΠΠΕΙΣ,

Actam anno 7 belli Peloponnesiaci in Lenæis, Stratocle Archonte, Olymp. 88 anno 4.

Pag. 284.

In Hypothesi fabulæ. ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς Λήναια. Hujus dramatis didascaliam incidere in tempus ab hoc Scholiaste notatum ex ipsa fabula infra patebit.

Pag. 291.

—Καὶ πρώην γ' ἐμοῦ	— *Nam cum ego in Pylo*
Μάζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικὴν,	*Massam aliquam pinsuissem mihi Laconicam:*
Πανουργότατά πως περιδραμὼν ὑφαρπάσας,	*Homo astutissime circumivit, clanculum*
Αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην.	*Surripuit, & à me pistam supposuit pro sua.*

Innuit negotium in Pyli obsidione transactum, quod evenit æstate anni 7 belli Peloponnesiaci, ut Thucydides lib. 4. Eo autem anno Stratocles Archon factus fuerat. Quod igitur dicit πρώην, hoc est, *nuper*, optime convenit: nam Lenæa festum, quo prodiit hoc drama, hieme in fine mensis Posideonis, qui & Lenæus dicebatur, celebrabatur; Pyli vero obsidio & Laconum in insula Sphacteria interceptio septem menses circiter prius facta fuerat. Ex hoc igitur loco firmatur sententia Scholiastæ supra notata de tempore didascaliæ hujus fabulæ.

Pag. 292. Scholiastes.

Λακεδαιμόνιοι προδοσίας κρίνουσι καὶ φονεύουσι Παυσανίαν τὸν ἴδιον βασιλέα, Κλεομβρότου καὶ Ἀλκαθέας υἱόν.

Nomen ejus fœminæ matris Pausaniæ varie exprimitur apud auctores. Thucydidis Scholiastes Ἀλκιθέαν vocat; at Polyænus lib. 8 eam nominat Θεανώ. Fuit forte binominis.

Pag. 297.

Pag. 297.

Τὸν ὀφθαλμὸν παρέβαλλ' εἰς Καρίαν	*Oculum dextrum detorque hinc in Cariam,*
Τὸν δεξιόν, τὸν δ' ἕτερον εἰς Καρχηδόνα.	*Sinistrum vero isthanc versus Carthaginem.*

Interpres vertit Carthaginem, & ad id nihil Scholiastæ. Ego vero contendo legendum Χαλκηδόνα. In iis vocibus millies erratum est ob viciniam soni in describendis auctoribus antiquis. Sed hoc loco quomodo conveniret de Carthagine intelligi? nihil rei Atheniensibus fuit cum Carthagine, nullum tributum, nullum vectigal inde accipiebant: at Chalcedo erat sub eorum imperio, ut & Byzantium. Id nos docet Thucydides lib. 1 & lib. 4, nec minus διεστραμμένος fuisset, & distortis oculis spectasset, si unum oculum ad Cariam, alterum vero ad Chalcedonem direxisset. Nam Caria & Chalcedon erant in duabus extremitatibus peninsulæ magnæ Asiæ, una ad meridiem, altera ad Boream sitæ Athenarum respectu, toto Ægæo, Hellesponto & Propontide intercedentibus. Nulla igitur lucri spes erat Agoracrito & cæteris demagogis ex Carthagine vix illis cognita, & quæ non poterat ab iis περᾶσθαι: contra vero ex Chalcedone, quæ tunc erat Athenis subjecta & tributaria. Certo certius est legendum esse Χαλκηδόνα.

Pag. 300.

Τουτὶ τί δρᾷ τὸ Χαλκιδικὸν ποτήριον;	*— Quid hoc Agit Chalcidicum poculum? non est, uti*
Οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ Χαλκιδέας ἀφίστατον.[1]	*Non ad defectionem impellatis populum Chalcidicum.*

Ad hæc Scholiastes cætera satis bene, hoc vero male: [1] ἔλαβε δὲ ἀφορμὴν εὔκαιρον τοῦ ὀνόματος τῶν Χαλκιδέων, διὰ τὸ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ἀποστῆναι αὐτοὺς τῶν Ἀθηναίων, ἀπέστησαν γὰρ Χαλκιδεῖς ἐπὶ Εὐκλείδου ἄρχοντος. Peccat hoc loco in Chronologiam Scholiastes, & non consuluit Thucydidem, qui facem lucidissimam præfert ad intelligentiam nostri Comici. Nam Euclides erat Archon anno 5 belli Peloponnesiaci & sexto ineunte: at Chalcidensium rebellio à Brasida sollicitata evenit anno octavo ejus belli, ut ait Thucyd. l. 4, quo tempore Isarchus erat Archon, cujus præturæ desinentis tempore Sciona rebellavit, ut scripsit Philochorus referente Scholiaste infra

[1] *Cepit occasionem commodam ex nomine Chalcidensium, eo quod eo anno defecerant ab Atheniensibus. defecerunt autem Chalcidenses Euclide Archonte.*

infra pag. 444. Sed & non satis accurate pensitavit Aristophanis verba, quæ innuunt quidem suspicionem rebellionis futuræ; non quadrarent vero, si jam erupisset. nam absurdum fuisset accusare Demosthenem & Niciam, quasi Chalcidenses ad rebellandum sollicitarent, si jam rebellio facta fuisset duobus annis antea & plus. Quod si quis pertendat de Potidææ rebellione debere intelligi, tunc multo major absurditas emergeret: nam Potidæa rebellaverat ante bellum Peloponnesiacum incœptum Pythodoro Archonte, ut Thucydides libris primo & 2. Ergo facessat Scholiastes ille cum suo parachronismo.

Pag. 321.

Θόρυβον, χρηστὸν Ληναΐτην.	*Strepitum utibilem Lenaiten.*

Et ex hoc loco patet hoc drama prodiisse in Lenæorum festo.

Pag. 323.

Ἡμετέραν ξυνεργὸν	*Auxilii sodalem*
Νίκην, ἣ χορικῶν ἐστιν ἑταί-ρα,	*Palmam: grata chori quæ comes hujus,*
Τοῖς τ' ἐχθροῖσι μεθ' ἡμῶν στα-σιάζει.	*Nobiscum aggreditur bello inimicos.*

Ex his chori verbis colligo hoc drama prodiisse, cum nondum depressi fuerant Athenienses malo ad Megara successu, & clade ad Delium accepta, quæ infortunia evenere octavo belli Peloponnesiaci anno, sed adhuc victoria elatos fuisse μεγαλαυχῶντας. Ideo ante octavum belli annum prodiit hæc fabula, quod firmat Scholiastis epocham de Stratocle Archonte.

Pag. 324.

Ὡς ὅτ' εἰς τὰς ἱππαγωγοὺς εἰσε-πήδων ἀνδρικῶς, &c.	*Atque ibi in naves, quis trajici solent, insiluerunt.*

Tangit historiam, quam narrat Thucydides lib. 4, quando Athenienses in agrum Corinthiorum classe vecti impressionem fecerunt circa Solygium collem cum duobus armatorum millibus & ducentis equitibus in hippaginibus vectis, quorum præcipue opera Corinthios pepulerunt loco, & tropæum statuerunt. Hoc factum est post expeditionem ad Pylum in fine æstatis anni septimi belli Peloponnesiaci. Sic ex iis, quæ scripsimus in superiore nota, & ex iis, quæ præcessisse hoc loco notamus, emergit notitia temporis hujus didascaliæ, nempe sub finem anni septimi belli Peloponnesiaci Stratocle Archonte in Lenæis.

Pag. 335.

Pag. 335.

Καὶ πῶς σὺ φιλεῖς; ὃς τούτους ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖσι πιθάκναισιν.
Καὶ γυπαρίοις καὶ πυργιδίοις ἔτος ὄγδοον οὐκ ἐλεαίρεις.

Quomodo ames tu populum, quem cava dolia inhabitare vides,
Turriculas atque cavernas; tamen octo annis nil misereris.

Ἔτος ὄγδοον dicit inchoatum. Tum verisimile est, plures ob metum instantis belli, quod prævidebant, jam ante bellum inchoatum sedes mutasse, & Athenas migrasse, qui jam octavo anno currente Athenis male habitabant. Vide Thucydidem lib. 1.

Ibid. Scholiast. columna 1.

Κεῖται δὲ ἡ Σαλαμὶς ὀλίγον πρὸ τῆς Σαλαμῖνος πόλεως.

Mendum est unicuique obvium. Sed hactenus à nemine (quod sciam) emendatum. Lege, πρὸ τῆς Ἐλευσῖνος πόλεως.

Pag. 336.

Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος
Τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας.

Cum dux bellicus urbi
Pacem offerret, tu disjecisti.

Ad hæc sic Scholiastes: παρ' ἱστορίαν τοῦ Ἀρχεπτολέμου ἐμνημόνευσεν, ὄγδοον γὰρ ἔτος ἔχοντος τοῦ πολέμου τούτου, ἔτι ζῶντος τοῦ Κλέωνος, ἐνιαύσιον ἐποιήσαντο πρὸς ἀλλήλους ἐκεχειρίαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Πελοποννήσιοι, πρεσβείαν πέμψαντες πρὸς ἀλλήλους, οὐ μὴν Ἀρχεπτολέμου πρεσβεύοντος τινός, id est, *contra historiam meminit Archeptolemi; nam cum hoc bellum octo annos durasset, vivente adhuc Cleone, annuam cessationem ab armis fecerunt inter se mutuo Athenienses & Peloponnesii, legationem mittentes utrinque, sed nullo Archiptolemo legato.* Hæc ille, qui postea recenset nomina legatorum ex utraque parte. Sed nugatur serio, & solam audaciam præfractam cum non minore ignorantia conjunctam prodit. Non enim de ea legatione loquitur Comicus, per quam annua fœdera facta sunt, quæ non fuit explosa à Cleone, quando fœdus illud annuum obtinuit. Sed aliam intelligit, quæ à Lacedæmoniis septimo anno missa fuit ad obtinendam pacem & recipiendos viros, qui in insula Sphacteria ad Pylum obsessi tenebantur, quæ quidem legatio repulsam tulit, suadente Cleone, ut fuse narrat Thucydides lib. 4, & ex hoc loco discimus Archeptolemum fuisse ejus legationis Coryphæum, cujus nomen tacuit Thucydides. Ea vero legatio, de qua

loquitur

loquitur Scholiastes, nondum missa fuerat, cum prodiit in Scenam hoc drama. Nam in fine tantum belli octavi vel sub initium noni eæ legationes missæ, & fœdus factum est. Vide Thucydidem lib. 4. ubi nomina legatorum à Scholiaste male prolata melius cognoscere poteris, & hinc discamus non esse habendam fidem Scholiis ἀνεξετάστως.

Pag. 345.

Ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυῤῥίνου.	*Herniosum te fieri oportet usque ad caput.*

Ad hæc Scholiastes: [1] μέχρι τοῦ μυῤῥίνου, μέχρι τῆς κεφαλῆς, ἐπειδὴ οἱ ἄρχοντες μυῤῥίνῃ ἐστεφανοῦντο. Nugæ canoræ, & mera ægri somnia: melius, quod sequitur, alterius credo Scholiastæ: [2] ἢ ἀπὸ τοῦ σκολύφθαι τὸ αἰδοῖον εἰς τέλος καὶ ὁλόκληρον. μύρτον δὲ πεποικιλμένον ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον. At hoc ultimum est nequioris notæ: nam τὸ μύρτον in fœminis nihil habet analogum τῷ τῶν ἀνδρῶν μυῤῥίνῳ. Sed sicut τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον dicebatur [3] κῆπος, διὰ τὸ λάσιον εἶναι, sic & in viris τὸ αἰδοῖον dictum est [4] μύῤῥινος διὰ τὸ θαμνῶδες εἶναι καὶ λάσιον.

[1] Usque ad Myrrhinum, usque ad caput, eo quod Archontes Myrtho coronabantur.

[2] Veleo, quod pudendum prorsus denudatum usque ad extremum erat. Myrthum autem variegatum vocabãt antiqui muliebria.

[3] Hortus, eo quod pilosum erat.

[4] Myrrhinus, eo quod erat velut virgultis consitum & densum pilis.

Pag. 360.

Ἐς Καρχηδόνα.	*Carthaginem.*

Et rursus hoc loco irrepsit Καρχηδόνα pro Χαλκηδόνα, ut & apud Scholiasten, qui aliter proculdubio scripserat: ait enim, [5] Καρχηδὼν δὲ πόλις Θρᾴκης περὶ τὸ Βυζάντιον, ubi rescribendum Χαλκηδὼν, & ignoscendum ei, si dixit Chalcedonem esse Thraciæ, quæ fuit Bithyniæ: nam Bithyni olim Thraces fuerant.

[5] Carchedon seu Carthago urbs Thraciæ circa Byzantium.

Pag. 361.

Εὐφημεῖν χρὴ καὶ στόμα κλείειν, καὶ μαρτυριῶν ἀπέχεσθαι, Καὶ τὰ δικαστήρια συγκλείειν οἷς ἡ πόλις ἥδε γέγηθεν.	*Date silentia linguisque favete, & jam dimittite testes,* *Putealque & fora claudite, quibus hac urbs præ aliis undique gaudet.*
Ἐπὶ καιναῖσι δ' εὐτυχίαισι παιωνίζειν τὸ θέατρον.	*Namque novas ob fortunas convenit hoc laudare theatrum.*

Hæc manifeste probant hoc drama prodiisse, dum fœliciter cedebat bellum Atheniensibus, nec adhuc erant fracti infortuniis circa

Megaram

Megaram & ad Delium, unde firmatur ſententia auctoris hypotheſis hujus fabulæ, ſuperius jam ex pluribus conjecturis noſtris confirmata, ſcilicet prodiiſſe in ſcenam ſeptimo anno belli Peloponneſiaci hieme in Lenæis, quo Stratocles erat Archon anno 4 Olymp. 88.

AD

COMOEDIAM ΝΕΦΕΛΑΙ.

Primo prodiit anno belli Peloponneſiaci 9. Iſarcho Archonte Olymp. 89. Dionyſiis τοῖς κατ' ἄστυ. Secundo ut quidam volunt, Aminia Archonte Olymp. 89. anno 2.

Comœdiam, quæ Νεφέλαι inſcribitur, παλινῳδὴν fuiſſe, ut Bacchum, ad cujus feſtum recitata fuit, παρθενεία nos docet, quæ quidem ex pluriumScholiaſtarum ſcriptis conſuta varie de ejus tempore loquitur, ſed id etiam ex ipſa fabula colligi poſſe quibuſdam videtur. Nunc autem antequam natalia ſua ei aſſignemus, refutanda eſt quorundam antiquorum ſententia, qui eam comœdiam volunt ab Ariſtophane compoſitam ſuaſu Anyti & Meliti accuſationem Socratis præmeditantium, ut ex ea judicii Athenienſium experimentum facerent. Eorum familiam ducit Ælianus lib. 2 cap. 13, qui quidem aſſerit Anytum & Melitum data pecunia ſubornaſſe Ariſtophanem, ut Socratem ad populum traduceret: eum ſequutus eſt Eunapius in Ædeſio, quibus aſtipulatur etiam Thomas magiſter in hujus fabulæ argumento, & alii Scholiaſtæ; & ſic videntur innuere eam comœdiam prodiiſſe paulo ante Socratis accuſationem & condemnationem. Nam ſi ea fuit præparatio ac veluti proluſio accuſationis, ex ratione conſequens erat, ut recentibus odiis, quæ illud drama excitaverat, vorſis armis accuſationem inſtituerent. Sed eorum ſententiæ ipſa fabula valide repugnat. Nam ex ejus quibuſdam locis (ut infra notabimus) patet eam compoſitam fuiſſe Cleone adhuc viventе. At Cleon occiſus eſt anno 10 belli Peloponneſiaci teſte Thucydide, quo tempore Aminias erat Archon ſecundum Diodorum anno 2 Olymp. 89. Socratis vero accuſatio & condemnatio facta eſt Archonte Lachete anno 1 Olymp. 95, annis poſt Cleonis mortem 23. Itaque annis 24 vel 25 præceſſiſſet paraſceve hæc accuſationem Socratis, quod omnino abſurdum eſt. Faceſſat igitur Ælianus,

qui φιλοσωκράτης potius quam φιλαλήθης transversus rapitur odio Aristophanis, in eo solo excusandus, quod eam Aristophanis corruptelam tamquam verisimilem tantum & veluti conjecturam proposuit. Multo probabiliorem causam hujus Socratis insectationis reddit vetus quidam Scholiastes in protheoria huic fabulæ præmissa, scilicet [1] τῶν κωμικῶν πρὸς τοὺς φιλοσόφους ἐχόντων τινὰ ἀντιλογίαν, ob contentiones, quæ subinde nascebantur inter Philosophos & Comicos Poëtas, quod idem Scholiastes antiquus proculdubio & de meliore nota pluribus probat ad hæc verba actus 1 scenæ 1. [2] οἱ τὸν οὐρανὸν λέγοντες ἀναπείθουσιν ὡς ἐστὶ πνιγεύς. ubi ait & Cratetem comœdum acrius multo tetigisse Hipponem Philosophum, & Diphilum acriora scommata in Bœdam Philosophum jecisse, & Eupolin etiam ipsum Socratem sale comico mordaciori inspersisse. Ergo Aristophanis in Socratem maledicentia causa non fuit corruptela & pecuniarum acceptio ad Anyto & Melito, vel denique odium, sed studium partium & dissidia Philosophorum cum Poëtis dramaticis, quod notare non erit inutile.

[1] *Poetis comicis habentibus quedam jurgia cum Philosophis.*

[2] *Qui de cælo dicentes suadent esse furnum.*

Pag. 124.

Καὶ τροχοῖν Ἀμυνίᾳ. | *Et pro rotis Amyniæ.*

Ad hæc verba sic nugatur quidam Scholiastes: [3] καὶ οὗτος τῶν ὑπὲρ ἵππους πταισάντων, μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν τοῖς Σφηξί. νῦν δὲ οὐκ ἐκείνου καθαπτόμενος μνημονεύει αὐτοῦ, ἀλλὰ τὸν ἄρχοντα διασύρειν βουλόμενος τῇ ἐκείνου προσηγορίᾳ ἐχρήσατο. τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμυνίας Προνάπου. Nive frigidior hic jocus foret, nisi forte hic Ἀμεινίας (sic enim scribendum est) Archon traduceretur, ut filius τροχοποιοῦ. Sed nec ipse Scholiastes id ait, nec alius. Ergo lenissimo & futili argumento nititur, ut hoc drama Aminia Archonte prodiisse probet, quod prius prodiisse Isarcho Archonte ex ipsa fabula probabimus inferius.

[3] *Et ille ex iis, qui de equis ceciderant: meminit & illius in Vespis. nunc vero non, ut eum carpat, meminit ejus, sed Archontem traducere volens ejus appellatione utitur. Tunc enim erat Archon Aminias Pronapi filius.*

Pag. 127. Scholiast.

Λέγεται δὲ νικῆσαι μάλιστα.

Manifestum est τὸ νικῆσαι ex voce νικήσας in superiore linea posita male hîc irrepsisse pro πλουτῆσαι. Sed aliam causam divitiarum Calliæ narrat Athenæus Dipnos. lib. 10 pag. 537. editionis Casaubonianæ, quem vide.

Pag. 133. & sequenti.

Μα. Τί ἐθαύμασας; τῷ σοι δοκοῦσιν ἐοικέναι;	*DI. Quid mirare? cui similes esse videntur hi?*
Στρ. Τοῖς ἐν Πύλῳ ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς.	*St. Lacedæmoniis similes captivis è Pylo.*

Ex hoc loco luce clarius patet hanc fabulam compositam fuisse post adductos à Cleone ex Sphacteria insula, quæ ante Pylum sita est, Laconas, quod evenit anno 7 belli Peloponnesiaci, teste Thucydide lib. 4. Stratocle Archonte, quem Isarchus sequutus est, sub quo hoc drama prodiit. Ideo memoria adventus Laconum captivorum & eorum tristitiæ & macilentorum vultuum adhuc erat recens, & eorum imago oculis obversabatur. Bene ergo & apposite utitur ea comparatione.

Pag. 158.

Ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων' ἔπαισ' ἐς τὴν γαστέρα	*Qui etiam magnum illum Cleonem in ventrem olim perculi,*
Κ' οὐκ ἔτ' εἰσαῦθις γ' ἐπεπήδησά γ' αὐτῷ κειμένῳ.	*Neque demum insultavi ipsi jacenti.*

Ex his verbis & aliis, quæ in hac parabasi dicuntur, optime concluditur, eam fabulæ additam ab auctore post Cleonis mortem, quod & firmatur ex eo, quod duobus infra versibus loquitur de Marica Eupolidis comici fabula, in qua notant Scholiastæ factam fuisse mentionem mortis Cleonis. Ideo, ut notarunt iidem, repulsam passus Aristophanes, in repræsentatione hujus fabulæ, voluit iterum eam producere, & addiderat hanc parabasin. Dubium autem est, utrum repræsentata fuerit, nec ne, licet in Protheoria quidam Scholiastes id asserat. nam alius ait: [1] οὐ φέρονται αἱ διδασκαλίαι τῶν δύο νεφελῶν. Id unum certum est, Aristophanem id habuisse in animo, & hanc παράβασιν addidisse, in qua queritur, & auditores incusat ob repulsam ab iis passam. Sed suspicor iterum eam in scenam non prodiisse: aliter id non tacuisset Ælianus, nec Eunapius, & unius solius Scholiastæ fides non sufficit ad fidem faciendam. Tum Scholiastæ locus infra ad Vespas me demovet, ut credam secundas Nubes in theatro recitatas fuisse. Nam, qui id affirmant, volunt anno sequenti sub Aminia eas prodiisse, αἱ δὲ δεύτεραι Νεφέλαι ἐπὶ Ἀμεινίου

[1] Non extant didascalia duarum Nubium.

ἄρχοντ@· ait quidam in ὑποθέσει Nebularum. Sed quomodo id verum esse possit, non video. Nam Vespæ Aminia Archonte prodierunt in Lenæis. At duo dramata simul non exhibebantur ab eodem Poëta, nec ejus rei extat exemplum. Si igitur prodierunt secundæ Nubes sub Aminia, oportet eas prodiisse in Dionysiis Astycis, vere, eodem quo Vespæ Aminia Archonte. Sed Scholiastes ad hæc Vesparum verba pag. 502 μὴ πέσῃ φαύλως, hæc ait: φυλάττεσθε φησὶ μὴ ἐκφαυλισθῶναι τὴν διδασκαλίαν τοῦ δράματος τούτου, καὶ περὶ ἑνὸς γὰρ ἐνιαυτοῦ τὰς πρώτας νεφέλας διδάξας ἀπηνέχθη. Quæ clare innuunt secundas Nebulas nec rejectas nec approbatas ante Vesparum διδασκαλίαν. Aliter locus erat de eo non tacere.

Ibidem.

Τοῦ κόρδακος ἕνεκα. | *Ad desultandum Cordacem.*

Ad hæc ita Scholiastes: [1] τρία εἴδη ὀρχήσεως, ἐμμέλεια μὲν τραγική, σίκυνις σατυρική, κόρδαξ κωμική, ἥτις κινεῖ αἰσχρῶς τὴν ὀσφῦν. Ex his patet, quam antiquus sit mos saltationum impudicarum. Nam & saltatio, quæ κόρδαξ dicitur, in Græciam ex Asia jam à Pelopis tempore venerat, si fides Pausaniæ in Heliacorum 2. [2] ὅτι οἱ τοῦ Πέλοπος ἀκόλουθοι τὰ ἐπινίκια ἤγαγον παρὰ τῇ θεῷ ταύτῃ, καὶ ὀρχήσαντο ἐπιχώριον τοῖς περὶ τὸν Σίπυλον ὄρχησιν. Tyrii forte ex Asia eam accipientes Gades & Bœticam usque eam attulerunt, ubi invaluit teste Martiali epigr. lib.

Edere lascivos ad Bœtica crumata gestus
Et Gaditanis ludere docta modis.

Et mirum est adhuc eam durare in iis partibus, ubi sub nomine Sarabandæ frequentatur, & inde mos ad nos usque fluxit, & vox etiam Hispanica nunc obtinet: olim vero eam saltationis speciem proavi nostri vocabant Gallica voce *une gaye antiquaille*, scilicet ob ejus antiquitatem & lasciviam.

[1] *Tres sunt species saltationis, Emmelia tragica, Sicynis satyrica, Cordax comica, quæ movet lumbos turpiter.*

[2] *Quod Pelopis asseclæ victoriam celebrarunt apud hanc Deam, & saltarunt saltationem quandam habitantibus circa Sipulum familiarem.*

Pag. 160.

Εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν βυρσοδέψην Παφλαγόνα	*Equidem Diis infestum Paphlagona illum coriarium,*
Ἡνίχ' ᾑρεῖσθε στρατηγὸν, τὰς ὀφρῦς συνήγομεν.	*Quando exercitus ducem creastis, nos supercilia Contraximus.*

Ex hoc loco patet hanc fabulam primo compositam fuisse vivente Cleone,

Cleone, & poſt ejus ϛρατηγίαν. Nam ſupra dixit ſe non inſultaſſe jacenti, & non licebat [1] τοὺς τεθνηκότας κωμῳδεῖν.

[1] *Mortuos traducere in comœdia.*

Pag. 161.

Ἢν Κλέωνα τὸν λάρον δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς	*Si Cleonem larum illum furti damnatum atque ambitus*
Εἶτα φιμώσητε τούτου τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα.	*Capiatis, gulamque ligno interſtringatis.*

Rurſus ex hoc loco manifeſtius patet, hoc drama prodiiſſe florente Cleone & rempublicam adminiſtrante.

Pag. 172.

Ἀλλ' ἔθι' ἐλθὼν τοὺς Μεγακλέους κίονας.	*Age hinc, Megaclis columnas devoratum abi.*

Hunc locum citat Suidas in ἀλλ' ἔθι' ἐλθὼν, & interpretatur, quaſi Megacli nihil amplius reſidui fuiſſet ex ſuis facultatibus præter marmoreas aulæ columnas; id tamen non evincitur ex hoc loco, niſi aliunde id didicerint Suidas & Scholiaſtæ.

Pag. 173.

Σωκράτης ὁ Μήλιος καὶ Χαιρέφων.	*Noſter Socrates & Charephon.*

Multa blaterant Scholiaſtæ ſuper hoc loco, & diverſas cauſas reddunt, cur Melienſem Socratem vocarit Ariſtophanes, qui fuit Athenienſis. Sed incaſſum laboraverunt id præſumentes, quod non venit in mentem comico noſtro; peccat enim ſcriptura ob unius virgulæ defectum. Lege, Σωκράτης, ὁ Μήλιος, καὶ Χαιρέφων. nam per ὁ Μήλιος facile intelligitur Διαγόρας, qui Melienſis erat natalibus, & ab omnibus tunc noſcebatur. Sic ſæpe ὁ Σταγείτης pro Ariſtotele dicitur, & ὁ Κιτιεὺς pro Zenone, ὁ Κροτωνιάτης pro Milone, ὁ Χηνεὺς pro Myſone, & in eo nihil eſt dubii.

Pag. 180.

Εἰς Ἀκαδημίαν.	*In Academia.*

Suidas in voce Ἀκαδημία dicit olim eum locum Ἐκαδημίαν vocatum fuiſſe, & hunc locum citat teſtem. Itaque tempore Suidæ legebatur in hoc loco Ἐκαδημία.

Pag. 183. Scholia.

Ἀςυδαμεία ἡ Ἀκάςου γυνή.

Hæc Acaſti uxor varie nominatur apud auctores. Suidas Atalantam

lantam vocat in Ἀπόλλωνι. Pindari Scholiastes Hippolytam vel Creteida. Si Hippolyta fuit, crederem fuisse Jasonis sororem. Nam Ibycus dixit Jasonem habuisse Hippolyten sororem citante Apollonii Scholiaste. Apollodorus tamen Astydamiam vocat, & ab eo forte noster Scholiastes.

AD
FABULAM ΣΦΗΚΕΣ.

Anno 9. belli Peloponnesiaci Archonte Aminia in Lenæis. Olymp. 89. anno 2.

In Fabulæ Hypothesi.

Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμινίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει Ὀλυμπιάδι ἔτει β΄ εἰς Λήναια. καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης προάγων Γλαύκων πρέσβεσι τρίτος.

Hic locus non videtur integer; nam quid est Φιλωνίδης προάγων? Tum vox τρίτος indicat aliquid deesse, nam ut est scriptum, Γλαύκων πρέσβεσι non foret τρίτος, sed δεύτερος. Itaque credo προάγων esse nomen fabulæ, & deesse ante nomen Comici, qui secundam palmam acceperat victor, fabula Προάγωνι. Nam quando Philonides fuit actor fabulæ Σφῆκες, & postea dicitur ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης, credo id debere referri ad hanc fabulam, in qua actor Philonides primus victor declaratus est. Secundus vero, cujus nomen deest, vicit fabula, cui nomen erat Προάγων. Tertius denique Glaucon fabula, cui nomen erat Πρέσβεις. Igitur sic scribendum hunc locum censeo: καὶ ἐνίκα πρῶτος Φιλωνίδης δεύτερος . . . . Προάγωνι, Γλαύκων Πρέσβεσι τρίτος. Cæterum quod ad tempus didascaliæ attinet, ex ipsa comœdia patebit, calculum ejus, qui hypothesin scripsit, non errasse, nisi quod non capio, quid sit ἐν τῇ πόλει εἰς Λήναια: nam ut supra dictum est Lenæa in agro celebrabantur, & vocabantur Διονύσια τὰ κατ᾽ ἀγρούς. Forte opposuit πόλιν τῷ ἄστει, & πόλιν latiori appellatione vocat etiam suburbana, quæ olim agri erant, urbe ampliata, πόλις vocata sunt, sed hoc non placet satis.

Pag. 434. Scholia.

Καὶ γὰρ πρὸ δύο ἐτῶν τῆς διδασκαλίας τούτου τοῦ δράματος Λακεδαιμονίων

δαιμονίων περὶ εἰρήνης πρεσβευσαμένων, ὁ Κλέων ἀπήλασε τοὺς πρέσβεις.

Ex computo hujus Scholiastæ necessario sequitur, hanc fabulam actam fuisse anno 9 belli Peloponnesiaci. Nam ea repulsio legatorum facta est anno 7 ejus belli, ut narrat Thucydides lib. 4, at anno nono Aminias fuit Archon.

Pag. 437.

Κλεψύδραν. | *Clepsydram.*

Ad hanc vocem Scholiastes: Κλεψύδρα γὰρ ἀγγεῖον τετρημένον, ἐν ᾧ ὕδωρ ἔβαλλον καὶ εἴων ῥεῖν ἄχρι τοῦ ὀπῆς, καὶ οὕτως ἔπαιον τὸν ῥήτορα. Ad quæ Florens Christianus. *Erat enim vas pertusum, quod aqua implebant, eaque fluxa ad foramen usque, finem facere cogebantur dicentes: aut si ultra res serias nugari lubebat, eadem aqua verberabantur: nam id innuere videtur Scholiastes Græcus, cum ait* καὶ οὕτως ἔπαιον τὸν ῥήτορα, *si tamen mendosa non est lectio (quia hanc pœnam rhetoribus præscriptam non recordor alibi me legisse) & non potius scribendum sit* ἔπαυον, *quod ego malui emendare.* Vidit absurdum esse suum intelligendi modum Florens Christianus, & emendatio, quam profert, nequaquam est absurda. Sed non habet opus emendatione lectio ἔπαιον, sed emendanda erat mala ejus vocis interpretatio: nam ἔπαιον non est imperfectum à παίω *verbero* inclinatum, sed ab ἐπαΐω *audio*, καὶ οὕτως ἐπαΐον τὸν ῥήτορα, vertendum *& sic audiebant rhetorem.* Ignoscat mihi docti viri memoria, si miseros rhetoras ab ea verberatione immunes servare volui.

Pag. 440.

Οὐκ ἐκφρήσετ' ὦ μιαρώτατε. | *Quin me mittite, ô scelesti.*

Emendabat Florens Christianus ὦ μιαρώτατοι: at ego mallem ὦ μιαρωτάτω: erant enim duo, & Atticum magis redolet.

Pag. 445.

Ὡς ἔσται Λάχητι νυνί. | *Namque jus Lacheti dicetur.*

Ad hæc Scholiastes: [1] ὡς τοῦ Κλέωνος ἐπαγαγόντος εἰς δίκην τὸν Λάχητα, στρατηγήσαι δὲ αὐτὸν φησὶ Δημήτριος πρὸ τριῶν ἐτῶν εἰς Σικελίαν πεμφθέντα μετὰ νεῶν Λεοντίνοις βοηθήσοντα. Hinc sequeretur hanc fabulam prodiisse anno belli Peloponnesiaci 8. Nam Laches ille missus fuit in Siciliam anno 5 ejus belli teste Thucydide lib. 3. Ideo non quadrat hic locus cum epocha hujus dramatis, quam notavit auctor argumenti, & quæ elicitur ex aliis hujus fabulæ locis, & supra notato Scholiastæ loco pag. 334. Sed minima mutatione hæc conciliabuntur,

[1] *Tamquam Cleone in judicium adducente Lachetum, ducem autem fuisse ait Demetrius tribus annis antea missum cum navibus in Siciliam, ut Leontinis opem ferret.*

ciliabuntur, si legas: [1] στρατηγῆσαι δὲ αὐτὸν φησὶ Δημήτριος πρὸ τριῶν ἐτῶν ἐν Σικελίᾳ πεμφθέντα &c. Duxit nempe copias tribus annis antea in Sicilia, cum missus fuisset cum navibus &c. missus nempe fuerat sub finem anni 4 ante hoc drama, anno vero sequente ante hoc drama tertio copias ducebat in Sicilia. Nisi sic intelligas, pro τριῶν legendum foret τεσσάρων. Sed puto bene quadrare, ut emendavi. Nam toto sexto anno currente duxit copias in Sicilia Laches, idque solus mortuo Charœada. Narrat Thucyd. lib. 3.

[1] Duxisse copias eum ait Demetrius in Sicilia tribus annis antea, cum missus fuisset.

Pag. 448.

Τὰν Σάμῳ. | *Res Sami.*

Ad hæc Scholiastes: [2] τὰ περὶ Σάμου ἐννεακαιδεκάτῳ ἔτει πρότερον ἐπὶ Περικλέους ἄρχοντος γέγονε. Vel falsus est hoc loco Scholiastes, vel corruptus hic locus, quod magis puto. Nam Pericles non potuit esse Archon Eponymus, cum fuit in ea expeditione dux belli & στρατηγὸς: numquam enim mittebantur Archontes Eponymi ad longinqua negotia, sed in urbe potissimum res publicas curabant, Duces vero (qui στρατηγοὶ) ad bella, quæ ingruebant, creabantur extraordinarie, & eorum electioni præsidebant Archontes. Tum ex Plutarcho discimus Periclem numquam fuisse Archontem. Sic enim ille in ejus vita: [3] ἐχρῆτο κατὰ τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλῆς, ἧς αὐτὸς οὐ μετεῖχε διὰ τὸ μήτ' ἄρχων, μήτε θεσμοθέτης, μήτε βασιλεὺς, μήτε πολέμαρχος λαχεῖν. Ergo erravisset toto cœlo Scholiastes, si sic scripsisset. Sed ut eum omnino culpa liberem, contendo legendum: ἐπὶ Τιμοκλέους, non vero ἐπὶ Περικλέους. Fuit enim Timocles Archon anno 4 Olymp. 84, anno 19 ante Aminiam, qui fuit Archon anno 2 Olymp. 89, computando scilicet annum decimum nonum currentem, non completum, & sic omnia optime quadrant.

[2] Quæ in Samo gesta sunt decimo nono anno prius Pericle Archonte.

[3] Eo usus est contra Areopagi consessum, cujus particeps non erat, eo quod neque Archon, neque thesmothetes, neque rex, neque Polemarchus factus fuerat sorte.

Pag. 455.

Ψυχὴν ἐμπλησάμενος Διοπείθους. | *Replens animum Diopithæ.*

Vel scripsit Aristophanes διοπετοῦς, vel si scripsit, ut editum est, & ut legunt Scholiastæ, eo quod Διοπείθης fuit nomen rhetoris eo tempore viventis, allusit proculdubio in hoc viri nomine ad vocem διοπετής. Nam cum ex alto in terram desilire vellet Philocleon tenuis funiculi adjumento, adhortantur eum socii, & ajunt eum debere fieri διοπετῆ; nam simulachra, quæ è cœlo decidisse putabantur, di-

cebantur

cebantur [1] ἀγάλματα διοπετῆ, tamquam à Jove cadentia, ut simulachrum matris deûm in Pessinunte Phrygiæ.

Pag. 462.

τὴν δ' ὑπήνην ἄκυρον τρέφων.	— *Et barbæ Permissam alis manticam.*

Ad hæc Bisetus: [2] ὑπήνην δὲ κυρίως καλοῦσιν (ὥς φησιν Εὐστάθιος) τοῦ πώγωνος τὰς κάτω τρίχας, μύστακας δὲ τὰς ἄνω χείλους τρίχας. Ergo tempore Eustathii mutata erat ejus nominis significatio, ut fit aliquando. Nam priscis Græcis è contrario ὑπήνη erat superioris labri barba, quæ etiam μύσταξ dicebatur. Ejus rei testis Aristoteles lib. 3. de histor. animal. cap. 11. [3] περὶ δὲ τὸ γένειον τοῖς μὲν συμβαίνει καὶ τὴν ὑπήνην καὶ τὸ γένειον δασὺ ἔχειν opponit ὑπήνην τῷ γενείῳ, quod est mentum. Sed apertius Diodorus lib. 5. οἱ δὲ εὐγενεῖς τὰς μὲν παρειὰς ἀπολειαίνουσι, τὰς δὲ ὑπήνας ἀνειμένας ἐῶσιν, ὥστε τὰ στόματα αὐτῶν ἐπικαλύπτεσθαι, id est, *nobiles quidem genas levigant, hypenas vero liberas sinunt, adeo ut eorum os iis occultetur.* At menti barba non potest obumbrare aut occultare os, sed labri superioris barba, si intonsa geratur, id facit. Breviorum Scholiorum auctor ad Odysseam, ad versum 279 libri K. [4] ὑπήνη δέ ἐστι τὸ ἐπάνω χεῖλος, ἀφ' οὗ πρῶτον γεννᾶται χνοῦς. Sed & ipse Bisetus etiam infra ad Lysistratem pag. 902 ex Suida, ubi [5] ἡ τοῦ ἄνω χείλους τρίχωσις dicitur ὑπήνη & μύσταξ. Ergo facessat Eustathius, qui secundum sui temporis morem loquitur, cujus locum citare debebat Bisetus. Jam Hesychii tempore videtur ea vox fuisse ambigui significatus, utrique enim interpretationi astipulatur. [6] ὑπήνη τὸ γένειον ἤτοι πώγων, ἄλλοι μύσταξ, ἄλλοι ὑπήνη ὅ ἐστιν ὑπὸ τὴν ῥῖνα τόπος.

Pag. 463.

Οὐδὲ πεντήκοντ' ἐτῶν.	*Non quinque denis ab annis.*

Ad hæc ita Florens Christianus: *nam post casum ab Harmodio & Aristogitone Hipparchum, & paulo post ejectis Hippia & Pisistratidarum tyrannide (—) fluxerunt circiter quinquaginta anni usque ad oligarchiam primam & quadringentos abrogatos.* In quibus verbis nescio, quare Oligarchiam primam incipere dicat post quadringentos abrogatos: contra enim status quadringentorum fuit Oligarchia prima, qui ad se attraxerant potestatem & jus, quod fuerat universi populi. Ideo forte habebat in animo *constitutos*, quod inadvertentia mutavit in *abrogatos*. Sed majus ulcus sanandum est in ejus sententia, & cavendum

[1] Simulachra à Iove cadentia.

[2] Hypenem propriè vocavit (ut ait Eustathius) barbam inferiorem, mystacas vero pilos in labro superiore.

[3] Quod ad mentum attinet, quibusdam accidit, ut & mentum & labrum superius pilosum habeant.

[4] Hypene est labrum superius, unde primum erumpit lanugo.

[5] Pilorum generatio superioris labri dicitur Hypene & mystax.

[6] Hypene mentum vel barba, aliis mystax, aliis Hypene locus sub naso.

est nobis & omnibus ab ista Chronologia, qua nihil falsius: errat enim calculus ille totis quinquaginta annis. Audi Thucydidem lib. 8. [1] χαλεπὸν γὰρ ἦν τὸν Ἀθηναίων δῆμον ἔτει ἑκατοστῷ μάλιστα, ἐπειδὴ οἱ τύραννοι κατελύθησαν, ἐλευθερίας παῦσαι. Et Pisistratidæ ejecti secundum Thucydidem & marmoreum Chronicon anno 2 Olymp. 67. secundum Eusebium vero sex annis prius; Status vero quadringentorum Athenis constitutus Olympiade 92, annis 99 post Pisistratidas ejectos, anno 20 vel 21 belli Peloponnesiaci. Itaque error typographo tribuatur, aut non potest excusari Florens, quin gravissime lapsus fuerit.

[1] Difficile enim erat populum Atheniensem libertate privare post annos centum à Tyrannis sublatis.

Pag. 483.

Καὶ ταῦτα μόλις ξενίας φεύγων	*Atque id per demensa pusilla*
Ἔλαβες κατὰ χοίνικα κριθῶν.	*Vix persuasi te indigenam esse.*

Ad hæc sic Scholiastes: [2] πέρυσι γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Ἱππάρχου ἐστράτευσαν ἐφ' αὐτὴν ὡς Φιλόχορος, μήποτε ἢ περὶ τῆς Αἰγυπτίου δωρεᾶς ὁ λόγος, ἣν Φιλόχορος Ψαμμέτιχον πέμψαι τῷ δήμῳ ἐπὶ Λυσιμαχίδου. De hac largitione facta ante annos viginti tres non est verisimile intellexisse Aristophanem. Nam Lysimachides fuit Archon anno 4 Olymp. 83. Cæterum pro Ἱππάρχου lege confidenter Ἰσάρχου, nam vox πέρυσι id evincit: anno enim ante Aminiam fuit Archon Isarchus. Hoc etiam loco animadvertenda est insignis hallucinatio Florentis Christiani, qui putat Psammetichum illum, de quo hîc Scholiastes, qui Lysimachide Archonte largitus est frumentum Atheniensibus, fuisse eundem, de quo Herodotus scribit in Euterpe, cum Azotum longissima obsidione cepisse, & putat Christianus eum vixisse tempore pestilentiæ, quæ Athenas vexavit sub Pericle. Eam tamen pestilentiæ epocham præcessit Psammetichus ille annis circiter 150, nec potuit esse alius Psammetichus Inari pater. Nam Inarus jam regnabat anno post Salaminiensem pugnam octavo secundum Eusebium. Forte fuit alius Psammetichus ejus Inari filius, ut sæpe avorum nomina in nepotibus repetuntur.

[2] Anno enim superiore Hipparchò Archonte exercitum moverunt in eam, ut ait Philochorus, forte vero de dono Ægypto misso mentio fit, quod Philochorus ait missum populo à Psammeticho Lysimachide Archonte.

Pag. 485.

— ποῦ μου ψυχή.	*Vbi nunc animus?*
Πάρες ὦ σκιερά.	*Vmbra recede. haud*
Μὰ τὸν Ἡρακλέα.	*Hercule sirim,*

Vt

Μὴ νυῦ ἔτ' ἐγὼ 'ν τοῖς δικαςαῖς	*Vt judicum ab albo eximar, & non*
κλέπτοντα Κλέωνα λάβοιμι.	*Damnem improba furta Cleonis.*

Hæc verba male ab interprete intellecta & Latine versa, sic interpretanda sunt: *ubinam est anima? huc ades ô umbratilis* (id est, latitans) *Certe nunc cum judicibus sedens Cleonem de furto vix convincerem.* Id est, adeo sum amens & stupidus, ut non possem Cleonem furti convincere in judicio, licet sit fur manifestus.

Pag. 488.

Κἀγὼ 'νέκαμψα. | *Trusi in os.*

Schol. intelligit ἐνέκαψα, & sic legisse videtur, & interpretatur ἐνέθηκα τῷ στόματι, optimo quidem sensu: utebantur enim sæpe ore ad nummos servandos, ut videmus simias facere. Sed & nihil mutando ἐνέκαμψα optimum sensum habet, id est, *inflexi, incurvari dentibus*, ad explorandum scilicet, an probus esset nummus.

Pag. 493.

Γεῖτον 'Αγυιεῦ. | *Vicine Agyeu.*

Ad hæc Scholiastes: [1] περὶ τοῦ Ἀγυιέως Ἀπόλλωνος ἰδίως Εὐτυχίας οὕτω γράφει, ἐν δὲ τῷ ἰατρῷ τοῦτο διαμένει ἔτι καὶ νῦν. Hunc locum manifesto corruptum sonare aggressus est Maussacus in suis ad Harpocrationem notis, sic legens, Διευχίδας οὕτω γράφει, ἐν δὲ τῷ τρίτῳ τοῦτο διαμένει, & hæc ultima interpretatur, *in tertio libro ejus extat aut legitur.* Sed non omnino acquiesco ejus emendationi. Primum quod ad nomen proprium Historici attinet, id nomen, si quod aliud varie profertur apud auctores, verum est Diogenem Laërtium in Solone eum Διευχίδαν vocare, & eum sequuti sunt Clemens Alexandrinus stromat. 1. & Stephanus in Σκύφαι & Harpocration in Ἀγυιᾶς, quibus calculum suum addit Gerardus Vossius nostri seculi lumen: at Scholiastes Apollonii ad Argonaut. lib. 1 Διερχίδαν habet, pessime. Pindari vero Scholiastes optime (meo quidem judicio) profert Διατυχίδας. Quare id nomen nobis magis arrideat, rationes proferam. Auctor ille Megarensis scripserat Μεγαρικῶν plures libros, & sæpe in Megaricis citatur ab auctoribus. Id nomen Doricum sonat, & hic locus Aristophanis Scholiastæ, qui Εὐτυχίας habet, mihi suadet id nomen ex voce τύχη compositum fuisse, ut id profert Pindari Scholiastes. Διατυχίδας rationem compositionis

[1] *De Apolline Aguyeo speciatim Eutychias sic scribit, in iatro autem remanet etiam adhuc.*

habet pulchram à felicitate dictam. Διευχίδας vero nihil vel parum proprium ad nomen hominis significat. Itaque quando incertum est, quomodo proferri debeat id nomen, fruatur quisque suo judicio, ego vix dubito Διευτυχίδας debere præferri. Secundo in Maussaci emendatione non possum concoquere διαμένει in eo significatu accipi debere, quem illi verbo tribuit Maussacus. Nam omnes antiqui critici semper utebantur verbo κεῖσθαι. Sic κεῖται παρ' Ἡροδότῳ, κεῖται παρ' Ἀριστοτέλει, unde cognomen antiqui critici, qui dictus est Κειτουκεῖτος, eo quod identidem interrogatus de quadam voce minus usitata respondebat κεῖται. Itaque tentabam aliter emendare, sic: περὶ δὲ Ἀγυιέως Ἀπόλλωνος, Διευτυχίδας οὕτω γράφει, & postea verba auctoris credo sequi sic: ἐν δὲ τῷ ἰατρείῳ τοῦτο διαμένει καὶ ἔτι καὶ νῦν ἐστί. nam loquitur de Apollinis Agyæi statua, quæ erat Megaris, & dicit esse in Medicorum Schola, & adhuc suo tempore durare. Διαμένει in hoc sensu multo melius quadrare videtur. Nullibi certe Apollinis simulachrum medicinæ inventoris melius locari poterat, quam in medicorum Schola. Fuit quando putabam reponi debere θεάτρῳ, sed eo quod Pausanias in recensione publicorum operum, quæ Megaris extabant suo tempore, nullam de Theatro fecit mentionem, & verisimile omnino videtur Dieutychidam in loco citato tractasse de Megaris, quoniam Megarica scripserat, mutavi sententiam, & minima mutatione lectionem Ἰατρείῳ prætuli. Cæterum non attigit Maussacus, quod in residuo hujus fragmenti Dieutychidæ sanandum erat ulcus in his vocibus: τοῖς δ' ἐπὶ τὰς στρατιὰς φάσματος οἱ Δωριεῖς μιμούμενοι τὰς ἀγυιάς, ἱστᾶσιν ἔτι καὶ νῦν τῷ Ἀπόλλωνι. Quæ, ut sunt, nihil commodi sensus habent, sed levi mutatione sic emendari debere puto: τοῖς γὰρ ἐπὶ τὰ τᾶς στρατιᾶς φάσματα, οἱ Δωριεῖς τιμώμενοι τὰς ἀγυιάς, ἱστᾶσι, id est, *his enim in exercituum eductionibus Dores ornantes vicos ea statuunt.* De Apollinis simulachris nempe loquitur, & Megarice, id est, Dorice loquitur. Quod si cui videtur insolens ea significatio vocis φάσματα, discat esse phrasin Doribus peculiarem. Nam quoties Xenophon de eductionibus exercituum Spartanorum loquitur, semper utitur ea Laconica phrasi φαίνειν στρατιάν, unde φάσμα στρατιᾶς apud Lacones, Megarenses & alios Dorici generis nihil aliud est quam eductio exercitus.

Pag. 562.

Μὴ πέσῃ φαύλως. | *Ne cadant prave.*

Ad quæ Scholiastes: [a] φυλάττεσθε φησὶ μὴ ἐκφαυλισθῆναι τὴν διδασκαλίαν

[a] Cavendum ait, ne in vanum cadat didascalia hujus dramatis: nam uno ante anno, cum primas Nebulas docuisset, abjudicatus est.

δασκαλίαν οὐ δεδράμακε τούτου, καὶ γὰρ πρὸ ἑνὸς ἐνιαυτοῦ τὰς πρώτας Νεφέλας διδάξας ἀπεκρίθη. Ex his verbis firmatur ſententia de tempore didaſcaliæ hujus dramatis. Nam ſi uno anno prius prodierunt primæ Nebulæ, quæ (ut demonſtratum eſt) recitatæ ſunt Iſarcho Archonte, ſequitur hoc drama prodiiſſe Aminia Archonte, qui Iſarchum excepit. Sed ex hoc loco & Scholiaſtæ hac nota ſupra induximus ſecundas Nebulas non prodiiſſe Aminia Archonte, ut volunt.

Pag. 503.

Ὅτε πρῶτον ἦρξε διδάσκειν. | *Cum primitus ipſe doceret.*

Ad hæc Chriſtianus: *Equites fabulam innuit, quam primam docuiſſe Ariſtophanem teſtantur didaſcaliæ.* Affirmat, quod Scholiaſtes quidam non de meliore nota dubitando proponit: [1] δηλοῖ ὅτι αἱ διδασκαλίαι ἴσως φέρουσι τοὺς Ἱππεῖς πρώτους ὑπ' αὐτοῦ καθιεμένους. περὶ Κλέωνος γὰρ αἰνίσσεται. Sed plus affirmat, nam vult fabulam Equites primam omnium Ariſtophanem docuiſſe. Sed Δαιταλῆς fuit prima ejus fabula, Babylonii vero ſecunda, ut abunde probavit doctiſſimus Samuel Petitus, ad quem te remitto lector. Id vero hîc non dicit Scholiaſtes Equites primam omnium prodiiſſe: nam vox πρώτους refertur ad Veſpas fabulam, de qua agitur, de quo ordine non debebat dubitare, & addere ἴσως.

[1] Innuit, quod didaſcaliæ forte aſſerunt Equites primum ab eo inductos fuiſſe, de Cleone enim per ænigma loquitur.

Pag. 504.

Πέρυσιν. | *Anno præterito.*

Ad hanc vocem Scholiaſtes: [2] πέρυσι γὰρ τὰς νεφέλας ἐδίδαξεν, ἐν αἷς τοῦ περὶ Σωκράτην ἐκωμῴδησε. Rurſus & ex hoc loco patet, Veſpas prodiiſſe anno, quo dictum eſt ſupra, ſcilicet Aminia Archonte, & Nubes non prodiiſſe eo anno ſecunda vice, aliter illud addidiſſet.

[2] Anno enim ſuperiore Nebulas docuit, quibus Socratem traduxit.

Ibidem.

Πατέρας δ' ἦγχον. | *Suffocabant patres.*

Ad hæc Chriſtianus: *annus erat, cum docuerat ſecundas Nebulas Ariſtophanes, Archonte Aminia.* Aſſerit, quod antiqui Scholiaſtæ non audent aſſerere; dubitant enim, num prodierint ſecundæ Nebulæ, quando ajunt ſecundarum Nebularum didaſcaliam non extare. In computo Chriſtiani nihil eſt ſani, & quæ ſequuntur, ubi Æliani commentum ſequitur, explodenda ſunt.

Pag. 516. Scholia.

Τηλεκλείδης καὶ Φραντίδης.

Mauſſacus in diſſertatione Critica pag. 394. legit Ἐκφαντίδης, eum vide.

Pag. 518. Scholia.

Τὴν δὲ χώραν τὴν Διακρίαν Πανδίονα φασὶ τοῖς υἱοῖς διανείμαντα, τὴν ἀρχὴν Λύκῳ δοῦναι.

Supra ad Herodotum pag. 3 pluribus docui hunc locum à mala diſtinctione laborare, & mutando σημ. legendum διανείμαντα τὴν ἀρχὴν, ea repetere ſuperfluum foret.

Pag. 526.

Χρυσομηλολόνθιον. | *Lucani fulvi pumile.*

Scholiaſtes & poſt eum Chriſtianus intelligunt id inſectum volatile, quod vernacule dicimus *un haneton*, & ſine dubio id ſignificat μηλόλονθος. Sed quoniam additum eſt χρυσο, ea protheſis mihi ſuadet debere intelligi aliud inſecti genus ſimile & illud melolontho & ſcarabæo. Sed coloris elegantiſſimi viridis cum aureo fulgore. Id inſectum roſas præcipue ſectatur, & alibi raro invenitur.

AD

FABVLAM ΕΙΡΗΝΗ.

Acta anno 13 belli Peloponneſiaci Aſtyphilo Archonte Olympiade 90. In Dionyſiis τοῖς κατ' ἄστυ.

De tempore, quo prodiit drama Εἰρήνη, nihil dixerunt, qui argumenta fabulæ prætexuerunt, nec ipſi Scholiaſtæ. Nihil igitur de ea invenerunt in antiquis didaſcaliis. Reſtat igitur, ut ex iis, quæ in ipſa fabula reperiuntur, eruamus probationes, quibus noſtra de hujus fabulæ didaſcalia ſententia firmetur, quod fiet infra in noſtrarum notarum progreſſu, & huc uſque à Samuëlis Petiti calculo non receſſimus, imo ad ejus probationes alias adjecimus: in hac vero fabula non poſſumus ejus ſententiæ aſtipulari, noſtras conjecturas prius uno tenore proponemus, poſtea vero in fine hujus capituli, antequam ad aliam fabulam tractandam accedamus, conjecturas ejuſdem

ejusdem Petiti accurato examine explorabimus, & causam dissensus nostri adducemus.

Pag. 627.

— κατ' αὐτῷ δ' ἀνὴρ	*Dein vir suggeret*
Ἰωνικός τις φησὶ παρακαθήμενος.	*Assessor illi tale quiddam Ionicus.*

Ex hoc loco inducor, ut credam Dionysiis τοῖς κατ' ἄστυ vernis prodiisse hanc fabulam. Nam Lenæis Liberalibus aderant soli Athenienses, eo quod hieme celebrabantur, quod dixit Aristophanes supra in Acharnensibus,

[1] Οὐ γὰρ με καὶ νῦν διαβαλεῖ Κλέων, ὅτι
Ξένων παρόντων τὴν πόλιν κακῶς λέγω.
Αὐτοὶ γάρ ἐσμεν, κ' οὐπὶ Ληναίῳ τ' ἀγών.

Cum igitur hîc dicat Jovem quemdam astare, verisimile est Liberalibus vernis eam fabulam actam fuisse, quando jam mari aperto navigabant Iones Athenas. Nam, ut ait Scholiastes ad fabulam Aves pag. 572, [2] τῷ ἔαρι ἐν ἄστει ἐπλῆθη τὰ Διονύσια.

Ibidem.

Τὴν πάτταλον ἐσθίει.	*Vesceretur stercore.*

Scribe ἐσθίεν, augmento Ionice sublato. Ionem enim introducit hoc dicentem: præsens tempus autem ἐσθίει non convenit Cleone pridem mortuo, ut ex pluribus fabulæ locis colligitur.

Pag. 631.

— Γράψομαι,	— *Inscribam dicam,*
Μηδοισιν αὐτὸν προδιδόναι τὴν Ἑλλάδα.	*Medisque dicam prodere illum Græciam.*

Ad hæc sic Scholiastes: [3] τοῦτο δὲ λέγει, ὅτι Λακεδαιμονίοις ἐβοήθουν οἱ Πέρσαι ἐν τῷ πολέμῳ τῷ Πελοποννησιακῷ. Nescio, quid dicat hic Scholiastes πονηροῦ κόμματος. Nam anno tantum 20 ejus belli prima fœdera icta sunt inter regem & Lacedæmonios, ut narrat Thucydides lib. 8.

Pag. 637.

Καὶ ἔλθοιεν οἱ Λάκωνες εἰρήνης πέρι.	*Et venerit pro pace legatus Laco.*

Ex his verbis colligitur hoc drama prodiisse post legationem Lacedæmoniorum super captivorum liberatione ab Atheniensibus refutatam.

Pag. 638.

[1] *Non enim me nunc calumniabitur Cleon, quod Extraneis præsentibus de urbe male loquor, Soli enim sumus, & in Lenæo fit certamen.*

[2] *Vere in urbe celebrabant Liberalia.*

[3] *Hoc dicit, eo quod Persæ auxiliabantur Lacedæmoniis in bello Peloponnesiaco.*

Pag. 638.

Ἰὼ Πρασιαὶ τρισάθλιαι.	*Ter Io quaterq; misera Prasia.*

Prasiæ urbs Laconica in finibus Epidauriorum τῶν λιμηρῶν vastata & desolata fuit ab Atheniensibus anno 2 belli Peloponnesiaci. Thucydides lib. 2.

Ibidem.

Ἴω Σικελία, καὶ σύδε ὡς ἀπόλλυσαι	*Io ut occidisti & tu ferax Sicania!*
Οἵα πόλις τάλαινα διακναισθήσεται.	*Heu qualis urbs misella furt im dissperit?*

Hæc intelligi debent de Leontinorum civitate, quæ à Syracusanis male affecta est, ad quam miserunt copias auxiliares Athenienses anno 5 ejusdem belli, quod ait Thucydides lib. 3, ne quis Poëtam loqui putet de clade ad Syracusas accepta multis postea annis.

Pag. 641.

— Ἐς τἀπὶ Θρᾴκης χωρία	*Thraciam versus plagam.*
Χρήσαντες ἑτέροις αὐτὸν εἶτ᾽ ἀπώλεσαν.	*Legatus aliis ferre suppetias, perit.*

Brasidæ mortem innuit, qui periit ad Amphipolim anno 10 belli Peloponnesiaci. Thucyd. lib. 5. Ad hæc ita Scholiastes: [1] μονομαχήσαντες ὁ Κλέων καὶ Βρασίδας, ἀλλήλους ἀνεῖλον. Non tam honorifice de Cleone Thucydides: nam secundum eum periit Cleon fugiens Peltastæ cujusdam Myrcinii manu; sed iste Scholiastes multam ignorantiam prodit.

[1] *Pugnantes singulari duello Cleon & Brasidas sese mutuo occiderunt.*

Pag. 642.

Πρὶν ἕτερον αὖ δοίδυκα κωλύσῃ τινά.	*Pistillus illud antequam alius porceat.*

Alcibiadem proculdubio intelligit, qui anno 13 belli Peloponnesiaci vere ineunte Argos profectus est, & inde assumptis sociis ad Patras usque pervenit, & Patrensibus persuasit, ut muros usque ad mare extenderent, & alia præparabat ad bellum contra Lacedæmonios. Thucyd. lib. 5.

Pag. 653.

Ἢ δοῦλος αὐτομολεῖν παρεσκευασμένος.	*Quique esse servum & transfugam sese parat.*

Super his sic ariolatur Scholiastes: [1] πάλιν πρὸς Ἀλκιβιάδην, ἐπεὶ πρὸς Λακεδαιμονίους φυγὼν, αἴτιος ἐγένετο τοῦ Δεκέλειαν αὐτοὺς ἐπιτειχίσαι. Nullam habet rationem temporis hic Scholiastes. Nam hæc multo post evenerunt. Sequitur hunc errorem etiam Christianus. Sed fugæ servorum evenerant & Helotarum ad Pylum, ut testatur Thucydides lib. 5. [2] αὐτομολούντων τε τῶν εἱλώτων, & proculdubio etiam Athenis, dum Peloponnesii ad Acharnas & alios Atticæ pagos castra habebant. Quæcunque ad hunc locum notavit Christianus, nullius sunt momenti, & dum putat servum ηὐτομοληκότα vocare, nugas agit; nec melior Scholiastes, qui falso scribit Aristophanem in Nubibus dixisse Cœsuram esse servam, & ut uno verbo dicam futilis omnino & nullius pretii est ille Scholiastes, quem proculdubio rejecisset Marcus Musurus, si huic editioni præfuisset. Suspicor quendam neotericum Græculum tamquam antiqua Scholia, sua deliramenta nobis obtrudisse. Nam Marcus ille Musurus vir doctus in septem primas comœdias tantum Scholia antiqua compilavit numerando scilicet eodem ordine, quo editæ sunt, ut ad finem Scholiorum ad Ὄρνιθας scriptum est.

[1] Rursus Alcibiadem innuit, quando is ad Lacedemonios fugiens caussa fuit Deceleam muniendi.

[2] Deficientibus Helotis.

Pag. 655.

Οὐδ᾽ οἶδέ γ᾽ εἷλκον οὐδὲν Ἀργεῖοι πάλαι,	*Ac nil trahebat prorsus olim Argiva gens,*
Ἀλλ᾽ ἢ καταγέλων τῶν ταλαιπωρουμένων.	*Risuque clades differebat bellicas.*

Apposite hæc dicuntur ad annum didascaliæ à nobis assignatum. Nam anno 13 belli Peloponnesiaci pacem turbabant Argivi illato Epidauriis bello cum mille Atheniensibus auxiliariis. Thucyd. l. 5.

Ibidem. Scholia.

Ἐπὶ τοῦ Ἀλκμεαίωνος.

Lege, ἐπὶ τοῦ Ἀλκαίου, ex Thucydide lib. 5, Diodoro, Athenæo, & aliis.

Pag. eadem.

— ὅσοι γ᾽ αὐτῶν ἔχονται τοῦ ξύλου,	*Quos revinctos nervus & cippus tenent,*
Μόνοι προθυμοῦντ᾽, ἀλλ᾽ ὁ χαλκεὺς οὐκ ἐᾷ.	*Hoc postulare solos si custos sinat?*

Hic rursus delirat Scholiastes, qui ἔχονται τοῦ ξύλου intelligit de iis,

qui è Pylo fuerant adducti, captivis, & ad hæc, ὁ χαλκεὺς οὐκ ἐᾷ ita commentatur: ὅτι ἐδέδεντο, καὶ περιέκειντο αὐτοῖς πέδαι. Florens Christianus vero ἔχοντες τὰ ξύλα interpretatur de cippis ligneis captivorum, & Χαλκεὺς Cleonem putat significare, longissime à vero aberrantes. Nam Cleon pridem mortuus erat, ut ex ipsius dramatis verbis colligi demonstrabimus. Ergo simpliciter per eos, qui ἔχοντες τὰ ξύλα, intelligit ξυλουργοὺς, qui aratra, ligones, rastros, & alia pacis & arationis instrumenta faciebant, & ideo pacem expetebant, ideo quod eorum artes in pace magis expetitæ & lucrosæ. At χαλκεὺς, cujus ars arma fabricabat, pacem impedire volebat, ne suum lucrum cessaret; & ea expositio firmatur ex iis, quæ satis facete de Athenienſium fabris & artificibus ait hac eadem fabula:

> [1] Ἐχθρὸν γὰρ τὸν λοφοποιὸν οὐχ' ὁρᾷς
> Τίλλονθ' ἑαυτὸν, ὁ δὲ καὶ τὰς σμινύας ποιῶν
> Πέπορδεν ἄρτι τοῦ ξιφουργοῦ κρονί.

Sensus planus est. Posset etiam aliquis non inepte interpretari, οἱ ἔχοντες τὰ ξύλα, magistratus, qui manum admovent gubernaculo reipublicæ: nam & eodem loquendi genere utitur infra in Lysistrate,

> Τίς συλλάβοιτ' ἂν τὰ ξύλα τῶν ἐν Σάμῳ στρατηγῶν;

Id est, *quis manum admovebit gubernaculo? vel, quis negotia capesset?* Sed prior interpretatio est simplicior, & magis obvia, & ut reor, is fuit sensus Poetæ. Facessat ergo ea de captivis è Pylo adductis interpretatio, qui statim post fœdus initum anni undecimi initio liberati fuerant, ut patet ex Thucydide lib. 5, qui sola fax in iis negotiis: quod si nesciunt vocem mediam ἔχομαι transire sæpe in activam significationem, & ἔχεσθαί τινος significare *tenere aliquid*, vel *adhærere alicui*, næ illi ignorantes Hellenismi censeri debent.

[1] Illum enim Cristarum factorem non vides Seipsum vellicantem: ille vero, qui ligones facit, Pepedit nuper in hunc ensium fabrum.

Pag. 666. & 667.

Φειδίας. | *Phidiam.*

Ad hanc vocem Scholiastes: [2] Φιλόχορος ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ταῦτά φησι, καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ χρυσοῦν &c. & paulo post: [3] τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἠλείων ἐπὶ Σκυθοδώρου, ὅς ἐστιν ἀπὸ τούτου ἕβδομος. In nominibus Archontum erratum est. Primo loco rescribe Φιλόχορος ἐπὶ Θεοδώρου. Secundo loco ὑπὸ Ἠλείων ἐπὶ Πυθοδώρου. Nam ex Diodoro, Eusebio, & ipso Scholiaste antiquo supra pag. 374 constat legendum Θεόδωρον primo loco, septem annos ante belli Pelopon. initium, quo tempore Pythodorus fuit Archon, iisdem auctoribus & ipso Thucydide libri 2 initio, & rursus pag. sequente,

[2] Philochorus Pythodoro Archonte hæc facta ait, & statuam auream.

[3] Hoc opus cum fecisset, morti addictus est ab Heleis Schytodoro Archonte, qui ab illo est septimus.

ſequente, ubi legitur, ὡς Φιλόχορος φησὶν ἐπὶ Πυθοδώρου, lege ἐπὶ Θεοδώρου.

Pag. 670.

Ὁ Βυρσοπώλης. | *Pellio.*

Ad hæc Scholiaſtes: [1] ἐπεὶ μάλιστα ὁ Κλέων ἐνίστατο τῇ εἰρήνῃ· σεσημείωται δὲ, ὅτι νεκροὺς κωμῳδεῖ, διὸ ἐπειδὰν ἐμνήσθη αὐτοῦ ὁ Ἑρμῆς, παῦε, παῦε, φησὶν ὁ Τρυγαῖος, ἀποθανὼν γὰρ ἦν, καὶ οὐκ ἐξῆν τεθνηκότας κωμῳδεῖν. Hic Scholiaſtes eſt de meliore nota, & multo melius de hujus dramatis tempore cenſet, & jure ab alio diſſentit, & à Florente Chriſtiano, qui Χαλκεὺς interpretatur Cleon. Cæterum fallitur iterum idem Florens hoc loco, qui Cleonem fuiſſe oriundum Paphlagonia putat; non enim ideo vocatur Παφλαγὼν ab Ariſtophane, ſed ridiculi gratia eum ſic vocat ἀπὸ τοῦ Παφλάζειν, quod eſt æſtuare, tumultuari, ſtrepitum edere.

Pag. 682.

Μηχανοδίφας. | *Machinicrepas.*

Ad hoc verbum Scholiaſtes: [2] Ξενοκλῆς γὰρ ὁ Καρκίνου δοκεῖ μηχανὰς καὶ τερατείας εἰσάγειν ἐν τοῖς δράμασι. Πλάτων Σοφισταῖς. Ξενοκλῆς ὁ δωδεκαμήχανος ὁ Καρκίνου παῖς. Non tetigit Scholiaſtes cauſam joci Platonici. Nam alluſit ad nomen meretricis cujuſdam famoſæ, quæ δωδεκαμήχανος vocabatur, ob varia σχήματα & multiplicem patientiam, de qua infra in Ranis pag. 274 & ibi Schol. Nomen Scorti erat Cyrene, de qua etiam Suidas in δωδεκαμήχανος. Traduxit igitur Plato Xenoclem antagoniſtam ad populum, eo quod machinas inducebat in Theatrum, plures more tragicorum, & nomine ejus Scorti vulgo noti eum ridicule vocavit.

Pag. 691.

Ἐπὶ γῆς παλαίειν. | *Luctari arena.*

Utitur verbis gymnaſticis. Nam athletæ luctatores inſtruebantur etiam ad luctæ ſpeciem, quæ inter eos, qui humi ceciderant, fiebat, ut adverſarium ſcilicet ſubter ſe ponerent ipſi ſuperiores, & docebantur [3] σοῦ χαμαὶ τρόπους, ſic enim vocabantur.

Pag. 697.

Οἱ σοῦ τρυχόμετ' ἤδη	*Quos tuus annos jam torſit amor*
Τρία καὶ δέκ' ἔτη.	*Tres atque decem.*

[1] *Quoniam Cleon multum adverſabatur paci. Notandum eſt autem quod mortuos traducit, & ideo, quoniam de eo meminit Mercurius, Ceſſa, Ceſſa, ait Trygæus: mortuus enim erat, & non licebat mortuos inſectare in comœdia.*

[2] *Xenocles Carcini filius videtur machinas quaſdam & prodigia in Theatrum induxiſſe. Plato in Sophiſtis. Xenocles duodecimachiniſta filius Carcini.*

[3] *Humi modos.*

 Intelli-

Intellige *σοῦ πόθῳ, tui desiderio.* nam Pacem alloquitur. Ex hoc loco manifestum est hoc drama prodiisse anno 13 belli Peloponnesiaci, & incassum objiciunt pacem & societatem factam esse anno undecimo. Nam id dubium solvit Thucydides lib. 5. [1] ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τοῦ ξύμπαντος ἐγένετο τοῦ πολέμου ἑπτὰ καὶ εἴκοσι, καὶ τὴν διὰ μέσου ξύμβασιν, εἴ τις μὴ ἀξιώσει πόλεμον νομίζειν οὐκ ὀρθῶς δικαιώσει.

[1] *Anni universi belli fuerunt viginti septem, & quod inter eos factum est fœdus, si quis putet annumerari debere bello, non recte judicat.*

Pag. 708.

Οὐ γάρ ἐστιν ἥδιον ἢ τυχεῖν μὲν ἤδη σπάρματα,	*Nam nihil suavius quam consequi quæ jam sata,*
Τὸν θεὸν δ' ἐπιψεκάζειν.	*Quæque cum Deus rigarit.*

Doctissimus Bisetus & conjector sagacissimus & qui ubique alibi Comici sensum optime capit, non mihi videtur hoc loco intellexisse, quid velit Aristophanes. Sic enim interpretatur: οὐδὲν ἐστὶν ἥδιον, ἢ τὸ τῶν μετὰ πόνου καὶ ἐπιμελείας πρῶτον γεωργημένων καὶ ἤδη ἐσπαρμένων ἐν καιρῷ τυγχάνειν καὶ ἀπολαύειν. *nihil dulcius quam iis, quæ ante arata & seminata sunt, in suo tempore frui.* Quod quidem verum est, sed hic non est sensus verborum Poëtæ. Sed sic, *nihil enim est dulcius, quam habere sementem jam factam, & Iovem imbrem roscidum immittere.* Itaque bonæ spei dulcedinem celebrat, quæ sæpe ipsam fruitionem æquat vel superat.

Ibidem.

Ἐπειδὴ παρδακὸν τὸ χωρίον.	*Cum sit uda tellus imbribus.*

Strabo legebat suo tempore: πορδακόν. sic enim ille lib. 13. [2] Σὺν πορδάκοισιν ἐκπεσόντες ἱμᾶσιν, ἀντὶ τοῦ διαβρόχοις: καὶ ἐν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ — Πορδακὸν τὸ χωρίον. τὸ λιμνάζον. Ubi non dubito, quin de hoc loco intelligat, licet Henricus Stephanus in πορδακὸν citet Strabonem ex Simonide, quod est ejus μνημονικὸν σφάλμα: nam nullus Simonides inter comicos recensetur, licet plures eo nomine numeret Suidas, quorum præcipuus fuit Lyricus Poëta, qui citatur à Scholiaste ad hunc locum, sed qui παρδακὸν dixerit, non πορδακόν.

[2] *Cum pordacis corrigiis, id est, humectatis. & in antiqua comœdia, Pordacus est locus, id est, palustris.*

Pag. 710.

Βάμμα Σαρδιανικόν.	*Infectum Sardianicum.*

Ad hanc notam male posuerunt Scholiastæ notam, quæ sic habet: διαφέρουσι γὰρ αἱ Κυζικηναὶ βαφαί, nam hæc nota ponenda erat ad versum sequentem, ad has voces βάμμα Κυζικηνικόν. Cæterum ad hæc verba φοινικίδ' ὀξεῖαν πάνυ, quæ extant in superiore versu, notat Christianus lepido ab se commento: *quod autem ait* Κυζικηνὸν βάμμα,

μα, tangit false ducem, puta Cleonymum, quem ὀξυκέφαλον vocat, cum ait ὀξεῖαν φοινικίδα, deinde objicit illi κιναιδίαν erant autem Cyziceni infames illa libidine & volsura. Subtiliter certe, ne dicam evanide: nam per ὀξεῖαν φοινικίδα nihil aliud intelligit comicus, quam tunicam vel chlamydem acutissimi coloris (nam quod Scholiastes interpretatur ὠξυκεφαλαίαν, non ego credulus illi, alibi enim non invenitur) & βάμμα Κυζικηνικὸν intelligit purpuram dilutam & ad pallorem inclinantem, pallor enim est pavoris indicium. Ducem igitur illum ut meticulosum arguit, qui cum opus erat pugnare, pallidus ob timorem fiebat.

Pag. 711.

Ἔθει τὸ κακὸν βλέπων ὀπὸν.	*Cursitat pessimum virus videns.*

Multa dixit Florens Christianus ad hunc locum, sed scopum non attigit. Bisetus vero ad verum sensum nobis præluxit, dum [1] κακὸν ὀπὸν δριμύτητα καὶ πικρότητα interpretatur. Ergo κακὸν ὀπὸν βλέπων nihil aliud est, quam βλέπων δριμύ. Sic in Ranis pag. 238. [2] ἔβλεψεν εἰς ἐμὲ δριμύ. Et in Concionantibus βλέπειν ἀποτεθρίμμα, & alibi βλέπειν ὀρίγανον, & βλέπειν κάρδαμα.

[1] *Malum succum asperitatem & amaritudinem.*
[2] *Inspexit me aspere.*

AD
ARISTOPHANIS AVES.

Anno 18 belli Peloponnesiaci in Dionysiis τοῖς κατ' ἄστυ Chabria Archonte Olymp. 91. anno 2.

Quicunque sint illi, qui Avium hypotheses Græce scripserunt, optime de ejus fabulæ didascaliæ tempore pronuntiarunt. Sed is, qui secundam hypothesin scripsit, postquam eam Chabria Archonte prodiisse in urbe recte asserit, pessime addit eo tempore classem Atheniensium in Sicilia periisse, Lamachum & Niciam jam mortuos esse, & Agin ex Decelia Atticam infestasse, & in eo se prodit ἀνιστόρητον, & qui rationem temporum non curabat: nam annis duobus postea vel paulo minus sub Cleocrito Archonte ea clades evenit. Sed antequam ex ipsius fabulæ locis fidem huic epochæ adstruamus, aliquid dicendum est ad refellendam eam insulsam & falsam Chronologiam, Et primum Aristophanes nec plane nec æni-

gmatice in tota fabula de clade Syracuſana loquitur, quod mirum foret. Sed & periculoſæ plenum opus aleæ fuiſſet tale negotium in Theatrum inducere. Nam ſi mulctam graviſſimam paſſus eſt Phrynichus ille, qui Mileti excidium coram populo repræſentavit, qualem mulctam putamus meritum fuiſſe Ariſtophanem, ſi de Athenienſium calamitate fabulam feciſſet, & riſum ciere voluiſſet in re, quæ omnium lachrymas merebatur? eam igitur opinionem, ut falſam, & non ſolum à vero ſed etiam à veriſimili abhorrentem, rejicimus, & cum ſanioribus aſſerimus hanc fabulam ſcriptam fuiſſe non multo poſt Alcibiadis fugam, & eo potiſſimum tempore, quo Spartæ agens ad muniendam Deceleam Lacedæmonios hortabatur, quod conſilium vel ridet comicus noſter, vel potius monet Athenienſes, ut ad tale negotium animos advertant, & ſic eos à bello Siculo oblique dehortatur, favens, ut ſemper Niciæ & forte ab illo inductus, qui bellum illud Siculum jam ab initio averſabatur, & ejus belli ducatum omnino recuſabat, ut patet ex Thucydide. Quod caute admodum exequitur in hac fabula nullam de Siculo bello imminente mentionem faciens, ne populum offenderet in id maxime propenſum. Sed per ſuam νεφελοκοκκυγίαν, Deorum incommoda graphice repræſentans, & calamitates, quibus Athenas & Atticam vexaturi erant Lacedæmonii, ſatis clare innuens, ſi Decelia ſecundum Alcibiadis conſilium & rumores, qui de illo negotio tunc maxime vigebant, in eorum vicinia muniretur. Nunc ad ipſam fabulã accedamus.

Pag. 545.

Τροχίλος ὄρνις οὑτοσί. | *Trochilus avis hic.*

Scholia. ἔστι δὲ ὄρνεον καὶ τρόχιλος καὶ λέγεται εἶναι δριμύ. Ergo non eſt ea avicula, quam Gallice vocamus *Roitelet*, licet multi ita cenſeant: nam quæ poteſt aſperitas in tam exiguo animali notari? Tum Herodotus lib. 2 ait avem τρόχιλον hirudines in ore crocodili ſorbere, quod non convenit ori tam exiguo. Tum Ælianus de animalibus lib. 8 cap. 25 ait eſſe paluſtrem avem.

Pag. 546.

Οὐκ, ἀλλὰ τὸν χειμῶνα πάντα τὰ ὄρνεα πτερορρυεῖ.	*Non, ſed hieme omnes aves detrahunt pennas.*

Hæc quidem conſonant tempori aſſignato hujus fabulæ didaſcaliæ. Nam ſi Dionyſiis urbicis prodiit, vere ineunte, hiems nuper finita erat.

erat. Sed non consonant naturæ avium, quæ æstate pennas mutant, ut nunc notum est omnibus, qui artem falconariam aut accipitrariam exercent. Ignorabat igitur avium naturam Aristophanes.

Pag. 547.

— ἵν' ἀνακύψεται Κλητῆρ' ἄγουσα ἕωθεν ἡ Σαλαμίνια.	— *Vbi reflectitur Vocatum ducens mane Salaminia.*

Innuit hoc loco proculdubio Alcibiadis calamitatem, quem ad bellum Siculum missum populus missa Salaminia navi revocavit, ut judicium capitis subiret, quod evenerat anno 17 belli Peloponnesiaci, ut narrat Thucydides lib. 6.

Pag. 549.

Λίμῳ Μηλίῳ.	*Fame Melia.*

Scholia. *ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς κατὰ πάντων Μηλιέων Νικίαν πέμψαντες.* Lege Μηλίων. nam Μηλιεῖς erant ii, qui habitabant ad sinum Meliensem seu Maliacum è regione Eubœæ. At Μήλιοι ii, qui insulam Melum incolebant in Ægæo, de quibus hic loquitur: eos enim uno anno antea Nicias oppresserat fame ad deditionem coactos. Cæterum nota ignorantiam unius è Scholiastis, qui Melum facit Thessaliæ urbem, quam fame obtinuit Nicias, &, quod lepidum est, Thucydidem citat auctorem.

Pag. 550.

Ἔπειτ' ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα.	*Postea suscitabis meam lusciniam.*

Scholia. *ἀηδόνα τὴν Πρόκνην γαμετὴν οὖσαν, ἥτις εἰς ἀηδόνα μετεβλήθη*, id est, *Lusciniam, Procnem uxorem, quæ in lusciniam transmutata est.* Videtur hic Scholiastes putare Procnem uxorem Terei in lusciniam transformatam fuisse, cum sit vulgata & melior, credo, opinio eam in hirundinem, Philomelam vero sororem in lusciniam mutatas fuisse, & sic quidem ex nominis notatione ratio suadet: nam Philomela ἀπὸ τοῦ φιλεῖν τὰ μέλη dicta est, quod lusciniæ apprime convenit, quæ & plus & multo melius canit, quam quæcunque altera avis; nullo modo vero hirundini, quæ vocem exilem, raucam & minime gratam emittit, & plures ex antiquis ita censuerunt. Hyginus certe, qui de fabulis ex professo scripsit, cap. 45 eam totam fabulam narrat & Procnem in hirundinem, Philomelam in Lusciniam muta-

mutatas asserit, quod à quodam antiquo Græco proculdubio acceperat, forte ex Nicandro in ἑτεροιουμένοις, & maximæ auctoritatis Poëta Virgilius Georg. 4 ita sentit, cum ait:

Absint & picti squalentia terga lacerti
Pinguibus à stabulis: Meropes aliaque volucres
Et manibus Procne pectus signata cruentis,
Omnia nam late vastant ipsasque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.

Quæ omnia hirundini conveniunt, nequaquam Lusciniæ. Nam hirundines, apes & alia insecta volatilia assequuntur volando, & ea depascuntur: at lusciniæ vermes terrestres, erucas & alia id genus sectantur, & ibi nugatur serio Servius, qui sic scribit: *Nomen posuit pro nomine. Nam Philomela in hirundinem versa est.* Et Virgilio vim facit, ut eum ad suam traducat sententiam, & ei errorem attribuit, ut Procnem pro Philomela posuerit, & quamvis in eodem libro inferius eam rursus proferat sententiam Virgilius, dum ait:

Qualis populea mœrens Philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit, at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis late loca questibus implet.

Ubi palam Virgilius per Philomelam lusciniam intelligit, nulla enim alia avis (præter lucifugas, quæ dirum quid ejulant) nocte canit. Ibi tamen pertinax Servius rursus Virgilio vim facit, & ait: *Philomela pro quavis ave, nam species est pro genere.* Et rursus ad hæc verba ejusdem libri, *revocato à sanguine Teucri*, ait solitos esse Poëtas nomina de vicinis mutuare, & nomen pro nomine ponere, & adducit hoc exemplum, *Et manibus Procne pectus signata cruentis*, *pro Philomela.* Contra Servium tamen aperte pugnat Martialis epigr. lib. 14.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Nam *muta puella* non fuit Procne, sed Philomela, nec avis ulla magis garrula quam luscinia, quæ canendo fere rumpitur. Tamen ne quid dissimulem, Scholiastes videtur sequi Aristophanis sententiam, qui satis clare innuit se putare uxorem Terei in lusciniam ἀηδόνα mutatam fuisse, dum Tereum seu Epopen dicentem inducit, τὴν ἐμὴν ἀηδόνα, & ἄγε σύννομέ μοι, & multo expressius, cum ait lusciniam alloquens, τὸν ἐμὸν καὶ σὸν πολύδακρυν Ἴτυν. Itys enim erat

Terei

Terei & Procnes, non vero Philomelæ, & Ariſtophanis ſententiam ſequutus eſt Varro. Sed in ea quæſtione non eſt altercandum, utra ſit verior ſententia, quando fabula ficta & à veritate aliena eſt. Sed cum conveniat luſciniæ nomen Philomelæ, iis accedo, qui Philomelam luſciniam vocant, Procnem vero hirundinem.

Pag. 553.

Ἔξεδρον χώραν ἔχων. | *Advenam locum habens.*

Hæc Scholiaſtes interpretatur, quaſi Ariſtophanes intellexiſſet *χροίαν παρηλλαγμένην*, *colorem variegatum*, ſed longe aberrat à vero ſenſu, ſi bene conjicio. Nam ἔξεδρος eſt *μαντικὴ φράσις auguralis vox* & nihil aliud ſignificat, quam *ſiniſtram avem, quæ in parte templi infauſta videtur.* Heſychius [1] *ἔξεδρον τὸν οὐκ αἴσιον οἰωνὸν, οὐκ εὔθετον ὄρνιν, οὐκ ἐν δέοντι τὴν ἕδραν ἔχοντα.* Dio Nicæus lib. 37. *ἔξεδροι γὰρ τινὲς ὄρνιθες ἐπέπτατο, aves quædam ſiniſtræ advolarunt.*

[1] *Exedrum infauſtum augurium, avem non bene poſitam, non ubi decet, ſedem habentem.*

Pag. 554.

Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας. | *Hipponicus Calliæ & ex Hipponico Callias.*

Accuſat Scholiaſtes comicum noſtrum falſi, eo quod primus Callias fuit Phænippi filius, ſed non ideo mendax Ariſtophanes: nam ab illo primo Callia alternatim Hipponici & Calliæ ſibi invicem ſucceſſerunt plures, ſic enim procedit eorum ſtemma, quod evidentiæ gratia hic appoſui.

Φαίνιππος

Καλλίας Herodotus lib. 5. δᾳδοῦχος & λακκόπλουτος dictus, Pisistrati hostis, de quo Plutarchus in Aristide, Demosthenis Scholiastes pag. 393, Victor equo celete Olympiade 54.

Ἱππόνικος, dictus Ἄμμων, Athenæus 12 ditissimus Atheniensium. Plutarchus lib. de malignitate Herodoti.

Ελπινίκη. ——— Soror Cimonis Plutarc. Athenæus Æmil. Probus.

Καλλίας, dictus etiam λακκόπλουτος ob suum avum ita vocatum. Plutarchus in Aristide. Legatus Atheniensium ad Artaxerxem, Herodotus lib. 7. reversus, ab Atheniensibus talentis 50 mulctatus ob suspicionem acceptæ à rege pecuniæ, Demosthenes περὶ παραπρεσβ.

Hipponicus, dux copiarum contra Bœotos Diod. lib. 12. Athenæus lib. 5. cui Alcibiades colaphum inflixit, Plut. in Alcibiade. occubuit in pugna ad Delium. Andocides in oratione contra Alcibiadem. cujus viduam Calliæ matrem duxit Pericles. Plutarch. in Pericle.

Filia ——— Glauconis Andocides

Καλλίας, dictus etiam δᾳδοῦχος, ut ejus abavus. Xenoph. Hellenic. 6. legatus missus Spartam ad pacem procurandam. de eo Lysias orat. de Aristophanis bonis, quem ut mulierosum insectatur Aristophanes in Ranis; & ut helluonem in Concionantibus, de cujus vita & matrimoniis Andocides in Oratione de mysteriis, forte & de ejus morte Ælianus lib. 4. c.23.

Ἱππόνικος, qui filiam Alcibiadis illius ducis celeberrimi duxerat uxorem, & eam ob incesti suspicionem cum fratre Alcibiade juniore dimisit. Lysias in orat. contra Alcibiadem.

Ex his patet, quam bene & apposite dixerit Aristophanes Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Pag.

Pag. 560.

Ἐν Ὀρνεαῖς. |

Scholia. [1] ἐστὶ δὲ ἐν Ἄργει Ἰαῖ πόλις. Lege ἐν Ἀργεία πόλις.

[1] *Est quædam in Argia urbs Ionica.*

Pag. 571.

Ἐυελπίδης Θριῆθεν. | *Euelpides ex Thracia.*

Scholiastes legit Κριῶθεν, & duæ illæ lectiones ferri possunt, nam & Θρία vel Θριῶ est demus Atticæ, & Κριῶα vel Κριωδὶς alius item demus. Sed cave sequaris Florentem Christianum, qui vertit *ex Thracia*, nam misere hallucinatus est.

Pag. 577.

Ἐκπερδικκίσαι. | *Experdicissare.*

Putant Scholiastæ eam vocem alludere ad perdices aves, & ad eum sensum multa congerunt. Ego hoc loco audaculus ero, & perfricata fronte novam afferam interpretationem, quæ forte non omnibus arridebit, quam tamen credo veram & genuinam esse. Ajo igitur Aristophanem allusisse ad nomen Perdiccæ Macedonum regis, quem patet Atheniensium hostem fuisse adhuc uno aut circiter anno ante hujus fabulæ didascaliam in fine anni 16 belli Pelop. ex Thucydide l. 6. Erat autem levis Perdiccas, & socios identidem mutabat, modo Lacedæmoniis, modo Atheniensibus amicus. Thucyd. lib. 1. Ergo ut Μηδίζειν dicebatur cum Medis sentire, & eorum partibus favere, sic Περδικκίζειν sumi potest pro Perdiccæ favere, & ejus socium esse, vel etiam ejus mores imitari. Sic Thucydides lib. 3 ἀττικίσαι dixit. Igitur ἐκπερδικκίσαι interpretor à Perdicca deficere, & ejus societatem relinquere, quod non fore turpe ait, eo quod primus inconstantiæ talis exempla dederat, & ita intelligere suadet duplex κ in ἐκπερδικκίσαι; nam si ab ave, quæ πέρδιξ dicitur, ea vox deducta fuisset, per simplex κ debuisset scribi: nam dicitur πέρδιξ, πέρδικος, at nomen regis Macedonum per duplex κ scribitur Περδίκκας.

Pag. 579.

Σὺ Κοψίχῳ γε σκάφιον ἀποτιλμένῳ.	*Tu Copsicho scaphio evulso.*

Scholia: δύο εἴδη κουρᾶς σκάφιον καὶ κῆπος, τὸ μὲν ἐν σκάφιον τὸ ἐν χρῷ. Non video, quomodo hoc loco σκάφιον accipi possit pro tonsura ad cutem, nam qui sic tondetur, non potest ἀποτίλλεσθαι.

Pag. 580.

Τὸ Πελαργικὸν. | *Pelargicum.*

[1] Quod Athenis Pelargicus murus erat in acropoli.

Scholia: [1] ὅτι Ἀθήνησι τὸ Πελαργικὸν τεῖχος ἐν τῇ ἀκροπόλει. Dupliciter errat hic Scholiastes. Nam locus ille Πελασγικὸν vocabatur, non Πελαργικὸν, & non erat in acropoli, sed sub acropoli. Id nos docet Thucydides lib. 2. Quod si legerat apud Callimachum, quem citat, Πελαργικὸν, male legebat, & locus ille erat corruptus. Nam à Pelasgis, qui olim ibi habitaverant, ille locus dicebatur, non à ciconiis. Quod autem Πελαργικὸν dixit Aristophanes, sic dixit γελοίου χάριν, & alludens ad aves πελαργοὺς, & formavit τὸ Πελαργικὸν, ut dicebant τὸ ξυμμαχικὸν, τὸ πολιτικὸν, τὸ πελταστικόν.

Pag. 582.

Οὐκέτι Κολαινίς. | *Non amplius Colenis.*

[2] Myrrhinusii Colenida Dianam nominant, ut Piraenses Munychiam, Philiatæ vero Brauroniam.

Scholia non futilia illa altera, sed bonæ notæ: [2] οἱ δὲ Μυῤῥινούσιοι Κολαινίδα ἐπονομάζουσι τὴν Ἄρτεμιν, ὥσπερ Πειραιεῖς τὴν Μουνυχίαν. Φιλιάται δὲ τὴν Βραυρωνίαν. Hæc ultima verba, emendatione egent. Repone, Φιλαΐδαι δέ. Posset & aliquis suspicari Φλυεάται. Nam Φλυεὺς non longe à Braurone, sed nomen gentile est Φλυεῖς, non Φλυεάται.

Pag. 589.

Μέτων. | *Meton.*

Scholia: ψευδῶς δὲ περὶ Πυθοδώρου ἡλιοτρόπιον. Lege, ἐπ' Ἀψεύδους, & pridem optime emendavit Josephus Scaliger lib. de emendatione temporum.

Ibidem.

Προσθεὶς οὖν. | *Apponens igitur.*

[3] Quæ sequuntur, Symmachus ait non esse intelligibilia.

Scholia: [3] τὰ δὲ ἑξῆς φησὶν ὁ Σύμμαχος ἀδιανόητα. Verum est, sed prudens & sciens ea non intelligibilia scripsit comicus, ut traduceret ad populum mathematicos.

Pag. 592.

Ἢν ἀποκτείνῃ τις Διαγόραν τὸν Μήλιον. | *Si interficiat aliquis vestrum Diagoram Melium.*

Hinc conjicere licet hoc drama in scenam ascendisse non multo post decretum de Diagora Melio factum. Nam de talibus negotiis recenter transactis μάλιστ' ἐπαναχορεύεται, & sermones fiunt ubique in circulis, cum nondum inveteravere: post aliquot vero menses

fatiscunt

fatiſcunt animi, & ſermones, & alia negotia ſuccedunt, quibus truduntur priora, ut clavus clavo. Diagoras autem ille poſt Meli excidium habitavit Athenis, ſi fides Scholiaſtæ, & ut veriſimile eſt, ibi cum myſteria Cereris vulgaret, ſubſannaret, & ab iis multos homines dehortaretur, condemnatus eſt. De quo negotio Thucydides lib. 6. Hæc autem evenerunt anno belli 17 Archonte Arimneſto, qui Chabriam præceſſit, quod egregie firmat ea, quæ de natalibus hujus fabulæ ſupra diximus, omnia enim concordant. Meli excidium factum eſt ſub finem anni 16, poſtea habitavit Athenis Diagoras, & ob myſteria ſubſannata condemnatus eſt circa finem anni 17. Tunc etiam miſſa Salaminia navis, & aufugit ad Lacedæmonios Alcibiades, prodiit drama Ὄρνιθες initio veris anni 18 Chabria adhuc Archonte. Ideo decretum illud columnæ æreæ inciſum, tunc in ore hominum multum verſabatur, & ideo dixit: τῇ δὲ μὲν τοι θ' ἡμέρᾳ μάλιςʼ ἐπαναγορεύεται, *hac equidem die multum in circulis celebratur*, ἢν ἀποκτείνῃ τις Διαγόραν τὸν Μήλιον. Hic autem Diagoras fugiens naufragium fecit, id docet Athenæus lib. 13. Aliorum atheorum celebrium nomina vide apud Euſtathium ad Odyſſ. γ.

Pag. 595.

Οἱ χῆνες ὑποτύπτοντες. | *Anſeres ſubvolantes.*

Mallem legere ὑπορύττοντες. Nam ad lutum habendum ad cæmenti uſum opus eſt foſſione.

Pag. 604.

Εἰς τἀπὶ Θρᾴκης ἀποπέτου, κἀκεῖ μάχου.	*In hæc in Thracia avola, & illic pugna.*

Et hoc cum epocha poſita concordat. Nam anno 18 belli Eueetion Amphipolin in Thracia oppugnabat. Narrat Thucydides l. 7. Ideo convenienter juvenem illum patrem ſuum male habentem mittit in Thraciam, ut ibi militet.

Pag. 606.

Κεκροπίδα φυλήν. | *Cecropidem tribum.*

Credo Ariſtophanem ſcripſiſſe Κερκωπίδα, alludens quidem ad Κεκροπίδα, ſed τοῦ γελοίου χάριν mutans in Κερκωπίδα. Nam & κερκώπη Heſychio eſt cicadæ ſpecies, quæ in cenſum volatilium numerari poteſt, & aves fere omnes κέρκους habent, & ſunt caudatæ.

Pag. 613.

Λαισποδίας εἶ τὴν φύσιν. | *Laispodias es natura.*

Quicquid dixerit Ixion in dictionibus Atticis, quem citat Demetrius apud Scholiasten ad hanc vocem, puto hoc loco sic dici scævam, qui sinistra manu magis utitur, ὅτι τῇ λαιᾷ ποδεῖ, quod sinistra succutit & ferit, & sic intelligi debere evincunt ea, quæ præcedunt [1] οὐ μεταβαλεῖς θοἰμάτιον ὡς ἐπὶ δεξιά. Alludit nihilominus ad virum ejus nominis illo tempore satis notum: dux enim fuit classis, & Limeram & Prasias vastavit anno 18 belli Pelop. ut Thucydides in fine lib. 6, & sic omnia concordant, & firmant epocham anni 18.

[1] *Nonne transferes vestem in dextram?*

AD THESMOPHORIAZUSAS.

Anno 21 belli Peloponnesiaci Dionysiis urbicis, Callia post Cleocritum Archonte, Olympiade 92.

Ex ipsa fabula conjecturis probabilibus tantum firmabitur superior assertio de tempore, quo descendit in Theatrum: desunt enim Scholia antiqua, deest hypothesis, at non desunt in ipso textu auctoris verba quædam, ex quibus conjecturæ probabiles eruuntur, quibus omnino persuadeor hanc fabulam prodiisse anno 21 belli, ut dictum est, veris initio. An vero idem tibi persuadebo, lector erudite, ipse videris. Sed antequam ad ipsum fabulæ textum accedamus, refutanda est conjectura Scholiastæ, qui ad Vesparum hunc versum, οὐδ' αὖθις ἀναστελγαινόμενον Εὐριπίδης, sic commentatur: κατ' αὐτοῦ γὰρ καθῆκε τὰς Θεσμοφοριαζούσας, φησὶν οὖν οὐ δεύτερον ταυτολογήσω περὶ αὐτοῦ ὡς οἱ ἄλλοι, id est, *contra eum enim* (Euripidem) *induxit Thesmophoriazusas, ait igitur, non iterum eadem dicam de illo, ut alii faciunt.* Ex his putat probari Scholiastes Thesmophoriazusas præcessisse Vespas. Sed ex eo patet eum non fuisse de antiquorum numero, qui omnes Aristophanis fabulas habebant, sed ex recentioribus, qui earum tantum reliquias, quas habemus, viderant. Sed debuit cogitare periisse nostri comici fabulas 30 numero vel circiter, ut testatur Athenæus, in quibus verisimile est sæpius Euripidem exagitatum fuisse, ita suadent eorum simultates, nec in Thesmophoriazusis solis eum traduxisse ad populum, cum in plerisq; eorum, quæ extant, non potuerit abstinere ab ejus insectatione. Insuper habenda est igitur illius Scholiastæ sententia, & aliunde investiganda testimonia, & ea

ea quidem de tempore didascaliæ diserte non pronuntiant, sed tamen aliquid lucis affulgebit ex ipsis comici verbis.

Pag. 768.

Κἀντονομάζει. | *Et antonomasiis utitur.*

Sæpe enim antithetis multis utebatur Agathon ille, de quo hic agitur, ut ait Ælianus lib. 14.

Pag. 777.

Ἐξυρημένος. | *Derasus.*

Interpretatur doctus Bisetus τὴν κόμην ἀποβαλών. Sed incogitantia id dixit: nam supra versu proximo opponit τῷ ἐξυρημένῳ τὸν πώγωνα ἔχοντα. Ergo non sine coma erat, sed sine barba.

Pag. 796. & 797.

Στλεγγίδας λαβοῦσαι	*Strigiles accipientes*
Ἔπειτα σιφωνίζομεν τὸν σῖτον.	*Postea quasi per siphonem & fistulam attrahimus cibum.*

Alii codices habent στρεγγίδας, quod forte melius est: nam στρεγγίζειν deducitur à στράγξ, quod est stilla. στρεγγίζειν igitur est stillatim irrigare, & στρέγγις instrumentum, quo id fit. Sed facilis & solita satis est mutatio τοῦ ρ in λ, immutabilis in immutabilem. Cæterum ad hunc locum cæcutire mihi videntur docti viri Bisetus & Bourdinus; nec ullum commodum sensum excogitarunt: nam quod dicunt de cibo attrahendo per gutturis canalem, quid habet communis cum στλεγγίδι? Sed illos fefellit homonymia vocis σῖτον, quæ cibum quidem significat, sed præcipue & primario frumentum. Igitur per στλεγγίδα intelligo σίφωνα, tubulum, per quem aqua in minutas stillas divisa immittitur, quo frumentum ἐσιφώνιζον, stillatim aqua irrigabant, ut inflarentur grana, & major fieret acervus, ne furtum ab iis factum deprehenderetur à viris, vel ut emptores deciperent, & plures modios vel heminas lucrifacerent, quod artificium & hodie fit à quadruplatoribus & malæ fidei mercatoribus.

Pag. 801.

Εἰσεκύλυσα. | *Rotavi & impuli.*

Bisetus legit εἰσεκύλησα. Ego puto legendum εἰσεκύλισα, ut infra pag. 807 εἰσκυλίσας.

Pag. 805.

Pag. 805.

Κακὸν δὲ καὶ τοῖς σκευαρίοις καὶ τῇ κρόκῃ.	*Malum autem & vasculis & opibus nostris & subtegmini vestium.*

Ad hoc doctissimus Bisetus: τὸ δὲ κρόκη πέμματος εἶδος ἢ ῥοδάνιον δηλοῖ. Ησυχ. Sed cum sensus sit planus de subtegmine, non est opus tam longe petita ab Hesychio interpretatione. Ebriosæ mulieres & vino deditæ parum & male texunt, & nihil aliud vult Aristophanes.

Pag. 807.

Ξύλον γέ τοι καὶ ταυτί.	*Lignum quidem & hæc.*

Ad hæc ait eruditus Bisetus: ἐκ τούτων φανερὸν, ὅτι ἐν τοῖς θεάτροις ξύλινά τινα ἀγάλματα πάλαι ἐτίθεντο. In hoc quidem dramate, ubi sacra Cereris repræsentantur, & scena in templo fingitur esse, & ubi erat ara, quam supra dixit se cruentaturum Mnesilochus, erant etiam simulachra lignea, sed non sequitur in aliis fabulis, quæ scenam habebant in profano, id semper ita fieri debuisse.

Pag. 809.

Ναυσιμάχης μὲν ἥττων ἐστὶ Χαρμῖνος, δῆλα δὲ τἄργα.	*Nausimacha quidem inferior est Charminus, Manifesta sunt facta utriusq;.*

In his verbis & iis, quæ sequuntur, est quædam gryphi species, quæ per hominum nomina res significat, & negotia nuper transacta, de quo ludi genere Athenæus lib. 3 cap. 20 & lib. 10 cap. 22. Sub specie igitur ludentis in his vocibus tangit res civitatis, & hoc quidem loco innuit Charminum victum fuisse naumachia ab Antiocho Lacone ad Simam insulam sex triremibus amissis anno 20 belli Peloponnesiaci hieme. Paucis igitur mensibus ante hujus dramatis didascaliam, quod validissime firmat nostram de ejus tempore sententiam, vide Thucydidem lib. 8. Quod autem nuper dixi, firmatur ex eo, quod Charminus periit seditione una cum Hyperbolo in Samo insula anno 21 æstate, teste eodem Thucydide lib. 8. Unde sequitur inter eam pugnam navalem hieme anni vigesimi factam, & mortem Charmini, quæ sequenti æstate evenit, hoc drama prodiisse vivente adhuc Charmino: non enim licebat [1] τοὺς τεθνηκότας κωμῳδεῖν, & joci in mortuos crudeles & minime læti & inutiles, quippe qui

[1] *Mortuos traducere in comœdia.*

qui non emendant eos, in quos jaciuntur, & lege prohibiti, ut notavit Scholiast. ad Pacem supra p. 494 ad vocem Βυρσοπώλης. Hic unicus locus sufficit ad probandam nostram de tempore hujus dramatis sententiam. At doctus Petitus contendit actam hanc fabulā an. 4 Olym. 92 tribus annis serius, sed infirmissimis fundamentis nisus suam tuetur opinionem. Quæ de nece Socratis ait, nihil ad rem, & incerta sunt, &, ut solet, mutat auctorum verba, ut ad suum sensum eorum verba detorqueat. Quod autem ait Aristophanem de fabula dicta *Palamedes* ab Euripide producta in theatrum mentionem fecisse, verum est, sed ejus fabulæ didascalia incertissima, & quæ mutat Petitus, ut eam notet, non admittenda: cætera quoq; omnia tam evanida & infirma sunt, ut in iis elevandis immorari operam foret perdere.

Ibidem.

Ἀλλ' Εὔβουλης τῶν πέρυσι τὶς βουλευτὴς ἐστὶν ἀμείνων.	*Sed Eubule ex senatoribus superioris anni quis senator est melior,*
Παραδοὺς ἑτέρῳ τὴν βουλείαν.	*Tradens alteri consilium.*

Nihil subodorati sunt doctissimi commentatores de sensu horum versuum, in quibus manifeste exagitat τοὺς βουλευτὰς senatores anterioris anni, qui ignave sibi passi sunt eripi dignitatem à quadringentis viris, & ob consilii & vigoris inopiam magistratu cesserunt, *παραδόντες ἑτέροις τὴν βουλείαν.* Nam βουλεία est ἡ τοῦ βουλεύειν ἀρχὴ, quod factum est anno belli Peloponnesiaci 20. Nam licet eam narrationem inseruerit Thucydides inter alia acta anni 21, tamen ait districte ea prius evenisse. Sic enim ille in anni 21 initio: [1] ὑπὸ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἔτι πρότερον ἡ ἐν ταῖς Ἀθήναις δημοκρατία κατελύετο. Ergo secundum Thucydidem facta fuit ea mutatio anno 20, & ideo Aristophanes optime πέρυσιν dixit, & ex hoc loco firmatur rursus nostra de tempore hujus didascaliæ sententia.

[1] *Sub hoc enim tempus & antea democratia Athenis soluta est.*

Pag. 811.

Τὴν Ὑπερβόλου καθῆσθαι μητέρ' ἠμφιεσμένην.	*Hyperboli sedere matrem imbutam.*

Et ex hoc loco concludo hoc drama prodiisse vivente adhuc Hyperbolo, qui Sami seditione periit una cum Charmino, ut supra dictum est: fuisset enim non solum ab omni joco & lætitia alienum, sed & crudele admodum matrem in recenti filii cæde ita exagitare,

& filii jam mortui famam lacerare præsente misera matre: tum, ut dixi, cautum erat lege τοῦ τεθνηκότας μὴ κωμῳδεῖν.

Pag. 813.

Ἤ τι κοικύλλεις. | *Vel quid machinaris?*

De hujus vocis interpretatione aliter sentio, quam doctissimus Bisetus, qui cum Suida eam interpretatur περιβλέπεις, qui Suidas unicum hunc locum citat, & non invenitur alibi id verbum, quod Aristophanes, ut opinor, finxit, ut murmur Mnesilochi significaret, qui secum deliberabat voce submissa verbis, quæ non bene intelligebat mulier. Supra in Acharnis imitatus est porcorum lactentium grunitum per κοὶ κοί. Itaque puto ex tali strepitu verbum κοικύλλειν finxisse pro grunitu inarticulato, quem edit homo, dum murmurans secum loquitur.

Pag. 815.

Ὦ τρισκακοδαίμων ψεύδεται νὴ τὼ θεώ,	*O infelicissimum, mentitur per Cererem & Proserpinam,*
Ἐπεὶ τέθνηκε Πρωτέας ἔτη δέκα.	*Quoniam mortuus est Proteas annos jam decem.*

Fuit ille Proteas Epiciclis filius dux Atheniensis satis clarus, qui interfuit prælio ad Sybota commisso inter Corinthios & Corcyræos, ut ait Thucydides lib. 1, & qui primo belli Pelopon. anno cum aliis ducibus Peloponnesum circumnavigans, Methonem obsedit. Thucyd. ibid. Vivebat igitur anno 1 ejus belli, & ex hoc loco usque ad undecimum vel circiter vixisse deprehenditur.

Pag. 830.

— τοῖσιν αἰθέροισιν,	*Maritis*
Ἀπὸ τῆς στρατιᾶς παροῦσιν ὑμῶν διαβαλῶ.	*Ab exercitu reversis & præsentibus vestrum calumniabor.*

Bene & apposite pro tempore notato. Nam eo anno & Agidis ex Decelia incursiones, & obsidio Chiorum urbis & bellum in Hellesponti partibus non patiebantur Athenienses quiescere, & domi manere, sed continuo foris militabant. His conjecturis satis, ut mihi videtur, certis, sufficienter firmatur nostra sententia, licet aliter doctus Petitus decreverit.

AD

AD LYSISTRATAM.

Anno 21 belli Peloponnesiaci in Lenais Theopompo Archonte Olympiadis 92 anno secundo.

Pag. 840.

Ναὶ σιώ. | *Pol me.*

Ad hæc verba Christianus ait fœminarum proprium fuisse jurare μὰ τὼ θεώ, qui sunt Dioscuri, quod usquequaque verum esse dubito, & apud Athenienses credo verum fuisse, & id colligi posse videtur ex Concionantibus. Sed per τὼ θεὼ intelligi Dioscuros, Athenis forte non est verum, ubi Δημήτηρ καὶ Κόρη eximie colebantur in Thesmophoriis & mysteriis. Itaque inclinat animus, ut credam Athenienses mulieres, quando jurabant μὰ τὼ θεώ, intellexisse Cereris & Proserpinæ numina. Spartæ vero ναὶ τὼ σιὼ jurabant tam viri quam fœminæ, & ibi Dioscuri credo intelligebantur, quorum numina à Lacedæmoniis multum cultum merebantur. Viros Laconas ea jurandi formula usos fuisse evincit locus Xenophontis lib. 4, ubi Pausimachus Laco sic loquens inducitur: ναὶ τὼ σιὼ Ἀργεῖοι, &c.

Ibidem.

Ὁ γ᾽ οὖν ἐμὸς ἀνὴρ πέντε μῆνας, ὦ τάλαν,	*Iam quinque menses vir mihi infelix abest,*
Ἄπεστιν ἐπὶ Θρᾴκης φυλάττων Εὐκράτην.	*Thracumque in aspris servat oris Eucratem.*

Thucydides lib. 8 post cladem Atheniensium ad Syracusas ait: [1] οἱ τῶν Ἀθηναίων ὑπήκοοι ἑτοῖμοι ἦσαν καὶ παρὰ δύναμιν αὐτῶν ἀφίστασθαι. Ideo dicit Lysistrate suum virum φυλάττειν Εὐκράτην, quod proverbialiter dicebatur de iis, qui servabant rem, quæ omnibus modis evadere tentabat, & tandem evasura erat, de Chalcidensibus Thraciæ intelligens, qui post illam cladem erecto erant ad rebellandum animo, ideoque eos observabant Athenienses, & decreverant [2] τὰ τῶν ξυμμάχων εἰς ἀσφάλειαν ποιεῖσθαι.

[1] *Qui Atheniensibus subjecti erant, ad deficiendum parati erant, quamvis non satis potentes.*

[2] *Res sociorum in securo ponere.*

Ibidem.

Ὁ δ᾽ ἐμός γε τελέους ἑπτὰ μῆνας ἐν Πύλῳ.	*Mensem ut meus jam septimum exegit Pyli.*

Inde colligo Pylum fuiſſe adhuc in Athenienſium poteſtate. Ergo ante Dioclem Archontem & annum 23 belli, hæc fabula prodiit, nam eo anno & Archonte Pylum receperunt Lacedæmonii, teſte Diodoro lib. 13.

Ibidem.

Ἐξ οὗ γὰρ ἡμᾶς προὔδοσαν Μιλήσιοι.	*Nam tempore ex quo nos fides Mileſia Prodens fefellit.*

Ex hoc verſu manifeſtum eſt Mileſiorum defectionem præceſſiſſe hujus fabulæ διδασκαλίαν, qui quidem initio anni 20 ſuadente Alcibiade defecerunt, ut Thucydides lib. 8. ideo ex ſuperiore nota concludimus ante annum 23 prodiiſſe hoc drama, ex hac vero poſt vigeſimum.

Pag. 844.

Κἂν τοῖς χιτωνίσκοις τοῖς ἀμοργίνοις,	*Stamuſque nuda linea in ſubucula*
Γυμναὶ παρείοιμεν δέλτα παρατετιλμέναι.	*Vulſis nitentes Eugii ex horto pilis.*

Ex his patet veſtem Amorginam fuiſſe pellucidam, ut veſtes ſericæ, quando nudas ſe dicunt fœminæ, quæ Amorginis tunicis male coopertæ ſunt.

Pag. 853.

Ὤιχετ᾽ ὅπλα παραδοὺς ἐμοί.	*Ceſſit armaque dedit mihi.*

Illud ἐμοὶ non ita accipiendum, quaſi de ipſius ſenis, qui loquitur, debeat intelligi. Sed loquitur in perſona populi Athenienſis, aliter vaniloquus eſt hic ſenex. Nam acropolis capta fuit à Cleomene centum vel circiter annis ante hujus fabulæ didaſcaliam.

Pag. 855.

Τίς ξυλλάβοιτ᾽ ἂν τοῦ ξύλου τῶν ἐν Σάμῳ στρατηγῶν.	*Quis ex Sami prætoribus robur prehendet iſtud?*

Ex hoc loco colligere licet hoc drama prodiiſſe anno belli Pelopon. 21, quo præcipue calebant Sami negotia, ſtatu populari ibi inſtaurato, & quadringentorum ſtatu ibi abolito, & electis Thraſybulo & Thraſyllo ducibus democratiæ faventibus. Invocat igitur & invitat eos reip. amatores, & ſtatus popularis, ut capeſſant negotia. De iis Thucydides lib. 8.

Pag. 860.

Pag. 860.

Πρόβυλ⊙. | *Probulus.*

Ex hac etiam Probuli persona concludimus hoc drama prodiisse post cladem Siculam. Nam Probulus magistratus fuit extraordinarius, qui in rebus dubiis reip. creabatur, post infortunium vero Siculæ cladis id factum est Athenis, teste Thucydide initio lib. 8. [1] καὶ ἀρχήν τινα πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἑλέσθαι, οἵ τινες περὶ τῶν παρόντων ὡς ἂν καιρὸς ᾖ, προβουλεύσωσι. Sic etiam Herodotus lib. 7 ait imminente à Xerxe bello probulos fuisse congregatos in Isthmo, electos ex Græciæ civitatibus, quæ melius affectæ erant.

[1] *Et magistratum quendam seniorum virorum eligere, qui de præsentibus negotiis sicut tempus requireret, deliberarent prius.*

Ibidem.

Ἔλεγεν ὁ μὴ ὥρασι Δημόστρατ⊙,	*Dum se in Sicanos autumat Demostratus*
Πλεῖν εἰς Σικελίαν, ἡ γυνὴ δ' ἐ ὀρχουμένη	*Haud tempori ire, saltat uxor interim*
Αἰαῖ Ἄδωνιν φησίν, &c.	*Eheuque Adoni dicit.*

Exagitat Demostratum utpote Niciæ αὐλητολαβήντα, cujus amicus fuerat Aristophanes, & ob Niciæ flebilem casum illum insectatur, nec patitur oblivioni dari illius pessimum consilium & infaustum reip. Atheniensium. Proposuerat autem Demostratus rogationem de bello Siculo die infausto, quo publice lugebatur Adonis, quod erat mali ominis. Plutarchus in Nicia lucidam facem præfert ad intelligendum hunc locum.

Pag. 868.

Ἵνα γὰρ Πείσανδρ⊙ ἔχοι κλέπτειν	*Pisander enim prætoresque ut*
χ' οἱ ταῖς ἀρχαῖς ἐπέχοντες,	*quò furarentur haberent,*
Ἀεί τινα κορκορυγὴν ἐκύκων.	*Turbas semper movere aliquas.*

Ex hoc loco conjicio hanc fabulam publicatam fuisse post quadringentorum status eversionem, eo quod utitur tempore præteriti imperfecti ἐκύκων, *miscebant, confundebant,* quod evincit verbum ἔχοι in eodem tempore accipi debere, & sic eum loqui de Pisandri furtis, ut præteritis, & de politicis machinationibus, quæ fiebant anno 20, dum quadringentorum status obtinebat. Tum quod in eo statu τῶν υ' tyrannico non ausus fuisset Aristophanes Pisandrum eorum præcipuum & vastissimum traducere ut furem contra legem

[1] Archontes non traducere in comœdia.

[1] τοὺς ἄρχοντας μὴ κωμῳδεῖν. Fugâ autem Pisandri post statum quadringentorum eversum accidit æstate anni 21, ut ait Thucydides lib. 8. Hunc autem Pisandrum ut timidum & non audentem contra tela oculos erigere traducit Xenophon in Symposio.

Pag. 869.

Τι βεβούλευται περὶ τῶν σπονδῶν ἐν τῇ στήλῃ παραγεγράψαι.	*Quod de fœderibus consultum, inque columna scriptum est.*

Innuit, ut puto, subscriptionem, quæ auctore Alcibiade facta fuerat in columna, in qua fœdus inter Lacedæmonios & Athenienses inscriptum erat, qua de causa bellum inter eos recruduerat. vide Thucyd. lib. 5.

Pag. 873.

Κἀκπέμψασαι παῖδας ὁπλίτας.	*Natos mittimus arma gerentes.*
Προβ. Σίγα μὴ μνησικακήσῃς.	*Pr. Parce hac memorare.*

Innuit cladem Siculam, in qua ὁπλιτῶν periit maximus numerus, unde fletus & ejulatus matribus, quæ Athenis erant, de qua volebat quiritare Lysistrate, nisi Probulus ejus clamores compescuisset, in quo videtur eximium Poëtæ artificium, ne populum doloris sui admoneret, & pro risu lachrymas cieret. Thucyd. initio lib. 8. [2] ἅμα μὲν γὰρ στερόμενοι καὶ ἰδίᾳ ἕκαστος καὶ ἡ πόλις ὁπλιτῶν τε πολλῶν καὶ ἱππέων.

[2] Simul enim privati & unusquisque & urbs pluribus gravis armatura peditibus & equitibus.

Pag. 878.

Τῷ δὲ γ' ἀψήκτῳ τῷ κοθόρνῳ κατάξω τὴν γνάθον.	*Hoc tibi duro cothurno verberaverim genas.*

Legit interpres πατάξω, & interpretatur *verberaverim*, quod melius. Sed ἀψήκτῳ interpretantur ἀκαμάτῳ, σκληρῷ, ἀμαλάκτῳ, forte ex Suida. Sed melius mihi videtur intelligere πηλώδει, μολυσμένῳ, à privativa α & ψήχω τὸ Ψάω detergo, & Suidam quidem sequutus est Bisetus, sed à Suida ad rationem provoco, nam cothurnus non habet tantam duritiem.

Pag. 883.

Ὢ καταγέλας' ἔχουσα τὴν ἱερὰν κυνῆν·	*O rem jocosam! cassidem sacram gerens*
Κύειν ἔφασκες.	*Vterum inquiebas ferre te.*

Ad

Ad hunc locum doctissimus Bisetus ait se ignorare, quare κυνῆν ἱερὰν vocat, & putat μεγάλην significare: at non meminerat eas mulieres in acropoli fuisse, ubi erat Palladis simulachrum, quæ Dea armata fingebatur, & galea, credo, erat ad pedes juxta. Eam ergo ceperat mulier, & vesti subjecerat, ut prægnans videretur. Ideo eam galeam sacram vocat Lysistrate, eo quod erat Palladis. De quo dubito, eo quod colossæum erat id simulachrum. Fuerat cujusdam ducis, qui eam Palladi sacraverat.

Pag. 896.

Πρ. Σὺ δὲ εἶ τίς; πότερον ἄνθρωπος ἢ κονίσαλος.	*Pr. Verum quis es tu? homone an Conissalus.*
Κη. Κῆρυξ ἐγὼν, ὦ κυρσάνιε, ναὶ τὼ σιώ.	*Cad. Caduceator, ô puer, sum per Deos.*

Hesychius & ab eo, credo, Suidas interpretantur hanc vocem κυρσάνιε, νεανία, ἔφηβε, sed hoc loco non potest id significare, aut mutanda foret persona Probuli, quem alloquitur Laco. Nam quomodo virum ætate provectum sic compellaret? Citavimus supra Thucydidem ad pag. 860, qui vocat πρεσβυτέρων ἀνδρῶν ἀρχὴν eum magistratum, nec ἀπρεπὲς mihi convenire videtur. Suspicor sensum alium, cui subest aliquid turpeculi & facetiarum comicarum. Probulus Laconem conisalum vocavit turpi vocabulo: vicem reddens Laco eum vocat κυρσάνιον, κύρσον, Galenus interpretatur πρωκτὸν. Hinc forte formatur ea vox, nam χαυνόπρωκτον intelligi vult Atheniensem vocari à Lacone quasi κύρσον ἀνειμένον habentem. Nam quod ad Hesychium & Suidam, non aliunde habent eam vocem, quam ex hoc loco. Ideo licet eorum conjecturas vel approbare vel rejicere.

Pag. 900.

Ἱκανὰ γὰρ τὰ κακὰ καὶ τὰ παρακείμενα.	*Præteriti quippe satis est mali.*

Cladem Siculam & aliam ad Eretriam acceptam, in qua Athenienses duce Timochare à Lacedæmoniis duce Hegesandrida victi sunt navali pugna, proculdubio innuit, quæ evenit æstate anni 21 belli Peloponnesiaci, de qua Thucydides lib. 8, & si bene memini, Xenophon Hellenic. initio.

Pag. 902.

Pag. 902.

Ἕλκοντες ὑπήνας. | *Barbamque trahentes.*

Bisetus vult legi ἔχοντες, sed meo quidem judicio melius legitur ἕλκοντες: nam qui prolixas mystaces gerunt, ut faciebant Lacones, eas sæpius trahunt, ἕλκουσι.

Pag. 903.

Τῶν ἑρμοκοπιδῶν μή τις ὑμᾶς ὄψεται.	*Ne, signa qui truncare amant, vos viderint.*

Ea Hermarum ἀποκοπή, de qua tanti sermones facti sunt Athenis, facta est paulo ante bellum Siculum anno 17 belli Peloponnesiaci. Laconem vero στύοντα monet Chorus, ut vestibus velaret τὴν στύσιν, & caveret à Hermocopidis, qui τῶν ἑρμῶν τὰ αἰδοῖα ἐκόπτησαν. Vide Thucyd. lib. 6.

Pag. 905.

Ἐχθρῶν παρόντων βαρβάρων στρατεύματι	*Et barbarorum exercitu præsentium*
Ἕλληνας ἄνδρας καὶ πόλεις ἀπόλλυτε.	*Hostili & urbes perdidistis & viros.*

Aliter atque aliter possunt intelligi hi duo versus. Nam si interpungatur post βαρβάρων, sensus erit, *cum hostes barbaros habeamus vicinos, quos bello petere deberemus, tamen Græcos homines & Græcas urbes exercitu collecto perditum itis.* Si vero post στρατεύματι ponatur distinctio, sensus erit, *cum exercitu ex barbaris collecto, viros & urbes Græcas perditum itis.* Quod si hanc ultimam interpretationem quis præferat, satis quadrabit ad annum supra notatum. Nam & Persarum auxilia aderant Laconibus jam ab anno 20 ejus belli, ut ex Thucydide patet lib. 8, & anno superiore Athenienses evocaverant Thracas Machærophoros, qui Mycalessum everterunt.

Pag. 906.

Ἀδικῶμες, ἀλλ' ὁ πρωκτὸς ἄφατος καὶ καλός.	*Lata ista culpa est, at culus est latissimus.*

Bisetus ea non capit, & putat de quodam loco mentionem fieri, cujus nomen ad τὸ καλλίμφαλον accedebat: at non erat, quare se torqueret. Sensus est: *Injurios nos esse dicitis, sed scitote, si duriores conditiones pacis proponatis, nos valedicturos mulieribus, & ad Venerem masculam defecturos, ut remedium τῆς στύσεως habeamus.* Hæc Laco breviter, ut

ut solent Lacones, loquitur, in talibus non oportet multum immorari.

Pag. 907.

Πρώτιστα τὸν Ἐχινοῦντα κῂ τὸν Μηλιᾶ	*Echinunta primum, deinde Maliacum sinum*
Κόλπον τὸν ὄπισθεν, κῂ τὰ Μεγαρικὰ σκέλη.	*Pone adjacentem, & crura utrinque Megarica.*

Ea loca repetunt Athenienses, quæ in possessionem Laconum vel sociorum venerant antea, sed diversis temporibus. Nam Megarica crura, quæ repetunt, destructa fuerant à Megarensibus jam à belli Pelopon. anno 1, ut Thucydides lib. 4. Urbes vero ad sinum Meliensem in Lacedæmoniorum redactæ sunt ab Agide Decelia profecto hieme anni 19, quæ subsecuta est cladem in Sicilia acceptam, ut idem Thucydides lib. 8. Et de Echinunte quidem nihil dixit Thucydides nominatim, tamen ad idem tempus referri debet Echinuntis occupatio, & intelligi fuisse fructum ejus expeditionis; quam in Oetæos & Meliensis sinus habitatores fecerat Agis, & ex hoc loco complementum fieri potest historiæ Thucydidis, qui de Echinunte tacuit. Unum me torsit hoc loco, quod nullam mentionem faciat de Decelia, quæ illos ita male vexabat. Sed eum scrupulum posterior exemit cogitatio. Nam ea potissimum loca repetunt Athenienses, quæ erant ad maris imperium opportuna, quippe id affectantes. Decelia vero pace facta prorsus inutilis fuisset Lacedæmoniis, erat enim munimentum tantum, non civitas, idque mediterraneum. Cæterum doctissimus Bisetus in hoc loco, puto, lapsus est, dum hanc Echinuntem, de qua Comicus hoc loco, putat fuisse in Acarnania. Fuit quidem ejus nominis locus in Acarnania, de quo Plinius & Stephanus, sed de illo loco parum celebri non agitur hic, sed de urbe sita ad Meliensem sinum, opportuna ad totum illud littus retinendum. Pejus tamen errat in explicatione vocis Μηλιᾶ, ubi sic commentatur: Μῆλος νῆσος μία τῶν Κυκλάδων ὁμώνυμον ἔχουσα πόλιν. Nam Μηλιᾶ contractum est à Μηλιέα à recto Μηλιεὺς, non à Μῆλος, quæ insula antea à Nicia vastata fuerat, & erat in Atheniensium potestate. Ideo de ea hoc loco non fit mentio, sed de Meliensi sinu, qui & à quibusdam Μαλιακὸς, ab aliis etiam Λαμιακὸς vocatus ab urbe Lamia vicina, sed Atheniensibus & Thucydidi semper Μηλιεὺς κόλπος dictus est, quem sequitur ubique Polybius.

Hanc fabulam actam fuisse anno 4 Olympiadis 92 Prætore Athenis Diocle, decernit Samuel Petitus, sed infirma admodum sunt argumenta, quæ profert; ut stare possit sua sententia. Primum est de Hermocopidis, à quibus cavere debebant Lacones, ne virilia illis adimerentur, & putat eo, quod Alcibiades tunc in gratiam redierat cum Atheniensibus, id dici. Sed ille jocus nihil ad tempus demonstrandum facit, nisi quod probat post Hermas mutilatos id dici, sed id non infert Alcibiadem jam in gratiam Atheniensium rediisse: & id tantum ridiculi causa dixit Comicus, ut τὴν σύσιν Laconum irrideret. Aliud item profert non majorum virium ex eo, quod ait mulier Atheniensis: ὁ δὲ ἐμός γε τελέους ἑπτὰ μῆνας ἐν Πύλῳ, & inde concludit, anno, quo oppugnarunt Pylum Lacedæmonii, actam fuisse hanc fabulam. Sed id argumentum retorquetur validius contra eum. Nam si mulier queritur ob virum, qui jam septem menses aberat ad Pylum bellum gerens, & id ait Lenæis Liberalibus hieme, necessario sequitur Pylum adhuc fuisse in potestate Atheniensium, dum ea sic loquebatur: nam Pylo à Lacedæmoniis recepto non erat, quare ibi mansisset ejus fœminæ vir. Alterum argumentum affert ex expeditione Thracica Thrasibuli, sed τὸ φυλάττων Εὐκράτην (de quibus verbis tacet Petitus) Thracas nondum rebellasse indicat, sed eorum rebellionem timeri, ut supra priore ad hanc fabulam nota diximus. Confer, candide lector, nostras conjecturas cum Petiti allegatis, &, ut puto, nobiscum stabis.

AD COMOEDIAM ΒΑΤΡΑΧΟΙ.

Anno 26. Belli Peloponnesiaci, Callia post Antigenem Archonte, in Lenais Olympiad. 93 anno 3.

Thomas magister, qui scripsit hujus fabulæ argumentum, de tempore didascaliæ hujus fabulæ ita decernit, ut supra posui. Secundum vero argumentum seu hypothesis videtur antiqui cujusdam esse Scholiastæ, qui nomina eorum, qui cum Aristophane contenderunt, exposuit; ejus auctoritatem sequutus est, ut puto, Thomas magister. Amborum assertioni, quam sequor, ex ipsius fabulæ locis fidem astruere conabimur: ejus vero, qui argumentum Latinum

tinum scripsit, nullam rationem habebimus, utpote futilis cujusdam & miseri hominis, & qui pessime de hac fabula pronuntiavit.

Pag. 212.

Ἐπεβάτευον Κλεισθένει. Ηρ.	*Clisthenem inscendi. He.*
Κἀναυμάχησας;	*Et navali certasti prælio?*
Δι. Καὶ κατεδύσαμέν γε ναῦς	*D. Imo aliquot naves hostium depressimus*
Τῶν πολεμίων ἢ δώδεκα ἢ τρισκαίδεκα.	*Duodecim aut forte tredecim.*

Ex his versibus patet tunc temporis multos sermones in civitate fieri de quadam naumachia nuper facta, in qua multæ hostium naves depressæ fuerant. sed inferius manifestum fiet, de qua naumachia intellexerit.

Pag. 220.

Δοῦλον οὐκ ἄγω,	*Servum non veho,*
Εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν.	*Nisi qui navali interfuerit prælio,* *Et fortiter pro carnibus rem gesserit.*

Æstuant Scholiastæ, ut ex his verbis aliquem commodum sensum eliciant, verum mihi non satisfaciunt, licet dicant quosdam legisse τῶν νεκρῶν, quod equidem planiorem sensum exhiberet, sed vetat Plutarchus, qui jam suo tempore τῶν κρεῶν legebat: nam ad hunc locum alludit manifesto in libro *ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicurum*, dum ait, [1] παπαὶ εἰς τὴν γαστέρα τοῖς ἀνθρώποις ἔοικας ἐναλέσθαι, καὶ τὸν περὶ τῶν κρεῶν ἐπάξειν, ubi subintelligere videtur κίνδυνον vel πόλεμον. Sed quare potius in ea pugna de propriis corporibus periclitati fuerint pugnantes, quam in aliis navalibus pugnis, non video. Nam in omni naumachia periculum maximum de proprio corpore & vita pugnantibus imminet, ideo nihil peculiare habuit hæc pugna, quare de carnibus vocari debuerit, quod vult Scholiastes, qui sic commentatur: Φησὶν ὡς οἷον οὐ περὶ χρημάτων καὶ πατρίδος, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἰδίου σώματος. κρέας γὰρ τὸ σῶμα, id est, *ait igitur, quasi non pro divitiis aut patria, sed pro corpore proprio: caro enim corpus est.* At incidit mihi quædam suspicio de hoc loco, quam tibi, lector candide, non celabo. Ea naumachia ad Lesbum insulam & ἀντίον τῆς Μιτυλήνης, ut ait Xenophon, commissa est: fuit autem mons in ea insula Creon nomine, de quo quidem tacuit Strabo & alii, qui extant Geographi

[1] *Papæ! videris in ventrem insilire iis viris, & periculum de carnibus inferre.*

Græci: at Plinius lib. 5 cap. 31 eum nominat, dum de Lesbo insula sic ait: *Montes habet Lepetymnum, Ordynum, Macistum, Creonem, Olympum.* De situ ejus montis nihil addit, sed suspicor de hoc monte Aristophanem aliquid muginatum esse, & eum fuisse ad mare versus Asiam & Arginusas insulas, & circa eum multa ejus naumachiæ symptomata accidisse, unde ἡ περὶ τὴν Κρέοντα ναυμαχία vocata fuerit ea pugna, quæ ab nomine notiori ἡ περὶ Ἀργινούσας dicta fuit. Sed quoniam ejus montis nomen Græce prolatum non invenitur, prosodiæ accommodare id nomen non possumus, & id proponimus tantum dubitantes, non asserimus; si cui conjectura nostra arriserit, satis erit nobis. Cæterum ex hoc loco patet hoc drama prodiisse non multo tempore post eam navalem pugnam, & satis recenti eo negotio, quod ex toto fabulæ contextu colligitur. Ea autem commissa fuit Callia post Antigenem Archonte, ut ex ipso Xenophonte patet lib. 1 Hellenicorum. Fuit autem Callias ille Archon anno 26 belli Peloponnesiaci, sed si numeris Xenophontis crederetur, anno tantum 25. Sed ibi numerum errare patet ex ipso Xenophonte l. 2, ubi recensionem Ephororum facit. Nam ibi Pityas Ephorus, quem coincidere cum Callia facit, vigesimum septimum numerat. Sed qui nuper magistratum inierat, cum Callias jam plures menses Archon fuisset. Nam Ephori autumni tempore eligebantur. Itaque Pitya illo Ephoro vigesimo septimo ineunte annus belli Peloponnesiaci 26 currebat. Nam primus Ephorus, quem recenset Ænesias, sex menses ante belli initium cœperat fungi magistratu.

Pag. 231.

Σκώψωμεν Ἀρχέδημον,	*Taxemus Archidemum,*
Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φρά- τορας.	*Qui septennis nondum tribules edidit,*
Νυνὶ δὲ δημαγωγεῖ, &c.	*Nunc remp. administrat.*

Et ex hoc loco manifestum est Ranas ascendisse in scenam anno 26, ut dictum est. Nam eo tempore [1] Ἀρχέδημος τότε προεστηκὼς ἐν Ἀθήναις καὶ τῆς Δεκελείας ἐπιμελούμενος, Ἐρασινίδῃ ἐπιβολὴν ἐπιβαλὼν &c. quæ narrat Xenophon lib. 1. Cæterum ad hunc locum Scholiastes bene notavit jocum Aristophanis in eo potissimum esse, quod Archedemus ut extraneus traducitur, & pro ὀδόντας præter expectationem dixisse φράτορας. Sed non notavit allusionem falsam nominis, nam φράτορας alludens non ad vocem ὀδόντας, quod ait

[1] *Archedemus, qui tunc Athenis eminebat, & qui curam Decelia habebat, insidias faciens Erasinidi.*

ait Scholiastes, sed ad φραστῆρας, qui φραστῆρες sunt οἱ γνώμονες τῶν ἡλικιῶν ὀδόντες, ut ait Suidas, sed à notatione nominis, non est dubium, quin sint dentes anteriores, qui ad loquendum sunt utiles, ἀπὸ τοῦ φράζειν, quod non notavit ille lexicographus: illi autem dentes anno septimo nascuntur. Ideo dicit ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φραστῆρας, debebat dicere, sed quasi errans pronuntiavit φράτερας, & in eo consistit gratia allusionis.

Pag. 244.

Φιλοτιμότεραι Κλεοφῶντος, ἐφ' οὗ	*Cleophonte mage ambitiosa suo*
Δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις,	*Cujus strepero ore, gravis*
Δεινὸν ἐπιβρέμεται	*Infremit horrisonum*
Θρηϊκία χελιδὼν	*Thracia hirundo melos,*
Ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον,	*Folio residens male barbarico,*
Κελαδεῖ δὲ ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον	*Resonatque uti luscinia heu miseram, hoc:*
Νόμον, ὡς ἀπολεῖται,	*Quod sit periturus,*
Κἂν ἴσαι γίνωνται.	*Quamvis paria sint vota.*

Hæc verba evincunt Cleophontem nondum mortuum fuisse, cum hoc drama prodiit, sed videtur innuere accusationem illi imminere, vel jam institutam esse. Mortuus autem est Cleophon teste Xenophonte lib. 1 in quadam seditione, quæ facta est Athenis post condemnationem Erasinidis & aliorum ducum, in qua evasit Callixenus, & alii, quos populus pœnitentia ductus & ægre ferens mortem tot illustrium virorum carceri mandaverat, & sine dubio Cleophon erat è numero eorum, qui hanc accusationem reformidabant. Sed plures fuerunt eo nomine Athenis. Et de hoc quidem videtur loqui Lysias in oratione contra Nicomachum, qui periit condemnatus accusante Satyro. At de alio Cleophonte, qui fuit unus de triginta tyrannis, vide Lysiam pag. 172. Scholiastes ait de hoc Aristophanæo Cleophonte extitisse drama Platonis comici *Cleophon*, in quo ut Thracem eum traducit: & ait Scholiastes matrem ejus fuisse Thressam, & de hoc etiam Scholiastes Euripidis in Oreste loquitur: sed ubi insigni mendo Delphi Thraces dicuntur. Sic enim legitur: [1] Θρᾷξ ἦν ἐκ Δελφῶν ὁ Κλεόφων, & citat hunc Aristophanis lo-

[1] *Thrax erat è Delphis Cleophon.*

cum, sed legendum est ἐκ Δευέλου, ut ego suspicor, nulla enim urbs Thraciæ propius accedit ad sonum vocis Δέλφων.

Pag. 245.

Καὶ γὰρ αἰσχρόν ἐστι τοὺς μὲν ναυμαχήσαντας μίαν	*Nam turpe est, qui prælio navali interfuerunt semel,*
Καὶ Πλαταιᾶς εὐθὺς εἶναι, κἀντὶ δούλων δεσπότας.	*Hos statim Platæenses & pro servis censeri heros.*

Hic locus est supplementum historiæ Xenophonteæ, qui lib. 1 Hellenicorum de hoc negotio ita scribit de Atheniensibus: [1] ἐψηφίσαντο βοηθεῖν ναυσὶν ἑκατὸν καὶ δέκα, ἐσβιβάζοντες τοὺς ἐν ἡλικίᾳ ὄντας ἅπαντας δούλους καὶ ἐλευθέρους. Ex hoc loco igitur adde, præmium propositum fuisse servis, qui bonam operam in ea expeditione navassent, si reverterentur victores, liberos fore, & Athenis eodem jure usuros, quo Platæenses, qui in civitatem pridem recepti fuerant.

[1] *Decreverant auxiliari navibus centum & decem imponentes omnes, qui in ætate militari erant ingenuos & servos.*

Pag. 257.

Θηραμένης; σοφός γ' ἀνήρ. | *Theramenes? vir prudens.*

Hinc patet hanc fabulam præcessisse mortem Theramenis, qui periit sub triginta Tyrannis anno 28 belli Pelopon.

Ibidem.

Οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κῖος. | *Non Chius, sed Cius.*

Eustathius ad Odyss. α de hoc loco sic ait: τῶν κατὰ τοὺς ἀστραγάλους βαλλόντων, ὁ μὲν τὰ ἓξ δυνάμενος Κῷος καὶ ἑξίτης ἐλέγετο, ὁ δὲ τὰ ἕν, Χῖος, ὅθεν καὶ τὶς παροιμία· Χῖος παραστάς, Κῷον οὐκ ἐάσω· ἧς μέμνηται Στράττις ἐν τῷ, Χῖος παραστὰς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν. ἔνθα ἐνθυμητέον καὶ τὸ τοῦ κωμικοῦ. πέπλωκεν ἔξω τῶν κακῶν οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος, καὶ νοητέον ὡς ἢ ἐσφάλται ἡ γραφὴ τοῦ Κείου, ἢ ἄλλα παρῴδηται ἀπὸ τοῦ κωμικοῦ, id est, *in astragalorum jactibus is, qui valet sex, Cous & Sextius dicebatur: qui vero unum, Chius, unde proverbium, Cum Chius adsit, Coum non relinquam, cujus meminit Strattis, ubi ait: cum Chius adsit, Coum tamen dicere non cessabo. Vnde intelligendum est id, quod dixit Comicus: extra mala cecidit non Chius, sed Cius, & notandum est vel scripturam mendosam esse, quæ Cium habet, vel esse allusionem à Comico factam.* Ex his verbis videtur Eustathius voluisse legi hoc loco non Κῖος vel Κεῖος, sed Κῷος, ut opponatur felicissimus jactus astragalorum infimo & infelici. Quod autem ait Comicus πέπλωκεν ἔξω τῶν κακῶν, ideo dicit, quod Theramenes, cum fuisset trierarchus in pugna ad Arginusas, & illi ut aliis impositum

positum fuisset ad naves subversas opitulari, & enatantes servare, tamen calumniando ad populum decem duces salvum evasisse. id narrat Xenophon lib. 1.

Pag. 262.

Προσπαρδεῖν γ' ἐς τὸ στόμα τῷ θαλάμακι.	*Inferiori remigi in os oppedere.*

De hoc loco & iis, quæ commentati sunt plures Scholiastæ plurimum diversi, supra ad Memnonis pag. 86 tam fuse tractavimus, ut de iis iterum hoc loco dicere superfluum foret, ad eum locum te remitto, lector.

Pag. 268.

— Εὐδαίμων ἄρ' ἦν,	*At beatus ille erat,*
Εἰ κἀστρατήγησέ γε μετ' Ἐρασινίδου.	*Si militasset cum infelici Erasinide.*

Hæc ironice dicta, quæ miserabilem Erasinidæ sortem innuunt, manifeste arguunt hanc fabulam post ejus viri condemnationem & mortem actam fuisse, & cum aliis locis firmant nostram & antiqui Scholiastæ de ejus didascalia sententiam: periit enim Erasinides cum aliis ducibus eodem anno, quo ad Arginusas pugnatum est, Callia Archonte anno belli 26.

Pag. 278.

Ποθεῖ μὲν, ἐχθαίρει δὲ, βούλεται δ' ἔχειν.	*Cupit quidem, sed odit tamen & habere vult.*

Hæc de Alcibiade dicta innuunt, jam eo tempore Alcibiadem absentem esse post infelicem ad Ephesum Antiochi ejus subpræfecti pugnam, post quam in Cherronesum secessit, ut notat antiquus Scholiastes ad vocem Ἀλκιβιάδου, qui quidem optime de eo tempore judicavit, sed ei Scholio assutus est pessimus cento ex altero Scholiaste, qui ait eum tunc ivisse Lacedæmonem, & Spartiatas de munienda Decelea monuisse, quod est rejiciendum ut falsum & contrarium iis, quæ optime decernuntur in Scholii initio.

Pag. 282.

Καὶ Νικομάχῳ.	*Et Nicomacho.*

Hic est, ut reor, Nicomachus, contra quem Lysias accusationem instituit, quæ extat. Fuit autem Scriba, γραμματεὺς, non ὑπηρετὴς. ut quidam Scholiastes male autumat.

Pag, 283.

Pag. 283.

Κλεοφῶν δὲ μαχέσθω. | *Cleopho sua prælia tractat.*

Erat enim ille Cleophon de numero eorum, qui pacem respuebant, & ante hoc tempus post victoriam Atheniensium ad Cyzicum Endio Laconi, legato pacem petenti multum adversatus fuerat, ut ait Diodorus lib. 13, & iterum postea post pugnam ad Cynossema Theopompo Archonte, ut ait Euripidis Scholiastes ad Orestem pag. 153 & 202.

AD

COMOEDIAM ΕΚΚΛΗΣΙΑΖΟΥΣΑΙ.

Annus, quo prodiit, non omnino certus est, sed non multum ante Plutum prodiisse, & forte circa Olympiadem 97 conjecturis verisimilibus astruetur.

In Concionantibus potissimum nobis hæret aqua, nec de ejus dramatis tempore (ut verum fatear) habeo, quid certi dicam. Nam ad eam fabulam Scholia, quæ habemus, brevia admodum & jejuna sunt, & ex iis vix scintilla lucis affulget, & ipsa fabula tanquam vas ἄμφωτον utrinque ansas præbet, easque satis infirmas, ut nescias, unde eam arripere debeas: earum tamen firmitas & robur examinandum est, quod in sequentibus fiet.

Ibidem.

Κάλλις' ἐν εὐσκόποισιν ἐξητημένον. | *Optime in bene speculatoribus expetite.*

Sensus planior foret & melior, si legeretur ἐξηυρημένον. Signum nempe erat lucerna accensa in loco edito suspensa, ut ibi convenirent mulieres: nam εὔσκοποι τόποι sunt *loci eminentes*, qui undequaque prospiciuntur, & utitur ea voce Aristoteles lib. 9 de historia animalium cap. 41, & ideo postea dicit Aristophanes ex persona Praxagoræ lucernam alloquentis, [1] ὅρμα φλογὸς σημεῖα τὰ συγκείμενα. Nam frustra lucernam accendisset ad signum dandum, nisi in loco eminente, unde facile videri posset, suspendisset.

[1] *Excita flammæ signa, de quibus conventum est.*

Pag. 724.

Pag. 724.

Χορδευομένων σωμάτων. | *Motorum corporum.*

Suidas ſuo tempore legebat λορδουμένων, quod ferri poteſt, ſed melior nobis videtur vulgata lectio.

Ibidem.

Ὅσα Σκίροις ἔδοξε ταῖς ἐμαῖς φίλαις.	*Quæcunque Sciris apparuerunt meis amicis.*

Σκίροις interpretantur Scholiaſtæ de feſto, quod Scirophorione menſe fiebat. Sed cum menſis ille fuerit æſtivus & fere Solſtitialis, cui non convenit, ut populi convocatio fiat πρὸς ὄρθρον, *ad diluculum*, ut fit in hac fabula, puto non de feſto, ſed de loco τὸ Σκίροις intelligi debere: nam locus fuit Atticæ in Athenarum ſuburbio Σκίρα; de quo Strabo lib. 9 & Pauſanias in Atticis, Suidas, Stephanus quidem in ſingulari Σκίρον vocat, alii vero omnes pluraliter Σκίρα vel Σκύρα τά.

Pag. 725.

Δεῖ τὰς ἑταίρας κἀγαθιζομένας λαθεῖν.	*Oportet meretrices & bonas latere.*

Doctus Biſetus τὸ ἀγαθιζομένας interpretatur ἀγαθὰ λεγούσας, ſed ſine auctoritate. Ego vero non ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ, ſed ἀπὸ τοῦ ἀγάθιδος id verbum deductum puto: eſt autem ἄγαθις Heſychio δεσμὴ ῥάμματος καὶ στήμονος faſciculus fili & ſubtegminis, glomus, inde ἀγαθίζειν *glomerare*. Henricus Stephanus ſequutus eſt Biſeti interpretationem. Sed ni me fallit opinio, multo melius convenit noſtra interpretatio verbis Sphyromachi illius, quem citat comicus noſter, *oportet meretrices etiam, cum glomerant, latere.*

Pag. 727.

Ἀγύρριος γ' οὖν. | *Agyrrius igitur.*

Quando & in Pluto comœdia hic Agyrrhius etiam traducitur, veriſimile eſt, hanc fabulam non longe ab illius tempore productam fuiſſe.

Pag. 729.

Τὸ συμμαχικὸν αὖ τοῦθ' ὅτ' ἐσκοπούμεθα	*Auxiliatorium rurſus hoc quando conſiderabamus*
Εἰ μὴ γένοιτ' ἀπολεῖν ἔφασκον τὴν πόλιν.	*Si non fieret, perire dicebant civitatem.*

Fffff Quan-

Ὅτε δὴ γ' ἐγένετ' ἤχθοντο. τῶν δ' ἐρητόρων	*Quando autem factum fuit, dolebant. horum autem rhetorum*
Ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐθὺς ἀποδρὰς ᾤχετο.	*Hic quando hoc persuadens, statim fugiens ivit.*

Unicus est hic locus in hac fabula, unde possit aliquid colligi de tempore didascaliæ ejus, si quid commentati essent Scholiastæ, sed tacent, nisi quod ad ultimum versum dicit breviter Κόνωνα λέγει, quod non dubito ex ampliori quodam antiquo scholio desumptum fuisse: debebat certe adjicere, quibus auctoritatibus aut conjecturis fultus id assereret, quod quando non fecit, id tentabo supplere. Omnino enim verum puto Cononem innuere voluisse Comicum nostrum, & primum quidem τὸ συμμαχικὸν, non potest intelligi, quam de celebri illa societate, quæ inter Athenienses, Bœotos, Argivos & Corinthios facta est contra Lacedæmoniorum nimiam potentiam, unde ortum est bellum, quod dictum est συμμαχικὸν & Corinthiacum, de qua societate Xenophon, sed sine anni annotatione lib. 4. Diodorus vero lib. 14 ad Olympiad. 96 annum 2 Archonte Diophanto eam districte ponit: [1] τούτων δὲ τὴν ἀρχὴν παρειληφότων, Βοιωτοὶ καὶ Ἀθηναῖοι, πρὸς δὲ τούτοις Κορίνθιοι καὶ Ἀργεῖοι συμμαχίαν πρὸς ἀλλήλους ἐποιήσαντο· μισουμένων γὰρ τῶν Λακεδαιμονίων &c. quod autem ad ultimum versum [2] ὁ τοῦτ' ἀναπείσας εὐθὺς ἀποδρὰς ᾤχετο, optime de Conone intelligitur: nam ejus præcipue opera & suasione rex Persarum pecunias misit, quibus adjutus Conon socios Lacedæmoniorum ad Athenienses deficere persuasit, & capta Cythera Corinthum ivit, & ibi societatem provexit datis pecuniis. Anno vero sequente, cum muros Athenarum instaurasset, à Teribazo Sardis incarceratus est, unde nunquam rediit; ideo dicit Aristophanes ᾤχετο. Hæc omnia ex Diodoro lib. 14, & ex Æmilio Probo, seu Cornelio Nepote in vita Cononis constant. Ideo credo hanc fabulam prodiisse post Cononis incarcerationem, quæ evenit Eubulide Archonte anno 3 Olymp. 96. Cæterum apud Scholiasten, ubi verba Philochori adducit, corrigenda est vox Λακεδαιμονίων, & pro ea substituendum Ἀθηναίων ex historia, & id etiam optime censet doctissimus Perizius.

[1] *Ii vero cum imperium accepissent, Bœoti & Athenienses & cum iis Corinthii & Argivi societatem inter se inierunt, cum enim odio essent Lacedæmonii.*

[2] *Qui id suaserat, statim effugiens abiit.*

Ibidem.

Ibidem.

Ἱερώνυμος σοφός. | *Hieronymus sapiens.*

Eodem tempore fuit Hieronymus vir clarus, & quem Conon, dum ad conveniendum regem Artaxerxem pergebat, ducem classis regiæ & Atheniensis cum Nicophemo reliquit, ideo & hoc cum supradictis concordat, vide Diodorum lib. 14.

Pag. 730.

Θρασύβουλος. | *Thrasybulus.*

Ad hanc vocem sic Scholiastes: [1] οὗτος αὐθάδης καὶ δωροδόκος, ὑπερόπτης ὢν τοῦ δήμου, &c. Non fuit igitur ille Thrasybulus patriæ suæ liberator & populi amantissimus, sed alius (credo) Θρασύβουλος ὁ Θράσωνος, de quo Plutarchus in Alcibiade, qui hoc tempore vigebat, & Alcibiadem ad populum calumniatus est post malam ad Ephesum pugnam.

[1] *Ille superbus erat & denis corruptus, & spernebat populum.*

Pag. 731.

Ἐν ταῖς φυγαῖς μετ᾽ ἀνδρὸς ᾤκησ᾽ ἐν Πυκνί.	*In Phygis cum viro habitavi in Pycni.*

Lege ἐν Πυκνί. Nam licet hæc vox varie scribatur in hoc tertio casu, qualis foret rectus ejus Dativi? num Πύκνις? at foret inpronuntiabilis hic rectus. Cæterum ad illud ἐν ταῖς φυγαῖς neque Scholiastes nec Bisetus aliquid dixerunt, & interpres tamquam foret χώριον *in Phygis* interpretatur. Lepide certe, at debebat interpretari *in tempore fugarum*: intelligit enim fugas, quæ factæ sunt ab agris & pagis in urbem initio belli Peloponnesiaci, quo tempore ob multitudinem migrantium, omnia loca publica tum sacra tum profana occupata sunt: [2] τά τε ἐρῆμα τῆς πόλεως ᾤκησαν, καὶ τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ἡρῷα πάντα — τό τε Πελασγικὸν καλούμενον. & paulo post: κατεσκευάσαντο δὲ καὶ ἐν τοῖς πύργοις τῶν τειχῶν πολλοί, καὶ ὡς ἕκαστός που ἐδύνατο. Sic Thucydides lib. 2. ubi suspicor legendum κατεσκηνώσαντο, id est, *tentoria vel tuguriola sibi fecerunt.* Igitur ἡ Πνὺξ area publica, in qua ecclesiæ & conciones fiebant, eo quod plurimum spatii habebat in circuitu, proculdubio quosdam etiam ex illis novis incolis accepit: nam in ipso medio non credo ob necessitatem convocandi populum. Ergo ait Praxagora se didicisse concionari, quando in fugarum tempore habitabat in Pnyce, & ibi sæpe concionantes rhetoras audiebat.

[2] *Deserta urbis loca occuparunt & templa & heroibus dicata omnia — & Pelasgicum vocatum — habitaverunt etiam in turribus murorum multi, & ubi quisque poterat.*

Pag. 731.

Τί δ' ἢν Νεοκλείδης ὁ Γλάμων σε λοιδορῇ.	*Quid si Neoclides Gamon te mordet?*

Hunc Neoclidem in Pluto etiam ut lippum & furem & turbantem in concionibus exagitat; quod etiam argumento est, hujus fabulæ natalitia non multum abfuisse à Pluti διδασκαλίᾳ.

Ibidem.

Τὰς χεῖρας αἴρειν μνημονεύσομεν τότε,	*Manus elevare meminerimus tunc,*
Εἰθισμέναι γὰρ ἐσμὲν αἴρειν τὰ σκέλη.	*Consueta enim sumus extollere crura.*

Ad hæc Scholiastes: ὥσπερ οἱ ῥήτορες οἱ χειρονόμοι. Hæc ait ad αἴρειν τὰς χεῖρας, nec planum est, quid intelligat. Sed certum est comicum intelligere de manuum exertatione, quæ fiebat in ferendis suffragiis: quod ajunt mulieres solitas esse αἴρειν τὰ σκέλη, sensus est obscœnus, id Martialis dixit *tollere pedes*.

Pag. 732.

Πρῳ̈ πάνυ τοῦ κνέφους.	*Mane valde tenebra.*

Hinc oritur non levis suspicio, quod hæc fabula prodierit Lenæis Liberalibus hieme, ut comici fictio concordet cum tempore, quo repræsentabatur fabula. Nam tunc hiems erat, & dies brevissimi, ideo diluculo cogebatur populus, non vero tam mane verno tempore jam diebus satis prolixis.

Pag. 733.

— ἀλλ' οὐχὶ Μυρωνίδης	*Sed non Myronides,*
Ὅτ' ἦρχεν ὁ γεννάδας, οὐδεὶς ἂν ἐτόλμα	*Quando imperabit ille generosus, nullus audebat*
Τὰ τῆς πόλεως διοικεῖν, ἀργύριον φέρων.	*Hæc civitatis gubernare argentum ferens:*
Ἀλλ' ἧκεν ἕκαστος ἐν ἀσκιδίῳ φέρων	*Sed veniebat singulus in utriculo ferens:*
Πιεῖν ἅμα τ' ἄρτον αὖ καὶ δύο κρομμύω.	*Bibere simulque panem rursus & duas cepas.*

Prima facie hic locus mihi suadebat hanc fabulam debere poni in ordine primarum, quas composuerat Comicus; nam illa verba, ἐν ἀσκιδίῳ

ἀσκίδιον φέρων πιεῖν ἅμα τ' ἄρτον καὶ δύο κρομμύω, videbantur esse ejus, qui viderit & meminerit: at Myronides ille rempublicam tractabat anno 24 post fugam Xerxis, & annis 26 ante bellum Peloponnesiacum, & eo anno vel circiter superavit Bœotos ad Oenophyta, ut notat Eusebius in sua Chronologia. Sed postea cum accuratius id pensitavi, & annos numeravi, mutavi sententiam. Nam & potuit post eam victoriam plures annos vixisse Myronides, nam de anno, quo mortuus est, nihil dicunt Historici, qui extant, & senes septuagenarii potuerant eum vidisse adolescentes, & senes ut plurimum se seniores faciunt, & omnia se vidisse mendaciter jactant, quod comice taxat Aristophanes. Itaque non pugnat hic locus cum aliis, quos notavi innuere hanc fabulam prodiisse non multum ante Plutum.

Pag. 736.

Εὐπρεπὴς νεανίας	*Pulcher adolescens*
Λευκός τις ἀνεπήδησεν ὅμοιος Νικίᾳ.	*Albus quidam insiluit similis Niciæ.*

Nec turbare aliquem debet hic locus, ut inducatur credere, Nicia duce illo celebri adolescente hanc fabulam actam fuisse. Nam plures eo nomine fuerunt Niciæ, & hic, de quo loquitur Aristophanes, fuit, ut puto, Niciæ illius ducis, qui in Sicilia periit, ex Nicerato filio nepos, qui Niceratus sub triginta tyrannis occisus est, de quo loquitur Lysias in oratione περὶ τῆς δημεύσεως τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ, de quo etiam mentionem fecit Ælianus lib. 4 cap. 23, & tempus bene concordat: nam de Nicia, ut de adolescente imberbi, loquitur, cujus pater ante duodecim aut circiter annos Archonte Pythodoro perierat. At ille Nicerati filius, de quo Lysias loquitur, erat adhuc infans, & positus est super genua Pausaniæ. Poterat igitur tempore hujus didascaliæ natus esse sexdecim aut septemdecim annos, & imberbis esse ut mulier.

Pag. 743.

Εἴ σε φιλήσειεν Ἀρίστυλλος. | *Si te osculabitur Aristyllus.*

Hunc Aristullum, cujus basium ait timendum esse, exagitavit etiam in Pluto, ut vir, cujus nasus stercus olebat, & de nare loquebatur, quod & rursus indicat hanc fabulam & Plutum non multum differre tempore.

Pag. 745.

Pag. 745.

Θρῖα δίφορυ σύκης. | *Folia bis fructifera ficus.*

Scholiastes hæc verba non intellexit, & nescio quæ de prurigine, quam facit asperitas foliorum, & de aliis muginatur. Sed nihil aliud intelligit Comicus per δίφορον σύκην, quam τὸ πέος, membrum virile, quod sic vocat διὰ τὸ ἔχειν ὄρχεις δύο κρεμαμένας ὥσπερ καρπὺς, ob duo testiculos appendentes, & sic ridiculi gratia alludit ad ficus, qui vocantur duplices, eo quòd combinatos fructus ferant. Sensus est obscœnus, in quo explicando non est immorandum. De interpretatione vocum, quæ à δι & δις incipiunt, supra fuse diximus ad Herodoti pag. 22, ubi explicavimus, quid sit δίφορος.

Ibidem.

Λυρύκειναν. | *Lyram novam.*

Interpres ita vertit, mutans proculdubio, & legens λύραν καινὴν. At tu repone meo periculo κηρυκείνην, id est, *præconissam*, nec mirum, si novis vocibus utitur, & ab eo ipso formatis in rebus novis & non antea visis nec cogitatis.

Pag. 746.

Κατωνάκη τὸν χοῖρον ἀποτετιλμένας.	*Pelle porcum evellentes.*

Inutilis est καλωνάκη ad tale ministerium. Repone ἀποπτιλημένας ab ἀποπιλάομαι, quod est detergo, sic sensus planus erit.

Pag. 748.

Φιλ. Πανυ γ' ἀν ὗν Ἀντισθένης	*Ph. Valde igitur Antisthenes*
Ἀυτ' εἰσένεγκοι. πολὺ γὰρ ἐμμελέστερον	*Ipsa inferet. multo. enim aptius*
Πρότερον χέσαι πλεῖν ἢ τριάκονθ' ἡμέρας.	*Prius cacare plus quam triginta dies.*
Αν. οἰμώζε. Φιλ. Καλλίμαχος ὁ χοροδιδάσκαλος	*Vir. Luge. Ph. Callimachus tripudii præceptor*
Ἀυτοῖσιν εἰσοίσει. τί πλείω Καλλίου.	*Ipsis inferet. quid plura? Callia.*

Hæc admodum turbata videntur, nec ex hoc loco, ut legitur, potest elici commodus sensus, nec ad aliud refero Scholiastarum silentium, quam quod eum locum desperatæ sanitatis existimaverunt, tamen eum resarcire tentabo. Primum igitur de Antisthene supra locutus

cutus est, ut de viro durum cacante pag. 734, hic vero etiam avarum fuisse innuit, ut Callimachum pauperem. Pheidolus igitur, qui demovere vult virum deponentem à bonis deponendis allegat & adducit ad exemplum hos viros, quorum alterum propter avaritiam, alterum propter paupertatem nihil depositūros confidit, & ait, si deponendæ forent res, eos promptissimos fuisse ad deponendum & sic à contrario sensu eos viros Comico sale inspergit Poeta. Vir autem deponens ait non mirum esse, si Antisthenes nondum deponat, cum adeo sit avarus, & à deponendo aliquid alienus, ut antequam feces deponat, gemat plus quam triginta dies. Sic ergo lego & distinguo.

— Φειδ. πάνυ γ' ἂν οὖν Ἀντισθένης
Αὐτ' εἰσενέγκοι πολύ γ' ἐμμελέστερον.
Αν. πρότερον χέσαι πλεῖν ἢ τριάκονθ' ἡμέρας
Οἰμώζει. Φειδ. Καλλίμαχος δ' ὁ χοροδιδάσκαλος
Αὐτοῖσιν εἰσοίσει τι πλεῖον Καλλίου.

quæ sic de verbo ad verbum Latine redduntur.

— Vir parcus. *omnino igitur Antisthenes*
Ea deponet, multa certe curiosius.
Vir deponens. *Prius quam cacet, plus quam triginta dies*
Gemit. Vir parc. *Callimachus vero Chori magister*
Suis manibus inferret aliquid plus quam Callias.

Ultimo autem hoc versu pungit Calliam Hipponici, ut helluonem & dilapidatorem avitarum & paternarum divitiarum, & qui multa deponebat, de cujus vita prodiga & morte voluntaria ob paupertatem imminentem vide Ælianum var. hist. lib. 4 cap. 23, & Andocidem περὶ τῶν μυστηρίων, & Aristotelem rhetoric. 3 cap. 2.

Ibidem.

Μεστὴν ἀπῆρα τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων.	*Plenam elevavi peram aereorum habens.*

Simiarum scilicet more, qui nummos in buccis abscondunt: nam quod crumenam vertit interpres, est sine exemplo.

Pag. 751.

Ὀρθαγόραν.	*Orthagoram.*

Interpretatur Scholiastes τὸ αἰδοῖον, nescio quam bene: nam apud Platonem in Protagora Orthagoras vocatur aliquis, qui optime tibia canebat. Tzetzes vero ad Lycophronem pag. 94 hæc habet.

Ὀρθάνης

'Ορθάνης δαίμων πελαπώδης περὶ τῇ 'Αφροδίτῃ. Hoc loco melius mihi videtur intelligere tibicinem illum celebrem.

Pag. 754.

Ἐξωμοσία δ' οὐκ ἔστιν. | *Perjurium autem non est.*

Ἐξωμοσία secundum Scholiasten & alios est excusatio, quæ proponitur in judicio ob absentiam ejus, qui in jus vocatus est, quæ fiebat juramento interposito per procuratorem, qui jurabat ἔξω εἶναι τὸν κληθέντα, *foris esse eum, qui in jus vocatus erat*, & à formula illa judiciali Græcorum ἔξω εἶναι ὄμνυμι verisimile est manasse vocem illam forensem & jam obsoletam *exoine*, qua utebantur pro excusatione majores nostri. Nam plures tales voces Græcas tritavi nostri post recuperatam à Græcis Constantinopolim ad nos attulerunt, ut notare est facile. Ex superioribus licet colligere hanc fabulam fere contemporaneam esse fabulæ, cujus est titulus Πλοῦτος. Anteriorem esse suadet auctor anonymus vitæ Aristophanis, sed proculdubio antiquus, qui Plutum fabulam omnium ultimam censet, post quam nullam aliam suo nomine composuit Aristophanes; annum certo notare non ausim, nam argumenta, quibus utitur Petitus, & probare intendit eam sine dubio prodiisse anno 4 Olymp. 96; mihi infirmiora videntur, quam ut quis possit secundum ea aliquid certi pronuntiare. Nam quod ex Philochoro attulit Scholiastes πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν, licet emendetur (ut credo debere fieri) 'Αθηναίων καὶ Βοιωτῶν, id non evincit: nam illud πρὸ δύο ἐτῶν non videmus, ad quem terminum seu annum referri debeat. Nimis breviter enim ea verba citavit Scholiastes, nec credo Philochorum in suis Atticis notasse annos, quibus fabulas suas docuit Aristophanes. Non tamen ibo inficias satis verisimile esse hanc fabulam prodiisse eo anno, quo eam prodiisse decernit Petitus. Sed aliud est verisimile quid proponere, aliud verum quid asserere; audacter etiam decernit idem doctus vir eam prodiisse Panathenæis, quod falsum esse omnino videtur: nam hieme in Lenæis actam fuisse, dum diluculo cogebatur ecclesia, supra probavimus, & de Sciris loco intelligi debere verba Comici, non de festo, ob eandem causam demonstravimus, & de thallis quod ait, sublestum est omnino: non enim de Panathenæorum pompa agitur, dum vir suam omnem profert suppellectilem è domo, deponit etiam θαλλούς ramos quosdam olivæ. Sed Scholiastes ait Comicum alludere tantum ad Panathenæorum

næorum pompam, in qua ſenes ramos illos ferebant. Ridicule igitur facit virum omnia ſua tam religioſe deponere in publicum, ut etiam ramos illos, quos ſervaverat domi, deponat: ſic noſtri ruſtici die ſancti Joannis circa ſolſtitium ramis arboris nucis domos ſuas ornant, quas ſæpe per totam hiemem uſque ad ſolſtitium anni ſequentis ſervant. In ſumma nihil video, quod me poſſit inducere, ut dubitem tantum hanc fabulam Panathenæis actam fuiſſe. Si quis tamen certiora docuerit, lubens & lætus docebor, & ſi quis quid docere poterit de tempore, quo decreta quædam facta ſunt de ſalis negotio, & de moneta ærea abrogata, quæ tamen paulo poſt antiquata fuerunt, de quibus loquitur Comicus, facem præferet in his tenebris, & ſic annum certo deſignare liceret.

AD

COMOEDIAM ΠΛΟΥΤΟΣ.

Anno 4 Olympiad. 97, ut docet vetus quidam Scholiaſtes in argumento fabulæ.

Annum, quo acta fuit fabula Plutus, ex ipſius fabulæ verbis definire, & firmare epocham, quam poſuit Scholiaſtes in fabulæ argumento, non eſt in proclivi. Nam in ea Ariſtophanes contra ſuum morem parum res civitatis & publica negotia tangit, unde conjecturæ de tempore & anno commode elici poſſint. Quod ipſum indicio eſt licentiam illam comicam, qua in cæteris Satyrice utitur, plurimum deferbuiſſe libertate jam imminuta & pura illa democratia vim paſſa; conabimur tamen ex ſcintillis exiguis aliquantum luminis excitare, & faculam accendere, quæ in iis tenebris nobis præluceat, prout in notis ſequentibus occaſionem invenero.

Pag. 18.

Τὸ δὲ ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ' οὗτος τρέφει.	*Conductum exercitum in Corintho hic non alit.*

Præſidium igitur alebatur ab Athenienſibus Corinthi hujus dramatis tempore, ut ex his verbis patet, quod fiebat, dum bellum gerebant Lacedæmonii cum Athenienſibus, Thebanis, Argivis, & Corinthiis, ſocietate junctis ad id bellum, quod gerebatur in Corinthiorum regione, quod συμμαχικὸν & Corinthiacum vocatum

 eſt,

eſt, ut videre eſt apud Pauſaniam in Laconicis pag. 91. Duces Athenienſium fuerunt Iphicrates, Callias, Polyſtratus, & Chabrias. Id factum eſt poſt reditum Ageſilai ex Aſia, ut notat Xenophon Hellenicorum 4 & Demoſthenes Philippica prima. Societas illa facta eſt ſecundum Diodorum anno 2 Olymp. 96. Bellum cœpit fieri anno ſequente, duravit ſex annos integros vel plus uſque ad pacem Antalcidæ dictam, quam Artaxerxes Mnemon fieri curavit anno 2 Olymp. 48 ſecundum Diodorum & Euſebium. Notandum eſt autem ad hunc locum Scholiaſten quendam dixiſſe, Plutum bis prodiiſſe in Theatrum, & hac ultima vice 20 annis poſt primam didaſcaliam, quod ſit penes ejus fidem, nam de eo in ipſa fabula nullum apparet veſtigium: nam prima hypotheſis quæ proculdubio eſt antiqui Scholiaſtæ (nam & contendentes cum Ariſtophane recenſet, & multa alia particulariter narrat) de illa ante annos 20 didaſcalia οὐδὲ γρῦ. Ideo nihil eſt in eo certi.

Pag. 19.

Ὁ Πάμφιλος. | *Pamphilus.*

Pamphilus dux Athenienſis eo tempore florebat, & Æginam obſidione premebat, ſed ipſe in caſtris ſtatim obſeſſus à Teleutia Lacone primum, poſtea vero ab Hierace & Gorgopa per quinque menſium ſpatium multa paſſus eſt, ut narrat Xenophon lib. 5. Ideo credo hoc negotium tangere velle Ariſtophanem, & Athenienſes monere de miſeria ducis illius, qui ceſſantibus auxiliis in extremam adductus erat neceſſitatem ob Plutum, id eſt, avaritiam & divitiarum amorem Athenienſium, qui auxilium illi mittere inſuper habebant, unde ſequebatur illum ploraturum eſſe. Aliter quidem Scholiaſtes quidam de quodam daniſta interpretatur, ſed non mihi videtur καλῶς εἰκάζειν.

Ibidem.

Ἀργύριος δὲ. | *Argyrius.*

Eodem tempore Argyrius etiam dux claſſis Athenienſis factus eſt poſt Thraſybuli mortem. Xenophon in fine libri 4.

Ibidem.

Ἡ ξυμμαχία δ᾽ οὐχὶ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις. | *Non propter te auxilium Ægyptiis datur.*

Hoc loco præcipue cæcutiunt Scholiaſtæ, dum alii ad Amaſin, alii ad Inarum, alii ad Pſammetichum eam ſocietatem referunt. Ea

ſocietas,

ſocietas, ſi publice fuit cum Ægyptiis facta, nulli hiſtoricorum memoratur. Putavi aliquando debere legi Αἰγεσταίοις, eo quod olim ſpe lucri & divitiarum cauſa, ad quas inſpiciendas legatos miſerant Athenienſes, cum Ægeſtæis Siculis ſocietas inita fuerat, & quod ea ſocietas cauſa fuerat omnium malorum, quæ perpeſſi ſunt Athenienſes, ejus memoriam revocare velle Comicum. Sed δεύτεραι φροντὶς mihi aliud ſuggeſſit: credo enim Chabriam notare Comicum, qui eo tempore ſine publica auctoritate cum Nectanebo Ægyptiorum rege præmiorum magnitudine inductus ſocietatem inierat, & ſub illo militabat. Ideo Artaxerxe propter id quiritante publico decreto revocatus eſt, quod diſcimus ex Æmilio Probo in Chabria.

Ibidem.

Ἐρᾷ δὲ Λαῒς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου.	*An non propter te Lais amat Philonidem?*

Super hoc loco multa blaterant, & in caſſum altercantur Scholiaſtæ, dum tempora putant & ajunt Ariſtophanem non dicere conſentanea tempori, quo ſcripſit. Nam omnino accedo ad Athenæi ſententiam, qui locum hunc emendavit, & cenſuit legendum Ναΐς, quem ſequutus eſt Harpocration, & jure. Nam ſatis evidenter probat Athenæus Ναΐδα fuiſſe Athenienſe ſcortum nobile Philonidi addictum ob divitias, cum foret alioqui, ut notant Scholiaſtæ, ſtolidus, & Lyſiam citat in oratione contra Philonidem, ubi hanc Naïdem illi exprobraverat. eum vide lib. 13 cap. 6 & 7.

Pag. 20.

Ὁ Τιμοθέου δὲ πύργος;	*At Timothei turris?*

Timotheus Cononis filius tunc temporis Antipatro Archonte incipiebat florere, & de eo hunc locum intelligit Suidas in Τιμόθεος & Scholiaſtæ, & ut ex hoc loco colligitur, turrim ædificaverat, propter quam nimis eleganter & magnis ſumptibus extructam in invidiam eum trahit Ariſtophanes, nec de alio eum credo loqui; nam & turris eſſe debuit ædificium potentis & inſignis cujuſdam viri, & tempora concordant.

Pag. 41.

Τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τοῦ Παμφίλου.	*A Pamphili Heraclidis ne tantillum quidem.*

Plures Scholiaſtæ ad hæc verba multa commentati ſunt, & alius per Pamphilum illum intelligit celebrem pictorem, qui Heraclidas

 ſuppli-

supplices depinxerat in quadam porticu Athenis, quod videtur satis verisimile: nam Comicus de iis loquitur, tanquam de re visibili, cui comparari possit alia res, quæ videtur. dum ait: ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος. Alter Pamphilum ait fuisse tragicum Poëtam, qui drama fecerat Ἡρακλεῖδαι, sed ab altero reprehenditur, eo quod Pamphilus ille tragicus posterior fuit Aristophane. Alius denique ad ea verba hæc ἄτοπα commentatur: ὁ Πάμφιλος οὗτος εἷς ἦν τῶν Ἡρακλειδῶν, υἱὸς μὲν Αἰγιμίου, ἀδελφὸς δὲ Δυμᾶνος καὶ Δώρου, ἀφ' ὧν φυλαὶ ἐν Λακεδαίμονι Παμφυλεῖς καὶ Δυμᾶνες καὶ Δωριεῖς, ἀφ' ἧς οἱ Δωριεῖς, οἵτινες οἰκοῦντες πρότερον τὴν Πίνδον μίαν οὖσαν τῆς τετραπόλεως τῆς ἐπ' Εὐβοίᾳ, ἀφικνοῦν εἰς τὴν μεταξὺ Οἴτης καὶ Παρνασοῦ Δωρίδα ἑξάπολιν οὖσαν. ἐστὶ δὲ Ἐρινεὸν, Κυτίνιον, Βοῖον, Λίλαιον, Κάρφαια, Δρυόπη, id est, *Pamphilus ille, unus erat ex Heraclidis, filius quidem Ægimii, frater vero Dymai & Dori, à quibus tribus Lacedæmone Pamphiles & Dymenes & Dores, à qua Dorienses, qui quidem primum habitantes Pindum, quæ una erat ex urbibus tetrapolis, quæ est ad Eubœam, migrarunt Doridem, quæ est inter Oetam & Parnassum sex urbibus habitatam, sunt autem Erineum, Cytinium, Bœum, Lilæum, Carphæa, Dryope.* Hic locus multum me exercuit, multa movi, ut lucem afferrem his tenebris, sed incassum: nam tandem animadverti hæc esse non commentaria, sed monstra Chonologica & Geographica. Nam dum ait de tribu illa, quæ Lacedæmone erat, & vocabatur Δωρεῖς, ἀφ' ἧς οἱ Δωριεῖς, &c. quid absurdius in ratione temporum dici potest? Nam Dores, qui Erineum & Cytinium & Bœum habitabant, antiquiores fuerunt Hercule, qui Æpalium eorum regem à Dryopibus pulsum in regnum reduxit: at Heraclidæ centum post Herculis mortem aut circiter annis Lacedæmonem occupaverunt, quod à nemine ignoratur, & videtur ipse, qui hæc dixit, palinodiam cecinisse, dum ait ex hexapoli, quæ est inter Parnassum & Oetam, Heraclidas cum iis, qui ex Attica migrabant, Lacedæmonem venisse. Ideo nescit, quid sibi velit. Nec minus in Geographicis peccat, dum Pindum ponit ἐν τετραπόλει ἐπ' Εὐβοίᾳ. Nam omnes, qui de ea tetrapoli tractarunt, nunquam de Pindo mentionem in ea fecerunt, sed quatuor urbes, quæ eam τετράπολιν constituebant, fuerunt *Marathon, Probalinthus, Oenoë & Tricorythus.* Sed originem erroris video. Sequutus est hic Scholiastes errorem codicum Diodori, ubi legitur lib. 4 καὶ κατῴκησεν ἐν Ἐρινεῷ, καὶ Κυτινίῳ, καὶ Εὐβοίᾳ, quem errorem supra emendavimus ad Diodori paginam 187. & docuimus legendum esse καὶ ἐν Βοίῳ. Sed ne te teneam lector,

ctor, de hoc Scholio audacter pronunciare potes, οὐδὲν ὑγιές.

Pag. 58.

Ὑμεῖς γ' οἵπερ καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον εἶναι ὅμοιον.	*Vos sane, qui Dionysium adaequare soletis Thrasybulo.*

Ridetur hoc loco comparatio, quæ facta fuerat à quodam adulatore tyrannorum viro, Dionysii tyranni cum Thrasybulo, ut alienissima & ridicula, unde optime concluditur, illum Thrasybulum intelligi debere, qui nuper Atheniensium civitati libertatem restituerat. Nam Dionysius anno ultimo belli Peloponnesiaci sex menses aut circiter ante longorum murorum eversionem libertatem suorum civium Syracusanorum oppresserat, itaque minime pares erant: nam Dionysius, quo tempore drama hoc prodiit, jam in tyrannum atrocissimum & immanem evaserat. Itaque hoc drama non prodiit Diocle Archonte, ut quidam dixerunt, sed id decernunt de primo quodam Pluto, de quo, quoniam non extat, taceo.

Pag. 62.

Scholiastes ad has voces κοτίνῳ στεφανῶ sic commentatur: [1] οὐ κοτίνῳ δὲ ἐστεφανοῦντο, ἀλλὰ τῷ τῆς καλλιστεφάνου ἐλαίας κλάδῳ ἐστεφανοῦντο. οὐκ ἀκριβῶς οὖν. Certe οὐκ ἀκριβῶς σύ, ô Scholiastes, nam κότινος & ἐλαία καλλιστέφανος, unum & idem est teste Pausania in Heliacorum primo.

Pag. 78.

Κομίσω καταχύσματα.	*Missilia afferam.*

Scholiastes ad hunc locum ait boni ominis causa, in servos nuper emptos, ut & in sponsum vel nurum solitos Græcos fundere bellaria, & fructus, quod egregie firmat Demosthenes in orat. κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυριῶν, his verbis: [2] καὶ ἡ καταχύσματα αὐτῷ κατεχεῖ, πρὶν ὠνίκα ἐγένετο.

Pag. 109.

Μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ φυλὴν κατέλαβες.	*Ne memineris injuriarum, quæso, qui nunc Phylam habes.*

Argumentum ex hoc loco validissimum elicitur, quo probatur hanc fabulam prodiisse post instauratam remp. Atheniensium & triginta tyrannos sublatos & amnestiam, quæ secuta est. Sic enim de eo negotio Xenophon in fine libri 2 Hellenic. [3] καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος. Et Andocides ἐν τῷ περὶ μυστηρίων sic: [4] ἐπειδὰν ἐπανέλθητε

[1] *Non oleastro autem coronabantur, sed ramo olivæ, quæ calistephanus vocabatur: non igitur exacte.*
[2] *Et catachysmata in eum effudit, quando emptus est.*
[3] *Et jurantes sibi invicem non improperaturos mala simul remp. administrant & servat populus juramentum.*
[4] *Postquam redistis è Piræo, visum est vobis non debere exprobrari mala invicem.*

νέλθετε ἐκ Πειραιέως, ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις. Futilis est autem & nullius pretii ille Scholiastes, qui vult ea nondum evenisse.

Pag. 111.


Ἀλλ' ὁ θεὸς ἤδη βλέπει, Ὥσθ' ἡγεμόνος οὐδὲν δεησόμεθ' ἔτι.	*Neque ductore est nobis opus,* *Nam Plutus nunc videt.*

Argutiam quandam sub his verbis latere puto, quam non sunt subodorati Scholiastæ, nam sub plano sensu de visu recuperato & de viæ exploratore & ductore superfluo alius subtilior absconditur. Affectabant Lacones τὸ ἡγεμόνες εἶναι & in pace cum Lysandro facta inter cætera convenerat [1] τοὺς Ἀθηναίους Λακεδαιμονίοις ἕπεσθαι καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, ὅποι ἂν ἡγῶνται, ut ait Xenophon lib. 2. Tempore autem, quo recitata fuit hæc comœdia, jam recuperata libertate, muris instauratis, & magna Græciæ parte contra Lacedæmonios conjurata, & Persarum pecuniis à Timocrate Rhodio summatibus Thebanorum, Argivorum, & Corinthiorum distributis, jam poterant sperare Athenienses, se non amplius fore sub eorum ἡγεμονίᾳ seu ducatu, sed potius aliorum ἡγεμόνας futuros, quod iis expresse promiserat Thebanorum legatus apud Xenophontem lib. 3 Hellenicorum. [2] νῦν δὲ πάντων καὶ ἡμῶν καὶ Πελοποννησίων, καὶ ὧν πρόσθεν ἤρχετε, καὶ αὐτοῦ βασιλέως τοῦ μεγίστην δύναμιν ἔχοντος ἡγεμόνες ἂν γένοισθε. Hoc igitur boni ominis causa dicit Aristophanes, *jam Deus videt, non amplius opus habebimus duce.* Id est, non erimus sub aliorum ducatu, tamquam si, dum sub imperio Laconum & tyrannorum fuerant, Deus non vidisset, &, ut eam calamitatem pateretur, clausisset oculos, & providentiæ suæ curam tanquam cæcam cessantem habuisset. Hæc igitur ludit in verborum ambiguo sensu, & populo fausta ominatur.

[1] *Athenienses sequi debere Lacedæmonios & in terra & in mari, ubi eos duxerint.*

[2] *Nunc vero omnium nostrorum & Peloponnesiorum & eorum omnium, quibus antea imperabatis, & ipsius regis, qui maximam potentiam habet, ductores fietis.*

JACOBI



JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL, MILITIS CADOMENSIS,

EXERCITATIONES AD THEOCRITI SYRACUSANI IDYLLIA.

AD IDYLLIUM I. VERSU 146.

Καὶ ἀπ' Αἰγίλω ἰσχάδα τρώγοις.	*Atque comedas ficum ex Ægilo decerptam.*

Plura ad hunc locum doctissimus Hensius in lectionibus Theocriticis cap. 4, & contendit legi debere ἀπ' αἰγείρω pro ἀπ' αἰγείρω (αἴγειρος autem populum arborem significat.) Ait enim Grammaticos olim notasse αἴγειρον χωρὶς τοῦ ι λέγεσθαι, at eos Grammaticos nominare oblitus est. At vulgata lectio optima non eget mutatione, quod ex uno Athenæi loco omnino firmabimus, qui lib. 14 cap. 18 sic habet: Φιλήμων δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀττικῶν ὀνομάτων Αἰγιλίδας φησὶν εἶναι τὰς καλλίστας ἰσχάδας. Αἰγίλων δὲ εἶναι δῆμον τῆς Ἀττικῆς ἀπὸ ἥρωός τινος Αἰγίλου ὀνομασμένον, id est, *Philemon libro de nominibus Atticis ait Ægilidas ficus aridas optimas esse: Ægilum vero esse pagum Atticæ à quodam Ægilo Heroë denominatum.* Maneat igitur vulgata lectio, quæ pulchre con-

gruit

gruit antecedentibus: optat nempe caprarius, ut Thyrsidi omnia optima eveniant, ut melle & favis os plenum habeat, & ficus præstantes ex Ægilo comedat. Summi viri interpretatio difficultatem satis magnam apportat; nam si ficus è populo arbore legendæ forent, id non sine magno labore fieret: populus enim arbor est altissima, unde decerpere ficus difficile foret, tum ἰσχὰς non est ficus recens ex arbore lecta, sed ficus ad solem siccata post collectionem, hominum opera.

Ad Idyllium 2. versu 2.

Στέψον τὰν κελέβαν. | *Cinge calicem.*

Casaubonus ad hunc locum notat apud Nicandrum in theriacis κελέβην esse pilam, in qua aliquid pinsitur, hoc est, mortarium, & ait nihil vetare, quominus hoc loco sic intelligatur. Ego vero audacter affirmo sic accipi debere, nec posse aliter intelligi. Hoc Idyllium inscribitur Φαρμακεύτρια, quæ vox nihil aliud sonat, quam φάρμακα τρίβουσα, i.e. quæ venena pinsit seu medicamenta venefica: & ipsa Simætha sic ait versu 58. σαῦραν τοι τρίψασα κακὸν ποτὸν αὔριον οἰσῶ. *Lacertam pinsens malam potionem cras feram.* At id fieri non poterat sine pilæ usu. Ut igitur in sacris coronabant aras, sic etiam hæc venefica in magicis suis sacris vult coronari pilam, in qua pinsere volebat lacertam, & alia sua venena seu τὰ θρόνα. Pinsebat autem ad Lunæ fulgorem, ideo ait postea, ἀλλὰ Σελάνα, φαῖνε καλὸν, id est, *sed, ô Luna, lucem claram præbe.* Ideo hoc loco κελέβη nihil aliud potest esse, quam ὅλμος *pila.*

Versu 3.

φίλον καταθύσομαι ἄνδρα. | *Amatorem meum carmine magico persequar.*

Vir summus contendit φίλον hoc loco & sæpissime significare non *amicum* aut *carum*, sed ἴδιον, id est, *proprium*, vel ἐμὸν *meum*, & exemplum citat ex Hesiodi Theogonia, φίλου δ' ἐπὶ μήδεα πατρὸς ἐσσομένως ἤμησε, quod exemplum mihi videtur omnino contra suam sententiam apponere. Nam si per φίλου πατρὸς debet intelligi ἰδίου πατρὸς, illud φίλου παρέλκει: nam necessario pater habet ad filium relationem, & non potest pater dici ἀλλότριος, sed semper intelligitur πατὴρ de unico & proprio patre. Sed φίλου πατρὸς apud Hesiodum *cari patris* debet interpretari, eo quod carus semper debet esse pater, & hoc epithetum additur κατὰ τὸ πρέπον.

Versu 14.

Versu 14.

Χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι. | *Salve Hecate terribilis.*

Multa & diversa traduntur de hujus vocis etymo. Addam & aliud, quod Hecaten deam nocte errantem satis decet, ἀπὸ τῆ δαΐδι πλήττειν, quod obvios sibi in nocte face percutit.

Versu 21.

Πάσσ' ἅμα. | *Sparge simul.*

Doctus vir contendit legendum πάσσ' ἅλα, id est, *sparge sal*, sed infœliciter: non enim vox ἅλς, ἁλὸς in singulari accipitur pro sale, sed semper significat mare: sed pro sale ἅλες pluraliter semper usurpatur. Nihil igitur est mutandum, vox enim ἅμα bonum & commodum habet sensum: docet enim ancillam Simætha, quod faciundum erat, ut simulationem perageret, & jubet, ut spargendo farinam simul dicat Δελφίδος ὀστία πάσσω, id est, *Delphidis ossa inspergo.* Est enim ἅμα adverbium temporis, sed fefellit virum doctissimum vox τάκεται, quam non intellexit: est enim hoc loco non declarativa ejus, quod fit, sed imperativa ejus, quod fieri debet. Sic enim loquebantur in sacris, ut apud Aristophanem in Pace Hierocles Chresmologus monens sacrificantem Trygæum ait: ἡ γλῶσσα χωρὶς τέμνεται, id est, *secari debet.* Sic hoc loco ἄλφιτά τοι πρᾶτον πυρὶ τάκεται, id est, *debet farina primum consumi*, & est ordo sacrorum, quem insinuat ancillæ. Sæpissime etiam præsens pro paulo post futuro sumitur, ut infra sequente Idyllio. Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα, & sexcentis aliis locis. Ideo πάσσ' ἅμα nihil aliud est, quam injunctio dominæ, ἄλφιτα πάσσε καὶ λέγε ἅμα, τὰ Δέλφιδος &c. id est, *farinam sparge, & simul dic spargendo, Ossa Delphidis* &c. Sic etiam infra versu 36 τὸ χάλκιον ὡς τάχος ἄχει, id est, *vas aneum quam primum sonat*, pro *sonet.* Quod autem vox τάκεται non debeat aliter intelligi, quam ut ego dixi, patet ex eo, quod Simætha graviter increpat Thestylin, quod nondum farinam sparserit. Hunc locum imitatus est Virgilius ecloga 8. *Necte Amarylli nodos & Veneris dic vincula necto.* Sic enim noster πάσσ' ἅμα καὶ λέγε.

Versu 47.

Ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι. | *Hippomanes planta est apud Arcades.*

Salmasius ad Solinum pag. 940 &c. pro φυτὸν reponit χυτὸν, & de equa ære fusa Olympiæ intelligit, de qua Pausanias Eliacorum I

pag. 176. Sed quoniam ἀν' ὤρεα, id est, *per montes* Syracusana dialecto non videtur quadrare ad ejus mentem, mutat etiam eas voces, & vult legi ἐν ὤρᾳ. Sed meo judicio infeliciter id tentavit, felicius multo, qui Crateuam sequuti de quadam planta interpretantur, quam equi & equæ valde expetunt. Nam & Olympia non erat παρ' Ἀρκάσι, sed παρ' Ἠλείοις: tum θοαὶ ἵπποι *cita equa* non insaniebant circa illam effigiem, sed tantum mares: & quæ ad ea respondet, non satisfaciunt. Nam Græci τὴν ἵππον dicunt non de equo singulari, sed de multitudine equorum in exercitu, ut dicimus Gallice in numero singulari *la cavallerie*. Sed non invenitur, ut credo, αἱ ἵπποι in plurali pro equis maribus. Adde, quod soli mares insaniebant visa ea equa, & in textu Theocriti fit mentio utriusque sexus, πῶλοι καὶ θοαὶ ἵπποι. Quod si, ut vult Salmasius, θοαὶ ἵπποι intelligendum est de equis maribus, bis idem dixisset Poëta, & esset inconcinna ταυτολογία. Tum mutatio ἐν ὤρᾳ pro ἀν' ὤρεα non quadrat cum Pausania ab eo citato, cujus hæc sunt verba: οἱ δὲ ἵπποι οἱ ἄῤῥενες οὐκ ἐπὶ τοῦ ἦρος μόνον ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἐπ' αὐτὴν ὀργῶσιν ἡμέραν, id est, ut vertit Amasæus, *sed illum mares equi non vere tantum sed plane quavis anni parte appetunt*. Si omni tempore incitantur equi masculi, non ergo ἐν ὤρᾳ, ut vult doctus vir, sed & locus Theophrasti lib. 9 histor. cap. 15, ubi de Hippomane medicamento ex Tithymallo composito fit mentio, à Salmasio mutatur, ut quadret cum sua sententia: quam bene, viderint docti. Ego certe credo nihil mutandum esse nec hic nec ibi.

Versu 57.

Σαῦραν τοι τρίψασα. | *Lacertam tibi terens.*

Eam lacertam nostrates Pharmacopolæ Stincam vocant, quæ ad res Venereas est, ut ajunt, utilis, & maxime proritat Venerem. Ægypto advehitur Massiliam, & in omnibus Seplasiariorum officinis in Occitania prostat venalis, viridis est, & eadem, qua Chamæleon, magnitudine.

Versu 75.

Φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα. | *Dic amorem meum, unde venerit, veneranda Luna.*

Interpres sic vertit, sed melius meo judicio fecisset, si interpretatus fuisset *Adverte, unde amor meus venerit*. Sic enim ubique φράζεο accipitur apud Chresmologos pro *adverte, curam adhibe*, atque aliquando *cave*. Tum Poëtæ sæpe hortantur Musas dicere, quæ dicturi sunt,

sunt, numquam vero Lunam, quæ non præest poësi. Rogat igitur Simætha lunam, quæ præest magicæ arti, ut advertat, dum ei narrat, quomodo amor suus cœperit, ut ei medeatur. Sic & paulo post ἐφερσάμην pro *curabam* & infra vers. 142 χ' αἰς καί τοι μὴ μακρὰ φίλα θρυλέοιμι Σελαίνα, id est, *ac ne tibi diu garriam, ô cara Luna*, & in fine Idyll. ἀλλὰ τὺ μὲν χαιροίσα, ποτ' Ὠκεανὸν τρέπε πώλως, id est, *verum tu gaudens ad Oceanum equos flecte*. In his manifestum facit Simætham Lunam alloqui, & ei suum amorem narrare, non vero eam narrantem inducere.

Versu 95.

Χαλεπᾶς νόσω εὗρέ τι μᾶχος.	*Gravis morbi aliquod remedium inveni.*

Puto Theocritum aliter scripsisse, nempe εὗρε τι μ' ἄχος, quæ lectio sensum multo meliorem exhibet, nimirum, *morbi remedium mihi reperi*. Sed dicet aliquis, versus modulus non admittit hanc lectionem: nam ἄχος ubique invenitur prima brevi. Sed cum videam Theocritum parum rationis habere mensuræ syllabarum, cum id sensus exigit, non possum renunciare meæ conjecturæ. Nam quæso quid foret νόσω μῆχος *morbi machinam?* certe is sensus est admodum imperfectus, sed νόσω ἄχος *morbi remedium* optime convenit. Exempla quædam proferam, ubi Theocritus non habuit rationem quantitatis, & in eodem hoc versu νόσω ultima brevi scripsit. Sed ex solo primo Idyllio plura proferre possum. Versu 113 Καὶ λέγε τὸν Βώταν νικῶ Δάφνιν, ἀλλὰ μάχευ μοι, ω finalem in νικῶ corripit. Versu 116 Χαίρεθ' ὁ Βωκόλος ὕμμιν ἐγὼ Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν. & versu ultimo Οὐ μὴ σκιρτάσητε μὴ ὁ τράγος ὕμμιν ἀνάστη. sexcenta talia apud eundem Poëtam licet observare.

Versu 128.

Πάντως καὶ πελέκεις καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας.	*Omnino & secures & faces ad vos venissent.*

Hinc notare licet morem Græcorum antiquum, nempe amantes ut amorem intentissimum testificarentur, simul & ut pudori amicarum consulerent, vim inferebant valvis; idque non putabatur incivile aut odiosum: questa est enim supra Simætha versu 6, quod januam suam non fregisset Delphis. Mos ille non invaluit apud Romanos, quod sciam, & forte fuit Siculorum peculiaris. Nam quæ Ovidius Amorum I elegia 6 Janitori dicit, id magis ex imitatione

Græcorum quam ex Romanorum moribus facit, & sunt tantum minæ effectu carentes, & forte is mos non habuit locum inter Græcos, nisi in meretricibus, qualis erat hæc Simætha, quæ ultro vocat ad se Delphin. Nam licet dicat *ἀντὶ γυναικὸς ἔθηκε κακὰν καὶ ἀπάρθενον ἦμεν*, nihil aliud est, quam meretricius fucus.

Versu 146.

Ματηρ τᾶς γε ἐμᾶς αὐλητρίδος. | *Mater mea tibicina.*

Forte scripserat Theocritus *ἀλετρὶς*. Nam quid *αὐλητρὶς* ad Simætham mediocris fortunæ fœminam, ut ex toto Idyllio patet. Certe habere tibia canentes famulas convenit divitibus & potentibus. Sed *ἀλετρὶς* optime quadrabit: ea enim erat, cui dabatur frumentum ad molendum. Sic vernacule diceretur *la mere de nostre meuniere, ou, de nostre boulengere.* Potest tamen (ne quid dissimulem) vulgata lectio defendi. Nam meretrices, ut Simætha, poterant aliquando locare tibicinas, ut amasios suos delectarent, dum comessabundi ad eas ventitabant. Ideo nihil decerno.

Ad Idyllium 3. versu 12.

— αἴθε γενοίμαν	*Vtinam fierem*
Ἁ βομβεῦσα μέλισσα, καὶ ἐς τεὸν ἄντρον ἱκοίμαν,	*Susurrans apicula, atque in tuum antrum venirem,*
Τὸν κισσὸν διαδὺς καὶ τὰν πτέριν, ἅ τυ πυκάσδῃ.	*Penetrans per hederam & filicem, quæ te circumdant.*

Suspicor sensum subesse *αἰπολικὸν*, & obscœnum in vocibus *ἄντρον, κισσὸν, διαδὺς*, & *πτέριν*, licet prima facie alter sensus sit apertior: aliter impropriè dixisset, *ἅ τυ πυκάσδῃ*, si ad antrum deberet referri, non autem ad ipsam Amaryllidis personam.

Versu 32.

Ἁ πρᾶν ποιολογεῦσα παραιβάτις.	*Quæ nuper spicas legebat mercede conducta.*

Scholiastes interpretatur vocem *ποιολογεῦσα* per *σταχυολογοῦσα, ἤγουν τοὺς στάχυας ἀναλεγομένη*, id est, *quæ spicas legit*, & eum sensum sequitur interpres. Ignoraverunt scilicet præcipuam in segetibus curandis curam esse *ποιολογεῖν*, id est, *herbas legere & avellere*, quæ frumento nondum adulto nocent quam maxime, id *sarrire* vocabant Romani, & apud eos, qui eam operam præstabat, *Sarritor* dicebatur. Itaque *ἡ ποιολογεῦσα Sarritrix* verti potest. Gallice *une sarcleuse.*

Ad

Ad Idyllium 4. versu 7.

Καὶ πόκα τήνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπε.	*Et quando ille unquam oleum oculis suis vidit.*

Dubitant Scholiastæ, an τὸ ἔλαιον intelligendum sit de oleo, quo ungebantur palæstritæ, an de corona ex oleastro, qua coronabantur victores. Sed nulla fuit ratio dubitandi: nam de oleo, quo ungebantur, qui palæstricam artem exercebant, intelligendum esse contendo: nam quid profuisset Ægoni, vidisse ἔλαιον seu κότινον (quando Eustathius vult eandem arborem duobus his nominibus vocatam fuisse) id est, *oleastrum?* num ex ejus arboris visu luctator eximius evasisset? nugæ. Miratur Battus Ægonem ad Olympicum certamen ineundum profectum esse, quod nunquam palæstram exercuisset, & oleo inunctum nunquam fuisse, ad tale exercitium necessarium. Non recipiebantur enim athletæ ab Hellanedicis ad certandum, nisi præmisso juramento, se decem mensibus continuis exacte omnia, quæ ad exercitium hoc conferant, observasse. Pausan. Heliac. 1 pag. 173 οἱ δὲ ἄνδρες ἀθληταὶ καὶ τόδε ἐπὶ προσκατόμνυνται δέκα ἐφεξῆς μηνῶν ἀπηκριβῶσθαι σφισὶ πάντα ἐς ἄσκησιν. Jure igitur mirabatur Battus hominem, cui palæstra & oleum ignota erant, Olympicam affectare coronam.

Versu 32.

Καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος.	*Pulcra urbs est Zacynthus.*

Scholiastes ad hunc locum hæc dici per parenthesin putat, & ait eandem esse urbem Ζάκυνθος & Κρότων, quod nescio an verum sit: nullibi enim hoc invenitur. Ego vero putarem αἰνέω τάν τε Κρότωνα, & καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος, fuisse principia cantilenarum quarumdam vulgo notarum, & quæ in ore omnium tunc erant, quas se bene canere jactat Corydon. Hunc locum imitatus est (ut conjicio) Virgilius Ecloga 2 his versibus?

Canto quæ solitus si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus, in Actæo Arazyntho.

Imitatus est etiam lepidissime Jacobus Sannazarus in sua Arcadia ecloga 2, ubi introducit Montanum & Uranium, & Uranium quidem ad canendum imitantem Montanum, qui sic Uranio respondet:

Hor quella cantero? (che n' ho ben cento)
Quella de' l fier' tormento?

O quella che comincia, alma mia bella?

Dirò quell' altra forsa, A hi cruda stella.

Itaque ut apud Theocritum αἰνέω τὼ Κρότωνα & καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος sunt initia cantilenarum, sic apud Maronem *In Actæo Aracyntho* fuit initium cantilenæ & apud Sannazarum *fier tormento*, &, *alma mia bella*, &, *a hi cruda stella*. Ita debent intelligi.

Postquam Scholiastarum errores ad hoc Idyllium notavimus, aliquid etiam notandum est in Casauboni lectionibus Theocriticis non obtrectandi desiderio, absit, ut talem virum, quo majorem in Græca litteratura (vix etiam æqualem) Europa non vidit, & quem maxime miror, deprimere velim, sed ut veritatem tuear, cui semper studere & eam à tenebris eruere debent litterati. Ille igitur magnus vir de Milone, de quo Theocritus in hoc Idyllio versu 6 loquitur, sic commentatus est: *Sed nulla necessitas cogit nos de illo celeberrimi nominis athleta Theocriti locum interpretari: nam potest & de alio, qui ipsius Poëta fuerit æqualis, intelligi: plures enim variis temporibus fuisse antiquo Miloni & ὁμοτέχνους & ὁμωνύμους ne dubitandum quidem est, verum Crotoniatæ illius ea claritudo fuit, ut quidquid de ullo Milone agonista diceretur, id omne quasi de se dictum vindicaret. Feramus sane: At doctos viros quis ferat, alterius nescio cujus Milonis contumeliam in hujus gloriam μεταχηματίζοντας. Extat enim antiquum Lucilii epigramma, quo miser quidam athleta Milo nomine salse ridetur: quod homines doctissimi decepti nominis homonymia ad Crotoniatam Milonem retulerunt, & in contrariam partem acceperunt, absurde prorsus & contra auctoris mentem. Id sic habet Anthologia lib. 2 cap. 1.*

[1] Εἰς ἱερὸν ποτ' ἀγῶνα Μίλων μόνος ἦλθ' ὁ παλαιστής·
Τὸν δ' εὐθὺς στεφανοῦν ἀθλοθέτης ἐκάλει.
Προσβαίνων δ' ὤλισθεν ἐπ' ἰσχίον. οἱ δ' ἐβόησαν,
Τοῦτον μὴ στεφανοῦν, εἰ μόνος ὢν ἔπεσεν·
Ἀνστὰς δ' ἐν μέσσοισιν ἀνέκραγεν. οὐχὶ τρί' ἐστίν.
Ἓν κεῖμαι, λοιπὸν τ' ἄλλα με τις βαλέτω.

Milo iste, cum sine antagonista in stadium prodiisset, quasi esset nemo, qui certamen cum ipso non recusaret, vocatur ab athlothetis coronam accepturus, sed cum accedens ad illos cecidisset, statim abjudicatur ab eo præmium. Ille tendit contra jure deberi id sibi, utpote τριάζαντι: erat enim lex agonistica, cujus Apollodorus, Suidas, aliique multi meminerunt, quæ τριάσσειν jubebat eum, qui ad præmium adspiraret. Inde pendet omnis epigrammatis hujus argutiola, quæ in illis verbis est sita, οὐχὶ τρί' ἐστίν. Ea tantundem valent, ac si diceret,

[1] *Ad sacrum certamen aliquando venit solus Milo ille luctator, Illum autem statim præses certaminis vocavit, ut coronaretur. Accedens vero lapsus est in coxendicem: clamarunt autem, — Ne coronetis eum, qui, cum solus sit, cecidit: Surgens vero in medium clamavit, nonne tria sunt? Semel cecidi, restat ut quis me iterum dejiciat.*

ceret, ἐχὶ ἐτρίαξα, ſtabam, cecidi, ſurrexi, hac tria ſunt. Vide igitur, quam longe à vera ſententia aberrarint viri in hoc genere litterarum maximi, qui nobilem illum Crotoniatam athletam putarunt à Poëta laudari. Atqui vel Lucilii nomen debuerat eos ſui erroris admonere: nam quacunque illius extant epigrammata, ſunt σκωπτικὰ & διασυρτικά. Accedit eo, quod titulus ille totus in ignavos & infœlices agoniſtas eſt compoſitus. Hæc vir maximus, & Criticus in aliis acutiſſimus, ſed qui hoc in loco non agit ſuo more; & male (meo quidem judicio) reprehendit viros illos, quos in hoc genere litterarum maximos eſſe fatetur. Ignoſcat mihi veneranda viri memoria, ſi non poſſum ei aſſentiri. Primum enim, quare putat Theocritum ſcripſiſſe de contemporaneo quodam athleta, quaſi Theocritus ſemper de contemporaneis ſuis ſcripſiſſet, qui de Cyclope, de Hercule, & de Hyla Idyllia ſcripſit, qui tot ſeculis illum anteceſſerunt. Unde vero concludit hoc Idyllium in cujuſdam alterius Milonis vituperationem ſcriptum fuiſſe? Num eo, quod cecidiſſe dicitur nullo impellente? at lubrica via poteſt etiam fallere robuſtiorum pedes. Sed caſum ille ſuum optime & argute in ſuam gloriam vertit. Nam (fas mihi ſit hoc eloqui) non intellexit ſummus vir, quod intelligebat ille Milo per ἐχὶ τρία ἐστὶν, & male interpretatur per *ἐχὶ ἐτρίαξα, ſtabam, cecidi, ſurrexi.* quod miror veniſſe in tanti viri mentem. τριάσσειν de iis dicebatur, qui ter vicerant, τριάσσεσθαι, qui ter victi fuerant (interprete Suida, quem citat vir ſummus & exemplum profert) ſtadium, diaulum, dolichum, ſed & in quinquertionibus id præcipue obtinebat, quibus ut victores declararentur, neceſſe erat vincere in tribus ex quinque agonibus. Sed & ex hoc loco patet luctatorem cum eodem antagoniſta ter certare debuiſſe, & ex tribus luctæ aggreſſionibus bis victoriam reportare, ut præmium obtineret. Ideo Milo cum viæ lubrico lapſus fuiſſet, & cavea inclamaſſet non coronari debere, qui, cum ſolus ſine adverſario fuiſſet, ceciderat, inclamavit: nonne tria ſunt (ſupple luctæ certamina παλαίσματα) ſemel cecidi, reliquum eſt, ut quis me rurſus dejiciat, ut corona mihi denegari poſſit. Igitur non eſt vituperatio Milonis, ſed omnium aliorum luctatorum, qui aderant, & non auſi ſunt cum Milone illo tam celebri certare, licet ille unum de tribus certamen gratificaretur illis, & caſum vellet iis pro uno ſui dejectu imputare, & paſſi ſunt eum coronam accipere ἀκονιτί, quod erat ſummæ ignaviæ & timiditatis ſignum. In eo igitur epigrammate ſequitur ſuum morem Lucilius, & ſalſe irridet omnem luctatorum

 turbam,

turbam, & manifesto Μίλων ὁ παλαιστὴς intelligendus est ille Crotoniates, καθ' ἐξοχὴν dictus Luctator, & ideo ad coronam vocatur cum solus esset, & nullus ei se opponere auderet.

Ad Idyllium 5. versu 120.

— οὐχὶ παρῄσθευ; Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις.	*Nonne sensisti? Vade cito & scillas veteres è sepulcro evelle.*

Hoc loco insurgit in Scholiastas vir magnus partim jure, partim injuria, ut mihi videtur. Jure; quod non intellexerunt hujus loci verum sensum: injuria, quod non debet quis interpretem exagitare, qui non melius interpretatur: οὐχὶ παρῄσθευ vult intelligi *non insanis?* & hoc ad Laconem dictum fuisse contendit subita ad eum sermonis conversione, ut suam interpretationem fulciret, & repelleret vulgatam interpretationem, qui *non advertis* volunt intelligi. Sed ea subita ad Laconem conversione non est opus. Nam si παρῄσθευ legatur, bene & apposite ad Morsonem judicem loqui putabitur Comatas, & interpretor: *num stupescis?* (Id enim est proprie παραισθάνεσθαι) *nonne vides eum irasci & opus habere castigatione? Igitur vadens ad illud monumentum, scillas veteres* (& non teneras scilicet) *avelle, ut eum flagro domes.* Nam patet ex eodem Theocrito Idyll. 7 versu 107 ad eum usum esse utilem scillam, quod non cogitavit vir doctus, dum ad acetum scillatum Ausonii nos deducit in suis lectionibus Theocriticis cap. 10. Qui *non advertis* interpretantur, videntur legisse οὐχὶ περῄσθευ.

Versu 131.

Πολλὸς δ' ἐ καὶ ὡς ῥόδα κισσὸς ἐπανθεῖ.	*Et sicut rosa copiosa hedera effloret.*

Claudius Salmasius ad Solinum vult legi κίσθος. eum vide pagina 1345.

Ad Idyllium 7. versu 78.

Ἀσεῖ δ' ὥς ποκ' ἔδεκτο τὸν αἰπόλον εὐρέα λάρναξ, &c.	*Cantabitque quomodo olim inclusum exceperit pastorem ampla arca.*

Suspicor huic loco subesse sensum reconditum & αἰνιγματώδη, quem nec Scholiastæ nec recentiores interpretes assecuti sunt. Deflet enim calamitatem Philoxeni Poëtæ sub nomine caprarii τοῦ αἰπόλου

πόλυ Theocritus præſtantiſſimi Poëtæ Lyrici, quem Dionyſius Syracuſarum Tyrannus in Latomias conjecit, quas optime εὐρέαν λάρνακα vocat ob carceris ejus capacitatem, in quo carcere ab apibus, id eſt, bonis & frugi viris, ejus mellitam poëſin amantibus nutritus eſt, ſumptus ſcilicet ſuppeditantibus ejus amicis, qui etiam eum poſtea Dionyſio reconciliarunt, ſi fides Diodoro lib. 15. Ἔτος ὥρειον quidem Scholiaſtæ ἔαρος ὥραν, id eſt, trimeſtre veris ſpatium, interpretantur, alii annum integrum, alii ſemeſtre ſpatium, certe multum temporis ibi manſiſſe conſtat ex eo, quod conſtat inter auctores eum ibi Galatheam elegantiſſimum poëma compoſuiſſe, ut Ælianus var. hiſt. lib. 12 cap. 44 & Athenæus lib. 1, quam hiſtoriam obiter etiam tangit Plutarchus lib. de fortuna aut virtute Alexandri. Dolet autem Theocritus, quod is Philoxenus non amplius erat in vivis ſuo tempore, ut eum canentem audiret, & hoc certe congruit ei, qui non multis ſeculis anteceſſit, & optime quadrat Philoxeno, qui ſub Dionyſio poſteriore floruit Olympiadis nonageſimæ anno 3, ut Diodorus lib. 15 & Pauſanias lib. 1 non multum ab initio. Theocritus vero floruit ſub finem Ptolemæi Lagi & initia Philadelphi Olymp. 124, eo anno enim Philadelphus patri ſucceſſit, ut patet ex Polybio. Florente igitur Philoxeno nondum natus erat Theocritus, ſed proximo ſeculo floruit. Hæc omnia non ſuadent, ſed cogunt, ut firmiſſime credam de nullo alio loqui hoc loco Theocritum, quæ delirant hîc Scholiaſtæ de paſtore Muſis ſacrificante, vel de Daphnidis expoſitione, non unius aſſis æſtimans. Quod enim non de Daphnide intelligat, cujus mentionem fecit ſupra hoc eodem Idyllio, nec de eo, de quo multa dixit Idyll. 1, patet ex eo, quod hunc, de quo loquitur, Comatam vocat, non Daphnin: nulla enim fuit ratio nominis mutandi. Tum Daphnin βώταν ſeu βουκόλον ſemper vocat & hoc & primo Idyllio, id eſt, *bubulcum*, hunc vero Comatam αἰπόλον, id eſt, *caprarium* vocat inferioris ſortis hominem. Ideo ſi quis velit hæc Scholiaſtæ deliramenta amplecti, ego non ero credulus illis. De Philoxeni incarceratione vide Ariſtophanis Scholiaſten ad Plutum pag. 32. eam etiam innuit Lucianus in Mercede conductis. Vide & Stobæum cap. περὶ παῤῥησίας.

Ad Idyllium 8. versu 49.

Ω' τράγε, τᾶν λδυκᾶν αἰγᾶν ἄνερ, ὦ βάθος ὕλας Μυρίον.	*O hirce, marite albarum caprarum, ô altitudo silvæ immensa.*

Optime explodit Casaubonus hanc lectionem, sed in eo, quod vult legi ὦ βάθος ὕλας ponendo ὦ Dorice pro ὧ,& intelligit de silvæ densitate, non possum ei assentiri, nec docto Heinsio, qui eum sequitur. Nam cum vocat hœdos ad aquam vel fluvium, non videtur eos vocare ad silvæ locos spissiores. Lego igitur, ὦ βάθος ὕλας Μυρίον, & intelligo de barba hirci, quam festive vocat βάθος ὕλας μυρίον, *innumeram pilorum profunditatem.* Nam Aristoteles politic. 1 cap. 8 ait ὕλην dici τὸ ὑποκείμενον, ἐξ οὗ τι ἀποτελεῖται ἔργον, οἷον ὑφάντῃ μὲν ἔρια, id est, *ὕλην dici materiam, ex qua aliquod fit opus, ut textori lana.* Quod si lana optime dicitur ὕλη, eo quod pannus ex ea texitur, eadem ratione & hircorum pili: nam ex iis etiam fiunt textilia optima. Sensus igitur erit optime congruens, *ô hirce, cui barba est profundissima & spissa, ô sima capellæ, venite ad aquam & hœdi*,vel, *ô simi hœdi venite ad aquam.* Quod ad vulgatam lectionem ὦ à Casaubono explosam, non potest subsistere, absurdum enim esset, si silvam alloqueretur Poëta, & diceret ἔρχεσθε, non enim ambulat silva, nec plurali numero convenit ὕλης βάθος.

Ad Idyllium 11. versu 10.

Ἤρατο δ' οὐ τι ῥόδοις, οὐ μάλοις οὐδὲ κικίνοις.	*Amavit vero non rosis aut pomis aut cicinnis.*

Legendum κικίννοις cum duplici ν, ut apud alios omnes auctores scribitur hæc vox. Sed mutat vir summus, & vult legi σελίνοις, nulla necessitate, imo pervertit omnem hujus loci lepôrem, & se prodit fuisse (eo tempore, quo scribebat suas Theocriticas lectiones) plane in amoris sacris ἀμύητον, dum ait ad hunc locum, *quem locum hic habere coma & cincinni possunt?* ignorabat scilicet gratissimum esse munus amantibus cincinnos accipere ab amata, unde armillas seu περιβραχιόνια fieri curant, quod munus licet sit nullius pretii, tamen ab iis magni æstimatur, eo quod testimonium est amoris intensissimi. Quod ad vocem μάλοις attinet, affert clarissimam lucem huic loco Lucianus in Toxari his verbis: καὶ γραμμάτιά τε εἰσεφοίτα παρὰ τῆς γυναικὸς αὐτῷ, καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι καὶ μῆλά τινα ἀποδεδηγμένα, id est, *& epistolia illi à fœmina illa sæpe veniebant, & coronæ semimarcidæ & poma*

poma quædam morsu notata. Scilicet mala admordebant amatæ, & ea sic morsu notata mittebant amatoribus, qui id munus magni faciebant & tanquam osculum in malo illo missum accipiebant.

Ibidem. versu 50. &c.

Αἰδέ τοι αὐτὸς ἐγὼν δοκέω λασιώτερος ἦμες,	*Si vero ego videor tibi esse hirsutior,*
Ἐντὶ δρυὸς ξύλα μοι, καὶ ὑπὸ σποδῷ ἀκάματον πῦρ.	*Sunt mihi querna ligna, & sub cinere ignis inextinctus :*
Καιόμενος δ' ὑπὸ τεῦ καὶ τὰν ψυχὰν ἀνεχοίμαν,	*Et perferre possum, ut etiam anima mea à te comburatur,*
Καὶ τὸν ἕν' ὀφθαλμόν, τῷ μοι γλυκερώτερον οὐδέν.	*Et unicus ille oculus, quo mihi nihil dulcius est.*

Locus hic si quis alius lepidissimus apud Theocritum huc usque non videtur ab interpretibus bene intellectus, à quibusdam non correctus, sed corruptus, qui mutant quarti versus initio καὶ in ναί, ingeniose certe, sed infœliciter : volunt enim nihil aliud intelligi, quam Cyclopem minuere velle nauseam, quam ex sua pilositate & hirsutis membris concipere poterat Galathea, ignis perpetui, id est, foci perennis consolatione. Quod si nihil aliud intellexit Theocritus, certe nihil est eo igne frigidius. At longe aliter intellexit festivissimus Poëtarum. Notum est Lucium Antonium exprobrasse Octavio Augusto, quod solebat nuce candenti crurum pilos suburere, ut molliores resurgerent, ex Suetonii Octavio cap. 68. Notum & quod de Dionysio Tyranno narrat M. Tullius, qui timore novaculæ carbone candenti malas & guttur lævigabat. Idem & de Commodo narrat Lampridius in ejus vita : *adurens comam & barbam timore tonsoris.* Id à Græcis Romani acceperant proculdubio, ut alia multa. Nam pridem tale quid Græcos factitasse testis Aristophanes in Thesmophoriazusis, ubi Euripides licet novaculam haberet, qua barbam raserat Mnesitheo, tamen λύχνῳ partes inferiores Mnesithei adurit, & depilat. Innuit & idem Plato in Phaone apud Athenæum his verbis : μύρτων πινάκισκος χέρὶ παρατετιλμένων, Λύχνων γὰρ ὀσμὰς οὐ φιλοῦσι δαίμονες, quæ verba pudoris causa non interpretabor. Id audio etiam nunc facere in Italia meretrices. Itaque Cyclops optime occurrit odio Galatheæ, &, ne eum aversaretur ob hir-

 sutam

ſutam cutem & piloſa femora, ait ſibi eſſe querneas aſſulas & ignem domi perpetuum, & ſic ſibi eſſe facile piloſitatem (ut ita dicam) deponere, titione querneo ſcilicet adurendo uſque ad cutem pilos, & quoniam id non fiebat ſine timore uſtulationis, ait ſe ita eam amare, ut id propter eam non timeat. Sic igitur optime procedit interpretatio ſine ulla mutatione: *quod ſi tibi videor nimis hirſutus eſſe, ſunt mihi quernea ligna & indefeſſus ignis ſub cinere. Vſtulari autem à te & ipſam animam ſuſtinerem, & unicum oculum, quo mihi dulcius nihil eſt.* Ne timeas, (inquit) ne poſſim uſtulationis dolorem ſuſtinere, nam & ipſam animam & unicum oculum meum à te torreri ſuſtinerem. Nihil planius, nihil melius, nihil magis redolet Theocritum. At cæterorum omnium interpretationes extinguebant omnem ignis illius gratiam & acumen. Nec te moveat, quod cum talis uſtio pilorum ſoleat fieri cereo vel funali exiguo, querna ligna videantur ad tale opus ſatis inepta: nam in eo præcipue conſiſtit hujus loci lepos & gratia. Titiones enim quernei immanibus illis femoribus & enormi podici erant convenientes cereoli, & ſic (quod ajunt) *habebant ſua labra lactucas*, nec poterat alio modo Cyclops mederi ſuæ δασύτητι: non erat enim illi tonſtrinæ ſuppellex, & ideo Ovidius metamorphoſ. 13 de eo canit, *Iam libet hirſutam tibi falce recidere barbam.*

Ad Idyllium 12. verſu 27.

Νισαῖοι Μεγαρῆες.	*Niſai Megarenſes.*

Si legeretur Νισαίαν, melius procederet ſententia, nec opus foret mutare τὴν στιγμὴν, ponendo id punctum poſt τὸν Ἀτθικόν, ut vult magnus vir.

Ad Idyllium 13. verſu 11.

Οὐδ᾽ ὄχ᾽ ἁ λεύκιππος ἀνατρέχοι ἐς Διὸς ἀώς.	*Nec cum in domum Iovis excurreret albis quadrigis aurora.*

Contendit doctus vir legendum ἐκ Διὸς, & ait eos, qui volunt ἐς Διὸς legi, Poëtam idem bis agere velle. Fateor me non capere, quid ſibi velit. Nam optime (meo quidem judicio) quadrat τὸ ἐς Διὸς. Ea pars cœli, quæ ſupra noſtrum Horiſontem videtur, dicta eſt priſcis Poëtis Ὄλυμπος, quaſi (ut volunt etymologiſtæ) ὁλόλαμπος. Ea autem pars cœli diis ſuperis, ſed præcipue Jovi tribuitur, qui idcirco Ὀλύμπιος Ζεὺς dictus eſt Homero, & ideo Virgilius Æneid. 3 eum regnatorem Olympi vocat, *Superi regnator Olympi.* Aptiſſime igitur

tur Theocritus, cum *mane* dicere vellet, ea periphrasi usus est, *quando aurora cum equis albis accurrit ad Jovis domum.* Nam Poëtæ omnes de orientibus sideribus ajunt ea Neptuni domum & mare relinquere, tanquam si è fluctibus emergerent, ut in cœlum tenderent. ἐς Διὸς igitur (supple δῶμα) est ad superiorem cœli partem. Ideo nihil mutandum puto.

Ad Idyllium 14. versu 14.

Ἐν χώρῳ παρ' ἐμὶν. | *In loco apud me.*

Mutant & contendunt debere legi ἐν χόρτῳ, sed nulla necessitate, cum sententia sit optima ἐν χώρῳ, id est, in meo rure, in fundo meo, in agro: nam in hoc significatu sæpius χῶρος usurpatur à Xenophonte, quod pridem notaverunt docti & Henricus Stephanus in suo thesauro. Si haberent editiones ἐν χόρτῳ, mutare nollem, ut scriberetur ἐν χώρῳ, sed quando concordant in ea voce exemplaria, & ea lectio optimum sensum exhibet, mihi videtur nimiæ pruriginis esse, id mutare velle. Nam quod ajunt ut firment suam opinionem, Pastori nihil esse convenientius, quam cœnare ἐν χόρτῳ, *in gramine ut pastores solent*, fugit eos ratio, & falluntur maxime, si putant hoc Idyllium habere aliquid pastorale: nec nomina nec res nec sermo pastorali vitæ conveniunt, totum ex vita civili & communi desumptum est hoc drama. Æschines & Thyonichus nomina civilia nihil pastorale redolent, ut nec nomina comissatorum Thessalus, Apia, Clunicus, quorum unus dicitur agitator equorum, alter miles. Facessat igitur docti viri mutatio.

Ibidem Versu 31.

Θεσσαλικόν τι μέλισμα. | *Thessalicum quoddam carmen.*

Frustra est eruditissimus vir, dum vult vocem μέλισμα induci, & σόφισμα reponi: nulla enim est ratio mutandi, ut cantilena σόφισμα vocetur. Cecinit Latissæus petulanter satis cantilenam quandam Thessalicam vulgatam de Lyco quodam, cujus initium forte erat κακαὶ φρένες, sicque pupugit Lyciscam, & ejus amasium absentem traducebat, sic ad ejus nomen alludens, & Æschinem etiam nomine rivalis sui proposito irritabat. Quod ad voces τὸν ἐμὸν Λύκον forte fuit initium cantilenæ, & sic intelligendo κακαὶ φρένες non esset initium cantilenæ, sed tanquam per parenthesin ab Æschine in Thessalum invehentis, qui rixam moverat, dictum, & sic etiam quadrabit sensus, nec opus erit aliquid mutandi.

Ad Idyllium 15. versu 88.

Ἐκναισεῦντι. | *Odiose stridunt.*

Mutat vir doctus audacter suo more, sed non satis perspicit, an tolerari possit lectio vulgata. Vult igitur legi ἐκ ναίσοιο, id est, ex Sicilia, sed nullum produxit exemplum vocis ναῖσος, quam Dorice ait dici pro νῆσος *insula*. Nam quod Technicum citat, qui notavit dici Dorice Πελοποννασιστὶ pro Πελοποννησιστὶ, id contra illum facit, & mihi omnino persuadet τὸ ναῖσος non fuisse in usu, aliter non oblitus fuisset Corinthus de eo mentionem facere: erat enim etymon τοῦ πελοποννασιστί. Itaque nihil est mutandum in ἐκναισεῦντι, (ut neque in Πελοποννησιστὶ, nam eam vocem etiam mutat) quod Dorice dicitur pro ἐκναίουσι. Nam κναίω & ἀποκναίω & διακναίω sumuntur pro *vexo, obtundo, molestia afficio, eneco*. Cur igitur non possit ἐκναίω in eodem significatu sumi, non video: nam licet ejus compositi non reperiatur exemplum in libris, qui extant, ratio tamen eadem est τοῦ ἐκναίω & τοῦ ἀποκναίω. Sensus est igitur: *turtures illæ enecabunt nos, cum suo dorissmo omnia pronuntiantes patulo ore.* Sed ut aliquid etiam dicam ad hunc locum, miror, quare Theocritus induxerit illum virum, quem Ξένον vocat, Dorice loquentem: nam si Dorica dialectus adeo illi displicebat, cur ea utebatur? ad quod responderi potest eum ita loquutum fuisse εἰρωνικῶς, ut imitaretur voces earum muliercularum inconcinnas, & ita eas subsannaret. Dici etiam potest vulgarem Alexandriæ dialectum Æolicam, qua utebantur Macedones, mixtam fuisse plurimis Doricæ dialecti vocibus ob commercia frequentia cum Siculis & Peloponnensibus & Cretensibus: fuisse tamen inter Alexandrinam & Siculam dialectum multum differentiæ, unde aures istius hospitis Alexandrini offendebantur.

Ibid. Versu 95.

Πλὰν ἑνὸς οὐκ ἀλέγω μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.	*Uno excepto: non curo te ne mihi alapam impingas.*

Hic locus, qui huc usque omnes exercuit interpretes, mihi videtur unius litterulæ mutatione & στιγμῆς transpositione bene se habere posse. Sic igitur lego, sic distinguo. Πλὰν ἑνὸς οὐκ ἀλέγω· μή μοι κενεῶν' ἀπομάξῃς, quæ sic interpretor, *excepto uno* (meo viro scilicet) *nullum timeo: ne mihi latus detergere audeas.* Sic vernacula nostras diceret: *ne me venez pas froter les costes*, minaciter enim cum eo agit, ideo illam postea Gorgo monet, σίγα Πραξίνοα. Casaubonus in suis lectionibus

ctionibus Theocriticis de hujus loci interpretatione tacuit, sed promittit de eo loco se dicturum in suis ad Theophrasti Characteres notis, sed promissum non explevit, imo se excusavit ob librorum & otii inopiam, & ait se virorum doctorum interpretationi non acquiescere. Forte de interprete intelligit, qui κενεὰν vertit alapam, & jure quidem non admittit eam interpretationem, quæ nullo exemplo nititur. Doctissimi Heinsii interpretatio non magis arridet, qui sic vertit: *non vereor, ne tu, qui nihil mihi admetiris, mensuram abstergas.* Judicet lector uter fœlicius divinaverit.

Ad Idyllium 17. versu 25.

Ἀθάνατοι δὲ καλεῦνται, θεοὶ νέποδες γεγαῶτες.	*Immortales vero vocantur Dii sine pedum usu facti.*

Hæc sic vertit interpres. Sed sine ratione miseros illos deos pedibus mutilavit. Nam vox νέποδες non semper *sine pedibus* significat, sed etiam ἀπογόνους, id est Latine, *nepotes.* Id nos docet Eustathius, sed cum multo majore auctoritate Apollonius Argonaut. 4, ubi Nereidem quandam inducit vel potius Tritonidem nympham, quæ ita Euphemum alloquitur,

— εἶμι δ' ἐς αὐγὰς
Ἠελίου μετόπισθε, τεοῖς νεπόδεσσιν ἑτοίμη.

Id est, *veniam autem ad lucem solis postea, tuis nepotibus parata*, vel, *utilis.* De Thera autem insula loquitur, quæ postea à Sesamo uno è posteris Euphemi habitata, ut interpretatur doctissimus Scholiastes. Itaque pro θεοὶ νέποδες legendum proculdubio θεῶν νέποδες, vel θεοῦ νέποδες, id est, *Herculis nepotes*, quæ interpretatio firmatur ex sequente versu: ἀμφοῖν γὰρ πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδας. Sunt enim relativa πρόγονοι & νέποδες, avi & nepotes: miror Casaubonum, qui notavit errorem, non correxisse.

Versu 34.

Περικλειτὰ Βερενίκα.	*Inclita Berenice.*

Ad hæc sic Scholiastes, Βερενίκην λέγει τὴν Λάγου μὲν θυγατέρα, γυναῖκα δὲ Πτολεμαίου τοῦ Σωτῆρος, id est, *Berenicem dicit Lagi filiam, uxorem vero Ptolemæi Soteris.* Ptolemæus ille Soter fuit etiam Lagi filius, & passim ab auctoribus dicitur Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, id est, *Ptolemæus Lagi filius.* At hoc loco Berenice dicitur à Scholiaste etiam Lagi filia. Num fuit mariti soror? non puto, licet sorores paternas ducere non fuerit alienum à Græcorum moribus, quibus tantum abstinere

abstinere à conjugio maternarum sororum vetitum erat. Sed ea differentia non obtinuit inter Ptolemæos Ægypti reges, quibus mos fuit proprias sorores etiam maternas ducere. Et si quidem hæc Berenice fuit soror & uxor simul Ptolemæi Soteris, ab eo exemplum accepisse viderentur filius Philadelphus & cæteri successores. Sed quoniam non video, dum de matrimonio Ptolemæi Soteris cum Berenice loquuntur, auctores id notasse, quod proculdubio fecissent, ut novum quid & insolitum, magis puto nomen Macedonicum Λάγος fuisse etiam aliis viris commune, & Lagum Berenices patrem fuisse alium à patre Ptolemæi Soteris; nisi aliter quis me doceat, eam sententiam amplectar.

Versu 82.

Τρεῖς μὲν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,	*Tres enim illi urbium centuria exstructa sunt,*
Τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι.	*Tria insuper millia super triginta,*
Δοιαὶ δὲ τριάδες, μετὰ δέ σφισιν ἐνδεκάδες τρεῖς.	*Duo item terniones, & præterea ter undecim.*

Hæc satis plana & facilia sic interpretatur & numerat Scholiastes mirus arithmeticus: ὁμοῦ γὰρ πᾶσαι αἱ πόλεις τρισμύριαι τρισχίλιαι τριάκοντα τρεῖς, id est, *simul enim omnes urbes triginta ter mille & triginta tres*, pessime, & prorsus errante calculo. Simul enim additæ summæ faciunt triginta ter mille & ter centum triginta novem.

τρεῖς ἑκατοντάδες	300
τρεῖς χιλιάδες	3000
τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι	30000
Δοιαὶ τριάδες	6
Ἐνδεκάδες τρεῖς	33
	33339

Hinc discamus non esse habendam fidem iis, quæ dicunt Scholiastæ ἀνεξεταστῶς, sed examinanda esse, quæ commentantur. Casaubonus vidit τὸ ἄτοπον, & plura ad hunc locum notavit, optime, ut solet, eum vide, de toto numero aliter sentire videtur, at non mihi persuadet.

Ad

Ad Idyllium 18. versu 2.

Παρθενικαὶ θάλλοντα κόμαις ὑάκινθον ἔχοισαι.	*Virgines virentem hyacinthum comis implicitum habentes.*

Non constat inter Botanicos nostros, quænam planta fuerit hyacinthus, & an eam in nostro cœlo habeamus. Plures negant eum florem, qui vulgo in nostris hortis sic vocatur, esse antiquorum Hyacinthum, quibus ego facile consentio. Quidam volunt esse eum florem, qui iris vulgo & gladiolus vocatur, in murorum summitatibus satis commode crescens ibi plantatus, & vernacule vocatur *glajeul*, voce manifeste à nomine *gladiolus* manante. Alii volunt esse alium florem, qui Græcis ξιφίας, Botanicis nunc *gladiolus* vocatur non sine ratione: folia enim planta illa habet pugioni satis similia, dura & acuta. Hic locus non potest nobis viam monstrare ad investigandam super eo veritatem, est enim ambiguus; & non est certum, quomodo interpretari eum debeamus, & an vox κόμαις debeat intelligi de comis virginum, quibus implexi erant Hyacinthi, an vero de ipsorum florum coma? scilicet varie construi potest, vel παρθενικαὶ κόμαις ἔχοισαι ὑάκινθον θάλλοντα, id est, *virgines in comis habentes hyacinthum florentem.* Et sic necesse foret intelligere florem fuisse non adeo magnum, vel παρθενικαὶ ἔχοισαι ὑάκινθον θάλλοντα κόμαις, id est, *virgines habentes*, vel *tenentes hyacinthum flore comantem.* Super eo nihil decerno, & de ea lite judicium defero Apollini & Musis.

Ibidem. versu 48.

Σέβευ μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.	*Venerare me, nam Helenæ arbor sum.*

Hunc locum proculdubio habebat in mente Jacobus Sannasarus Theocriti fœlix imitator, dum scribebat in sua Arcadia ecloga 12.

E vedrai scritto un verso in su lo stipite
Arbor di Philli io son, pastor inchina ti.

Ad Idyllium 19. in titulo.

Κηριοκλέπτης. | *Favorum fur.*

Optime interpres Latinus vertit *favorum fur*, & miror virum doctum in observationibus suis in fabulam lepidissimam Torquati Tassi Italice scriptam, mutasse hanc interpretationem & sic scripsisse: *Theocrito ne'l Idyllio che intitolo Amore, Ladro di cera,* quasi scri-

 psisset

psisset Theocritus Κηροκλέπτης. Quod si in quodam exemplari sic invenit scriptum (quod non puto) non debebat sequi pejorem citationem, quæ repugnat ipsis Idyllii verbis, κηρίον ἐκ σιμβλῶν συλεύμενον. Debebat igitur interpretari hunc titulum *ladro di favi*.

Ad Idyllium 20. versu 7.

Ὡς τρυφερὸν λαλέεις, ὡς κωτίλα ῥήματα φράσδεις.	*Quam delicate loqueris! quam blanda verba profers!*
Ὡς μαλακὸν τὸ γένειον ἔχεις, ὡς ἁδέα χαίταν.	*Quam mollem habes barbulam! quam pulcram cæsariem!*

Nisi intelligamus hæc ironice dicta ab Eunica, & in contrarium sensum, non consonarent totius Idyllii narrationi & scopo. Nam Eunica illa despiciebat bubulcum, & omnino respuebat, & ante hos duos versus & post etiam bubulco suos defectus & vitia exprobrat, & eum irridet διασυρτικῶς. Vel igitur delendi sunt hi duo versus, qui pugnant cum Idyllii scopo & cum antecedentibus & cum consequentibus, vel intelligendi sunt, ut dixi, ironice dicti: nam τρυφερὸν λαλέεις, *delicate loqueris*, optime vertit interpres, & κωτίλα ῥήματα φράσδεις optime etiam *quam blanda verba profers* interpretatur. At sic loqui laus est in amante, non vituperium, & aberrant à scopo loquentis ea verba, nisi intelligantur ironice & cum gestu despicientis & irridentis dicta. Ideo dicit paulo infra bubulcus καὶ σοβαρόν μ' ἐγέλαξεν, *& fastuose me derisit*, ut bene vertit interpres.

Ibid. versu 44.

Μηκέτι μηδὲ σὺ Κύπρι. | *Neque amplius tu Venus.*

Reddit vicem (ut puto) Bubulcus Eunicæ & eam ironice Cyprin vocat, id est, Venerem, eo quod ob formam suam superbiebat, & illi malas noctes precatur & solitarias, quod puto non fecisset, si ipsam Deam intellexisset, & sic Casaubonus putat.

Ad Idyllium 21. versu 36.

— μηδὲ καθεύδων	*Neque dormiens*
Ἄσμενος ἐν ῥάμνῳ.	*Facile in frondibus.*

Interpres, qui ἐν ῥάμνῳ vertit *in frondibus*, videtur aliter legisse, &, ut puto, ἐν θάμνῳ, parva est differentia inter ρ & θ, certe ῥάμνος est spinæ aculeatæ species non satis ad accubandum aptæ: aptius foret legere θάμνῳ, quæ vox quidem frondem non significat, sed pro surculo sumitur, at surculi non sunt sine foliis.

Ibid.

Ibid.

Τὸ δ' λύχνιον ἐν Πρυτανείῳ | *Nam Lychnum in Prytaneo*
Φαντὶ γὰρ αἰὲν ἄγραν τόδ' ἔχειν. | *Semper prædam habere ferunt.*

Mutat doctus vir, & legit ἀγαν pro ἄγραν, & credit omnem hujus loci obscuritatem hac mutatione illustrare. Sed fateor me non capere, quid velit per hæc verba, quæ subjungit. *Conqueritur piscator ille obiter, & significat ociosum se plane & longe opulentiam à se abesse; non esse tamen, quod sollicitus sit, cum τὸ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ sit, quod quidem λύχνιον semper habet τὸ ἄγαν. Intelligit Lychnum, qui Athenis in gratiam Vulcani πῦρ ἀθάνατον habebat, sicut Romanorum Vesta.* In quibus verbis non video, quo modo conveniat piscatori egeno & Siculo consolari ob perpetuitatem ignis, qui Athenis in Prytaneo servabatur. Plura ad hunc locum doctissimus Casaubonus, qui nihil mutat, & meliorem sententiam exhibet, sed tamen, quæ non usquequaque vera mihi videtur, & mihi non satisfacit, nec tamen aliquid habeo, quod dicam. Meræ mihi sunt tenebræ hic locus, Saliari carmine obscurior, accedant alii, & lucernam accendant.

Ibid. versu 40.

Δειπνεῦντες ἐν ὥρᾳ. | *Cum cœnaremus sero.*

Sic vertit interpres, tanquam si ὀψὲ dixisset Theocritus. At contra est: nam δειπνεῖν ἐν ὥρᾳ est *tempestive cœnare, hora commoda & solita.* Tum sententia requirit, ut potius intelligamus *præmature.* Nam si sero cœnassent illi piscatores, non tam cito vigilassent, quippe adhuc cibo repleti, nondum digesto cibo, cerebrum habentes vaporibus somniferis repletum, quod contra evenit iis, qui ante horam commodam cœnant.

Ibid. versu 51.

Καὶ νύξῃ χαλεπῶς. | *Et pungeris graviter.*

Mutat Criticus acer, & νύξεν legit, & interpretem vanam interpretationem attulisse dicit, qui verterat *& pungere graviter.* Sed accedo menti interpretis, nam ex sequentibus patet piscatorem potius punxisse piscem, qui eum cepit, & in terram attraxit, nec de vulnere queritur.

Ad Idyllium 22. versu 9.

Ἄστρα βιαζόμεναι. | *Astra implorantes.*

Videtur aliter legisse interpres, qui ita vertit: nam eum signifi-

catum non recipit verbum βιάζομαι absolute positum, & navis quidem dici potest βιάζεσθαι τὸν κλύδωνα, vel τὴν θάλασσαν; at βιάζεσθαι ἄστρα videtur haberi ἄτοπον. Forte legebat interpres ἄστρα τι ἀζόμεναι, vel aliud quid simile.

Ibid. versu 27.

Ἡ μὲν ἄρα προφυγοῦσα πέτρας εἰς ἓν ξυνιούσας	*Ipsa quidem cum effugisset petras in unum concurrentes*
Ἀργὼ, καὶ νιφόεντος ἀτάρτηρον στόμα Πόντου,	*Argo, & nivosi sævum os Ponti,*
Βέβρυκας εἰσαφίκανε.	*Ad Bebrycas pervenit.*

Hoc loco notandum diversam esse narrationem Theocriti ab Apollonii narratione in Argonauticis lib. 2. Apollonius enim Bebrycas & Amyci regionem ponit citra Bosporum in Propontide. At noster Theocritus hoc loco ponit Bebrycas ultra Bosporum in Bithyniæ littore, quod Pontus alluit. Quis melius, difficile est dicere ob nimiam antiquitatem. Sed cum Apollonius Argonautica ex professo scripserit, omnia Argonautarum gesta κατὰ πόδα persequens, videtur mereri plus fidei in Geographicis, licet Theocriti amœnitas & gratia sit forte præferenda Apollonio. Sed quis in fabula veritatem requirat?

Ibid. versu 66.

Ἄμματα δ' ὀρθὰ	*Oculos vero rectos*
Πὺξ διατεινάμενος.	*Pugilice intendens.*

Interpres legebat proculdubio ὄμματα, qui sic vertit. Sed multo melior vulgata lectio, & de cæstibus intelligendum est, loris scilicet bubulis, quibus manus induebant pugiles pugnaturi. Ἄμματα igitur *ligacula, cæstus*. Ideo sic infra eodem hoc Idyllio:

Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν σπείραισιν ἐκαρτύναντο βοείαις
Χεῖρας, καὶ περὶ γυῖα μακροὺς εἵλιξαν ἱμάντας.

Id est, *Illi igitur cum spiris munivissent bubulis*
Manus, & circum membra innexuissent longa lora.

Versu 170.

Ἄμφω δ' ἄμμιν ἀνεψιὼ ἐκ πατρὸς ἐστόν.	*Ambo enim nobis fratres patrueles ex patre estis.*

Quomodo consanguinei essent, & in quo gradu se contingerent Apharei

Apharei filii & Tyndaridæ, vide ſupra in notis ad Pauſaniam, ubi eorum ſtemma explicavimus.

Verſu. 222.

Γεράων δὲ θεοῖς κάλλιστον ἀοιδή.	*Carmen autem Diis pulcherrimus honor eſt.*

Hæc vox γεράων pro γέρας alibi non inveni. Ad eam vocem nihil notarunt nec Scaliger nec Caſaubonus nec Heinſius, unde ſuſpicor eos aliter legiſſe, & eam vocem eſſe mendoſam, quod ſuadet terminatio in ων, quæ vix ac ne vix quidem recipit neutrum genus in ſubſtantiva voce. Forte legendum, γέρας ἐστὶ θεοῖς κάλλιστον ἀοιδή, eodem ſenſu, quem expreſſit interpres. *Carmen diis pulcherrimus honos eſt.*

Ad Idyllium 23. verſu 16.

Λοίσθιον οὐκ ἴσχε τὰ σύμφορα τᾶς Κυθερείας.	*Tandem non continuit lacrimas Veneris.*

Hæc lectio non placet: nam τὸ σύμφορον pro ἡ συμφορὰ ſubſtantive non invenitur, adjective vero σύμφορος *utilis* vel *commodus* interpretatur, & ſenſum exhiberet contrarium auctoris ſcopo. Ideo minima mutatione lego οὐκ ἴσχε τ' ἀσύμφορα plano ſenſu. Nam τὰ ἀσύμφορα *incommoda & damnoſa* ſignificat teſte Heſiodo in ἡμέραις verſ. 18.

Ἕκτη δ' ἡ μέσση μάλ' ἀσύμφορός ἐστι φυτοῖσι.

Id eſt, *Sexta vero media valde incommoda eſt plantis.*

Interpres, qui vertit *tandem non continuit lachrymas Veneris*, videtur legiſſe τὰ δάκρυα, non τὰ σύμφορα, verum in nulla editione eam lectionem inveni.

Ad Idyllium 26. verſu 33.

Χαίροι μὲν Διόνυσος, ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι	*Lætetur Bacchus, quem in Dracano nivoſo*
Ζεὺς ὕπατος μεγάλαν ἐπιγουνίδα θήκατο λύσας.	*Jupiter ſummus in femore poſuit, à matre ſolutum.*

Hæc male expreſſit interpres, quum ſic vertit: non eſt enim talis ſenſus Poëtæ, nec Jupiter Bacchum inſeruit femori in Dracano nivoſo, ſed Thebis. Sic igitur vertendum erat: *Lætetur Bacchus, quem in Dracano nivoſo Summus Jupiter depoſuit, cum magnum femur ſolviſſet.* Fabula ſic narratur. Cum Semele combureretur, fœtum nondum maturum rapuit ex igne Jupiter, & inciſo femori ſuo inſeruit, ut ibi perfice-

perficeretur, & postea cum tempus puerperii advenisset, soluta cicatrice fœtum deposuit, ut plures ajunt, Nysæ, sed plures eo nomine recensentur montes, urbes, aut pagi. Vox Δράκανον Dorica est pro δρέπανον, quod falcem significat, & id nomen tribuitur promontoriis, quæ in falcis modum figurantur, in mare prominentia, unde suspicor de Icaria vel Naxo vel Co insulis intelligendum esse, & Naxus quidem Baccho dicata fuit, & ibi promontorium eminet altissimum montibus, qui hodie *Smerigli* dicuntur. Ideo magis crederem de illo intelligi debere: nam neque in Co, minus in Icaria, tam alti montes inveniuntur, ut iis conveniat epithetum νιφόεντι, nihil tamen affirmo, sed tantum suspicor.

Ad Idyllium 27. versu 42.

Κ. Ἐξ εὐηγενέων, ἀλλ' οὐ σέθεν εἰμὶ χερείων.	*P. Ex bene natis ortus es: sed non sum te ignobilior.*
Δ. Οὐδ' ἄκρα τιμήεσσα, πατὴρ δέ σοι ἐστὶ Μενάλκας.	*D. Neque summe es honorata: pater enim tibi est Menalcas.*

Duo notanda sunt in his duobus versibus. In primo vox εὐηγενέων pro εὐγενέων, quæ alibi non invenitur, præter quam apud Eustathium, qui proculdubio ex hoc loco Theocriti habet, sed metri causa Theocritus id usurpavit, ut sæpe facit: non est enim curiosus metricæ severitatis exactor. In secundo vero versu videtur inesse aliquid absurditatis, quod aliquando me torsit, ut etiam doctum Menagium, qui in suis observationibus ad Amyntam fabulam à Torquato Tasso compositam id notat ut absurdum in Theocrito, quod induxerit Daphnidem *rinfacciando alla sua amata, che non era di buona casa.* (quæ forma loquendi sapit Gallicismum: dicunt enim Tusci *di nobil casa.*) Sed minima mutatione Theocritum à culpa libero. Lego enim, οὐκ ἄκρα τιμήεσσα· πατὴρ δέ τοι ἐστὶ Μενάλκας; cum interrogationis nota, id est, *Nonne es summe honorata? & pater tibi est Menalcas?* Sic enim optime procedit sententia, & rependit amatæ suæ nobilitatis laudem, quam illi tribuerat virgo.

Versu 49.

Χνοάοντα. | *Florescentia.*

Optime (meo quidem judicio) emendat Heinsius, & legit χλοάοντα, sed miror eum ad confirmandam suam emendationem non annotasse versum hujus Idyllii 66, ubi legitur χλοεροῖσιν μελέεσσιν, quod omnino asserit & firmat conjecturam doctissimi viri.

AD

AD THEOCRITI EPIGRAMMATA.

Epigr. 4.

Ἢν δ᾽ ἀνανεύσῃ, Τῷδε τυχὼν ἐθέλω τρισσὰ θύη τελέσαι.	*At si abnuerit, Hoc adeptus volo tres hostias offerre.*

Hæc videntur ἀσύστατα: nam ἀνανεύειν renuere & nutu negare significat. Quare igitur Deo renuente & non admittente suas preces triplicasset sacrificium? Tum τῶδε τυχὼν repugnat sententiæ, si ἀνανεύσῃ legamus, non enim obtinet is, qui preces fundit ea, quæ Deus abnuit. Itaque ut omnia congruant, legendum puto, ἢν δ᾽ ἄρα νεύσῃ, id est, *si quidem annuerit*, & puto sic Theocritum scripsisse. Tu, benigne lector, de eo judicabis.

Epigr. 11.

Καίπερ ἄκικις ἐών.	*Quamvis nihil vitium habens.*

Forte legendum ἄκικυς. Nam & Homerus sic scripsit, & apud omnes, qui ea voce usi sunt, sic invenitur scriptum ἄκικυς; ex jotacismo forte is error manavit, nisi quis velit τὸ ἄκικις esse ex Siculorum dialecto.

Ad Moschi Idyllium 2. versu 31.

Ἢ ὅτε φαιδρύνοιτο χρόα προχοαῖσιν Ἀναύρω.	*Vel corpus quum ablueret ad ostia Anauri.*

Ubinam cum Anaurum fluentem ponat, non patet ex toto Idyllio. Anaurus fluvius fuit in Magnesia prope Iolcum in mare defluens, exilis quidem sed celebris, de quo plures auctores mentionem fecerunt. Fuit & alius in Troade vel Dardania fluvius ejus nominis, ubi Paris armenta pascebat, si fides Colutho Thebano. Sed si fides est Ovidio, & plerisque, qui volunt Europam Agenoris Sidoniorum regis filiam in Phœniciæ littore ludentem raptam fuisse, ex hoc Moschi loco ponendus erit & alter Anaurus fluvius in Phœnicia prope Sidonem, de quo omnes Geographi tacuerunt. Apollodorus vero ait Agenorem Europæ patrem duxisse Telephassam uxorem,

uxorem, cum in Europam venisset. Ἀγλωίωρ δὲ (ait) παραγενόμενος εἰς τὴν Εὐρώπην γαμεῖ Τηλεφάασαν, καὶ τεκνοῖ θυγατέρα μὲν Εὐρώπην, παῖδας δὲ Κάδμον καὶ Φοίνικα καὶ Κίλικα. τινὲς δὲ Εὐρώπην οὐκ Ἀγήνορος, ἀλλὰ Φοίνικος λέγουσι. Unde fuerit illa Telephassa, non invenio, sed in fabulis veritatem quærere & congruentiam, id est oleum & operam perdere.

Ad Moschi Idyll. 3. versu 89.

Πίνδαρον οὐ ποθέουσι τόσον Βοιωτίδες ὕλαι.	*Neque adeo desiderant Pindarum Bœoticæ silvæ.*

Vocem ὕλαι vertit interpres *silvæ*. Ego vero puto κύριον esse, & verti debere *Hylæ*. Urbecula fuit Bœotica non longe à Thebis, de qua Strabo lib. 9 & Plinius lib. 4 cap. 7. eam Homerus memorat Iliad ε vers. 708.

Ὅς ῥ' ἐν Ὕλῃ ναίεσκε μέγα πλούτοιο μεμηλὼς
Λίμνῃ κεκλιμένος Κηφισίδι. παρ' δὲ οἱ ἄλλοι
Ναῖον Βοιωτοί.

Ad quæ Scholiastes. Ὕλη πόλις Βοιωτίας. *Hyle urbs Bœotiæ*. Per Cephisidem lacum vero intelligit eam, quæ vulgo vocabatur Κωπαΐς. Nec monet, quod Thomas magister ait Pindarum Cynoscephalis natum fuisse, non enim tantæ est auctoritatis Thomas magister, ut opponatur Moscho antiquissimo: tum, cum Plinius Hylas (nam pluraliter etiam dicitur) ponat inter Megaram & Thebas, Xenophon vero Cynoscephalas inter Thespias & Thebas, potest mons vel vicus Cynoscephalæ Hylæorum fuisse, & in ejus urbis vicinia, certe cum hoc loco Moschus uniuscujusque Poëtæ celebris patriam nominatim ponat, Hesiodi Ascram, Alcæi Lesbon, Simonidi Cejum urbem, Archilochi Parum, Sapphus Mitylenam, cur silvas tantum Pindaro daret? cujus non minus fuit honoranda patria, quam supradictorum. Nam dum dicit Βοιωτίδες, non vacat, sed id addidit ad differentiam aliarum urbium ejus nominis, quarum una in Locride, altera in Ionia, altera in Caria fuit. Ne quis autem miretur me supra dixisse Cephisidem lacum eum esse, qui Copaïs dicebatur, quod videtur Strabo respuere & contra sentire, respondeo, cum is locus Strabonis sit misere corruptus & mutilus, eum locum non habere apud me multum auctoritatis, præsertim cum videam nullum alium nec geographum nec historicum inter Græcos de Hyllico lacu fecisse mentionem, Strabonem vero non fuisse αὐτόπτην sive oculatum

tum testem ex pluribus ejus locis deprehenderunt pridem viri docti & post eos etiam ego. Copais lacus optime Cephisis dicebatur, quando Cephisus in eum influebat, & ab eo absorbebatur, ut ait ipse Strabo eodem loco, ubi etiam ait quosdam putare eundem esse lacum Cephisidem & Copaïdem, & sic Homerum intellexisse. Ego igitur ero unus ex iis, donec aliter docear: nam Pausaniæ, qui fuit αὐτόπτης, fides major, qui in Bœoticis sic ait: Ἐξ Ἀκραιφνίου δὲ ἰοῦσι εὐθεῖαν ἐπὶ λίμνην τὴν Κηφισίδα, οἱ δὲ Κωπαΐδα ὀνομάζουσι τὴν αὐτὴν, id est, *ex Acræphnio eunti recta via ad lacum Cephisidem, qui & ipse Copaïs vocatur.* quæ verba derogant fidem Straboni.

Ad Idyllium 8. versu 7.

Κῶρος δεινοθέτας &c. | [*Sic*] *puer ille graviter afficiens.*

Hæc accepit interpres tanquam per comparationem dicta, ac si dixisset, ὡς Κῶρος &c. & addidit de suo interpres [*sic*] & inclusit parenthesi, notans eam vocem non esse in textu Moschi. Sed frustra est: ea enim non est mens Poëtæ. Posuit enim nominativum pro vocativo, & dixit Κῶρος pro Κῶρε ob metrum, non enim conveniebat hexametro trochæus, Κῶρε δεινοθέτα, & sic procedit sententia: *ô puer qui gravia imponis*, vel (ut interpretem sequar) *qui graviter afficis, qui mala machinaris, & horrida doces, etiam fluvium propter amorem urinare docuit Cupido.* Interpres κολυμβᾶν vertit *natare*, sed male.

Ad Bionem. Idyll. 1. versu 94.

Καὶ Μοῖραι τὸν Ἄδωνιν ἀνακλαίουσιν Ἄδωνιν.	*Et Parcæ Adonidem deplorant Adonidem.*

Non possum mihi persuadere sic inconcinne scripsisse Bionem, ea enim hoc loco iteratio τοῦ Ἄδωνιν videtur insulsa & minime grata. Fortiter scripserat:

Καὶ Μοῖραι τὸν Ἄδωνιν ἀνακλαίουσιν ἐν Ἄδω.

Quod satis conveniret, sive τὸ ἐν Ἄδω referatur ad Parcas, sive ad ipsum Adonin jam mortuum, & mutatio facile facta est litteris fugientibus & solis Αδω remanentibus, unde quis credidit supplendum esse Ἄδωνιν. Sed est mera conjectura, quæ etsi verisimilis, forte non vera.

Ad Idyllium 9. versu ultimo.

Ὄλβιος ἦν θνάσκων, ὅτι οἱ μόρον αἰνὸν ἄμυνεν.	*Beatus erat moriens, quoniam ab eo mortem horrendam propulsavit.*

Hæc sic expressit interpres. Quam bene, ipse viderit: sed mihi videtur illa interpretatio absurda. Non enim propulsavit mortem ab amico Achilles, sed ejus mortem vindicavit, ideo mortuum Patroclum felicem ait Poëta, eo quod non inultus mortuus est, sed ejus mortem in occisore Hectore vindicavit Achilles, & id significat etiam verbum ἀμιύω.

In Epithalamio Achillis & Deidamiæ versu 7.

Πῶς παῖς ἑσσατο φᾶρος.

Apud Homerum vox φάρος semper penacuitur, & tam pro virili, quam pro muliebri veste sumitur. Hic vero cum accentu circumflexo ponitur, & videtur significare vestem muliebrem, qua induebatur Achilles, ut sexum mentiretur. Potest tamen intelligi etiam pro indumento, quo utebantur, qui ab ephebis excedebant, & id ut novum notat, quod puer φάρος induebat, ne statura majore quam pro virginis ætate vir proderetur.

Ibid. versu 9.

Α'ηδλών .... Δηϊδάμεια.

'Αηδλών vox rara, & quæ alibi forte non occurrit, non videtur hîc poni pro ἀηδής. Non erat deformis Deïdamia, imo propter pulchritudinem celebratur, & ab Achille adamata est. Igitur in hac voce vocalis α sumenda est non privativa, sed augmentativa, ἐπιτατικῶς, ut sæpe.

Ibid. versu 14.

Φέρων δίοτιν ἀνὰν ἄρεα.

Hic locus asterisco jure notatus prima facie mihi videbatur folium Sibyllæ, & ulcus prorsus desperatum. Tandem tamen mihi videor non infelici conjectura assequutus veram lectionem. Tu lector de eo judicabis, nam in propriis nostris conjecturis sæpe cœcutimus. Lego igitur, & totum locum appono.

— ὐδέ τις Ἕλλω
Οὔτε Μυκηνάων, ὔτ' Ἤλιδος, ὔτε Λακώνων
Μεῖνεν ἐὸν κατὰ δῶμα· φέρων δ' ἴετ' αἰνὸν ἄρηα.

Id est, — *neque ullus Græcus*
Nec Mycenæorum, neque ab Elide, neque Laconum
Mansit domi, ferens vero ibat horridum Martem.

Ibid.

Ibid. verſu 30.


Α'λλὰ μόναι καὶ λέκτρα καθεύδομες.

Non multum credo laborandum erit, ut tibi, benigne lector, perſuadeam legendum eſſe μόναι κατὰ λέκτρα, id enim requirit manifeſto ſententia. Sed & in iis, quæ ſequuntur, etiam aliquid mutandum eſſe videtur, ut ſenſus exurgat commodius, in verbis ἁ δὲ πορνεὰ Νύσσα γὰρ δολία με κακῶς ἀπὸ σεῖο μερίσδει. nam ex duabus particulis δὲ & γὰρ altera abundat. Mallem igitur legere: Νύσσα καὶ δολία. Per Nyſſam autem intelligo parietem ex ligneis metis compoſitum, & eſt Hypallage numeri νύσσα pro νύσσαι, ſingularis numerus pro plurali: non poterat enim unica meta cubiculum ab altero ſeparare: non male autem columellæ ligneæ, quæ in trabe tranſverſali infiguntur, & eam veluti νύσσουσι, pungunt, dum eam penetrant, νύσσαι vocari videntur. Si tamen aliter tibi lector videtur, & meliora tibi ſuppetunt, non invidebo, imo beabis, ſi nos docueris.

Exercitationum ad antiquos auctores Græcos finis.







INDEX RERUM ET VERBORUM GRÆCORUM.

A.

Ἀνεπι-

E.

Ἔρχεα,

Κῆπος

Λ.

M.

Μάζα-

N.


Ξ.

O.

Π.

Σκεύη,

INDEX



INDEX
RERUM ET VERBORUM
MEMORABILIUM.

A.

Attia,

Conon

D.

E.

N.

Nicocles

O.

P.

Q.

R

Regum

Theodo-

V.

FINIS.

